1.pl.1

37
3 B
8

-831

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JO: CHRISTOPHORI WOLFII
PAST. AD D. CATHARIN. HAMBVRG. ET SCHOLARCH.

CVRÆ PHILOLOGICÆ ET CRITICÆ,

TOMVS V.

IN

SS. APOSTOLORVM JACOBI PETRI JVDÆ ET JOANNIS EPISTOLAS HVJVSQVE APOCAL.

ACCEDVNT IN CALCE

QVÆDAM EX PHOTII AMPHILOCHIIS

ADHVC NON EDITIS

CVM

INTERPRETATIONE LATINA ET NOTIS.

EX RECTO DECVS

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA ROMA

BASILEÆ,
Sumtibus JOHANNIS CHRIST, MDCCXLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO
MAXIME VENERABILI DOCTISSIMO
CELEBERRIMOQVE
DOMINO
JOANNI GOTTLOB
CARPZOVIO
DOCTORI THEOLOGO
ET
ECCLESIARVM LVBECENSIVM
SVPERINTENDENTI
VIRO
DE ACADEMIA PARITER ET ECCLESIA LIPSIENSI
OLIM EGREGIE PROMERITO
DE
LVBECENSI VERO CVM MAXIME MERENTI
AVITI NOMINIS GLORIAM
PROPRIA SVA AVGENTI
OMNIVMQVE BONORVM ELOGIIS
OB
PVRIORIS DOCTRINÆ PIETATIS
CANDORISQVE STVDIVM
PRIDEM CVMVLATO

Digitized by Google

STVDIVM SVVM AMOREMQVE

TESTATVRVS

QVINTVM HOC

CVRARVM SVARVM IN NOVVM FOEDVS

VOLVMEN

LVBENS MERITOQVE OFFERT

ET

POST DIVINI NVMINIS GRATIAM

VBERRIMAM

LONGAM ANNORVM SERIEM

ROBVSTAS CORPORIS

ANIMIQVE VIRES

PROSPEROS DENIQVE CONSILIORVM

SVCCESSVS

PIE PROLIXEQVE

ADPRECATVR

JO. CHRISTOPH. WOLFIVS.

Digitized by Google

LECTORI
SALVTEM EX FONTE SALVTIS PLVRIMAM.

ACcipis tandem, cordate Lector, quintum & ultimum volumen *Curarum*, quas in illuſtrando Novo Fœdere collocavi. Illud tibi citius tradidiſſem, niſi opportuna & pridem expetita occaſio *Libanii*, Rhetoris Antiocheni, quem nonnulli veterum Eccleſiæ Doctorum magni fecerunt, epiſtolas, communi omnium voce celebratas, prelo parandi ſubnata mihi fuiſſet. Harum Centuriæ ſedecim Græce cum interpretatione mea La-

Digitized by Google

tina notisque operas *Waesbergianas* Amſtelodami cum maxime exercent, intra anni ſpatium, ni fallor, in lucem proditurae. Hac opera cum voluptate perfunctus, ad telam hanc, quam cœperam, pertexendam me converti. Quo in negotio quomodo verſatus ſim, dicere nihil attinet, cum id quidem ex præfatione, Volumini I. præmiſſa, ſatis intelligatur. Id unum tamen monendum fuerit, fore fortaſſe nonnullos, qui in illuſtranda S. Joannis Apocalypſi copioſiora a me requirant. Illos autem velim meminiſſe inſtituti mei, nec plura adeo exſpectare, quam promiſerim. Animus mihi erat, volumini huic ſubjungere, *ſupplementa*, *vindicias* & *emendationes* ad ſuperiora illa volumina pertinentes. Conſilium vero illud abjiciendum fuit, intelligenti, illis non paucas, quæ nunc quidem per temporis rationem dari poterant, plagulas, ſed vix juſtum volumen ſufficere. Conſultius itaque putavi, hanc operam nonnihil proferre, & eruditorum de parte hac ultima judicia exſpectare.

Quicquid interea otii reliquum mihi erat, id ad divulgandam partem *Amphilochiorum PHOTII*, adhuc ἀνεκδότων, quam in calce conſpicis, contuli. De hoc opere ita habe. Exſtat illud Pariſiis manu, quæ Sæculum XI. refert, exaratum in codice membranaceo CCLXX. Bibliothecæ *Coislinianæ*, olim *Segverianæ*, cujus Catalogum indefeſſæ præſtantiſſimi *Bernardi Montefalconii* induſtriæ debemus. Inſcriptio, ex fide Catalogi illius, p. 326. ita habet: Τὰ Ἀμφιλόχια, ἢ λόγων ἱερῶν καὶ ζητημάτων ἱερολογίαι πρὸς Ἀμφιλόχιον, τὸν ὁσιώτατον μητροπολίτην Κυζίκου, ἐν τῷ καιρῷ τῶν πειρασμῶν, ζητημάτων διαφόρων, εἰς ἀριθμὸν τριακοσίων συντεινόντων ἐπίλυσιν αἰτησάμενον. i. e. *Amphilochia*, *ſeu ſermones & quæſtiones ſacræ ad* Amphilochium, *ſanctiſſimum Cyzici Metropolitam*, *qui*, *tempore tentationum*, *quæſtionum variarum*, *quæ numerum CCC. conficiunt*, *ſolutionem expetierat*. Inſcriptio hæc eadem ratione in codice *Neapolitano*, de quo mox dicemus, legitur in Ephemeridibus Literariis Venetis, Italice editis, Tom. XXXII. pag. 72.

Ex illa vero apparet, Ἀμφιλόχια, vel, ut *Allatius* appellat, Ἀμφιλόχεια, vel, ut alii, Ἀμφιλοχικὰ, ideo appellari, quod Reſponſa illa ad Amphilochium, Præſulem Cyzicenum, petentem, ſint perſcripta. Cave

ve vero credas, de omnibus ita eſſe habendum. In epiſtolis Photii, a *Rich. Montacutio* editis, ſex omnino *Amphilochii* nomen referunt. Ex his tres tantum exſtant in Amphilochiis nempe epp. 137. 163. 178. cum quibus exacte conveniunt Reſponſa 162. 255. & 178. tres ceteræ vero nempe 168. 198. & 207. inter Reſponſa illa deſiderantur. Ab altera parte in *Amphilochiis* Reſponſum CXLI. quod habes infra p. 708. inſcribitur *Amphilochio*, quod fruſtra quæris inter epiſtolas. Præterea multa Reſponſa, in Amphilochiis exſtantia, etiam in epiſtolis, (ceu mox oſtendemus) leguntur, ſed aliorum nominibus inſcripta. Ita Reſp. CLXVI. eſt epiſtola CXXXV. quæ tamen ibi *Conſtantini fratris* nomen refert. Propterea ita potius ſtatuendum puto, quod variæ Photii epiſtolæ hinc inde ſint collectæ, & *Amphilochiorum* nomine inſignitæ, ideo, quod *Photio* frequens literarum cum *Amphilochio* commercium interceſſerit. Taceo, nonnulla in his haberi, quæ non tam *reſponſa*, quam *excerpta* quædam referunt, quæ *Photius* ex aliis, v. c. *Chryſoſtomo* &c. petiit. Vide e. g. infra p. 730. 800. Id certum eſt, *Amphilochio*, Epiſcopo Iconienſi, non tribuenda eſſe, quæ in *Amphilochiis* leguntur. Hoc quidem viſum fuit *Franc. Combefiſio*, qui Reſponſum XXXVII. *de incircumſcripta Filii Deitate* inter *Amphilochii* excerpta p. 226. Operum ejus exhibuit, recte ideo notatus ab *Allatio* de conſenſione Eccleſ. Occid. & Orient. p. 576. At ipſe *Combefiſius* errorem ſuum agnovit in *Recenſitis Auctoribus Bibliothecæ Patrum Concionatoriæ* p. 152. qui libellus ſeorſim prodiit Pariſiis 1662. 8.

Quod ad argumentum collectionis hujus ſpectat, maxima illius pars in illuſtrandis Veteris & Novi Inſtrumenti oraculis difficilioribus occupatur. Reliqua pars nunc Theologica, nunc Philoſophica varii generis, nunc Grammatica, nunc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & literariæ capita perſequitur.

Collectio ipſa nunquam lucem vidit, quamvis manu exarata in variis Bibliothecis exſtet. In *Gallia* Pariſiis Bibliothecæ *Colbertina* & *Coisliniana* illius copiam faciunt. Prior in codice CCCCXLIV. quem ita deſcribit *Jo. Baptiſta Cotelerius* in notis ad Tomum III. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ pag. 556. *Adverſus Manichaicam hæreſin*

Pauli-

Paulicianam libri Photii quatuor, Euthymio Zigabeno viſi, exſtant Cod. Colbertino 444. *una cum ejusdem doctiſſimi viri* Amphilochiis, *ut certiſſimis indiciis deprehendi, quamvis titulo, capite, cauda trunca ſint.* Poſterior in Codice CCLXX. olim CXXXIX. ex quo, quod modo monuimus, *Bernardus Montefalconius* & titulos & initia CCCVIII. Reſponſorum exhibuit in Catalogo Biblioth. Coislinianæ pag. 325. ſqq. ſubjectis, ſpeciminis loco, quatuor Reſponſis p. 346. ſqq. quæ mox appellabimus. In *Italia* Roma duplex operis exemplum exhibet; alterum in Bibliotheca *Vaticana*, alterum in *Barberina*, atque hoc quidem *Franciſci Arcudii* manu deſcriptum. De utroque teſtis eſt *Leo Allatius* in libris III. de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione lib. II. c. 6. p. 576. *Opus eſt*, inquit, *varium, & multiplice eruditione plenum, Theologis ac Scripturæ expoſitoribus maxime neceſſarium, eoque magis amplectendum, quod non alibi, quam in Vaticana, nunc poſtremum ex libris Lollianis, ſub Urbano VIII. invectum, quod ipſe ſciam, exſtet.* Et paucis interjectis: *Opus tam dignum & doctum, à* Franciſco Arcudio, *Nuſcano demum Epiſcopo, viro Græcis Latiniſque literis longe doctiſſimo, mihique ſtudiorum familiaritate conjunctiſſimo, biennium ante fato functo, characteribus elegantiſſimis diligentiſſime deſcriptum, in ſua Bibliotheca repoſuit bonarum omnium artium & diſciplinarum reſtaurator*, Franciſcus Barberinus, *publicæ omnium commoditati atque utilitati.* De codice illo *Lolliano* vide ſis ipſius *Lollini* epiſtolas p. 326. Præter hæc Bibliothecam *Taurinenſem* ejusdem operis exemplum habere, conſtat ex Ephemeridibus Liter. Venetis Tom. VI. p. 478. Ad illa accedit codex *Neapolitanus*, de quo *Allatius* l. c. ita: *Annis nihilominus elapſis*, Neapoli *inventus eſt codex antiquiſſimus, imo fruſtum antiquiſſimi codicis, vetuſtate exeſum, principio & fine mutilum: ex eo tranſcripta dubia & ſolutiones viginti, cum plura non eſſent, & ad me, veluti theſaurus ingens, transmiſſa ſunt ab eruditiſſimis viris, qui operam ſuam in illis illuſtrandis pollicebantur, verum, cum ſciviſſent, cujus illa erant, &, opus integrum exſtare, neglexerunt.* Hunc ipſum codicem non ita pridem diligentius deſcripſit V. C. *Sebaſtianus Pauli*, Lucenſis, in ep. ad Illuſtr. *Scipionem Maffeium*, quæ in iisdem Ephemeridibus Venetis Tom. XXXII. p. 58. ſqq. legitur. Ibi quidem p. 65. codex hic annorum DC. ætatem habere & anno CIↃ IↃCCXVII. ex *Archivo SS. Apoſtolorum*

in

in Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem, una cum codicibus aliis centum & amplius, translatus eſſe dicitur. Comparaverat illum olim *Anton. Caracciolus*, & Romam miſerat ad *Leonem Allatium*, qui eundem, a *Neophyto Rodino*, Monacho Cyprio, deſcriptum, variis lectionibus vel emendationibus ad marginem inſtruxerat. Hujus vero apographi copia una cum epiſtola *Allatii* ad *Caracciolum* adhuc exſtat Neapoli in illo *SS. Apoſtolorum Archivo*, unde aliam ſibi fecit *Nicol. Falconius*, Abbas, qui an. 1719. converſionem ejus Latinam prelo paravit. Illo porro codice comprehenduntur *viginti* tantum Reſponſa, auctore *Allatio*, l. c. vel *octodecim*, ex computo *Seb. Pauli* l. c. ubi ſingulorum titulos & initia, adjecta ſeorſim Latina verſione, legis p. 66-72. Reſponſum primum refert numerum XXV. ultimum vero XLIII. qui conjuncti conficiunt *novendecim.* Huic ſi addideris epiſtolam, cujus initium ibidem p. 72. poſt inſcriptionem operis legis, ſummam, ab *Allatio* ductam, habebis. His itaque viginti Reſponſis *Seb. Pauli* p. 66. nihil ait eſſe commune cum trecentis illis, ad *Amphilochium* datis. Ego vero ex indice codicis *Coisliniani* Amphilochiorum intellexi, octodecim ibi legi inde a num. 24. ad 41. eodem etiam ordine, (niſi quod Reſponſum 35. mutato ordine, poſt 39. legatur,) atque adeo unum tantum, quod in Neapolitano eſt 37. & incipit: Ὅτι μὲν ἡ τῦ Θεῦ πρόνοια, κ. τ. λ. in *Coisliniano* illo codice deſiderari. Atque hæc de *Neapolitano* illo codice ſufficiant. Video præterea a *Caſimiro Oudino* in Commentariis de Scriptoribus Eccleſiaſt. Tom. II. p. 203. adferri *Biblioth. Bavaricam*, cujus codice 175. Amphilochia Photii contineantur. At in Catalogo codicum Græcorum Biblioth. Bavaricæ p. 67. n. 175. hæc tantum inter cetera aliorum leguntur: *Photii Patriarchæ de incircumſcripta Filii divinitate ex Amphilochio;* ubi procul dubio legendum eſt *ex Amphilochiis.* In his enim hoc Quæſitum legitur n. 37. Codicis Coisliniani. Itaque abſit, ut de integro *Amphilochiorum* codice cogitemus.

Hi, quos dixi, codices & *numero* & *ordine* Reſponſorum differunt. Ita ex Cod. *Vaticano* Reſponſa CCCXIII. appellat *Allatius* de conſenſione &c. p. 576. Atque totidem in *Colbertino* exſtare intellexi ex illa, quam habeo, *Amphilochiorum* parte. Qui enim eam ex *Coisliniano* deſcriptam cum *Colbertino* contulit, *Franc. Dionyſ. Camuſatus*, de quo mox, aliquoties monet,

** hoc

hoc vel illud Reſponſum haberi in Colbertino numero v. c. 4. ex *tredecim* illis, quæ ſupra ccc. in Colbertino illo exſtent. Ita ad Reſponſum CXVI. διὰ τί πρωτότοκον ὁ Θεὸς τὸν Ἰσραὴλ καλεῖ, lego, exſtare illud num. III. ex tredecim præter ccc. & ad Reſponſum CXXIII., legi illud num. X. ex iisdem tredecim ſupra ccc. Obſervavi præterea, in *Colbertino* nonnunquam deſiderari, quæ exſtant in *Coisliniano*. Huc pertinent duo illa, quæ infra habes p. 684. nec minus Reſponſum XCV. & XCVI. &c. In *Coisliniano* apud *Monteſalconium* numerantur Reſponſa CCCVIII. Porro *ordo* Reſponſorum alius atque alius eſt in utroque codice Pariſienſi. Quamvis enim uterque usque ad Reſp. LXXVII. ſibi invicem exacte reſpondeant, quod ad cetera tamen admodum a ſe ratione ordinis diſſentiunt.

Quod ad *Amphilochia* ipſa ſpectat, *ſexta* circiter illorum pars in epiſtolis *Photii*, quas eruditæ *Richardi Montacutii* induſtriæ debemus, exſtat. Illorum dabo indicem in gratiam eorum, qui fortaſſe *Amphilochia* edere inſtituerint, ordinem codicis *Coisliniani* ſecuturus, ita quidem ut litera *r.* *Reſponſa* Amphilochiorum, *e.* vero *Epiſtolas* Photii indicet. r. 128. e. 208. r. 129. e. 209. r. 130. e. 210. r. 131. e. 211. r. 132. e. 213. r. 133. e. 214. r. 134. e. 216. r. 138. e. 246. r. 139. e. 247. r. 140. e. 248. r. 163. e. 137. r. 164. e. 138. r. 165. e. 139. r. 166. e. 144. r. 200. e. 30. r. 201. e. 31. r. 202. e. 33. r. 223. e. 35. r. 224. e. 36. r. 225. e. 37. r. 226. e. 38. r. 227. e. 43. r. 228. e. 50. r. 229. e. 54. r. 230. e. 58. r. 231. e. 61. r. 232. e. 62. r. 233. e. 63. r. 234. e. 64. r. 235. e. 72. r. 236. e. 74. r. 237. e. 75. r. 238. e. 76. r. 240. e. 102. r. 241. e. 125. r. 242. e. 127. r. 243. e. 129. r. 244. e. 132. r. 245. e. 133. r. 246. e. 134. r. 248. e. 147. r. 249. e. 151. r. 250. e. 152. r. 251. e. 155. r. 252. e. 156. r. 253. e. 157. r. 254. e. 161. r. 255. e. 163. r. 256. e. 164. r. 257. e. 167. r. 258. e. 176. r. 259. e. 177. r. 260. e. 178. r. 261. e. 180. r. 262. e. 181. r. 263. e. 182. r. 264. e. 187. r. 265. e. 192. r. 266. e. 196. r. 267. e. 203. r. 269. e. 145. r. 270. e. 162. r. 271. e. 163. r. 272. e. 165. r. 273. e. 166. Summa omnino eſt 65.

Non

Digitized by Google

Non deſunt præterea viri eruditi, qui nonnulla ex his Reſponſa ediderunt. Inter hos eſt laudatiſſimus *Combefiſius*, qui, quod ſupra jam monuimus, Reſp. XXXVII. *de incircumſcripta Filii Deitate* ex Tiliano codice (vide ejus *Recenſitos Auctores Bibliothecæ PP. Concionatoriæ* p. 152.) inter *Amphilochii* ſcripta, & Reſponſ. CXXV. de *Aſteriis pluribus* in calce *Aſterii* ſui edidit. Poſtea diligentiſſimus *Montefalconius* in Catalogo Bibliothecæ Coislinianæ p. 346. ſqq. quatuor omnino Reſponſa, nempe CXXV. *de Aſteriis*, CXXIX. *de cornu Amaltheæ*, CLX. *de Sibyllis*, & CLXVI. *de hæreſi Euſebii* in communem uſum Græce & Latine produxit. Ubi velim, notes, Reſp. CXXV. *de Aſteriis* idem eſſe, quod *Combefiſius* ediderat, CXXIX. vero & CLXVI. in epiſtolis Photii, illud ep. 209. hoc autem ep. 144. jam ante editum legi. Nec omittendi ſunt alii, quos Celeberr. *Jo. Alberti Fabricii* noſtri verbis in Bibliotheca Græca Vol. IX. p. 362. appellabo. *Locum*, inquit, *ex Quæſt.* LXXXIII. *producit* Allatius *capite II. Syntagmatis de Engaſtrimytho: alium ex Quæſt.* CLVII. *in libro de Simeonibus* p. 3. *Alia loca laudat* Franc. Turrianus *in Defenſione epiſtolarum Pontificum* (p. 24. & 165.) *& in notis ad Conſtitutiones Apoſtolicas* (VIII. 41. p. 155.) *nec non in libro de jure ordinandi miniſtros Eccleſiæ* p. 155.

Supereſt, ut de iis dicam, quæ ipſe ego ex egregio opere in calce hujus Voluminis exhibui. Pervenit ad me illa *Amphilochiorum* pars, quæ inde a Reſp. LXXIV. codicis Coislin. usque ad Reſp. CCI. legitur. Debeo illam liberalitati Viri Rev. & Clariſſimi, *Jo. Jacobi Wetſteinii*, apud Amſtel. cum maxime literas elegantiores ornantis, cui hoc nomine gratias habeo agoque. Ille vero eam ex ſectione librorum *Franc. Dionyſii Camuſati*, an. 1732. d. 28. Octobr. Amſtelodami mature defuncti, (cui præter alia *Alphonſi Ciacconii* Bibliothecam Univerſalem, quoad illa, manu exarata, circumfertur, & apud me quoque exſtat, & *Hiſtoriam Criticam Ephemeridum Literariarum*, gall. Amſtelod. 1734. 8. editam, debemus,) acceperat. *Camuſatus* quidem totum opus (cujus prima & tertia pars fruſtra inter ſchedas ejus quæſita eſt) manu ſua ex codice *Coisliniano* deſcripſerat, & cum *Colbertino* comparaverat, imo & initium interpretationis Latinæ, a me non viſæ, fecerat. Id ipſe in *Hiſtoria Critica Ephemeridum* p. 96. teſtatur, quemadmodum ante hoc quinquennium per

literas

literas mihi ſignificaverat, parare ſe omnium *Photii* (in cujus *Bibliotheca* recenſenda ego nunc verſor) operum, atque inter hæc nominatim *Amphilochiorum* editionem. Ex ea igitur illorum parte, quam habeo, illa ſelegi, quæ ad expoſitionem locorum difficiliorum Novi Fœderis ſpectant, omiſſis tamen iis, quæ jam inter epiſtolas *Photii* leguntur. Non omnia, fateor, eandem hinc doctrinam, hinc diligentiam ſpirant. Pleraque tamen ita comparata ſunt, ut juvare & delectare poſſint lectorem. Illis itaque, cordate Lector, frueris, & una mecum Deo O. M. gratias ages, quod *Curis* his perficiendis & valetudinem & patientiam clementer mihi ſit largitus. Ita vale in Domino, & *Supplementa*, quæ ſupra promiſi, ſuo tempore exſpecta.

IN

IN EPISTOLAM S. JACOBI. PROLEGOMENA.

S. JACOBI, *minoris*, ejusdemque Apoſtoli, hanc eſſe epiſtolam, ut inſcriptio, ita veterum & recentiorum plerique teſtantur, quod ex iis, quæ ad comma epiſtolæ primum dicemus, apparebit.

Eadem *καθολικὴ*, ſeu *univerſalis*, ſicut & *Petri*, *Judæ*, & *Joannis* illæ, appellantur, ideo, quod non uni, vel homini, vel urbi, vel regioni, ſed vel Chriſtianis omnibus, vel Ex-Judæis, per orbem terrarum diſperſis, ſunt inſcriptæ. *Theodoretus* ita: *καθολικαὶ λέγονται αὗται, οἱονεὶ ἐγκύκλιοι. οὐ γὰρ ἀφωρισμένως ἔθνει ἑνὶ ἢ πόλει, ὡς ὁ θεῖος Παῦλος, οἷον Ῥωμαίοις ἢ Κορινθίοις, προσφωνεῖ ταύτας τὰς ἐπιστολὰς ὁ τῶν τοιούτων τοῦ Κυρίου μαθητῶν θίασος, ἀλλὰ καθόλου τοῖς πιστοῖς, ἤτοι Ἰουδαίοις, τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, ὡς Πέτρος, ἢ καὶ πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν αὐτὴν πίστιν Χριστιανοῖς τελοῦσιν.* Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. v. *ἐγκύκλιος* & *καθολικὸς*, *Millium* pag. 542. N. T. & Illuſtrem *Scipionem Maffejum* in notis ad *Caſſiodorii* Complexiones edit. in 8. pag. 248.

Primum inter reliquas locum occupat, quem apud Græcos inprimis jam olim obtinuiſſe teſtis eſt *Hieronymus*, vel quisquis auctor eſt, in *Prologo* in epiſtolas Canonicas, & *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. lib. II. cap. 23. *τοιαῦτα*, inquiens, *καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰάκωβον, οὗ ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται.* Schol. Anon. ad epiſtolam Jacobi in Codice Regio Pariſ. DCCV. hanc reddit rationem: *προτέτακται ἡ τοῦ Ἰακώβου ἐπιστολὴ τῶν ἄλλων, ὅτι τε πρῶτος ἐπίσκοπος ἦν, καὶ ὅτι τῆς Πέτρου καθολικωτέρα· ταῖς γὰρ ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν διεσπαρμέναις ἐγράφη δώδεκα φυλαῖς.* Locum

 hunc

Digitized by Google

hunc attulit *J. B. Cotelerius* in Judicio de Barnabæ epiſtola Tom. I. Patrum Apoſtolicorum edit. Antwerpienſ. pag. *6*.

Ex-Judæis, per orbem terrarum diſperſis, inſcriptam eam eſſe comma primum evincit, ad quod plura dicemus.

Hieroſolymis ſcriptam eſſe recte ex eo conjeceris, quod *Hieronymus* ex veterum fide per triginta annos Jacobum ibi verſatum fuiſſe teſtatur, quemadmodum ex Actis Apoſtolorum XV. 13. colligere licet, eundem in Concilio Hieroſolymitano Præſidem egiſſe.

Tempus ſcriptionis obſcurius eſt, quod tamen plerique ad Annum Chriſti LX. cum *Millio* in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum §. 56. referendum cenſent. Accipe verba ejus: *De tempore, quo ſcripta eſt*, inquit, *certum eſt inprimis, exaratam fuiſſe ante excidium Hieroſolymorum; de hoc enim, ut & generali Judæorum calamitate, veluti jam imminente, loquitur cap.* V. 1. Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, *ταῖς ἐπερχομέναις. Tum & illud conſtat, ſcriptam fuiſſe tempore Perſecutionis, cum a Potentibus tracti eſſent ad tribunalia cap.* II. *6. Unde & per omnem fere partem epiſtolæ illud agit Auctor, ut eos in fide inconcuſſos adverſus omnia, quibus premerentur, mala ſtabiliret. Jam vero* Jacobus *ſtatim poſt* Feſti *mortem martyrium obiit, teſte* Joſepho (*Antiquitt.* XX. 16.) *anno Aeræ Vulg. ex rationibus* Pearſonianis, *quas libenter ſequor*, LXII. *adeoque uno vel altero ante mortem, ſcriptam cenſuerim hanc epiſtolam, circa annum ſcilicet* LX. Non improbo *Millii* ſententiam, quamvis non exiſtimem, eam inter cetera ſuperſtrui poſſe verbis cap. V. 1. quæ cur ad imminentem tunc Hieroſolymis calamitatem ſpeciatim referantur, non admodum video. Poſt epiſtolas Pauli ad Romanos & Galatas, imo & poſt Petri epiſtolam, circa annum Chriſti LXI. circiter ſcriptam eſſe hanc epiſtolam nonnulli conjiciunt ex *Jac.* IV. 4-6. cum *Rom.* VIII. 6. 7. *Galat.* V. 6. & 1. *Pet.* V. 5. comparatis, niſi ad loca quædam Veteris Teſtamenti Apoſtolum reſpexiſſe exiſtimes. *Millius* ab altera parte D. Petrum *νοήματα* & *ῥήσεις* varias ex Jacobi illa ſumſiſſe opinatur §. 58. Prolegomen. Vide eruditam D. *Joannis Henrici Michaelis* Introductionem in hanc epiſtolam pag. 22. ubi & argumentum ab anno martyrii S. Jacobi recte in hanc cauſam urget.

Occaſionem ſcribendi ex *Simonis Magi* adſeclis, qui bona opera deprimere & negligere ſtuduerint, natam eſſe poſt *Claudium Fraſſenium* in Disquiſitionibus Biblicis p. 759. ſtatuit *Millius* loc. cit. At vide quæ in hanc ſententiam animadvertit B. *Ittigius* de Hæreſiarchis p. 36. ſeqq. Optime illi res inſtituere videntur, qui exiſtimant, Apoſtolum ſe omnibus illis opponere, qui doctrinam de gratia & ſalute, per fidem impetranda, in fraudem bonorum operum abripuerint. Tales ſcilicet & Paulus caſtigat *Rom.* VI. 1.

De *Canonica* epiſtolæ auctoritate jam pridem diſputatum eſt. *Jacobus Basnagius* in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parte II. lib. VIII. cap. 3. fata illius tribus diverſis periodis circumſcribit. Prima eſt, quod primis Eccleſiæ Sæculis

culis parum fuerit cognita: altera, quod Sæc. IV. a variis rejecta: tertia denique, quod Sæc. V. ab omnibus tanquam Canonica recepta ſit. Vide ipſe, & expende allata veterum teſtimonia. Nuper recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in Notis ad hanc epiſtolam negare poſt alios ſuſtinuit, eam vel a Jacobo Apoſtolo, vel a Jacobo quodam alio exaratam eſſe. Argumenta ejus ſub examen vocavit *Leonhardus Twells* in Examine Critico Lond. 1731. 8. Anglice edito, Part. II. pag. 82. ſeqq. Dignas puto vindicias ejus, quæ hic Latine ex libro, apud nos parum obvio, converſæ legantur. “ Annotator, *inquit*, epiſtolam hanc oppugnare adgreditur,“ primo loco monens, auctorem ejus ſe non appellare *Apoſtolum*. Enim-“ vero Scriptor epiſtolæ Jacobum ſe vocat, & adverſarius vel ſic, an a Ja-“ cobo aliquo ſcripta ſit, dubitat. Itaque præter rationem queritur, epi“ ſtolam hanc *interna* evidentia deſtitui, quando ſimul nec eam, quæ ad-“ eſt, admittit. Primum ſeverioris judicii ſui argumentum ab *Euſebii* au-“ ctoritate ducit, lib. II. cap. 23. Hiſt. Eccleſ. de hac epiſtola dicentis, ὡς“ *νοθεύεται, quod ſpuria ſit.* Huic jungit *Valeſium*, exiſtimantem, *Euſebium*“ hoc loco non inſtar Hiſtorici vulgi ſententiam recitare, ſed ſimpliciter“ pronunciare *ſpuriam*. Hic vero primo loco tenendum eſt, *Euſebium* per“ νοθεύεται non id ſibi velle, quod *abſolute* ſit ſpuria, ſed quod non inſtar *ca-*“ *nonicæ* ab omnibus fuerit recepta. Ita alibi lib. III. cap. 23. *Apocalypſin* S.“ Joannis inter νόθα numerat, quam tamen a quibusdam in *canonem* rece-“ ptam eſſe itidem affirmat. Itaque τὸ νοθεύεται *Euſebio* idem eſt, quod“ ἀντιλέγεται, eo ſenſu, quod libro huic *controverſia* mota ſit, quamvis“ idem non ſit inſtar *ſpurii* rejectus. Similiter eodem capite epiſtolam hanc“ *clare* refert in numerum τῶν ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' ἦν τοῖς πολλοῖς,“ i. e. talium, *quibus* (quidam) *adverſati ſint*, quamvis a pluribus *approba*“ *ti ſint & excitati*. Porro, *Euſebium* heic non ſuam, ſed *vulgarem* ſenten-“ tiam explicare, quicquid *Valeſius* in contrariam partem dicat, vel ex eo“ ſatis adparet, quod idem epiſtolam hanc alibi, ut ſcriptum Apoſtolicum,“ laudat. Vide *Euſebium* apud *Damaſcenum* in Parallelis lib. I. cap. 9. & lib. III.“ cap. 45. quos locos adfert *Millius* Prolegom. §. 204.“

Provocat poſtea ad *Hieronymum*, in Catalogo Scriptorum Eccleſia-“ ſticorum teſtantem, epiſtolam hanc ab alio ſub *Jacobi* nomine ſcriptam“ tradi. Sed & heic manifeſtum eſt, *Hieronymum* non *ſuam*, ſed *vulgi* ſen-“ tentiam promulgare. In ſua enim ad *Paulinum* epiſtola profitetur, eam“ a Jacobo Apoſtolo ſcriptam eſſe, ſicut eandem *Jacobo*, fratri Domini, lib. I.“ cap. 24. adverſus Jovinianum acceptam refert.“

Pluribus veterum teſtimoniis hanc in rem deſtitutus, negantibus“ argumentis utitur. *Si epiſtola hæc*, inquit, *germana eſt, qui tandem factum*“ *eſt, ut nec* Clemens Romanus, *nec* Polycarpus, *nec* Ignatius, *nec* Juſtinus“ Martyr, *nec* Hippolytus &c. *ea ætate, quæ Apocryphis Evangeliis ſcatebat,*“ *mentionem ejus ullam fecerint?* Quam *falſo* pariter & *inconvenienter* hæc“

Digitized by Google

"dicuntur! Scriptores trium *diverſorum* Sæculorum heic conjungi vi-
"des, tanquam ad eandem ætatem pertinentes. Præterea horum Scripto-
"rum de Jacobi epiſtola ſilentium non efficit, ut *germana* eſſe negetur.
"Primo enim *Clemens Romanus* varias S. *Pauli* epiſtolas, tunc omnino ex-
"ſtantes, non magis, quam S. *Jacobi* illam, allegat, quæ tamen hoc nomi-
"ne νοθείας non poſtulantur. *Ignatii* epiſtolæ ex toto *Veteri Inſtrumento* non
"niſi duos, puto, locos adferunt; quod ad *Novum* vero attinet, paucas
"quidem ejus phraſes adhibet, ſed ita, ut, non appellatis Auctoribus, eas
"ad inſtitutum ſuum *accommodet* potius, quam *diſerte* alleget. *Polycarpi* una
"tantum eaque brevis exſtat epiſtola, in qua vix dimidia pars librorum ſa-
"crorum, atque adeo nec hæc Jacobi epiſtola affertur. *Juſtinus Martyr* non-
"nihil accuratius in allegandis libris ſacris verſatur Scriptor ceteris copio-
"ſior; ſed, cum adverſarii noſtri incommodo, præter Evangelia nullum
"Novi Inſtrumenti librum adfert. Ejus itaque ſilentium efficere non po-
"teſt, ut S. *Jacobi* epiſtolam pro ſpuria habeamus. *Hippolytus* denique,
"quamvis Græce ſcripſerit, Eccleſiæ *Occidentalis* ſcriptor exiſtimandus eſt,
"cujus præjudicia adverſus hanc epiſtolam in prioribus illis Sæculis ſatis
"conſtant. Taceo, germana ejus ſcripta, quæ ætatem tulerunt, adeo
"pauca eſſe, & volumen adeo exiguum conficere, ut occaſionem non ha-
"buiſſe videatur S. *Jacobum* allegandi, quicquid etiam de epiſtola, quæ
"nomen ejus refert, judicarit. Argumentum itaque, quod ab horum Scripto-
"rum ſilentio ducitur, quantopere etiam urgeatur, robore deſtituitur.

"Annotator noſter ita facilis eſt, ut nonnulla *veterum* teſtimonia
"pro illa facere largiatur, non tamen eo conſilio, ut recte de illa judicet,
"ſed ideo potius, quod eadem parum illi prodeſſe exiſtimaret. Ita *Cle-*
"*mentem Alexandrinum* in epiſtolam hanc commentari fatetur, eadem ve-
"ro opera monet, eundem de Apocalypſi *Petri*, quæ ab omnibus ſpuria
"habeatur, idem ſtatuere. *Origenem* ait eam in commentario in *Joannem*,
"ſed ut dubiæ auctoritatis ſcriptum, allegare. *Millius* tamen, cui hoc de-
"bet, teſtatur, *Origenem* epiſtolam hanc tanquam dubiæ *apud nonnullos* auctori-
"tatis allegare, ex quo conſequitur, eandem ab aliis in dubium non eſſe vo-
"catam. Imo, quod plus valet, *Origenes* Comment. in *Joannem* pag. 294.
"meminit τῶν παραδεχομένων, h. e. eorum, qui epiſtolam hanc ut *Canoni-*
"*cam* receperint. Inter hæc judicia magnum utique diſcrimen intercedit.
"Prius illud ex ipſius *Origenis* ſententia epiſtolam hanc ut dubiam repræ-
"ſentat; poſterius vero ejuſdem *Critici* judicio eam germanam credere ju-
"bet. Atque ita res omnino habuit. In reliquis enim operibus ſuis epiſto-
"lam hanc tanquam a *Jacobo* Apoſtolo & fratre Domini noſtri ſcriptam,
"& *divinam* affert. Lege locos a *Millio* Prolegomen. §. 203. allatos.

"At præter duo illa teſtimonia, pro auctoritate epiſtolæ S. *Jacobi* mi-
"litantia, plura alia exſtant, a *Millio* in *Prolegomenis* collecta, ſed ab adver-
"ſario

ſario ſilentio prætermiſſa. Inter hæc invenimus nonnulla *Græca* & *Orientalis* Eccleſiæ, quæ eam a *Jacobo* Apoſtolo ſcriptam eſſe profitentur. Ex urbe *Hieroſolymitana*, *Cyrillus* ejus Epiſcopus, ex ſacris *Palæſtinæ* cœtibus *Euſebius Cæſarienſis*, *Procopius Gazæus*, *Leontius*, alii, id teſtantur. Ex *Syria*. Sæculo IV. *Ephræmum*, Diaconum Edeſſenum, teſtem habemus. Ex *Cypriis Epiphanius*, ex *Ægyptiis Antonius Eremita*, *Athanaſius* & *Didymus*, ejusdem omnes ætatis, præter alios Sæculi V. ineuntis ſuffragantur. Eccleſiam *Conſtantinopolitanam* non aliter ſenſiſſe *Euſtathius* Presbyter & alii confirmant, *Jacobi* epiſtolam ut ſcriptum *Apoſtolicum* adferentes."

Canones & *Concilia Oecumenica* IV. & V. Sæcul ipro divina epiſtolæ hujus auctoritate ſtare *Annotator* largitur. Eadem vero opera ægre fert quod *venerandi* hi conventus nulla attulerint argumenta, quibus *decreta* ſua ſuperſtruxerint; ſtatuitque adeo, poſteros ideo cauſam habere, cur vel *candorem* eorum, vel *judicandi dexteritatem* in dubium vocent. Quaſi vero his *Conciliis* proprium & peculiare fuerit, ut *acta* ſua & *canones* ſine argumentis, quibus ſententiam ſuam muniverint, poſteris relinquerent. Quodſi autem Concilia *Laodicenum* & *Carthaginenſe* nihil ab aliorum inſtitutis alienum habuerunt, nihil cauſæ eſt de illis conquerendi, quod in hac cauſa ſententiæ ſuæ rationes non magis reddiderunt, quam alia ejusmodi Concilia reddere conſueverunt. Facilis ſcilicet eſt conjectura, teſtimonium Eccleſiarum Scriptorumque veterum effeciſſe, ut epiſtolam hanc in canonem receperint. Eccleſia illa, ad quam miſſa erat, nec minus illi vicinæ, quæ traditionem fide digniſſimam, ad hanc cauſam pertinentem, *ſervare* & ad alios *transmittere* poterant, & tunc & ſemper communi conſenſu eam receperunt. Veri autem ſimile eſt, hujus rei *documenta* indubia exſtitiſſe, quæ ætatem ferre, atque adeo omnem querendi materiem adimere poſſent. Quamsvis vero aliter res ceciderit, documentaque & ſcripta, quibus Synodi illæ decreta ſua ſuperſtruxerunt, maximam partem perierint, Annotator tamen minime omnium queri deeo, aut in cauſæ ſuæ argumentum id omne interpretari poteſt, cui turpe non viſum ſit, lectores ſuos maximam partem teſtimoniorum antiquitatis, quibus temporis injuria pepercit, celare. Quodſi enim plura ſuperfuiſſent, manifeſtum eſt, eum vel ſic plura non fuiſſe producturum. Hæc vero agendi ratio, querelis his non obſtantibus, oſtendit, egregium illud, quod a traditione petitur, argumentum nimis validum fuiſſe."

His denique & hoc addendum eſt, quod omnes librorum ſacrorum catalogi Sæculi IV. pro *canonica* auctoritate epiſtolæ S. *Jacobi* militant. Huc pertinent *Athanaſius* in epiſtola Paſchali; *Cyrillus* Senior in calce *Catecheſeos* ſuæ; *Epiphanius* hæreſi LXXVI. contra Anonymum; *Gregorius Nazianzenus* in carminibus ſuis; *Amphilochius* in Jambis ad Seleucum; *Philaſtrius* Hæreſi LXXXVII. *Hieronymus* epiſtola ad Paulinum; *Ruffinus* Expoſit. in Symbol. Apoſtol. *Auguſtinus* de doctrina Chriſtiana; & deni-

 que

"que Auctor, qui *Dionyſii Areopagitæ* nomen refert, in libro *de Hierarchia* "*Eccleſiaſtica*. Horum omnium teſtimonia ab adverſario noſtro ſilentio "non minus prætermittuntur, quam illuſtre illud argumentum de epiſtola "hac ab Eccleſiis Syriacis antiquitus recepta, cum in prima & originali "earum verſione, quæ a multis in priorem Sæculi II. partem refertur, in-"veniatur. Illuſtria hæc pro Catholica epiſtola S. *Jacobi* ſuffragia Annota-"tori ignota eſſe non poterant. Pleraque enim eorum apud *Millium* inve-"niuntur, a quo idem *teſtimonia* pro oppoſita ſententia mutua ſumſit. Qui-"cunque igitur expenderit, quanta is fiducia inde ea teſtimonia producat, "quæ libro huic fraudi eſſe poſſint, non dubitabit, cauſam, cur reliqua ta-"cuerit, in eo poſitam eſſe, quod illa omni exceptione majora eſſe credi-"derit." Hactenus *Twelſius*.

Ex noſtratibus pro divina & canonica epiſtolæ hujus auctoritate pugnarunt B. *Gerhardus* in Locis Theologicis, Tom. I. de Scriptura Sacra pag. 290. ſeqq. & B. *Calovius* in Prolegomenis ad hanc epiſtolam jam citatis. B. *Lutheri* ſiniſtrum de illa judicium, in præfatione ad verſionem Novi Teſtamenti Germanicam, anno 1522. editam, prolatum, noſtrati Eccleſiæ exprobrari non poteſt, cum ὁ μακαρίτης ipſe illud mutarit, nec hodie quisquam ſit inter noſtrates, qui fidem ejus in dubium vocet. Vide quæ de Luthero in hac cauſa diſputata ſunt a *Joanne Muſæo* contra Erbermannum pag. 110. *J. H. Majo* in Examine Criticæ Simonianæ pag. 205. & *Balthaſ. Raithio* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 642. nec omitte Rev. *Joannis Melchioris Kraftii* Zweyfaches zweyhundert jähriges Jubel-Gedächtniß, pag. 90.

Commentatores in hanc epiſtolam univerſales & ſpeciales ſuppeditabit *Georgius Jacobus Schwindelius* in Bibliotheca Paſtorali pleniore, German. edita.

Quæ alia hic dici poterant, ea, ſi placet, petes ex *Iſaaci Fauſtii*, Theologi quondam Argentoratenſis, diſputatione de ſententia veterum de epiſtola S. Jacobi, *Joannis Alberti Fabricii* Biblioth. Græc. lib. IV. cap. 5. §. 9. & *Joannis Henrici Michaëlis* Introductione Hiſtorico-Theologica in S. Jacobi Minoris, cognati & Apoſtoli Domini noſtri, epiſtolam Catholicam diligenter ſcripta, & Halæ 1722. 4. edita. Sex hujus epiſtolæ voces animadverſionibus Philologicis illuſtravit M. *Sigiſmundus Andreas Flachs* in diſputatione de ἅπαξ λεγομένοις epiſtolæ Jacobi, Lipſiæ 1730. edita.

De inſcriptione epiſtolæ: Ἰακώβου τοῦ Ἀποστόλου ἐπιστολὴ καθολική, vide *Richardi Simonis* Hiſtor. Critic. textus N. T. pag. 192. ſeq.

CA-

CAPUT I.

Verſ. 1. Ἰάκωβος] Jacobus innuitur *minor*, ſive *junior Marc.* XV. 40. *Alphæi*, ſive *Cleophæ* filius, *Matth.* X. 3. & *Act.* III. 13. unus ex XII. Apoſtolis, atque adeo diſtinguendus a *Jacobo*, *majore*, *Zebedæi* filio & *Joannis* fratre, *Matth.* IV. 21. Natus is erat ex *Maria* quadam Mariæ τῆς θεοτόκου vel ſorore, vel cognata, *Matth.* XXVII. 56. quo nomine frater h. e. ex Scripturæ ſtylo, cognatus Domini noſtri, *Galat.* I. 19. collato *Marc.* VI. 3. a doctoribus autem veteris Eccleſiæ ἀδελφόθεος vel θεάδελφος appellatur. Vide *Sviceri* Theſaurum Eccleſiaſticum Tom. I. pag. 1430. nec omitte ſpeciatim *Epiphanium* Hæreſi LXXVIII. pag. 1045. cognominis hujus rationem hanc reddentem: διὰ τὸ ὁμοδίαιτον, διὰ τὸ σύντροφον, διά τὸ ἐν τάξει ἀδελφοῦ αὐτὸν ἐσχηκέναι. Idem Hieroſolymis per complures, &, ſi *Hieronymo* cap. 2. de Scriptoribus Eccleſiaſticis fidem habemus, per triginta annos verſatus, *Juſti*que nomine, teſte *Clemente Alex.* apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. II. cap. 1. & *Hieronymo* loc. cit. appellatus, Eccleſiam Hieroſolymitanam adminiſtravit, conventuique Apoſtolico, *Act.* XV. 13. commemorato, præfuit, a veterum nonnullis ideo Epiſcopus Hieroſolymitanus vocatus. Quod quidem nomen ut latiore ſenſu & ſine fraude Apoſtolatus ferri poteſt; ita cavendum eſt, ne Jacobus Minor a *Jacobo Juſto*, Epiſcopo Hieroſolymitano, diſtinguatur. Quæ adhuc ſummatim propoſui, ea adſtructa variis rerum argumentis videbis ex noſtratibus a B. *Calovio* in Prolegomenis ad hanc epiſtolam, quæ Biblia Illuſtrata exhibent, *Thoma Ittigio* in ſelectis capitibus Hiſt. Eccleſ. Sec. I. pag. 450. ſeqq. & noviſſime a Rev. *Jo. Henrico Michaëlis* in Introductione Hiſtorico-Theologica in hanc epiſtolam, in Prolegomenis his excitata: ex Reformatis a *Campeg. Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ Sacræ pag. 265. & *Jacobo Perizonio* epiſtolis aliquot, quas *Franciſcus Fabricius*, Theologus Leidenſis, optimo conſilio in calce Chriſtologiæ ſuæ Noachicæ & Abrahamicæ una cum ſuis pag. 652. ſeqq. exhibuit: ex Pontificiis denique a *Dionyſio Petavio* Tom. IV. Dogmatum Theologicorum lib. I. cap. VII. & VIII. de Hierarchia Eccleſiaſtica, *Antonio Coulan* in Examine Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti Simonianæ epiſt. 13. pag. 331. ſeq. *Natali Alexandro* in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus Sec. I. cap. 8. *Tillemontio* in Memoriis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Tom. I. pap. 663. & noviſſime ab *Auguſto Calmeto* in Prolegomenis in hanc epiſtolam, quæ commentario ſuo præmiſit.

De aliis, quæ ad S. Jacobi vitam resque geſtas pertinent, quæve nunc ex vero, nunc non ſine admiſtis fabulis, traduntur, lege *Joannem Albertum Fabricium* noſtrum in Bibliotheca Græca lib. IV. cap. V. §. 5. in ſalutari Luce Evangelii toti orbi exoriente cap. V. pag. 103. ſeq. & inprimis ad lib.

lib. VI. Hiſtoriæ Apoſtol. Abdiæ Tomo I. Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti pag. 591. ſeqq. item Collectores Actorum Sanctorum menſe Majo Tom. I. pag. 18. ſeqq.

Conſtat, ejusdem nomini *Protevangelium* aliquod tribui, de quo quid habendum ſit, tum ex libello ipſo, tum ex variorum teſtimoniis & judiciis cordatus quisque intelliget. Habes hæc in limine Codicis Apocryphi Fabriciani. Nihilo plus *Liturgiæ*, quæ circumfertur, tribuendum eſſe, quicquid ad vindicandam ejus γνησιότητα *Leo Allatius* in Συμμίκτοις ſuis attulerit, ex illis adparebit, quæ idem *Fabricius* pag. 314. loc. cit. diſputavit. Adde *Ittigii* ſelecta capita Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sec. I. cap. 1. pag. 14. ſeq.

Θεοῦ καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος) Jacobus *ſervum* ſe, non *Apoſtolum* vocat, quod recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pag. 873. eo interpretatur, ut epiſtolam a Jacobo Apoſtolo ſcriptam eſſe neget. At nec S. Paulus ſemper *Apoſtoli* nomine in epiſtolarum limine utitur, ſed *ſervi*, ut *Philipp.* I. 1. ſicut nec *Joannes* in duabus epiſtolis ſuis poſterioribus ſe Apoſtolum appellat. *Judas* quoque, Jacobi frater, Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλον ſe vocat. Nihil itaque temere fecerunt *Syrus*, *Arabs*, *Æthiops* & *Vulg*. Interpretes, quando Jacobum *Apoſtolum* dixerunt. Δοῦλον, *miniſtrum* ſine Hebraiſmi imitatione denotare oſtendit diligentiſſimus *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Ebraiſmis lib. II. pag. 45. Confer nos Vol. I. *Curarum* pag. 1241.

ταῖς δώδεκα φυλαῖς, ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ) *Michael Mauduit*, Oratorii Presbyter, in Analyſi epiſtolarum Apoſtolicarum Gallice edita Tom. II. diſſertat. XVII. pag. 648-657. de hac inſcriptione commentatur, tres afferens interpretum ſententias. Alii enim intelligi volunt fideles, qui, Saulo annitente, diſperſi ſint: alii Judæos, qui primum quidem ſub Salmanaſſare & Nabuchodonoſore per Aſſyriam, poſtea vero per Græcos & Romanos in Ægyptum ſint diſſipati; alii denique Chriſtianos omnes, ſive ex Judæis, ſive ex Gentilibus per orbem diſperſos. Idem contra duas priores nonnulla diſputat, tertiam vero his argumentis adſtruit. Chriſtum ait ſimiliter dicere, XII. Apoſtolos ſeſſuros ſuper XII. thronis, & XII. tribus judicaturos eſſe; Joannem quoque in Apocalypſi XII. portas Hieroſolymorum nomini XII. tribuum ſignatas vidiſſe, & cap. VII. 4. aliquot myriadas conſpexiſſe, ex omnibus tribubus Iſraëlis ſignatas. Has porro phraſes de Chriſtianis omnibus accipiendas, atque adeo inſcriptionem ipſam de iis interpretandam eſſe exiſtimat. Addit etiam, hoc modo patere, cur epiſtola hæc Catholica dicatur, qualis non foret, ſi tantum ad Ex-Judæos Hieroſolymitanos, per Judæam & Samariam diſperſos, exarata credatur. Monet denique, alioquin non intelligi, cur Apoſtolus tam graviter in nonnullos ſit invectus. Tales ſcilicet in naſcente Eccleſia non fuiſſe cenſet, quales ſequens ætas erat paritura. Puto me ſuperſedere poſſe confutandis argu-

Digitized by Google

argumentis in hanc ſententiam allatis, ſi monuero, alios, & ſpeciatim *Braunium* in Selectis Sacris cap. XII. pag. 152. ſeq. idoneis argumentis eviciſſe, epiſtolam hanc ad *Judæos* inprimis ſpectare, quamvis eadem ita comparata ſit, ut communi Chriſtianorum uſui inſervire potuerit. Atque hinc factum eſt, ut, præter ceteras cauſas. *Catholicæ* nomine poſtea ſit inſignita. Heic tamen & illud tenendum eſt, *Jacobum* non tam Judæos ad Chriſtum convertendos, quam converſos, reſpexiſſe. Propterea ſtatim in limine vexationes commemorat, quibus, religionis ſcilicet cauſa, ſint ſubjecti, quæque efficere poſſunt, ut non fucatæ fidei ſpecimina edant. Summatim dicam: δώδεκα φυλαὶ ſunt δωδεκάφυλον *Act.* XXVI. 7. quo nomine Judæos ibi intelligi nemo negaverit.

ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ) Hanc phraſin ita illuſtrat *Salmaſius* in Funere Linguæ Helleniſticæ pag. 101. *Animadverſione*, inquit, *dignum eſt*, Jacobum *inſcripſiſſe epiſtolam ſuam* ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, duodecim tribubus, quæ ſunt in diaſpora, *non* τῇ διασπορᾷ τῶν δώδεκα φυλῶν. Petrus *quoque* παρεπιδήμους τῆς διασπορᾶς *vocavit illos ſelectos, ad quos priorem epiſtolam direxit, i. e.* inquilinos diaſporæ. *Nomen* διασπορᾶς *videatur uſurpaſſe pro regione, in qua diſperſi incoluere Judæi, non pro ipſa diſperſione. Hinc in epiſtola* Petri *priori* διασπορὰ Πόντου eſt *Ponti regio, in qua diſperſi Judæi:* διασπορὰ Καππαδοκίας, Γαλατίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας, *pro regione, vel provincia Cappadociæ, Galatiæ, Aſiæ, Bithyniæ, cujus erant* παρεπίδημοι *Judæi, in unaquaque* διασπορᾷ *degentes. Inde &* Jacobo δώδεκα φυλαὶ, αἱ ἐν τῇ διασπορᾷ, duodecim tribus in diaſpora agitantes. *Quemadmodum ergo* διασπορὰ Πόντου *&* Γαλατίας *apud* Petrum *regio eſt Ponti & Galatiæ, quam diſperſi incolebant Judæi, ita apud* Joannem διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων *eſt regio Græcorum, vel etiam Gentium, quam inhabitabant Judæi, qui ubique terrarum erant diſperſi.* Conferatur idem in Oſſilegio Linguæ Helleniſticæ pag. 327. Phraſis, meo judicio, plena fuerit: ταῖς ἐν διασπορᾷ οὔσαις, i.e. διεσπαρμέναις. Ita accepit *Syncellus* ad A. C. XXXVII. pag. 329. τούτῳ τῷ ἔτει διωγμοῦ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας γινομένου, πολλοὶ μὲν τῶν πιστῶν διεσπάρησαν, πρὸς οὓς πρῶτον ἔγραψε καθολικὴν ἐπιστολὴν Ἰάκωβος ὁ ἀδελφόθεος, τοῖς ἐν διασπορᾷ τοῦτο ἐπιγράψας.

Adſentior illis, qui Judæos per totum orbem ſive olim, ſive recens diſperſos, talesque inprimis, qui Chriſtum ex præconio ſalutari agnoverint, heic intelligi volunt. Longior hic forem, ſi adferre inſtituerem, quæ de diſperſione illa, ejusque varietate, locisque, in quibus decem inprimis tribus populi Iſraëlitici exſtiterunt, alii ſunt commentati. Legi inprimis velim *Hermanni Witſii* diſſertationem de Δωδεκαφύλῳ, *Richardum Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ, Anglice edita, Parte III. pag. 155. & *Joannem Creyghtonum* in præmonitione ad *Salomonis van Till* commentarium Belgicum in Pauli priorem ad Corinthios epiſtolam, ut eos omittam, quos doctiſſimus *Fabricius* noſter libro IV. Bibliothecæ Græcæ pag. 166. excitavit.

vit. Unus inſtar omnium fuerit B. *Joannes Jacobus Schudtius* in Memorabilibus Judaicis, vernaculo ſermone editis.

χαίρειν) Hac ſalutandi formula cum aliis ſacris ſcriptoribus Jacobus utitur, quam externis frequentatam eſſe oſtenderunt *Alexander Morus* & *Joannes Alberti* ad h. l. Adde *Lambertum Bos* ad Thomam Magiſtrum p. 42. & *Joannem Pearſonum* ad Ignatii epiſtolas pag. 6. Scholiaſtes *Ariſtophanis* ad *Plutum* v. 322. auctorem phraſeos Cleonem conſtituit, ad *Nubes* vero v. 607. uſum ejus Cleone antiquiorem facit. Vide *Ezechielem Spanhemium* ad Plutum loc. cit. qui ad *Callimachum* in Dianam v. 268. obſervat, paganos hymnos ſuos, Diis dedicatos, formula χαῖρε, ſed alio utique ſenſu, claudere conſueviſſe. Phraſis plena eſt: χαίρειν εὔχομαι. Vide laudatum *Boſium* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 276. editionis Schœtgenianæ.

Verſ. 2. Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε) i. e. *merum gaudium putate.* Vid. infra ad v. 18. De tentationibus, conſtanter & cum fiducia ſuſtinendis, convenientem veterum Magiſtrorum locum a..ert *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. Conf. infra ad 1. *Pet.* IV. 13.

ὅταν πειρασμοῖς περι..εσῆτε ποικίλοις) *Polybius* pag. 402. ſimiliter μεγάλοις ἀτυχήμασι καὶ μεγάλαις συμφοραῖς περιπεσόντας appellat; ſicut *Herodotus* lib. VI. pag. 386. ait: ὅτοι μὲν νῦν τοιαύτῃσι περιέπιπτον τύχῃσι. Vide Rev. *Raphelii* notas ex utroque huc relatas.

Verſ. 3. Γινώσκοντες, ὅτι τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως) i. e. *id, quo probatur & ſpectatur fides veſtra*, h. e. *res adverſæ, adflictiones*, interprete *Lamberto Bos* ad h. l. ex 1. *Pet.* I. 7. Ita *Herodianus*, indice eodem II. 36. δοκίμιον στρατιωτῶν κάματος, *labore probatur miles. Epiphanius* Hæreſi XLVIII. pag. 410. δοκίμια τῆς θεοσεβείας eodem ſenſu appellat. Hoc ſenſu δοκίμιον *Eraſmus Schmidius* recte *exploratum* interpretatur. Alii ita vertunt, ac ſi δόκιμον legatur, quod in uno *Barocc.* exſtat. Non erat, cur *Millius* voces τῆς πίστεως, quæ in *Barberin.* uno deſiderantur, ex 1. *Pet.* I. 7. huc relatas crederet. Vide *Whitbii* Examen pag. 77.

κατεργάζεται ὑπομονήν) De commodis ex calamitatibus capiendis Scripturæ, Patrum, & externorum locos lege apud *Gatakerum* ad *Antoninum* VII. 58. & X. 33.

Verſ. 4. Ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω) *Petrus Faber* lib. III. cap. 11. Agoniſtic. & cum eo *Jacobus Lydius* in Agoniſticis Sacris cap. XXXIV. pag. 128. *opus per patientiam perfectum* indicari putat, ita ut ἐχέτω idem ſit, quod παρεχέτω. Iidem per τέλειον ἔργον ad Athleticam reſpici volunt, quandoquidem athletæ, poſt multos labores exantlatos, ſi non per totam ætatem, ſaltem per decem menſes in proagonibus interdum perfecto & perfectiſſimo, quod vocabant, exercitationis genere ad coronam adſpirarint. Conſentit *Hermannus Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. p. 978. ſeq. Alii ad artem fab.ilem hanc θέσιν referre malunt cum *Pricæo* & *Svicero* Tom. I. pag. 1206. Conf. *Hebr.* III. 6.

τέλειοι

τέλειοι καὶ ὁλόκληροι) Ad ſacrificiorum integritatem alludi hic videtur *Reinerſio* loc. cit. pag. 976. Sicut *Athenæus* lib. VII. pag. 700. Sacerdotes ὁλοκλήρους, *Pollux* autem lib. I. §. 1. ſacrificia ὁλόκληρα appellat. Sed hæc longius petita videntur. Veterum loca, huic ſimilia, habes apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 739.

ἐν μηδενὶ λειπόμενοι) *Polybius* pag. 1202. obſervante *Raphelio*, eadem ſtructura, quæ apud alios alia eſt, utitur, *ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους εὐνοίᾳ παρὰ πολὺ τἀδελφοῦ λειπόμενος*, *qui benevolentia populi Romani a fratre vincebatur.* *Salmaſius* pag. 198. ad *Tertulliani* Pallium monuerat, λείπεσθαι luctatores dici, qui in luctando animo & viribus deficiant. Atque huc reſpicere Apoſtolum cenſet *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 889. Obſtare tamen videtur, quod v. 5. dicitur *εἰ δέ τις λείπεται σοφίας.* Hæc enim φράσις, ut ſpeciale aliquod momentum infert, ita priorem illam generatim defectum doni vel virtutis cujusque, Chriſtiano dignæ, ſine ejusmodi reſpectu, indicare crediderim.

Verſ. 5. *Εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ*) Sapientiam a Summo Numine precibus impetrare jubent Judæi in *Sohar* apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis h. l. nec minus *Plutarchus* de Iſide & Oſiride, initio, indice *Elsnero* ad h. l. Quomodo ſapientia peti a DEO debeat, oſtendit *Urſinus* in Analectis Vol. II. p. 77.

πᾶσιν ἁπλῶς) ἁπλῶς alii vertunt *ſimpliciter*, i. e. candide, ut B. *Lutherus*; alii *liberaliter*, *adfluenter*, quod poſt *Vulg.* mavult *Jacobus Cappellus* in Notis ad h. l. & nuper Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. & ad *Matth.* VI. 22. Pro Luthero lege *Raithii* Vindicias pag. 579. qui tamen nec alteram illam ſignificationem averſatur. Confer, ſi placet, *Curas* noſtras ad *Rom.* XII. 8. Uterque ſignificatus locum tueri poteſt: malim tamen fere priorem. Candorem enim hic potiſſimum indicari ex verbo ſequenti ὀνειδίζειν colligas. Confer in eandem ſententiam *Pricæum*, & ex eo *Svicerum* Tom. I. pag. 437. *Henrici Heiſenii*, Profeſſoris Bremenſis, diſputationem, de dante ſimpliciter DEO, Bremæ 1734. habitam, commemorari memini.

καὶ μὴ ὀνειδίζοντος) ὀνειδίζειν de exprobratione beneficiorum a *Polybio* pag. 784. adhiberi oſtendit *Raphelius* in Notis Polybianis. Adde *Elsnerum* pag. 383. qui inter cetera *Senecam* adfert lib. II. de Beneficiis cap. 10. inter *prima* de beneficiis *præcepta* jubentem, *ne unquam illa exprobrentur.* Hoc ſcilicet candidi & ſimplicis animi eſt argumentum.

Verſ. 6. *μηδὲν διακρινόμενος*) nihil dubitans, utrum ſcilicet petere debeat, an minus; utrum obtenturus ſit, quod petit; an minus. Lege de verbo hoc *Svicerum* Tom. I. pag. 875. & quæ diximus de voce διάκρισις ad *Rom.* XIV. 1.

καὶ ῥιπιζομένῳ) Vocis hujus ſenſum metaphoricum exponit, & veterum locis firmat eruditiſſimus *Tiler. Hemſterhuiſius* ad Luciani Opuſcula pag. 99. & *Solanus* ad Vitas Plutarchi Tom. IV. pag. 583. edit. Londinenſis. Similia his veterum dicta habes apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 739.

Verſ. 8. Ἀνὴρ δίψυχος) *Tanchuma* fol. 84. 4. ad *Deuteron.* XXVI. 17. de iis, qui preces ad DEUM facere velint, לא יהיו להם שתי לבבות· *ne habeant duo corda, unum ad DEUM, alterum vero ad aliam rem directam.* Affert locum *Schœtgenius* loc. cit. nec minus Siracidæ illum 1. 26. vetantis ad DEUM accedere *ἐν καρδίᾳ δισσῇ*. Compara *Svicerum* Tomo I. pag. 930. *Doughtæum* in Analectis Novi Teſtamenti Exc. 98. & *J. C. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 248. Loco hoc Jacobi uſus eſt *Hermas* lib. I. Paſtoris, Mandato IX. addita expoſitione. Vide *Joannis Alberti Fabricii* Codicem Apocryphum Novi Teſtamenti Tomo III. p. 777. & 886. vel *J. E. Grabii* Spicilegium Patrum Tomo I. pag. 303.

ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ) *in omni vitæ ratione.* Vide *Pfochenium* de Stylo Novi Teſtamenti Sect. IX. & *Gatakerum* in oppoſita illi diatriba cap. XXXII. *Hierocles* ad aurea carmina *ὁδὸν βίου* pag. 103. dixit. Conf. *Ludolphum Kuſterum* ad Ariſtophanis Equites v. 1012. & *Joannem Potterum* ad Lycophronem v. 10. 11.

Verſ. 9. Καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς, ὁ ταπεινὸς ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ) Hoc & ſequens comma ita interpretatur *Martianæus* in *Eſſais de Traduction* pag. 395. *Chriſtianus vere humilis omnem ſuam gloriam poſitam habeat in elevatione, quam præmii loco exſpectare poteſt; dives autem & ſuperbus gloriam ſuam, ſiquidem ita velit, in eo collocet, quod ipſum præcipitem dabit, & confundet.* Putat itaque *divitem* h. l. appellari hominem *ſuperbum*, atque adeo idem dici, quod Chriſtus *Matth.* XXIII. 12. ait: *ὅς δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· καὶ ὅστις ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.*

Verſ. 10. & 11. exponit *Urſinus* in Analectis Vol. II. p. 293. ſqq.

Verſ. 10. Ὁ δὲ πλούσιος, ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ) ſcil. *καυχάσθω*, i. e. *dives demiſſione ſua glorietur.* Similiter *Xenophon* de Republica Lacedæmon. pag. 540. *ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ οἱ κράτιστοι καὶ ὑπέρχοντες μάλιστα τὰς ἀρχὰς, καὶ τῷ ταπεινοὶ εἶναι μεγαλύνονται*, *verum apud Spartam præſtantiſſima dignitate viri maxime magiſtratus obſervant, ac ſibi glorioſum putant, ſi humiles ſint.* Vide Rev. *Raphelii* notas Xenophonteas pag. 376. qui eadem opera poſt *Bezam* monet, Jacobum non *ταπεινότητα*, ſed *ταπείνωσιν* ſcripſiſſe, ideo, quod hæc actionem, ſtudiumque magis, illa vero ſtatum atque conditionem ſignificet. Patrum loca, ad commendandam animi demiſſionem ſpectantia, promit *Bouhourſius* in *Penſées ingenieuſes des Péres* pag. 182. 322. & 331.

ὅτι

ὅτι ὡς ἄνθος χόρτου παρελεύσεται) *Erubbin* fol. 54. 1. *Filii hominis ſunt graminibus agri ſimiles, quædam ex iis florent, quædam decidunt.* Obſervavit locum *Schœtgenius* in Horis Hebraicis. Alia comparatione in eadem cauſa utitur collector *τῶν Pirke Abboth* cap. IV. 4. הוי שפל רוח שתקות אנוש רמה. *Sis humilis ſpiritu, quia ſpes hominis vermes ſunt.* Quod ad ſenſum verborum Jacobi ſpectat, tenendum eſt, phraſin illam, *ὅτι ὡς ἄνθος χόρτου παρελεύσεται*, protaſin eſſe comparationis, quam ſequitur *ἀπόδοσις* v. 11. in phraſi: *οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται.* Quæ itaque inter utramque *φράσιν* interjiciuntur, ea *παρενθετικῶς* ſunt accipienda. Atque ita contextum recte repræſentavit *Eraſmus Schmidius.*

Verſ. 11. *Ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος σὺν τῷ καύσωνι*) Vide *Picinellum* loc. cit. pag. 739.

καὶ ἐξήρανε τὸν χόρτον) Hebraiſmum a particula *καὶ*, adductis variis *Herodoti* locis, amolitur *Raphelius* p. 645. Annotationum Herodotear. Conf. M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmo p. 163.

καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπώλετο) M. *Antoninus* VII. 24. idem ita exprimit: *τὸ πρόσχημα ἀπεσβέσθη.* Vide ibi *Gatakerum*, qui & hunc locum illuſtrat.

οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται) B. *Lutherus:* alſo wird der Reiche in ſeiner Haabe verwelcken, reprehenſus ideo ab *Emſero.* Scilicet *πορείας* per *opes* vertit *ὁ μακαρίτης*, cum vox ipſa *vias* inferat. Prius illud placuit quoque *Eraſmo*, *Vatablo*, *Caſtalioni* & *Calvino*, tanquam ad divitem accommodatius, iidemque propterea *πορίαις* legere maluerunt, conſentientem nacti ex noſtratibus *Raithium* in Vindiciis verſionis Germanicæ Lutheri pag. 580. cui idem vel in exemplari quodam Græco ita legiſſe, vel *Eraſmi* judicium ſecutus eſſe videtur. Abſit vero, ut quicquam in recepta lectione mutemus. *Joannes Gagnæjus* quidem ad h. l. monuit, in veteri Codice Dionyſiano *πορίαις* legi: at hæc ſcriptio non conſilio deſtinato, ſed familiari librariis *τοῦ ει* & *ι* permutationi accepta eſt ferenda. Græcia enim omnis ignorat vocem *πορία*, quamvis in vetera quædam Lexica irrepſerit. Probo *Henricum Stephanum* in Theſauro Gr. L. Tomo III. p. 181. ita differentem: *Annotat eo loco* (Jacobi hunc vult) Eraſmus, *commodiore ſenſu fortaſſe legendum πορίαις: ut ſit*, in abundantia ſua: *unde in v. Lexica puto irrepſiſſe Πορία, ας, ἡ*, facultas, abundantia: (ita habet Lexicon Græco-Latinum, quod Budæi & aliorum nomina refert, Baſileæ aliquoties editum) *quod omnino mendoſum eſt. Nec enim ut εὐπορία ab εὔπορος, ἀπορία ab ἄπορος* derivatur; *ita & πορία a πόρος; ſicut nec ὁδία ab ὁδὸς, licet ex εὔοδος, δύσοδος, & ἄνοδος originem habere ſciamus εὐοδία, δυσοδία, ἀνοδία.* Confer *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Parte II. p. 137. Contra vox *πορεία* in *viæ* vel *itineris* ſignificatu frequens eſt veteribus,

quam & *Heſychius* per ὁδοιπορίαν interpretatur. Taceo τὰς LXX. eadem libenter uti. Diſſentientium cauſam propius juvat *Huntingtonianus*, in quo ἐυπορίαις legitur, teſtante *Millio*, qui tamen unum hunc codicem tot aliis codicibus, addo & verſionibus, opponi non poſſe recte exiſtimat. Itaque nec *Hammondi* conjectura, dubie tamen prolata, locum habet, ſecundum quam ἐμπορίαις, i.e. *mercaturis* legi debebat. Confer ibi *Clericum*. S. Jacobum πορείαις ſcripſiſſe hoc minus dubitandum eſt, quod ſimili phraſi eundem uſum videmus v. 8. ἀνὴρ δίψυχος ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ. Quæ enim ibi ὁδοὶ vocantur, illæ h. l. appellantur πορεῖαι. Neque vero exiſtimandum eſt, πορίας vel ἐυπορίας magis convenire diviti, de quo heic Apoſtolus. *Vult enim*, quod recte ad h. l. monuit B. *Brochmandus*, *indicare, non tantum ipſum divitem, & ipſas divitias, ſed etiam quicquid dives aut animo deſignat, aut facit, marceſcere, & velut lenta tabe conſumi.*

μαρανθήσεται) Verbo compoſito ἀπομαραίνεσθαι *Xenophontem* Apolog. Socratis pag. 555. de *morte* uti, obſervavit *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis.

Verſ. 12. Μακάριος ἀνὴρ, ὃς ὑπομένει πειρασμὸν) Codices quidam heic legunt ὑπομενεῖ, ex ingenio, puto, eorum, qui hanc verbi formam ſequenti λήψεται magis convenire credebant.

Verſ. 13. Μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω, κ. τ. λ.) Lege *Jo. Georgium Dorſcheum* in Semeſtribus Tiburtio-Dionyſianis ſive Miſcellaneis Theologicis pag. 212. ſeqq.

ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν) Vocem ἀπείραστος *active* accepit Interpres *Æthiops*, & cum illo alii, quod nempe DEUS ad malum non incitet. Alii vero *paſſive*; nominatim *Syrus*, *Arabs*, & recentiorum plerique, ut DEUS malis tentari poſſe negetur. Ita ex noſtratibus Φεάσιν accipiunt *Eraſmus* & *Sebaſtianus Schmidius* in verſionibus ſuis, noviſſime etiam *Zeltnerus* in notis ad verſionem Bibliorum Germanicam, *Altorfii* 1730. editam, ante vero *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Parte 2. pag. 124. Non dubito his accedere, cum hæc interpretatio & formæ vocis, & ſeriei Apoſtolicæ dictionis magis reſpondeat. Alioquin enim Apoſtolus duplice phraſi idem diceret. Jam vero hic ſenſus eſt: DEUS enim a malis tentari non poteſt, quemadmodum nec ipſe malis quenquam tentat. Vide, quæ pro hac ſententia diſputat *Pricæus*, & ex illo *Suicerus* Tomo I. pag. 427. Ubi inter cetera *Ignatii* illud ex epiſtola ad Philippenſes: Τί πειράζεις (Θεὸν) τὸν ἀπείραστον; affertur. Confer Rev. *Joannis Georgii Walchii* Obſervationes in Novi Fœderis libros pag. 120. Hic ſpeciatim in eo occupatur, ut oſtendat, falli eos, qui hanc ſententiam *Simoni Mago* ejusque adſecl s, reſpectu doctrinæ de origine mali, oppoſitam eſſe cenſent; cum id potius agat Apoſtolus, ut generatim vanam & impiam

piam hominum perſuaſionem profliget, qui interdum de DEO ſiniſtre cogitent, inprimis quando piis mala, impiis vero bona evenire obſervant.

πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα.) Ipſi pagani ita de DEO ſtatuerunt. Ita *M. Antoninus* VI. 1. *ὁ τὴν ὅλων οὐσίαν διοικῶν λόγος οὐδεμίαν ἐν αὐτῷ αἰτίαν ἔχει τοῦ κακοποιεῖν. κακίαν γὰρ οὐκ ἔχει* (h. e. *ἀπείραστός ἐστι κακῶν*) *οὐδέ τι κακῶς ποιεῖ· οὐδὲ βλάπτεταί τι ὑπ' ἐκείνου.* Lege ad h. l. & ad II. 11. alia in notis *Gatakeri.* Adde egregium *Hieroclis* locum inter fragmenta ejus p. 282. ſeq. editionis Cantabrig. qui etiam ſimile Platonis dictum recitat. Nonnulla hujusmodi collegit etiam *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Parte I. pag. 124. Recta hæc de DEO Optimo Maximo paganorum ſententia, & accedens mali primigenii ignoratio effecit, ut in eum errorem inciderent, qui duplex rerum principium, alterum bonorum, malorum alterum, invehebat. De hoc argumento commentatus olim ſum in *Manichæiſmo ante Manichæos*, de quo nunc etiam conferes, quæ Vener. *Joannes Laurentius Mosbemius* ad *Radulphi Cudworthi* Syſtema Intellectuale hujus Univerſi, Latine converſum, erudite obſervavit. De cauſa mali a DEO penitus removenda priſtini Eccleſiæ Doctores graviter præceperunt. Vide locos eorum a *Suicero* Tom. II. pag. 654. ſeq. allatos.

Verſ. 14. 15. illuſtrantur & vindicantur a *Sebaſtiano Schmidio* in Collegio Biblico Poſteriore pag. 150. ſeqq. *Franciſco Julio Lutkenio* in Collegio Biblico, germanice edito, pag. 319. & *Joanne Guilielmo Bayero* in Analyſi & Vindiciis dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Parte II. pag. 13. ſeqq.

Verſ. 14. *Εκαστος δὲ πειράζεται, ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος*) In concupiſcentiam, homini propriam, i. e. malam, omnis mali culpa hic vertitur. Atque ita quoque Hebræorum Magiſtri. In *Schabbath* fol. 105. 2. hæc legis: *Sic mos eſt concupiſcentiæ pravæ. Hodie dicit: fac hoc; & cras dicit: fac illud; usque dum dicat: exerce idololatriam, quod & facit* &c. Vide locum & alios illi ſimiles in Cl. *Schœtgenii* Horis Hebraicis pag. 1011. nec omitte, quæ *Campeg. Vitringa* libro III. Obſervationum Sacrarum cap. VIII. de האוה · תשוקה & יצר הרע, quo nomine Judæi *pravam concupiſcentiam* appellant, ex ſcriptis eorum congeſſit. Ita v. c. oſtendit, eam ab illis מלך, i. e. Regem vocari, ideo, quod omnes illi obediant, quam cauſam reddit *Midraſch Kohelet* cap. IV. 13. Illi proxime accedit *Bechai* in *Kad hakkemach*, dicens, *eam regnare in terra, & dominari omnibus viventibus, qui ſunt in mundo.* Omitto, quæ *Raymundus Martini* in Pugione Fidei Parte III. Diſtinct. II. c. VI. & VII. *Bartoloccius* ſingulari diſſertatione de יצר הרע Tomo II. Bibliothecæ Rabbin. pag. 43. ſeqq. *Hackſpanius* de Uſu librorum Rabbinicorum pag. 467. & in Expoſitione Cabba-

læ Judaicæ §. 150. *Helvicus* in Elenchis Judaicis pag. 116. & *Georgius Eliezer Edzardus* in luculentis notis ad Cap. I. Codicis *Beracboth* ex Judæorum ſcriptis attulerunt. Ex illis adparebit, alios rectius aliis de hoc momento, & Jacobi effato convenienter, judicaſſe; nonnullos vero eo dementiæ progreſſos eſſe, ut DEUM *figmenti* illius *mali* cauſam dicere non erubeſcerent. Vide ea, quæ *J. A. Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto Parte I. cap. I. pag. 35. ſeqq. commemoravit; nec omitte, quæ ad *Rom.* V. 13. ſcripſi.

ἐξελκόμενος) *Polybius* pag. 597. ἑλκόμενον ὑπὸ τῆς συνήθους ἐν τῷ βίῳ ῥᾳθυμίας καὶ καχεξίας quendam affert apud *Rapbelium* p. 689.

καὶ δελεαζόμενος) Vide eundem pag. 690. ex *Polybio*, & pag. 647. ex *Herodoto* lib. II. pag. 131. qui, de crocodilo capiendo exponens, utroque verbo δελεάζειν & ἐξελκύειν utitur. Confer infra ad 2. *Pet.* II. 14.

Verſ. 15. Εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν) De effectis pravæ concupiſcentiæ luculente diſſerit *Vitringa* libro III. Obſervationum Sacrarum cap. XI. ubi hunc Jacobi locum confert cum *Hoſeæ* VII. 4. 6. Non diſſimilis *Philonis* phraſis eſt pag. 35. de opificio mundi: ὁ δὲ πόθος οὗτος τὴν ἡδονὴν ἐγέννησεν, quam obſervavit *Joannes Alberti*, vir diligentiſſimus, in Muſeo Bremenſi Tom. I. p. 124. De concupiſcentia ſenſim creſcente & ingraveſcente Judæorum loca attulit *Schœtgenius.*

ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα) Voce ἀποτελεσθεῖσα utitur *Philo* loc. cit. pag. 4. *Polybius* pag. 100. τὸ μέγιστον ἀσέβημα κατὰ προαίρεσιν ἀπετέλεσαν.

ἀποκύει θάνατον) ἀποκύει editi & ſcripti codices plerique legunt: ἀποκυεῖ *Uffenbachianus* a Cl. *Bengelio* in Novo Teſtamento, nuper diligenter curato, allatus, & *Eraſmus Schmidius* in ſua editione. Scilicet Græci & κύω & κυέω eodem ſenſu dicunt, quod oſtendit *Henr. Stephanus* ſuo loco. Confer *Georgii* Hiero-criticum N. T. pag. 34. Verbum illud, quod & *Philo* p. 37. loc. cit. adhibuit, Græcis familiare eſt, & de feminis proprie ac fere ſemper in ſenſu *pariendi*, vel *fœtum deponendi* adhibetur. Id variis *Phlegontis Tralliani* locis teſtatum fecit *Joannes Henricus Majus*, ὁ μακαρίτης, libro II. Obſervationum Sacrarum pag. 143. edit. I. & pag. 184. edit. II. qui nec *generandi*, nec *gignendi* verbum h. l. cum aliis adhibendum cenſet. Peccatum enim heic veluti mulier repræſentatur, quo habitu tam virtutes quam vitia a paganis delineari conſtat.

Verſ. 16-21. continetur Pericopa epiſtolica, quæ pro concione in cœtibus noſtratibus explicatur. Eam illuſtratam lege a *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 31. ſeq.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 16. *Μὴ πλανᾶσθε*) Duplicem errorem, quem Phariſæi olim aluerint, h. l. ab Apoſtolo caſtigari contendit *Georgius Bullus*, Anglus, in Harmonia Apoſtolica Pauli & Jacobi diſſertat. II. cap. 15. alterum de fato, de quo v. 13. alterum de aſtrorum influxu, de quo v. 17. His enim duobus momentis eosdem in rebus humanis multum ait tribuiſſe. Eadem eſt ſententia *Stephani le Moyne* in diſſertat. ad Jerem. XXIII. 6. pag. 45. & *Petri Zornii* de Phraſeologia Dogmatica Novi Teſtamenti pag. 5. & in der Erörterung der ſchwerſten Schrift-Stellen ſub *Amelii* nomine edit. Tom. II. pag. 215. Sed vide, quæ contra hæc diſputat Rev. *Walchius* ad v. 13. allegatus.

Verſ. 17. *Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον*) Habes heic verſum Hexametrum, quem primus, ni fallor, obſervavit *Eraſmus Schmidius*, & poſtea *A. Blackwall*, Anglus, in Claſſicis Sacris pag. 180. addito illo ad *Hebr.* XII. 26. pentametro, *καὶ ἧ ἡ φωνὴ γῆν ἐσάλευσε τότε.* Alios ejusmodi ex *Luca* & *Joanne* attulit Cl. *Chriſtophorus Wolle* in Examine Regularum Hermeneuticarum Auguſtini Calmeti pag. 92. ſeq. Ne quis vero hoc in vitio ponat, iidem idoneis exemplis oſtenderunt, idem & Græcis & Latinis Scriptoribus uſu veniſſe. Adde his ea, quæ attulerunt *Thomas Crenius* Parte XIV. Animadverſionum Hiſtorico-Philologicarum pag. 136. *Caſpar Barthius* in Adverſariis VIII. cap. 21. & XI. 16. *Bircovius* ad Dionyſ. Halicarnaſſ. Tom. II. pag. 51. & *Hutchinſonus* ad Xenophontis Cyropædiam VIII. pag. 579. *Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ* eſt *mera donatio bona*, h. e. non niſi donatio bona, ſicut ſupra v. 2. *πᾶσα χαρὰ*, *merum gaudium.* Ita *Raphelius* in Annotationibus *Polybianis* pag. 690. *Confirmat* ſcilicet *Apoſtolus id, quod dixerat* v. 13. *a DEO neminem ad malum tentari. Id ut demonſtret, hoc utitur argumento, quod a DEO nihil mali, ſed* mera bona *proficiſcantur.* Idem hanc notionem vocis *πᾶς, merus*, variis *Arriani* locis adſtruit, atque adeo Hebraiſmi ſuſpicionem amolitur. Ita de Expedit. Alexandri III. 8. 7. *Phrataphernes*, ait, *Parthos, Hyrcanos ac Topicos ducebat, τὲς πάντας ἱππέας, omnes equites*, i. e. meros equites, nullis admixtis peditibus. Alios Græcorum veterum hanc in rem locos habes apud *Stolbergium* ad Sophoclis Ajacem pag. 192. *Euſtathius* quoque ad Iliad. χ. de *Homero* monet: *ἔςι σύνηθες Ομήρῳ νοεῖν τὸ πᾶς ἀντὶ τὲ ὅλος.* Vocem *omnis* apud Ciceronem eandem habere notionem, Lexicographi pridem obſervarunt. Eſt tamen, cur dubitem, hunc ſignificatum h. l. obtinere. *Πᾶσα* idem utique eſt, quod *πᾶν* proxime ſequens ad *δώρημα.* Id vero omnino *univerſalitatis* notam infert, quod patet ex addito *τέλειον.* Sic infra III. 7. *πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων* & IV. 16. *πᾶσα καύχησις τοιαύτη πονηρά ἐςιν.* Eadem itaque ſententia eſt, quam *Dionyſ. Halicarnaſſ.* lib. I. pag. 123. ſic expreſſit: *πανὸς ἀγαθὲ θεοὶ δοτῆρές εἰσι τῇ θνητῇ φύσει καὶ φύλακες.*

καὶ πᾶν δώρημα τέλειον) Cum *donum perfectum* hic *dono bono* jungatur, non deſunt, qui hac phraſi dona *minora* & *majora* indicari putant, reſpicique volunt athletas veterum, quorum aliis majus, levius aliis præmium obtigerit. Ita poſt *Mercurialem* de Arte Gymnaſt. I. 14. *Petrum Fabrum* & *Jacobum Lydium* in Agoniſticis Sacris cap. 34. pag. 123. *Hammondus* ad h. l. & *Amelius* Tomo II. der Erörterung pag. 214. Sed recte id in dubium vocat *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 31. Ipſius adagii rationem exponit *Andreas Schottus* in Adagialibus Novi Teſtamenti ad h. l.

ἄνωθέν ἐστι) *ſuperne eſt.* Vide *Sviceri* Theſaurum Tomo I. pag. 396. Hebræi מתנה עילאה, *donum ſupernum* vocant apud *Schœtgenium* pag. 1012.

καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων) DEVS hic *auctor luminum*, i. e. omnis perfectionis, bonitatis, ſapientiæ, & proſperitatis appellatur: hæc enim momenta in ſacris literis potiſſimum lucis nomine indicari ſolent, quæ omnia, itemque his ſimilia, Apoſtolus voce *φώτων* comprehendit. Alias cauſas alii reddiderunt ex Patribus, quorum locos habes apud *Svicerum* Tomo II. pag. 1480. Fieri poteſt, ut Apoſtolus phraſi hac ad Solem alluſerit, quæ ſententia eſt *Lamberti Bos* in Exercitationibus ad Novum Teſtamentum pag. 269. & *Joannis Alberti* pag. 445. & 511. Sequentes enim phraſes *παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγή, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα*, id ſuadent. Neque inſolens eſt, Deum & ſpeciatim Meſſiam cum Sole in veteris Inſtrumenti tabulis comparari. Adde *Amelium* Tomo II. pag. 598.

παρ' ᾧ οὐκ ἔνι) i. e. *ἔνεστι* vel *ἐστὶ*, probatorum Græciæ Scriptorum exemplo. Vide nos ad *Galat.* III. 28. & adde nunc Cl. *Georgii* Hierocriticum N. T. pag. 152. necnon *Tobiæ Eckhardi* Obſervationes Philologicas in N. T. ex Ariſtophanis Pluto p. 33.

παραλλαγή) *καταλλαγὴν Hieronymum* lib. 1. contra Jovinian. & *Auguſtinum* libro XI. de Civitate Dei cap. 21. legiſſe, ex eo conjicit B. *Hülſemannus* in Breviario Theologico cap. IV. §. 3. pag. 215. edit. Scherzerianæ, quod *per differentiam prioris & poſterioris* converterunt. Hanc & ſequentes duas voces exponit *J. C. Dietericus* in Antiquitatt. Biblic. Novi Teſtamenti, ſuis locis.

ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα) Phraſin hanc una cum voce *παραλλαγὴ* aſtronomicam eſſe contendit *Lambertus Bos* loc. cit. *cum vox prior notet varios ſitus Solis, quibus quotidie apparet Sol; poſterior motum Solis annuum, & converſionem a tropico ad tropicum.* Atque hæc plerorumque Interpretum eſt ſententia. At *Raphelius* in Notis Polybianis *ἀποσκίασμα* de ea *umbra* accipere mavult, *quam terra jacit, Sole ſub ea condito. Vt τροπὴ ſit converſio Solis, non a Septentrione ad Meridiem, vel vice verſa, ſed ab ortu ad occaſum,* *quo*

quo, cum terram ſubit, nox efficitur. Ita *Epictetus* apud Arrianum libro I. c. 14. p. 63. univerſum hoc ait: ἐπέχεσθαι ὑπὸ σκιᾶς, ἣν γῆ ποιεῖ, *obtegi ab umbra, quam terra facit*; & ab *Herodoto* libro 1. pag. 33. μεταλλαγὴ & μεταβολὴ de mutatione diei in noctem dicitur. Addit idem *Raphelius*, τροπὴν quidem de Solſtitio a Græcis Scriptoribus & nominatim *Arriani* dici, ſe vero non intelligere, quæ ex Solſtitio *obumbratio* oriatur. Nec ego exiſtimem, per τροπὴν ad Solſtitium reſpici, aut vocem hanc per *converſionem* explicari debere, ſed potius per *mutationem.* Hanc enim notionem vox habet apud *Antoninum* VI. 23. ἥτε γὰρ ἐσία, οἷον ποταμὸς ἐν διηνεκεῖ ῥύσει, και αἱ ἐνέργειαι ἐν συνεχέσι μεταβολαῖς, καὶ τὰ αἴτια ἐν μυρίαις τροπαῖς, καὶ σχεδὸν ἐδὲν ἑςώς. *Eſt enim rerum natura inſtar fluvii cujusdam, qui in jugi ſit fluxu; effectiones vero mutationibus continuis, & cauſæ ipſæ mutationibus innumeris ſubjacent: nec quod conſiſtat, fere quicquam eſt.* Vides utique, voces μεταβολὰς & τροπὰς, ut ἰσοδυνάμες de mutatione & viciſſitudine rerum adhiberi. Confer *Hombergii* Parerga pag. 355. Hanc igitur mentem Apoſtoli eſſe exiſtimo, quod in Deo nulla detur παραλλαγὴ, *mutatio*, imo nec *mutationis umbra.* Talem vero in Sole varia περικείμενα efficiunt, cum v. c. nubibus & nebulis obſcuratur, vel oculis hominum, interpoſita Luna, ſubducitur. Ἀποσκίασμα itaque non tam referetur ad umbram, quam Sol τροπῇ ſua efficit, quam ad τροπὴν ipſam, cujus nec umbra, aut leve veſtigium in Deo appareat. Hoc ſenſu *Gregorium Nazianzenum* τὸ τῆς ἀληθείας ἴνδαλμα καὶ ἀποσκίασμα, *veritatis ſimulacrum & adumbrationem* dixiſſe *Henricus Stephanus* obſervavit. In hanc ſententiam *Dionyſius Petavius* Tomo I. Dogmatum Theologicorum lib. III. cap. I. pag. 123. *Jacobi* verba interpretatur. *Quem enim*, inquit, Patrem luminum, *h. e. fontem auctoremque lucis, ac velut Solem eſſe ſignificaverat, eum nulla infuſcari viciſſitudine, & obſcuritatis perſtringi particula dicit.* Ipſa enim mutabilitas, *ait Gregorius lib. XII. Moral. cap. 17. Jacobi verba explicans*, umbra eſt, quæ quaſi obſcuraret lucem, ſi hanc per aliquas viciſſitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra viſſitudinis intercidit: *quod ſplendidiſſimo illi ſideri, vel interpoſita nube, vel ſubjecta Luna, plerumque putatur accidere. Deus autem neque ſpeciem, h. e. adumbrationem obſcuritatis habet ullam, neque vel momento jacturam luminis facit. Hinc* momenti obumbratio *apud* Auguſtinum (Tom. VI. lib. de natura boni c. 24.) *illic legitur, quaſi* ῥοπῆς, *non* τροπῆς *Jacobus ſcripſerit.* Idem itaque dicit *Jacobus*, quod *Joannes* 1 epiſt. I. 5. ὁ Θεὸς Φῶς ἐςι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ ἐκ ἐςιν ἐδεμία. Vel quod *Chryſoſtomus* ad Pſalm. CII. 13. ait: σὺ δὲ ἄτρεπτον ἔχεις τὴν Φύσιν, και ἀλλοιώσεως κρείττονα. Argumentum ipſum de *illuſtriſſima divinæ immutabilitatis majeſtate* ad h. l. ſingulari diſſertatione perſecutus eſt *Joannes Adamus Scherzerus* Lipſiæ 1674. de quo etiam *Petavius* l. c. ex Sacro Codice & Eccleſiæ Doctoribus diligenter commentatur.

Verſ. 18. βυληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς) *deliberato conſilio progenuit nos, ſponte ſua, nullis noſtris meritis adductus.* Ita παραφράζει Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis & Herodoteis. Sic *Herodotus* lib. VII. pag. 509. ἢ ἄλλως κῶς αὐτὸς ἐθέλων ἐκόπασε, *ſive aliter tempeſtas ipſa ſua ſponte ceſſavit*: & *Arrianus* in Epicteteis lib. II. cap. 19. pag. 219. καὶ σὺ θέλων παίζεις, *& tu ultro jocaris.* Ἀπεκύησεν eſt *genuit.* Quamvis enim alias *pariendi* ſenſu proprie de feminis adhibeatur, tralate tamen *gignendi* illum obtinet, (vide ſupra ad v. 15.) ſicut ὠδίνειν de ſe dicit Paulus *Galat.* IV. 19. & Latinis *parere* idem eſt, quod *comparare*, Græcis autem τίκτειν idem, quod *efficere* aliquid & *creare.* Lege huc *Majum* lib. II. Obſervationum Sacrarum p. 186. Pertinet huc quoque *Philonis* locus lib. II. de Allegoriis legis pag. 101. a *Schœtgenio* in Horis Hebraicis allatus: *Iſaacum genuit Dominus: nam ipſe eſt perfectæ naturæ genitor*, σπείρων ἐν ταῖς ψυχαῖς, *ſemen faciens in animas, & felicitatem generans.*

λόγῳ ἀληθείας) i. e. λόγῳ ἀληθεῖ, ſed ſine Hebraiſmi, quem nonnulli heic fingunt, reſpectu. Id alias paſſim oſtendimus. Vide nunc Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 214. ſeqq. ubi nubem habes exemplorum, ex veteri Græcia petitorum. De verbo Dei, tanquam efficaci regenerationis adminiculo, lege ex h. l. differentem *Stephanum Charnock* Tomo II. Operum, Anglice editorum, pag. 230 – 240.

εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτῦ κτισμάτων) ἀπαρχὴν i. e. ut Scholiaſtes codicis *Medic.* a *Pricæo* allatus, interpretatur, πρώτυς καὶ τιμιωτέρυς, *primos & præcipuos*, ideo ſcilicet, quod primi ex Judæis ad Chriſtum erant converſi, atque adeo primitiæ meſſis largioris, inpoſterum exſpectandæ. Phraſis hæc in eadem cauſa frequens eſt Scriptoribus Novi Teſtamenti, nec dubium eſt, per eam tum ad primogenitos, tum ad primitias, in Vet. Teſtam. celebratas, reſpici. Vide *Rom.* XVI. 5. & 1 *Corinth.* XVI. 15. quæque ibi diximus: nec omitte 1 *Corinth.* XV. 20. 23. Adde quoque *Vrſinum* in Analectis II. pag. 369. *Sebaſtianum Schmidium* in Faſciculo Diſputationum, Diſputat. XX. §. 6. & de Imagine Dei pag. 401. item *Svicerum* Tomo I. pag. 423.

Verſ. 19. ὥστε) *Vulg.* & *Copt.* vertunt, quaſi legerint ἴστε, *ſcitis*, quod & in duobus exſtat codicibus a *Millio* allatis & approbatis, præter rem, quod oſtendit *Whitby* in Examine pag. 77. Eadem loquendi ratione utitur Paulus 1 *Corinth.* XI. 33. ὥστε, ἀδελφοί μυ, συνερχόμενοι εἰς τὸ φαγεῖν, ἀλλήλυς ἐκδέχεσθε. Adde XIV. 39. & 58. Senſus eſt: cum itaque primitiæ ſitis conditoris *optimi* & *benigniſſimi*, operam date, ut a vitio & ſordibus quibusque ſitis alieni.

ἴστω

Digitized by Google

ἔϛω πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς εἰς τὸ ἀκȣ̃σαι, κ. τ. λ.) Sunt, qui heic reſpici volunt *Proverb.* XVII. 27. non admodum convenienter, quod oſtendit *Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Tomo I. pag. 390. Nec rectius, ſi quid video, confertur cum *Proverb.* XXI. 28. a Ludovico Cappello pag. 474. Operum.

ταχὺς εἰς τὸ ακȣ̃σαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι) Vide externorum dicta ſimilia apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 740. & *Patrum* apud *Svicerum* Tomo I. pag. 766. *Hebræorum* vero apud *Schœtgenium* pag. 1012. interque cetera illud ex *Pirke Avoth* I. 15. אומר מעט ועשה הרבה, *loquere pauca, & fac multum.* Addo illis paganorum *Biantis* illud apud *Diogenem Laërtium* I. 87. *μὴ ταχὺ λάλει*, & *Senecæ* ad Lucilium: *tardiloquum te eſſe volo.* Pertinet huc quoque inprimis *Zenonis* dictum apud *Laërtium* VII. 23. *διὰ τȣ̃το δύο ὦτα ἔχομεν, ϛόμα δὲ ἕν, ἵνα πλείω μὲν ἀκȣ́ωμεν, ἧττονα δὲ λέγωμεν.* Confer ibi *Menagii* notas p. 275.

βραδὺς εἰς ὀργὴν) *Pirke Avoth* II. 10. R. *Ślieſer* præcipit: *ne ſis facilis ad iraſcendum.* Vide *Schœtgenium* loc. cit. Aliorum hanc in rem admonitiones recitat *Picinellus* pag. 740. Inſtar omnium ſunt *Plutarchus* de ira cohibenda pag. 457. & *Seneca* libris de Ira, qui inter cetera lib. II. c. 24. *maximum iræ remedium moram* eſſe pronunciat. Sententiam hanc firmat *Joannes Clericus* in commentar. ad Geneſ. XXXII. 20.

Verſ. 20. *Ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς*) i. e. *ἀνθρώπȣ, hominis*, vel *τινός.* Vide quæ ſcripſi ad *Actor.* VIII. 27. & adde *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 34.

δικαιοσύνην Θεȣ̃ ȣ̓ κατεργάζεται) *juſta a Deo præcepta non exſequitur.* Idem eſt, quod Paulus *Rom.* VII. 18. ait *κατεργάζεσθαι τὸ καλόν.* De verbo *κατεργάζομαι* lege *Curas* has Vol. III. pag. 155. & 232. Iracundiam, ut variorum malorum matrem, repræſentant veteres. Vide *Picinellum* l. c. & *Jacobum Duportum* in Gnomologia Homerica pag. 2.

Verſ. 21. *Διὸ ἀποθέμενοι*) *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. I. cap. 4. Sect. 2. pag. 50. editionis Tubingenſis, ad circumciſionem alludi exiſtimat, per quam pellicula ſuperflua fuerit rejecta. Alii, interque hos *Jacobus Lydius* in Agoniſticis Sacris cap. VIII. pag. 35. rem veterum athleticam invehunt, voce *ῥυπαρία* adducti. *Nam*, ait ille, *ſignificat ſordes, ab unctis & ſudantibus luctatoribus ex palæſtra pulvere collectas, adeoque illuviem peſſimam, cui inprimis peccatum aſſimilari meruit. Pulverem autem intelligo, non eum duntaxat, qui humi volutantium luctatorum corporibus adhærebat, ſed illum quoque, qui adſpergebatur.* Si qua hic alluſio locum habere poteſt, de quo valde dubito, malim ad circumciſionem reſpectum haberi. Confer interim *Amelium* Tom. II. der Erörterung p. 596.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

πᾶσαν ῥυπαρίαν) Omnes peccati ſordes, quas Petrus 1 epiſt. III. 21. *ῥύπον* appellat. *Plutarchus* de Prof. virtut. pag. 85. & *Dionyſius Halicarnaſſ.* lib. XI. pag. 689. *ῥυπαίνεσθαι* de vitiis, quibus aliquis infectus eſt, dicunt. Vide loca apud *Elsnerum* pag. 384. *Ῥυπαρὸν ἄρτον ſordidum panem* vocat *Laertius* VI. 54. & *avarum* hominem, ad vitia quæque perpetranda idoneum, *ῥυπαρὸν* vocari oſtendit *Salmaſius* de Fœnore pag. 185. Confer quæ infra ad 1 *Petr.* III. 21. de v. *ῥύπος* adferentur. Hebræos quoque vitia *ſordes* appellare oſtendit diligentiſſimus *Schœtgenius* ad h. l. & ad 2 *Petr.* II. v. 22.

καὶ περισσείαν κακίας) *ad excrementum malitiæ*, ut *Eraſmus Schmidius* vertit. *Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 114. ita: *Alluditur hoc vocabulo ad ſordes & ſuperflua corporis: præcedit enim ῥυπαρία.* Περισσεία alias in Novo Fœdere de *abundantia* & *magnitudine* rei, de qua ſermo eſt, adhibetur. *Rom.* V. 17. eſt *περισσεία χάριτος*, 2 Corinth. VIII. 2. *περισσεία τῆς χαρᾶς*. Putem itaque, Apoſtolum h. l. vitia quæque, ſive *leviora* illa videantur, ſive *graviora*, illa quidem per *ῥυπαρίαν*, hæc autem per *περισσείαν κακίας*, aliena a regenitis ita eſſe jubere, ut illis non data opera indulgeant.

ἐν πραΰτητι) *cum lenitate*, ſeu *manſuetudine*. Opponitur hæc antecedenti *ὀργῇ*, eademque opera indicatur, hominem adfectibus, & ſpeciatim iræ, obnoxium minime omnium idoneum eſſe ad lene placidumque Evangelii præconium vel recipiendum, vel retinendum.

δέξασθε) *accipite*, i. e. *diſcite*. Vide *Curas* has Vol. I. pag. 196. Cum vero ad eos inprimis ſermo fiat, qui Evangelii doctrinam jam acceperant, res ipſa poſtulat, ut etiam de *ſervanda* illa & cuſtodienda loqui exiſtimemus Apoſtolum. Tales ſunt, qui *ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον κατέχουσι*, quæ DOMINI noſtri verba ſunt *Luc.* VIII. v. 15.

τὸν ἔμφυτον λόγον) *verbum inſititium* recte *Beza* & *Eraſmus Schmidius* reddiderunt; qua ratione ad doctrinam cum jam *inſitam*, tum porro *inſerendam*, & altius *inſigendam* referri poteſt. Vtrumque enim hic ſpectatur. Ἔμφυτον Græcis frequenter id eſt, quod *innatum*, ſeu *naturale* dicimus. Vide loca a *Raphelio* & *Elsnero* ex *Polybio* & aliis allata. Ideo *Heſychius* per *τὸ, ἐν τῇ φύσει*, & *Suidas* per *τὸ, ἐκ φύσεως* interpretatur. Neque tamen hæc ſignificatio perpetuo obtinet; ſed vox ad illa etiam transfertur, quæ aliunde accedunt, implantantur, atque animo infiguntur. Ita *Herodotus* Evenium habuiſſe ait *ἔμφυτον μαντικήν*, *inſitam divinationem*, quam tamen divino beneficio acceperat, lib. IX. pag. 624. Similiter *Lyſis* apud Jamblichum in Vita Pythagoræ cap. XVII. pag. 75. præcipit, exſtirpatis animi vitiis *ἐμφυτεύειν τι χρήσιμον αὐτῷ*, *utile aliquid implantare.* *Plutarchus* quoque de Oracul. defectu pag. 410. *ἀγαπητῶς* ait *ἐμφύεσθαι τῷ ῥήματι*, *cupi-*

de

de inhærere verbo. Vide plura apud Duumviros, quos modo laudavi. Probe vero hoc tenendum eſt adverſus illos, qui *verbum*, quod vocant, *internum* hoc Jacobi loco palliare annituntur. Temere id quidem fieri, vel ex eo apparet, quod δέχεσθαι, atque adeo *aliunde accipere*, λόγον illum jubeantur. Ne dicam, ſermonem eſſe de λόγῳ ἀληθείας, per quem Deus fideles genuiſſe dicitur v. 18. Confer in hanc ſententiam *Heinſii* Exercitationes in h. l. *Lambertum Bos* in Exercitationibus pag. 271. & *Svicerum* Tomo I. pag. 1104. nec omitte D. *Joannis Guilielmi Baieri* diſſertationem ſingularem de λόγῳ ἐμφύτῳ, Altorfii 1720. habitam. Adpoſitus præterea *Lyſidis* apud Jamblichum de Vita Pythagoræ pag. 63. locus eſt, a *Boſio* allatus, ἀποῤῥυπτόμενοι σπίλους, τὼς ἐν τοῖς στάθεσιν ἁμῶν ἐγκεκολαμμένως, ἕως πόκα διελθόντων ἐτέων ἐγενόμεθα δεκτικοὶ τῶν τήνου λόγων. In hoc loco habes primo ἀποῤῥυπτόμενοι σπίλους, dein δεκτικοὶ λόγων, uti hic primo ἀποθέμενοι ῥυπαρίαν, dein δέξασθε λόγον. Alia paganorum in hanc ſententiam loca attulit *Elsnerus* pag. 385. quæ tamen eo non ſunt interpretanda, ut *viam purgationis*; quam Myſtici Scriptores vocant, *illuminationis* illa priorem ſtatuamus. Hæc enim non eſt mens Apoſtoli, cui res erat cum hominibus, qui verbum ſalutare jam acceperant, idque animo magis magisque infigere, atque adeo de vitiis, tanquam hujus ſtudii curæque impedimentis, amoliendis ſoliciti eſſe debebant.

Verſ. 22. γίνεσθε οὖν ποιηταὶ λόγου κ. τ. λ.) Comma hoc una cum ſequentibus usque ad 27. exponit *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 34. ſeqq. ſicut *Robertus Gellus* in commate 22. diligentius illuſtrando verſatur Tomo II. Reliquiarum Anglice editarum pag. 735. ſeqq.

ποιηταὶ λόγου) Codices pauci & verſiones quoque pro λόγου legunt νόμου, procul dubio ex IV. 11. Neque enim dubitandum eſt λόγου ſcripſiſſe Apoſtolum, qui in ſuperioribus eadem voce repetitis vicibus uſus erat, quemadmodum v. 23. ἀκροατὰς λόγου appellat. Similia Patrum & externorum præcepta adfert *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 741. *Seneca* epiſt. 108. *Sic iſta diſcamus, ut, quæ fuerunt verba, ſint opera.* Et epiſt. 75. *Quando multa diſces? quando, quæ didiceris, affiges tibi, ita, ut excidere non poſſint?* - - *Non eſt beatus, qui ſcit illa, ſed qui facit.* Qui aliter agebant ex Philoſophis, eos *Epictetus* dixit eſſe φιλοσόφους ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. Vide *Gellium* Noct. Attic. XVII. c. 19.

καὶ μὴ μόνον ἀκροαταί) μόνον deeſt in edit. *Aldina* & *Frobeniana*, duobusque Græcis codicibus. Neque tamen cum *Eraſmo* pro interpretamento habendum eſt, quod recte oſtendit *Millius*.

παραλογιζόμενοι ἑαυτοὺς) Vide *Curas* has ad *Coloſſ.* II. 4. & adde *Svicerum* Tomo II. pag. 587. Videtur Apoſtolus per paronomaſiam quandam,

Sacris

Sacris Scriptoribus non inſuetam, hoc verbo uti, habito ad antecedentem *λόγον* reſpectu, atque adeo indicare, eos, qui ex audito tantum *λόγῳ* beatos ſe judicent, ſe ipſos *παραλογίζεσθαι*.

Verſ. 23. *ὗτος ἔοικεν ἀνδρὶ κατανοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτῦ ἐν ἐσόπτρῳ.*) *πρόσωπον γενέσεως* eſt forma vultus *nativa*, quam alia Græcorum voce *γνησίαν* dixeris. *Αρχέτυπον* innui contendit *Svicerus* Tomo II. pag. 867. *Εσοπτρον* *ſpeculum* eſt, quod alias *κάτοπτρον* appellatur, radios lucis in contemplantem remittens. Hic diſputatum eſt a viris doctis, ex qua materia ea ætate ſpeculum fuerit confectum. Conſtat enim, ſpecula olim nunc *aurea*, nunc *argentea*, nunc *ſtannea*, nunc *ærea*, atque adeo metallica fuiſſe, quod, adductis veterum locis, ut alios taceam, oſtendit *Ezechiel Spanhemius* ad Callimachi hymnum in Palladem v. 21. pag. 548. ſqq. *Vitrea* eo tempore fuiſſe negat B. *Daſſovius* in diſputatione III. de emphaſi vocum ſacrarum pag. 24. ideoque metallica fuiſſe cenſet, qualia feminæ Hebrææ olim attulerint, ad labrum metallicum fabricandum, Exod. XXXVIII. 8. Interceſſit vero heic nuper Cl. *Chriſtianus Ludovicus Schlichterus* in Decimis Sacris Obſerv. XLIV. pag. 382. ſeqq. poſt *Hulſium* & *Herm. Gid. Clementem* in diſſertatione de labro æneo cap. II. §. 2. ſeqq. obſervans, in illo *Exodi* loco de ſpeculis, quæ mulieres attulerint, nihil commemorari. Mavult itaque *de aquis limpidis* cogitare, *quæ objectorum imagines repræſentent*. Non jam inquiram, an non phraſis במראות *Exodi* loc. cit. *ſpecula* inferat, ceu *τοῖς* LXX. & *Vulg.* aliisque Interpretibus viſum eſt: neque ſimpliciter negabo, ſpeculum, a *Jacobo* commemoratum, metallicum fuiſſe. Non tamen video, cur *vitreum* illud fuiſſe negemus. *Plinius* enim, qui ſub *Tiberio* natus, ſub *Veſpaſiano* autem variis officiis admotus eſt, de variis vitrorum generibus exponens, eadem ad *ſpecula* accommodata eſſe non obſcure profitetur Hiſtor. Natural. XXXVI. Sect. 66. *Et aliud*, inquit, *flatu figuratur, & aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur; Sidone quondam iis officinis nobili, ſiquidem etiam* ſpecula *excogitaverat*. Heic non intelligo, cur *ſpeculorum*, a Sidoniis inventorum, meminerit *Plinius*, niſi vitra, eodem loco commemorata, ab iisdem in hunc uſum adhibita indicare voluerit. Si *aquam limpidam* intellexiſſet *Jacobus*, exiſtimaverim, eum *aquæ* diſertam mentionem fuiſſe facturum.

Verſ. 24. *Κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ἀπελήλυθε, καὶ εὐθὺς ἐπελάθετο, ὁποῖος ἦν*) De tralatitia ſpeculi inſpectione loqui Apoſtolum apparet ex v. 25. *ὁ δὲ παρακύψας - - - καὶ παραμείνας*. Talis vero efficit, ut maculas tenues, in vultu hærentes, non perſpicias, atque adeo de iis abſtergendis non cogites.

Verſ. 25. *Ο δὲ παρακύψας*) Accipe verba *Stephani le Moyne* ad Varia Sacra pag. 344. *Opponit παρακύψαντα τῷ νόμῳ illi, qui transeundo, &*

non

non attentus in ſpeculo ſuam contemplatur imaginem, quæ cito fugit & evaneſcit, & cujus nullam poteſt ſervare ſibi memoriam - - Eadem vox παρακύπ]ειν dicitur etiam de ſcorto iſto infami, nimirum iſta meretrice, de qua Proverb. VII. 7. *ἀπὸ γὰρ θυρίδων εἰς τὰς πλατείας παρακύπτȣσα, quæ ex feneſtra in plateas ſe incurvabat, & omnes plateæ angulos luſtrabat, ut aliquem ſibi ſimilem tandem poſſet deprehendere, ſuis libidinibus implendis & fovendis. Sed παρακύπ]ειν & ἐγκύπ]ειν dicitur de puriori & nobiliori attentione & intentione,* Cantic. II. 9. Verbo *ἐγκύπ]ειν* de curatiore conſideratione utitur etiam *M. Antoninus* IV. 3. *ἐν μὲν γὰρ τοῖς προχειροτάτοις, εἰς ἃ ἐγκύψεις, ταῦτα ἔϛαι τὰ δύο.* Confer ibi *Gatakerum.*

εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας] Conferendi hic fuerint *Joannes Melchior* in Oratione de lege libertatis & regia Tomo II. Operum pag. 572. ſeqq. *J. H. Urſinus* in Analectis II. pag. 277. & B. *Krakevitzius* in diſputat. de perpetua libertatis lege, Gryphisw. 1721.

Per illam *libertatis legem* doctrina Evangelii recte, a noſtratibus inprimis, intelligitur. Illa appellatur *τέλειος*, reſpectu habito ad *ἀσθενῆ καὶ π]ωχὰ ϛοιχεῖα* Oeconomiæ veteris *Galat.* IV. 9. Appellatur a *libertate* ideo, quod *Paulus Rom.* VIII. 2. ait: *ὁ νόμος ἠλευθέρωσέ με ἀπο τȣ̃ νόμȣ τῆς ἁμαρτίας καὶ τȣ̃ θανάτȣ*, Dominus autem *Joh.* VIII. 36. profitetur: *ἐὰν ȣ̓̃ν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε.* De lege morali ſermonem hic non eſſe, etiam ex præmiſſo articulo *τὸν* emphatico & demonſtrativo patet. Plura in hanc ſententiam lege in B. *Calovii* Bibliis Illuſtratis. Recte *Braunius* in Selectis Sacris pag. 153. *Videtur*, inquit, *alloqui Judæos, eosque hortari, ut inpoſterum, lege ſervitutis deſerta, obſervent legem JESV Chriſti, quæ jubet DEVM colere*) *nulla habita ratione cerimoniarum*) in ſpiritu & veritate. *Ut* lex *hic nihil aliud ſit, niſi* doctrina *fidei*, *de qua* Rom. III. 27. *ut optime obſervant doctiſſimi Belgæ.* Putaverim tamen, heic ſimul indicari Judæorum ſupinam negligentiam, qua factum ſit, ut lege tum morali, tum cerimoniali, obiter inſpecta primarium ejus finem non ſint adſecuti, nempe CHRISTVM, *τὸ τέλος τȣ̃ νόμȣ Rom.* X. 4. *εἰς ὃν ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονε Galat.* III. 24. Nolim itaque cum *Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 35. per *νόμον τῆς ἐλευθερίας* intelligere *legem moralem*, quæ *lex libertatis* vocetur, *in quantum homines per Chriſtum a maledictione legis liberati ſponte ſua, & voluptate quadam leges divinas implere annituntur.* Neque ſatis facturum cuiquam putem *Hugveninum*, qui legem illam de *lege fidei* quidem accipit, ſed ita, ut eam præceptis Decalogi ad Chriſtum traductis, contineri adfirmet. Contra illum diſputat idem *Wokenius* in Meditationibus Tomo I. pag. 29. ſeqq. Quod ad phraſin, *νόμος ἐλευθερίας*, attinet, Judæi in *Pirke Aboth.* VI. 2. profitentur, *neminem liberum eſſe habendum, niſi qui operam det ſtudio legis*; iidemque legem a Deo datam *perfectam* appellant. Vide *Schœtgenium* pag. 1014. Horarum Hebraicarum.

οὗτος οὐκ ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς) Pro οὗτος *Eraſmus* οὕτως legit, idque cum antecedente ἐπιμείνας arcte conjungit, nulla codicis veteris auctoritate allata. *Millius* in Prolegom. οὗτος ex verbis mox ſequentibus huc relatum cenſet, cum a quibusdam libris abſit. Rectius *Grotius* in repetitione vocis οὗτος pulchram ἀναφορὰν agnoſcit. Latine dixeris: *hic, cum non ſit auditor oblivionis, ſed effector operis, hic*, inquam, &c. quemadmodum rectiſſime reddidit *Eraſmus Schmidius*.

ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς ſine hebraiſmo eſt *auditor obliviosſus*: vide ad v. 18. Quam noxia ſit diſcenti oblivio, Judæi oſtendunt apud *Schœtgenium* pag. 1014. & *Socrates* apud Xenophontem Memorabil. lib. I. pag. 564. a *Raphelio* in Notis Xenophonteis allatus.

οὗτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔςαι) Placet B. *Höpfnerus* diſputat. XII. de Juſtificatione ita diſſerens: *Eſt ſane duplex* ποίησις, *ut generali nomine appellatur in Scriptura; una eſt* fides in Chriſtum, *i. e. fiducialis apprehenſio meriti Chriſti*, Joh. VI. 41. *altera vero* præſtatio bonorum operum, Jac. I. & *utraque opponitur nudo auditui*, Matth. VII. 24. 26. & *ſoli profeſſioni fidei*, Matth. VII. 21. *differunt tamen, ut ſignatum & ſignum. Prior* ποίησις, *ſeu fides in Chriſtum, quæ facit Chriſtianum, eſt res agnoſcenda. Poſterior autem* ποίησις *ſunt opera bona, quæ non faciunt, ſed duntaxat oſtendunt bonum Chriſtianum, & habent ſe inſtar certæ notæ, ita ut ex eorum, cum præſtari deberent, defectu infallibiliter concludi poſſit, illum, qui peccatis deditus eſt, non eſſe verum Chriſtianum, ſeu vere fidelem.* Sapienter itaque Apoſtolus *medium* ſalutis, fidem in Chriſtum, ex doctrina Evangelica receptam, cum *ordine* ſalutis conjungit, quod & Paulus facit *Rom.* VIII. 1. Phraſin hanc *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum ad Novum Teſtamentum p. 129. Hebraicam eſſe opinatur, illi ſimilem אשרי זה במעשיו. Si vero evolveris, quæ Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis p. 151. ſeq. de ſignificatibus vocis ἐν ex probatis Scriptoribus attulit, Hebraiſmum fortaſſe fruſtra quæſiveris. Vox οὗτος hic emphatice repetitur, cum proxime anteceſſerit. Confer *Joannis Henrici Maji* diſſertationem de Pleonaſmis pag. 34.

Verſ. 26. Εἴ τις δοκεῖ, κ. τ. λ.) Hoc ut & ſequens comma illuſtratur a *J. H. Urſino* in Analectis Vol. II. pag. 288. ſeqq. & B. *Calovio* in ſingulari diſſertatione de vana & vera Pſeudo vereque Chriſtianorum religione, Wittebergæ 1680.

Θρῆσκος εἶναι) Duo codices, a *Millio* allati, habent Θρησκὸς, qui neſcire ſe ait, utrum ſit rectius. Apud *Heſychium* itidem legis Θρῆσκος, quam vocem idem per ἑτερόδοξος & εὐγενὴς, ubi cum *Guieto* legere malim εὐσεβὴς, interpretatur. Heſychius enim duplice hac expoſitione duplicem vocis ſignificatum, in bonam ſcilicet & malam partem, indicare voluit. Ita vox Θρη-

σκεία

Digitized by Google

σκεία in Gloſſis convertitur per *ſuperſtitionem* & *religionem*, quemadmodum δεισιδαιμονία quoque in utramque partem adhibetur.

ἐν ὑμῖν) Abſunt a codicibus nonnullis & verſionibus, ideoque *Millio* ad l. & in Prolegom. §. 1208. poſt *Eſtium* adjectitia videntur. At eadem phraſi utitur *Paulus* 1. *Corinth.* III. 18. εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν, & *Jacobus* ipſe infra III. 13. τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν; IV. 1. & V. 13. 14. 19.

μὴ χαλιναγωγῶν τὴν γλῶσσαν αὐτȣ̃) Vide ad v. 19.

τȣ́τȣ μάταιος ἡ θρησκεία) de voce θρησκεία diximus ad *Coloſſ.* II. 18. Adde nunc *Joannis Alberti*, viri diligentiſſimi, *Gloſſarium* Græcum in libros Novi Fœderis pag. 154. & *Radulphi Cudworthi* Syſtema Intellectuale hujus univerſi pag. 341. verſionis Latinæ, ubi in originem vocis, ex veterum ſententia a Thracibus repetendam, inquiritur. Hallucinatus utique eſt *Serarius* pag. 302. Trihæreſii, θρησκείαν non niſi de Chriſtianiſmo dici opinatus, quem rectiora docuit *Scaliger* in Elencho Trihæreſii cap. 30.

Verſ. 27. Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος κ. τ. λ.) Comma totum interpretatur *Robertus Gellius* Tomo II. Reliquiarum, Anglice editarum, pag. 745-754. Dicto huic ſimile eſt illud *Iſocratis* ad Nicoclem pag. 36. Ἡγȣ̃ δὲ, τȣ̃το εἶναι θῦμα κάλλιστον, καὶ θεραπείαν μεγίστην, ἐὰν ὡς βέλτιστον καὶ δικαιότατον σεαυτὸν παρέχῃς. Vide *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 272. & Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. Faſcic. II. p. 266.

ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανȣ̀ς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν) *Vitringa* in Archiſynagogo p. 405. ita: Θλίψις *heic procul dubio* defectum, *morbum*, *infirmitatem qualemcunque notat, ad quam* τὸ ἐπισκέπτεσθαι *reſpicit, qua laborantes omnis generis, imo viduæ & orphani etiam erant viſitandi. Scire enim licet, Hebræos veteres credidiſſe etiam, maximam religionis partem* ægrotorum *viſitationem facere.* Affert idem hanc in rem *Maimonidæ* Tractat. אבל ſive *de Luctu*, cap. XIV. §. 4. *Imperata eſt omnibus ægrotorum viſitatio: quin major quoque dignitate viſitare tenetur minorem. Viſitant vero ſæpius uno die, &, quo plus viſitet, eo magis eſt laudandus, tantummodo ne oneri ſit ægroto.* Nec alia eſt Judæorum recentiorum de hoc officii genere ſententia, ad quod provehendum ſingulares libros ediderunt. Confer, quæ ſcripſi ad *Matth.* XXV. 36. ubi Dominus noſter ait: ἐπεσκέψασθέ με. Quo quidem loco ab aliis obſervatum eſt, eo verbo non nudam ægrotorum viſitationem, ſed *opem* etiam iiſdem latam innui: quod ipſum & h. l. tenendum eſt. Latine dixeris *providere.* Vide nos ad *Luc.* I. 68. & 78. *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti recte ad h. l. pag. 316. *Per* ἐπίσκεψιν *metonymice affectus cum effectu, ſeu tum ſincera & ex corde profecta commiſeratio, tum ejusdem opera* εὐεργεσίας *quæcunque intelliguntur.*

ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου) Similiter *M. Antoninus* VI. 30. τήρησον σεαυτὸν ἁπλοῦν, ἀγαθὸν, ἀκομψον. Confer II. 17. & 1. *Timoth.* V. v. 22.

CAPUT II.

AD caput hoc omne pertinent *Bartholdi Botſacci* Diſputationes tres, Gedani 1639. editæ, & *Joannis Henrici Heideggeri* Diſſertationes ad Theolog. Dogmatic. Tom. I. p. 329. ſeqq.

Verſ. 1. Ἀδελφοί μου, μὴ ἐν προσωποληψίαις ἔχετε τὴν πίστιν) Hæc commode *Simon Epiſcopius* Tomo I. Operum in Reſponſ. ad LXIV. Quæſtiones, pag. 30. ad Quæſt. XXXII. ita παραφράζει: *Monet Apoſtolus, ne* ἐν (i. e. σὺν) προσωποληψίαις *habeamus* fidem Domini noſtri JESU Chriſti gloriæ, *i. e. ne nos, qui profitemur religionem JESU Chriſti glorioſi, vel illam quæ ſola gloriam, i. e. excellentiam hominibus ſupra alios omnes conciliat coram DEO, perſonas accipiamus, i. e. externas qualitates, ad religionem iſtam nihil facientes, tanti faciamus, ut propter eas alterum altero majore honore aut digniorem, aut indigniorem eſſe cenſeamus* Idem in ſequentibus προσωποληψίας, ad externam ejusmodi conditionem relatæ, rationem fuſius exponit, eandemque etiam in Diaconis ordinandis aut Presbyteris eligendis cavendam eſſe pronunciat. Significatum vocis προσωποληψία & affinium diligenter exponunt *Joannes Camero* ad *Act.* X. 34. & *J. E. Oſtermannus* in Poſitionum Philologicarum, Græcum Novi Teſtamenti contextum concernentium, diſputat. II. Vtriusque verba habes apud B. *Majum* in diſſertatione de Pleonaſmis pag. 37. ſeq. qui recte obſervat, vocem hanc itemque phraſin, λαμβάνειν πρόσωπον, ab Hebraiſmo liberari non poſſe. Hoc Apoſtoli monitum nonnulli petitum eſſe volunt ex *Proverb.* XXIV. 23. ubi προσωποληψία in judiciis caveri jubetur. Id vero recte in dubium vocat B. *VVolenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 391. Hoc enim loco de longe alio προσωποληψίας capite agitur. Profanorum Scriptorum, qui ex externis, v. 1. divitiis &c. æſtimari quenquam vetant, præcepta lege apud *Picinellum* pag. 741.

τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης) Vocem δόξης alii ad *fidem*, tanquam gloriæ plenam & parariam, ad *Chriſtum* alii, tanquam *glorioſum*, referunt. Vtramque ſententiam attulit *Epiſcopius*; poſteriorem vero plerique recte amplectuntur. Chriſtus enim *Dominus gloriæ* vocatur 1. Corinth. II. 8. Itaque Apoſtolus illud Domini noſtri elogium inſtar argumenti adfert, quo fideles adduci debeant, ne quid rerum externarum in religionis cauſa ſpectent, ſed id tantum reſpiciant, quod *gloriæ* Domini amplificandæ inſerviat. *Lambertus Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 18. ſubintelligi vult ἀν-

δρὸς

Digitized by Google

ϑρὸς, ut phraſis plena ſit ἀνδρὸς τῆς δόξης. Fortaſſe rectius vocem τȢ Κυρίȣ heic ἀπὸ κοινȢ repetieris, quaſi ſcriptum ſit: τȢ Κυρίȣ τῆς δόξης.

Verſ. 2. Ἐὰν γὰρ εἰσέλϑῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν) Vocem συναγωγὴν per *cœtum* alii, alii per *Synagogam* interpretantur. Poſteriores hi vel *conventum* Chriſtianorum eccleſiaſticum, vel ipſum *ædificium*, in quo congregari ſolebant, intelligunt. De *ædificio*, uſibus ſacris deſtinato, poſt *Baronium* in Annalibus ad annum Chriſti LVII. num. 30. & *Fullerum* in Miſcellaneis Sacris II. 9. cogitavit *Campeg. Vitringa* in Archiſynagogo pag. 81. &, data opera, in de Vetere Synagoga lib. I. Parte I. cap. 9. p. 192. & Parte III. cap. II. pag. 448. Priori loco pag. 193. ita: *Clarum eſt ex contextu verborum*, Jacobum *Apoſtolum de* loco *loqui, in quem primi Chriſtiani convenire ſoliti erant. In eo autem ſupponit, diſtincta fuiſſe* ſubſellia, *alia aliis digniora & honeſtiora*: digniora *indicari ſolere divitibus, qui ſe ſplendore veſtis aut dignitate muneris commendabant*; *minus honeſtas, ſive ſtationes, ſive ſedes, aſſignari pauperibus, qui nihil admodum decoris aut fulgoris externi præ ſe ferebant*: *ſic fere, ut ſe babuit conſtitutio Synagogarum apud Gentem Judæam.* Huic vero ſententiæ ſe opponunt alii, v. c. *Fridericus Spanhemius* in Dubiis Evangelicis Parte III. Dub. LXXVII. pag. 368. ſeq. nec ita pridem *Waltherus Moyle* Tom. I. epp. p. 378. ſeqq. cujus ſummam retulit *Joannes Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. XXVII. p. 277. ſqq.

Hi itaque de *cœtu* vel civili quocunque, vel ſpeciatim *forenſi*, verba Apoſtoli accipere malunt. De *forenſi* h. e. tali, in quo de cauſis finiendis & judicandis agebatur, interpretatur *Amelius* Tomo I. der Erörterung pag. 246. ſeqq.

Mihi quidem illi optime rationes inſtituere videntur, qui de *cœtu*, ad ſacra facienda coacto, ſermonem eſſe arbitrantur. De *ædificio* cogitare non licebit, cum nondum putem eſſe evictum, Chriſtianis Jacobi ætate ædibus, ſacro cultui deſtinatis, uti licuiſſe, ſed nunc heic, nunc alibi, prout occaſio ferebat, conveniſſe. Interim cauſam ipſam collatis, quos laudavi, Scriptoribus Lectori judicandam permitto. De προσωποληψία, quam Judæi in Synagogis amabant, lege *Vitringam* ll. cc. & *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1015.

ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος) vir, *qui digitos auro ſeu annulis aureis ornatos habet*, interprete *Lamberto Bos* in Exercitationibus pag. 272. obſervante præterea, homines ejusmodi a *Luciano* in Timone pag. 100. χρυσόχειρας appellari. Scholiaſtes ibi χρυσόχειρας explicat per τοῖς δακτυλίοις περιαυγαζομένȣς τοῖς χρυσοῖς. Confer *Joannem Albertium* & *Jacobum Elsnerum* ad h. l. Conſtat præterea, veteres divitias ſuas frequente annulorum, & quidem plurium, uſu oſtentaſſe. Oſtendit id inter alios *Fortunius Licetus* libro ſingulari de annulis antiquis cap. XXXVIII. Adde D. *Petri Burmanni*,

avitis & paternis patruique veſtigiis præclare inſiſtentis, diſſertationem Literario-Juridicam de Jure aureorum annulorum, Trajecti ad Rhen. 1734. habitam, cap. I.

ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ) *Baronius* in Annalibus ad annum Chriſti XXXIV. num. 79. per χρυσοδακτύλιον ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ intelligit *virum quempiam regium, cui annulum aureum in veſte candida geſtare licuerit.* Sed vide, quæ contra eum dixerunt *Caſaubonus* Exercit. XVI. §. 73. pag. 532. ſeqq. & *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tomo I. pag. 348. Scilicet ἐσθὴς λαμπρὰ veſtem non *candidam*, ſed *ſplendidam* & ornatiorem infert, cujuscunque demum ſit coloris. Vide, quæ ſcripſi ad *Luc.* XXIII. 11. *Athenæus* lib. V. p. 212. Athenionem Sophiſtam repræſentat, ut χλαμύδα λαμπρὰν ἐκσύροντα καὶ περικείμενον δακτύλιον χρυσοῦ. Græcos æque ac Romanos in Sacris λαμπραῖς ἐσθῆσι uſos fuiſſe oſtendit *Elsnerus* ad h. l. De voce λαμπρὸς lege præterea *Svicerum* Tomo I. pag. 1215. & *Raphelium* in Annotationibus Xenophonteis pag. 330.

ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι) *cum ſordida veſte.* Vox ῥυπαρὸς oſtendit, per λαμπρὰν non tam *albam*, aut *candidam* veſtem, quam *ſplendidam nitidamque* intelligi. B. *Lutherus* recte per **herrlich** & **unſauber** convertit.

Verſ. 3. κάθου ὧδε ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου) De voce ὑποπόδιον diximus ad *Matth.* V. 35. Adde nunc B. *J. H. Maji* diſſertationem de Pleonaſmis pag. 35. ſeq. ubi etiam obſervat, frequentius alias voces τῶν ποδῶν addi τῷ ὑποπόδιον, quæ heic omittantur; ſicut 1. *Corinth.* XV. 25. ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ legatur ſine ὑποπόδιον.

Verſ. 4. καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν;) Impedita hæc ſunt, & variis interpretationibus obnoxia. *Lud. Cappellus* in Spicilegio notarum ad Novum Teſtamentum pag. 129. neglecta interrogandi nota, quam tamen codices h. l. exhibent, ita convertit; neque dubitaſtis apud vosmet ipſos, ſed facti eſtis judices pravarum cogitationum: (*ut* καὶ *in poſteriore ſit adverſativum pro* ἀλλὰ) *h. e. non ſubiit vos hæc cogitatio id factum forte malum eſſe, ſed certo apud vos ſtatuiſtis, id jure & bene fieri.* Judex pravarum cogitationum *is dicitur, qui perverſo mentis judicio probat malas ſuas cogitationes, h. e. in ſequiorem deliberationis partem inclinat, eamque approbat.* Cl. *Elsnero* idem placet, *niſi, ſenſu tamen eodem redeunte, ita potius vertere malis:* nec judicatis apud vosmet ipſos, ſive diſceptatis? *malas, puta, illas eſſe cogitationes & perverſa conſilia,* διαλογισμοὺς πονηροὺς, *ut explicari videatur,* διεκρίθητε *per* ἐγένεσθε κριταὶ, *quo ſenſu frequenter occurrit* 1. *Corinth.* XIV. 29. *Jud.* v. 22. Rev. *Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 735. ſenſum ita repræſentat: *Si majore in Eccleſiaſticis honore affeceritis divites, quam pauperes, dupliciter peccatis. Primo* inter vos ipſos non eſtis diſcriminati, *h. e. ceſſat piorum & im-*

piorum

Digitized by Google

piorum differentia: nam pietatis impietatisve ratio in bonoribus ignomiisve eccleſiaſticis babenda fuit. Deinde cogitationum quoque judices eſſe conamini, *quando ignominia afficitis pauperem, atque adeo impium eum declaratis eſſe. W. Wall* in Notis Criticis in N. T. Anglice editis, *Hammondi*, interrogandi notam negligentis, paraphraſin amplectitur, ſenſumque putat eſſe planiorem, ſi τὸ οὐ, quod in duobus codicis deeſt, prorſus omittatur.

Mihi quidem ſe adhuc probavit *Eraſmi Schmidii* interpretatio: *nonne diſcrimen feceritis apud vos ipſos, & facti fueritis judices*, prodentes *cogitationes* veſtras *iniquas?* Non aliter hæc accepit *Grotius* & Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Biblicam Lutheri pag. 218. Comma ſcilicet quartum exhibet ἀπόδοσιν ad comma ſecundum: ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ. Hæc vero liquida non eſt, niſi & τὸ οὐ legatur, & præterea totum comma quartum interrogative accipiatur. Hoc poſito, ſenſus hic fuerit: Si in conventibus veſtris ſacris ita ex altera parte in divites, ex altera in pauperes agitis, nonne diſcrimen apud, vel, inter vos ipſos facitis, atque adeo προσωπολῆπται eſtis, ſimul vero prave vos judicare oſtenditis? Καὶ prius h. l. eſt ἀποδοτικὸν, poſterius autem *copulativum*. Verbum διακρίνεσθαι idem eſt, quod διακρίνειν *Actor.* XV. 9. καὶ οὐδὲν διέκρινε μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν, *nullum diſcrimen fecit inter nos & illos.* Eodem ſenſu vocem διακρινόμενοι adhibet *Judas* Apoſtolus v. 22. καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, *& alios quidem babito delectu commiſeramini.* Itaque non audiendum putem *Hombergium* in Parergis pag. 356. ἀπόδοσιν demum v. 5. & 6. quærentem. Non enim intelligo, quomodo phraſis v. 5. ἀκούσατε, ἀδελφοί μου, id quidem admitti patiatur. Imo vero Apoſtolus v. 5. argumentum adfert, ab ipſius Dei exemplo petitum, quo convinci quisque poſſit, contemtum pauperum Chriſtianos non decere.

Verſ. 5. Οὐχ ὁ Θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου τούτου) τούτου deeſt in aliquot codicibus & verſionibus, ideoque a recente Editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani omiſſum. Eadem tamen phraſis Sacris Scriptoribus alias recepta eſt. Vide *Job.* VIII. 23. IX. 39. &c. 1. *Corinth.* I. 20. III. 19. V. 10. VII. 31. Nolim tamen cum Cl. *Schœtgenio* pag. 1016. hanc phraſin eo interpretari, ut tantum *pauperes ex Judæis* עניי של עולם הזה, h. e. qui ſub œconomia Veteris Teſtamenti conſtituti erant, intelligam. Deus enim etiam ex Gentilibus τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου & ἀγενῆ τοῦ κόσμου καὶ ἐξουθενημένα elegerat, quod Corinthiis, ex Judaiſmo non minus quam Gentiliſmo, ad Chriſtum converſis, in memoriam revocat Paulus 1. *Corinth.* I. 27. 28.

πλουσίους ἐν πίστει) Ellipſin hic dari monet Cl. *Albertius* pag. 447. ita ſupplendam: εἰς τὸ εἶναι, vel γίνεσθαι, hoc ſenſu: *Elegit pauperes, ut eſſent*

ſent vel fierent divites. Sæpe enim, inquit, præpoſitio εἰς cum articulo τὸ ante infinitivum & accuſativos ſubintelligitur, ut variis exemplis probat Cl. Bos Ellipſ. pag. 271. 272. *ſimiliter τὸ εἶναι ſæpe deficit, quod ibidem* pag. 227. *docet V. Cl.* Plene, quod idem obſervat, *Epheſ.* I. 4. ἐξελέξατο ἡμᾶς -- εἶναι ἡμᾶς ἁγίους, & *Jacobus* ſupra I. 18. ἀπεκύησεν ἡμᾶς - - εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν.

Verſ. 6. οὐχ οἱ πλούσιοι καταδυναστεύουσιν ὑμῶν) De verbo hoc vide *Curas* has ad *Actor.* X. 38. De vitiis divitum *Picinellum* lege pag. 741.

καὶ αὐτοὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια;) Quæ ſint κριτήρια, dixi ad 1. Corinth. VI. 2. & 4. Adde nunc M. *Chriſtophori Wolle* commentationem epiſtolicam de tribunalibus profanarum gentium, Lipſiæ 1731.

Verſ. 7. οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσι) Hinc apparet, Jacobum hactenus de illis divitibus locutum eſſe, qui ad Chriſtum non erant converſi, quibusque ipſæ divitiæ fraudi fuerant; *Luc.* VIII. 14.

τὸ καλὸν ὄνομα, τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς) *præclarum illud nomen* Chriſti, *a quo cognominati eſtis.* Ita *Eraſmus Schmidius* & verba & ſenſum optime reddit. Proxime accedit *Lutherus*, quem tuetur *Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 580. Sic *Geneſ.* XLVIII. 16. *Vocetur ſuper eos nomen meum, & nomen Patrum meorum, Abrahami & Iſaaci*, h. e. nomine meo appellentur. Nomen illud CHRISTI eſt, a quo χριστιανοὶ appellabantur, *Actor.* XI. 26. *Tacitus* in Annalibus IV. 44. *Quos per flagitia inviſos vulgus Chriſtianos appellabat : auctor nominis ejus Chriſtus.* Ipſum *Chriſtianorum* nomen probri inſtar paganis habitum fuiſſe Patres teſtantur. Eorum loca protulit *VVorthus* ad Tatianum §. 44. pag. 95. & *Kortholtus* ad Juſtini Martyris Apologiam I. §. 4. & 6. Neque tamen credendum eſt, id nominis credentibus a paganis ipſis ignominiæ cauſa inditum fuiſſe. Vide præſtantiſſimi mihique amiciſſimi *Erdm. Neumeiſteri* Eclogas Mayerianas Parte I. p. 219. Quod καλὸν ὄνομα hic vocat Jacobus, id *Euſebius* V. 1. Hiſt. Eccleſ. dicit πάντιμον καὶ ἔνδοξον καὶ ζωοποιὸν προσηγορίαν.

Verſ. 8. Εἰ μέν τοι νόμον τελεῖτε βασιλικὸν) *Curcellæus* inter variantes lectiones heic commemorat βασιλευκὸν, quod vel ex frequente librariis τοῦ ει & ι permutatione, vel ex voce βασιλευτικὸς natum eſt, de qua leges *Budæi* commentarios Gr. L. pag. 323. Vox βασιλικὸς, ut Græcis Scriptoribus admodum frequentatur, ita variæ & dubiæ eſt ſignificationis. Vide Volumen I. harum *Curarum* pag. 832. Speciatim commemorantur βασιλικοὶ λόγοι & νόμοι. Βασιλικοὶ λόγοι, ſunt *encomia Regum*, ſeu panegyrici; de quibus vide *Valeſium* ad Euſebii Hiſtor. Eccleſ. pag. 280. & *Ezechielem Spanhemium* ad Juliani Orat. I. pag. 8. Βασιλικοὶ νόμοι a *Xenophonte* Oeconom.

Digitized by Google

conom. pag. 676. opponuntur legibus Draconis & Solonis, ut hæ quidem dicantur ζημίαι tantum eſſe τοῖς ἁμαρτάνουσι, quemadmodum *Regiæ leges* οὐ μόνον ζημιοῦσι τοὺς ἀδικοῦντας, ἀλλὰ καὶ ὠφελοῦσι τοὺς δικαίους, *non injuſtos tantum puniunt, ſed juſtis etiam emolumentum adferunt.* Regiam vero legem Jacobus vocaſſe videri queat, quod a Deo, magno illo Rege, *Malach.* I. 14. *Pſalm.* XLVIII. 3. *Matth.* V. 35. ſit condita, præmiisque ſimul & pœnis ſancita. Summam habes eorum, quæ Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 330. ad h. l. commentatus eſt. Præter eum alii in perquirenda vocis notione occupati diligenter fuerunt. Hi ſunt *Joannes Druſius* de Proverbiis Claſſe II. lib. 3. n. 19. *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 742. *Joannes Doughtæus* in Analectis Novi Teſtamenti pag. 148. *Joannes Buxtorfius* in Catalectis pag. 59. *J. F. W. Pagenſtecherus* in Oratione Inaugurali de Lege Regia Apoſtoli Jacobi, Harderovici 1721. 4. *Jacobus Nyloe* in Schriftuurlycke Redevoering pag. 287. & *Hermannus Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 988. ex noſtratibus autem *Amelius* Tomo I. **der Erörterung** pag. 16. *Joannes Albertus Bengelius* ad Chryſoſtomi libros de Sacerdotio pag. 443. *Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 754. *J. H. Seelenius* in Meditationibus Exegeticis pag. 431-445. & *C. A. Heumannus* in Poecile Tom. II. pag. 499. ſqq. Longum foret, diverſa illa momenta recenſere, ad quæ ex eorum ſententia Apoſtolus reſpexiſſe videatur. Verbo dicam: plerique eorum legem *Regiam* dici volunt, vel ab *auctore*, Rege cœleſti, vel ab *utilitate*, ex amore, quem præcipit, redundante, vel a *dignitate* ejus, vel ab *univerſalitate* ad amandos & amatos pertinente. Harum ſententiarum patronos ordine appellatos videbis a *Seelenio* loc. cit. qui, ut ultimam ceteris præfert & ex phraſi Hebræorum דרך המלך· *via Regia*, i.e. *univerſalis*, ſermoniſque ſerie adſtruit; ita in *Pagenſtecheri*, ad Legem Regiam, qua populus Romanus Auguſtum declararit ſummum Monarcham, eidemque ſupremam poteſtatem conceſſerit, alludi exiſtimantis, ſententiam animadvertit. *Pagenſtecherus* ſcilicet Jacobi verba ita παραφράζει: *Vocet Populus Romanus Legem Regiam, per quam in Auguſtum ſumma rerum tranſlata eſt. Sed verius hæc eſt Lex Regia:* Cole juſtitiam, dilige proximum tuum, ſicut te ipſum. *Conſiſtat Lex Regia in ſumma poteſtate ſub Auguſto: ſub CHRISTO conſiſtit in amore & juſtitia.*

Adfinis huic conjecturæ eſt illa Rev. *Oederi* loc. cit. pag. 754. *Intelligit*, inquit, Apoſtolus, *aliquid* concedendum quidem, *ſi recte & ſecundum Scripturæ ductum explicetur*, *non tamen usque quaque* neceſſarium. *Nam de rebus*, factu plane neceſſariis, *non poterat, niſi fallor, dici:* hoc quidem, ſi ſecundum Scripturam obſervaveritis, bene erit factum. *Videtur intelligenda lex quædam Cæſaris, quem βασιλέα Græci dicunt*, lex, *inquam*, regia, *qua dignitates ordinesque diſcriminabantur. Hanc qui ita obſervat, ut*

legem divinam, *de quovis altero eodem affectu*, *quo nos colimus*, *amplectendo*, *non negligat*, recte ſane facit &c. *Vocabula* καλῶς ποιεῖτε, bene facitis, *quibus deinde aliquid opponitur*, *ſi* perſonarum acceptio *fiat*, *vix patiuntur*, legem regiam *de* divina *accipi*.

Præcipuum opinionis hujus argumentum continetur phraſi, καλῶς ποιεῖτε, quæ de rebus factu *plane neceſſariis* adhiberi non poſſit. At enimvero Apoſtolus infra v. 19. eadem dictione de re *creditu neceſſaria* utitur: σὺ πιςεύεις, ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ἐςι; καλῶς ποιεῖς. *Petrus* quoque non minus de re *factu neceſſaria* 2. epiſt. I.9. καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. Porro cogitari non poteſt, Jacobum de alia lege heic loqui, quam de illa, quæ mox ſequitur: ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σȣ κ.τ.λ. Hæc enim quaſi indice digito commonſtratur per phraſin κατὰ τὴν γραφὴν, quæ idem omnino vult, quod infra v. 23. per, γραφὴ ἡ λέγȣσα, indicatur. Nam & ibi ἀμέσως ſubjicitur dictum Scripturæ: ἐπίςευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, quemadmodum hoc loco præceptum divinum ſtatim commemoratur. Conf. *Marc.* XII. 10. ȣ̓δὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε; Λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομȣ̃ντες, item *Job* XIX. 24. & 1. *Timoth.* V. 18. Itaque abſit, ut hanc loquendi formam explicemus per: *ſecundum Scripturæ ductum.* Omitto alia, quæ obverti poterant, cum hæc ſufficere videantur, ut conſtet, Apoſtolum de nulla alia *Regia lege* loqui, quam de ea, quæ ſacris literis comprehenditur, & ad amorem proximi ſpectat.

Aliam *Huguenini* expoſitionem *Legis Regiæ* affert & refellit *Wokenius* in Meditationibus privatis Tom. I. pag. 32.

Malim ego illis adſtipulari, qui νόμον βασιλικὸν, a DEO, *Regum Rege*, dici arbitrantur, atque adeo talem, quæ vel ideo diligenter ſit obſervanda. *Jeſaias* cap. XXXIII. 22. DEUM ſimul ut Dominum atque adeo Legislatorem, & ut Regem repræſentat his verbis: ὁ γὰρ Θεός μȣ μέγας ἐςίν· ȣ̓ παρελεύσεταί με Κύριος, κύριος ἡμῶν, κύριος ἄρχων ἡμῶν, κύριος βασιλεὺς ἡμῶν. Quod ad phraſin attinet, eadem uſus eſt *R. Levi* apud *Hottingerum* de Juribus Hebr. §.22. ubi hominem, quem gravis a DEO pœna manet, cum eo comparat, qui מצות המלך, *legem Regiam* violarit. Confer *Jacobi Rhenferdii* diſſertationem de Via DEI, recuſam in Miſcellan. Duisburg. Tom. II. pag. 280.

Verſ. 9. Εἰ δὲ προσωποληπτεῖτε, ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε) Confer huc *Friderici Spanhemii* diſputationem de perſonarum acceptione in divinis, quæ extat Tomo III. Operum pag. 1273. ſeqq. & *Guſſetii* Commentar. L. Hebr. rad. נשא & פנה.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 10. Ὅςις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος) Eadem ſententia eſt in Codice Talmudico *Schabbath* fol. 70. 2. ubi R. Jochanan de 39. operibus, a Moſe præceptis, ita: *quod ſi faciat omnia, unum vero omittat, omnium & ſingulorum reus eſt.* Hunc locum aliosque ei ſimiles adfert doctiſſimus *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1016. Nec abludunt externi, quos adfert *Joannes Alberti* pag. 447. & *Fridericus Christophorus Neubour* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe I. pag. 266. De re ipſa lege *Sebaſtianum Schmidium* de Imagine DEI pag. 422. & Appendice ad Diſputationes in F. C. pag. 177. item *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Part. III. pag. 416. nec omitte Rev. *Benjam. Hoadley* in Concionibus de *conditionibus fœderis gratiæ*, Anglice editis, cujus cogitata in compendio refert *Joannes Clericus* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. IX. pag. 434. ſeq.

Verſ. 12. Οὕτω λαλεῖτε, κ. τ. λ.) Hæc explicat *Robertus Gell* in Reliquiis, Anglice editis, Tom. II. pag. 753-775.

Verſ. 13. Ἡ γὰρ κρίσις ἀνίλεως κ. τ. λ.) Vide *Alethæi* Erläuterung, Tomo III. pag. 350. ſeqq. qui commati huic lucem accedere exiſtimat ex more Judæis recepto, ſecundum quem accuſatores rei ad ſiniſtram, patroni vero ad dextram in cauſis cognoſcendis ſtare debebant. Hunc ritum ad DEUM, homines judicaturum, accommodat *Raſchi* ad Geneſ. I. v. 26. provocans ad 1. *Regg.* XXII. 19. Conſtat alias, Socinianos hoc dicto abuti, contra quos leges, ſi placet, *Carolum Lesley* in libro, Anglice edito, & inſcripto: *The Socinian controvers diſcuſſd*, Dial. V. pag. 6.

καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως) Hic κατακαυχάσθω aliquot codices legunt, idque *Grotio* a Syro expreſſum videtur. In eo vero eſt: *vos ipſos effertis.* *Vulg.* habet *ſuperexaltat*; ex quo *Cornel. a Lapide* ſuſpicatur, eum legiſſe καταυχᾶται, i. e. ut interpretatur, *cervicem erigit*, addens præterea, id in codicibus nonnullis legi. Sed tales quidem nec a *Millio*, nec ab aliis adhuc ſunt obſervati. Itaque dicere malim, *Vulgatum* hic non tam verbum, quod heic legerat, quam ſenſum, qui ſibi videbatur, expreſſiſſe. Taceo καταυχᾶται, tanquam ex αὐχὴν, *cervix*, vocem nihili eſſe, nec ullius Scriptoris auctoritate conſtare. Verbum hoc proprie *gloriationem* infert adverſus alium, quo ſibi videtur ſuperior. Id patet ex *Rom.* XI. 19. & *Jac.* III. 14. Miſericordia igitur *DEI* hic emphatice ut gloriabunda, i. e. ſuperior juſtitia & rigore, repræſentatur. *DEI*, inquam, miſericordia: quemadmodum enim τὸ κρίνεσθαι v. 12. & κρίσις v. 13. ad DEum ſpectat, ita nec ἔλεος alio poteſt referri. Senſus eſt, ei, qui miſericors eſt, non eſſe metuendam DEI juſtitiam, ſeu vindictam, ſed, ſi cetera recte habeant, potius

 exſpe-

exſpectandam eſſe ejus miſericordiam. Ita *Ludovicus Cappellus* in Spicilegio notarum in N. T. pag. 130. qui & convenientem R. *Menachemi Recanatenſis* locum promit. Fuit, qui phraſin hanc ita gallice converteret: *La miſericorde fait la figue au jugement*; caſtigatus ideo ab *Henrico Stephano* in Apologia pro Herodoto L. 14.

Verſ. 14. *τί τὸ ὄφελος, ἀδελφοί μȣ, ἐὰν - - μὴ δύναται ἡ πίςις σῶσαι αὐτόν;*) Quod ad phraſin primam, illi ſimilis eſt *Ariſtophanis* illa in Pluto Act. V. Sc. I. p. 76. *τί ἂν ἔιης ὄφελος ἡμῖν.* Ceterum comma hoc una cum ſequentibus aliquot commatibus adverſari viſum eſt aſſertionibus Paulinis, in epiſtola ad Rom. v. c. III. 28. & alias promulgatis; eandemque *ἐναντιοφάνειαν* occaſionem feciſſe nonnulli exiſtimant, ut quidam veteris & recentioris memoriæ abjectius de tota epiſtola ſentirent. Itaque complures in Jacobo cum Paulo conciliando operam poſuerunt. Ex noſtratibus præter Interpretes huc ſpectant *Joannes Hulſemannus* in Harmonia Apoſtolica SS. Pauli & Jacobi de juſtificatione contra Grotium, Wittebergæ 1643. hinc recuſa cum Tractatu ejusdem de auxiliis Gratiæ, p. 335. ſq. edit. Francof. 1705. *Balthaſar Menzerus* Tom. V. Diſputat. XI. pag. 147. ſeqq. *Joannes Gerhardus* in brevi & Synoptica explicatione commatis 14. usque ad finem capitis, Jenæ 1632. 4. *Joachimus Willius* in Symphonia SS. Apoſtolorum Pauli & Jacobi, *Norimbergæ* 1640. 4. vernacule edita, *Niemannus* in diſſertatione de fide incarnata, *Joannes Nicolaus Miſlerus* in Harmonia Pauli & Jacobi, Gieſſæ 1678. *Chriſtophorus Franckius* in Exercitationibus Anti-Limborchianis pag. 337. ſeqq. & *Franciſcus Wokenius* in Meditationibus privatis Tom. I. pag. 26. ſeqq. de Concordia Pauli & Jacobi, ubi in *Hugvenimum* potiſſimum animadvertit, qui Paulum de operibus legis naturalis & ceremonialis, Jacobum autem de operibus legis Regiæ cap. II. 8. quæ lex libertatis etiam vocetur I. 25. & II. 12. exiſtimat. His nuper acceſſit M. *Gothofredus Jentzſchenius*, Paſtor Eibenſtockenſis, in libro vernaculo, quem inſcripſit: **Beweiß, wie Paulus Jacobum und dieſer Paulum erkläret**, Schneebergæ 1732. 8. Adde vero, quæ contra eum recte adferuntur in Collectione Novantiquorum Theologicorum An. 1733. pag. 818. ſeqq. & pag. 821. ſeqq.

Ex Anglis eandem conciliationem tentavit *Georgius Bullus* in *Harmonia Apoſtolica*, ſeu binis diſſertationibus, quarum in priore doctrina D. Jacobi de Juſtificatione ex operibus explanatur & defenditur, in poſteriore autem conſenſus D. Pauli cum Jacobo liquido demonſtratur, Lond. 1670. 4to. Huic cum Anonymus animadverſiones manu exaratas recte opponeret, Bullus ſatisfacere ſe illi poſſe putavit edito *Examine Cenſuræ*, ibidem 1676. cui adjecit Apologiam pro Harmonia ejusque auctore contra *Thomæ Tullii* Juſtificationem Paulinam, Oxoniæ 1674. 4. editam. Scripta hæc *Bulli* recuſa ſunt in Operibus, Joannis Erneſti Grabii cura, Londini 1703. fol.

fol. editis. Optandum vero erat, ut in Anglia ipſa ille *Tullii* liber, quo Apoſtolicæ & noſtratis Eccleſiæ doctrina de Juſtificatione ex fide ſola egregie adſtruitur, frequentius exſtaret, & ſuo pretio æſtimaretur. Adde *Gvil. Cave* in Vita Pauli Sect. IX.

Ex Reformatis huc ſpectant *Jacobus Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 93. & in libro ſingulari, qui inſcribitur: *de viva deque mortua fide doctrina Jacobi Apoſtoli* cap. II. 14-26. evoluta Amſtelodami 1696. 8vo, cujus ſummam habes in Actis Eruditorum Lipſienſ. An. 1696. pag. 487. ſeqq. *Joannes Vorſtius* in facili & expedita ratione SS. Apoſtolorum Pauli & Jacobi ſuper doctrina de Juſtificatione conciliandorum, Berolini 1666. 4. in quem tamen *Mislerus* in laudata modo diſſertatione animadvertit, *Jacobus Altingius* Tomo V. Operum in Heptade Diſſertationum pag. 34. ſqq. *Franciſcus Burmannus* in Exercitationibus p. 116. *Hermannus Witſius* in diſſert. Caveo oppoſita, alii.

Longum foret, & fere ſupervacaneum, diverſas, quas illi in hoc argumento adoptarunt, conciliandi rationes, vel percenſere, vel ſub examen vocare. Res ſatis expedita fuerit, ſi Paulum de Juſtificationis *actu*, Jacobum vero de ejusdem *ſtatu*, vel Paulum de fide *vera*, Jacobum autem de fide *jactata* loqui dicamus. Ab actu juſtificationis opera, quocunque titulo veniant, tam remota ſunt, quam præſentia eſſe debent in ſtatu Juſtificationis. Et aliud eſt *dicere*, habere ſe fidem, aliud eam *habere*, idque opere ipſo, ſine quo id fieri non poteſt, demonſtrare. Qui recte expenderit phraſin Jacobi, ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, *ſi quis* dicat, jactet, glorietur, *fidem ſe habere, opera vero non habeat*, μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν; *num* talis *fides eum ſalvare poteſt*? quive addiderit v. 17. *ſic & fides, niſi opera habeat, mortua eſt in ſe*, quicquid homini fidem jactanti in contrarium videatur; is procul dubio intelliget, a Jacobi mente hæc non eſſe aliena. Atque hæc quidem pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant. Qui copioſiora velit, eum ablegamus ad *Hulſemanni* Harmoniam Apoſtolicam, Grotio oppoſitam, & aureas *Hœpfneri* Diſputationes de Juſtificatione.

Verſ. 15. Ἐὰν δὲ ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ γυμνοὶ ὑπάρχωσι) De *fratrum* & *ſororum* appellatione, naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis frequentata, commentatur ad h. l. *Dougtæus* in Analectis Novi Teſtamenti pag. 149. Conf. quæ ſcripſimus ad *Rom.* XVI. 1. Per γυμνὸς eos intelliges, qui vel male ſint veſtiti, vel exteriore ſaltem veſte deſtituti. Confer nos ad *Marc.* XIV. 51. & *Tobiam Eckhardum* in Obſervationibus Philologicis in N. T. ex Ariſtophanis Pluto pag. 23.

καὶ λειπόμενοι ὦσι τῆς ἐφημέρου τροφῆς) *Pollux* III. 22. πένητα τῶν ἐφημέρων ἀποροῦντα vocat, *Philo* vero pag. 704. περὶ φιλανθρωπίας eum ἐφήμερον

μερον χειρότεχνην dicit, qui operam præſtat pro mercede in dies ſingulos ſolvenda. Confer *Cornelii Adami* Obſervationes Theologico-Philologicas pag. 112. Ἐφήμερος τροφὴ Scriptoribus alias dicitur ἡ καθ' ἡμέραν τροφὴ, ut *Sexto* adverſus Ethicos lib. XI. §. 56. ubi confer *Fabricium*. *Herodotus* lib. I. pag. 14. οὐ γάρ τοι ὁ μέγα πλούσιος μᾶλλον τοῦ ἐπ' ἡμέρην ἔχοντος ὀλβιώτερός ἐστι. Vide *Raphelium*. *Philo* pag. 27. τὰς τροφὰς πρὸς τὴν καθ' ἑκάστην ἡμέραν χρῆσιν appellat. Vide *Muſeum Bremenſe* Tomo I. pag. 124.

Verſ. 16. ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ) Phraſin hanc ab Hebraiſmo liberat *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 48. Sic *Ælianus* Var. Hiſtor. III. 18. ἐν εἰρήνῃ διάγειν dicit.

μὴ δῶτε δὲ αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος) *Pollux* III. 22. Onomaſtici pauperem vocat τῶν ἐπιτηδείων σπανίζοντα. Vocem hanc in Sacro Codice hoc tantum loco occurrentem ex veterum ſcriptis exponit M. *Flachs* in Diſputat. de ἅπαξ λεγομένοις hujus epiſtolæ pag. 6.

Verſ. 17. Οὕτω καὶ ἡ πίστις, ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι) Lege B. *Sebaſtiani Schmidii* diſputationem de fide viva & mortua, Argentorati 1669. & in Appendice ad Repetitionem Articulorum Formulæ Concordiæ pag. 257-281, item B. *Theod. Daſſovium* de eo, quo ſenſu fides ſine operibus mortua dicatur? Kilon. 1705.

καθ' ἑαυτὴν) *per ſe*, ſola. *Polybius* pag. 714. ψιλῶς αὐτὰς καθ' αὐτὰς ἀναγνόντα τὰς Σικελικας, *qui nudus per ſe res Siculas legat*. Vide *Raphelium*.

Verſ. 18. σὺ πίστιν ἔχεις) *Tu fidem habes*, i. e. habere te jactas. Vide ad v. 14. Verba enim ſimpliciter poſita non raro adſumto alio, quod res poſtulat, debent exponi. Ita *Proverb.* XX. 9. *quis dicet, purificavi cor meum?* i. e. quis dicere poteſt? Conf. *Glaſſii* Philologiam Sacram lib. III. Tract. III. Can. V.

δεῖξόν μοι τὴν πίστιν) *Epictetus* ad pugilem, quem ex humeris judicare volebat, ait: δεῖξόν μοι τοὺς ὤμους, *oſtende mihi humeros*. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 696.

ἐκ τῶν ἔργων σου) Pro ἐκ Codd. aliquot legere ἐκτὸς teſtatur *Eſtius*. Tales vero nullos vidit *Millius*, recte porro affirmans, particulam hanc in N. T. vel τοῖς LXX. pro *ſine* nusquam occurrere. At plures habent χωρὶς, quod idem præter *Copt. Vulg. Syrum* etiam *Æthiops* expreſſit, & *Colinæus* quoque edidit. Propterea eadem convenientior viſa eſt *Grotio*, *Druſio* Præterit. lib. IX. pag. 364. & *Ludovico Cappello* in Spicilegio notarum pag. 130. qui tamen, cum durius videatur, ut ex χωρὶς factum ſit ἐκ, Jacobum

primo

primo ſcripſiſſe exiſtimat ἔξω, (i. e. *præter*, *excepto*, *absque*, ad exemplum phraſeos Hebr. חוץ מן) ex quo deinceps alius, hebraiſmum non capiens, fecerit ἐκ. Ex noſtratibus quoque hanc lectionem ſecutus eſt B. *Hulſemannus* in Harmonia Apoſtolica, ſupra laudata, §. 6. *Atque hac vi inferendi*, inquit, *ut ex abſentia individui conſequentis recte negetur eſſe antecedens*, *merito urgeri jactatorem fidei demonſtrat Jacobus ſequente* v. 18. *hoc poſtulato*, *quod præſtitu ſit impoſſibile.* Demonſtra mihi fidem tuam absque operibus, & ego demonſtrabo tibi fidem meam ex operibus. *Quo ſcilicet jactator redigeretur ad abſurdum, & confiteretur: non dari veram fidem, quæ operibus careat tunc, quando operandum eſt.* Eandem lectionem amplexus quoque eſt B. *Chriſtophorus Franckius* in Exercitationibus Anti-Limborchianis pag. 339. ideo, quod in diſputatione de vera & ſalvifica fide demonſtratio fidei ex operibus, minus commode videatur ab eo poſtulari, qui fidem habet vacuam operibus, eamque nihilominus veram & ſalvificam fidem eſſe pertendet. Negari utique non poteſt, lectionem illam χωρὶς commodum ſenſum fundere. Cum tamen eo nec altera ἐκ deſtituatur, imo etiam ex aliqua parte ſit ſuperior, nolim in paucorum codicum gratiam receptiorem illam, quam & B. *Lutherus* ſecutus eſt, deſerere. Recte eam tuetur *Millius*. *Lectionem hanc*, inquit, *ideo certe invectam arbitror*, *quod altera illa abſurdi aliquid in ſe habere videretur. Quomodo enim fidem ex operibus oſtendat*, *qui verbis proxime præcedentibus operum expers deſcribitur? Ad evitandam hanc difficultatem mutatum ἐκ in χωρὶς in antiquiſſimis aliquot exemplaribus. Quanquam neque ſic expedita omnia. Si legas* ſine operibus, *non video*, *qui conſtet*, *ſenſus: nam fides oſtendi non poſt niſi factis*, *inquit* Eraſmus. *Adde*, *quod recepta lectio ſenſum præbeat omnino facilem*, *& Apoſtoli ſcopo congruentiſſimum:* Dixerit, *inquit* &c. Non deſunt alia, quæ τὸ ἐκ tueantur. Apoſtolus eadem phraſi utitur infra III. 13. δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναςροφῆς τὰ ἔργα αὐτȣ̃ ἐν πραΰτητι σοφίας. Porro mox eandem phraſin adhibet: κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μȣ τὴν πίςιν μȣ, i. e. *oſtende mibi* (ſi potes) *fidem tuam ex operibus*, *& ego tibi fidem meam per opera mea teſtatam faciam.* . Ponamus, Apoſtolum ſcripſiſſe χωρὶς, res ipſa poſtulabat, ut mox ſcriberet, ἐγὼ δὲ δείξω σοι, i. e. ego vero ex operibus meis fidem meam demonſtrabo, quod tu ſine illis facere non potes. Denique ſenſum mihi optime ita reddidiſſe videtur *Eraſmus Schmidius: Oſtende mibi fidem tuam* (quam tantopere jactitas) *ex operibus tuis* (quæ deſidero) *& ego oſtendam tibi ex operibus meis* (quæ in propatulo ſunt) *fidem meam,* (quam non oſtento.) Pro communiore lectione pugnant etiam *Raitbius* in Vindiciis Verſionis Germanicæ Lutheri pag. 580. & *Jacobus Nyloe* in *Schriftuurlike Redevoeringen* pag. 161. ſeqq. Atque hic quidem contextui rectius conſultum putat, ſi verba: σὺ πίςιν ἔχεις, interrogative legantur hoc ſenſu: *babesne tu fidem?* Sed eo non opus eſſe exiſtimo. Quod ad originem lectionis χωρὶς, adeo ab ἐκ remotæ, attinet, fere adducor, ut credam,

Digitized by Google

credam, eam inde natam eſſe, quod librarius aliquis pro ἐκ τῶν legerit ἐκτὸς, atque hanc vocem deinde cum χωρὶς tanquam clariore permutarit. Qui recogitaverit, codices antiquiſſimos ſine accentibus & continuo vocum nexu exaratos eſſe, largietur ex vocibus εκτων facile naſci potuiſſe ἐκτός. Hoc χωρὶς ut probaretur, efficere etiam id potuit, quod v. 10. χωρὶς τῶν ἔργων occurrit.

Verſ. 19. *καλῶς ποιεῖς*) Vide ad v. 8. Similiter *Epictetus* apud Arrianum pag. 156. νῦν δ' ὃ λέγεις, καὶ καλῶς ποιεῖς, item pag. 330. Confer *Raphelii* Annotationes Polybianas.

καὶ τὰ δαιμόνια πιστεύουσι) δαιμόνια hæc cum שדים in Vet. Teſtam. commemoratis comparat *Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebraicæ v. שד pag. 832. Conf. ſcripta ad 1. *Corinth*. X. 20. De fide dæmonum exſtat *Chriſtiani Chemnitii* diſputat. Jenæ 1688. & alia M. *Fridemanni Andreæ Zülichii* de Theologia Dæmonum ad h. l. Roſtochii 1715. 4.

καὶ φρίσσουσι) *Orpheus* apud *Clement. Alexandr*. Stromatum V. p. 608. de Deo: δαίμονες ὃν φρίσσουσι, *quem dæmones horrent*. Obſervatus hic locus eſt a *Colomeſio* in Obſervationibus Sacris pag. 136. & *Joanne Alberti* ad h. l. pag. 447. Notionem & vim verbi ex *Heſiodo* oſtendit *Seelenius* in Bibliotheca Lubec. T. VII. p. 463. data vero opera ex eodem *Heſiodo* & aliis Scriptoribus M. *Sigismundus Andreas Flachs* diſſertat. de ἅπαξ λεγομένοις epiſtolæ Jacobi pag. 7. ſeqq. Adde Apollinis Mileſii, de Judæorum religione conſulti, reſponſum:

Ον τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠ δὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοὶ, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Confer *Svicerum* Tomo II. pag. 719. & *Cotelerium* ad Patres Apoſtolic. Tomo I. pag. 651.

Verſ. 20. Θέλεις δὲ γνῶναι, ὦ ἄνθρωπε κενὲ) Vox κενὸς reſpondere Hebræo ריק· *vanus*, *inanis*, unde ῥακὰ Syriacum, nonnullis viſa eſt. *Heſychius* ῥακὰ interpretatur per κενός. Confer *Poſſini* Spicileg. Evangelic. pag. 135.

Verſ. 21. Αβραὰμ, ὁ πατὴρ ἡμῶν, οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη;) Conferenda hic eſt *Joannis Friderici Deutſchii* diſputatio de Juſtificatione Abrahami, Regiomonti 1686. & B. *Joannis Winckleri* Ausführliche Betrachtungen über etliche Sprüche der Heil. Schrift, pag. 310. ſqq. ubi ex hoc Jacobi loco egregie de certitudine ſalutis commentatur. Ex Anglis inſpici poterit *Robertus Gell* in Reliquiis, Anglice editis, T. II. p. 758-763. Verbum ἐδικαιώθη, idem eſt, quod, *juſtus cognitus eſt*, ſeu teſtatum factum eſt operibus, eum juſtum eſſe, ſcilicet, ex fide ſua. Ita *Camero* olim, cujus ſententiam refert *Jacobus Cappellus* in Obſervationibus in N. T. pag. 303. *Hic*

ἐδικαι-

ἐδικαιώθη, inquit, *ſecundum* Cameronem *ſignificat*, probatus eſt, ἐδοκιμάσθη, *dedit experimentum ſui*, quomodo Chriſtus ἐδικαιώθη ἐν πνέυματι, 1. *Timoth.* III. 16. h. e. *vi Spiritus probavit, ſe eſſe filium Dei. Sic opera tua probant, an ſis Dei vel ex Deo.* Eadem eſt *Franckii* ſententia in Exercitationibus Anti-Limborchianis pag. 340. ſeqq. ut nempe denotetur, Abrahamum a Deo juſtum eſſe declaratum, quod ad fidem attinet, i. e. vere fidelem eſſe æſtimatum ex operibus. Juſtificationem ipſam hic non adſcribi operibus, ex eo intelligitur, quod Jacobus, ut ſupra monuimus, diſputat contra hominem, fidem ſuam verbis *jactantem*, v. 14. quam tamen opere ipſo non *teſtabatur*, v. 18. Hunc, ut a vana perſuaſione revocaret, Abrahami adfert exemplum, cujus ſcilicet fides teſtata facta ſit opere. Ex quo conſequitur, eum, qui de fidei veritate, atque adeo juſtificatione coram DEO *certus* eſſe velit, in *teſtimonium* bona opera adferre oportere.

ἀνενέγκας) *cum obtuliſſet*, i. e. cum offerre vellet. Vide *Sebaſtiani Schmidii* Faſciculum Diſputationum pag. 1052. vel etiam, cum Iſaacum *impoſuiſſet* aræ mox mactandum.

Verſ. 22. exponit *Mareſius* Tomo I. Diſputationum, Groningæ 1625. editarum, pag. 20. & *Robertus Gell* una cum v. 23. in Reliquiis Tomo II. pag. 764. ſeq.

καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη;) i. e. & ex operibus fides ejus, ut perfecta prodita eſt, & agnita. Vide nos ad 2. Cor. XII. 9.

Verſ. 23. Καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα) Provocat h. l. *Jacobus* ad *Geneſ.* XV. 6. ſicut *Paulus* Rom. IV. 3. Quomodo uterque ad inſtitutum ſuum eo loco uti potuerit, oſtendit *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 670. ſeq. Placent, quæ *Hackſpanius* in Sylloge Diſputationum pag. 596. de ſignificatu ſingulari verbi ἐπληρώθη monuit. *Impleri*, inquit, *idem eſt, quod per experientiam confirmari ac demonſtrari, hoc ſenſu: Affirmaverat* Geneſ. XV. 6. *Scriptura de Abrahamo, quod vere crediderit, & hoc ipſi ad juſtitiam imputatum fuerit; quando vero fiduciali timore & obſervantia erga Deum obtulit filium*, Geneſ. XXII. 10. *hoc egregio obedientiæ ſpecimine demonſtratum fuit, ipſum veram habuiſſe fidem, adeoque Scripturam olim vere de ipſo teſtatam fuiſſe.*

καὶ φίλος Θεοῦ ἐκλήθη) Hæc non habentur *Geneſ.* XV. 6. quem diſertis verbis adfert Apoſtolus, nec *Geneſ.* XXII. ubi de eodem argumento agitur, ſed *Jeſ.* XLI. 8. ubi DEUS Abrahamum אוהב ſuum appellat. Conf. 2. *Chronic.* XX. 7. Atque ex his duobus locis hanc allegationem factam credi poſſe largitur *Whiſtonus* in *Tentamine germanum textum Veteris Teſtamenti reſtituendi* pag. 313. Neque tamen intercedit, ſi quis exiſtimet, eadem hæc verba, ſi non in Hebræo codice, ſaltem in Græca verſione

Geneſ. XV. 6. exſtitiſſe. Hæc vero precario dici agnoſcet, cui conſtiterit, Hebræis more receptum fuiſſe, ut plura Scripturæ oracula in unam ſententiam compingerent. Vide exempla a *Surenbuſio* allata in libro modo laudato theſi VII. & XI. de modis allegandi Scripturas Sacras. Sunt qui τὸ ἐκλήθη idem heic eſſe volunt, quod *fuit*. Neque nego admitti id poſſe, ut *Matth.* V. 9. & alias: confer Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 121. Si vero ponamus, Apoſtolum heic ad *Jeſ.* XLI. 8. reſpicere, ubi Abrahamus a Deo ipſo *amicus* vocatur, non video, cur propriam verbi ſignificationem deſerere velimus. Quod ad elogium, φίλος Θεοῦ, ſpectat, illud externis Scriptoribus frequentatum fuiſſe, eruditi pridem monuerunt. Nubem exemplorum habes apud *J. H. Majum* in Obſervationibus Sacris lib. I. pag. 101. editionis primæ, vel ſecundæ auctioris pag. 127-150. Adde *Colomeſii* Obſervationes Sacras pag. 115. *Nicolaum Abramum* in Pharo Veteris Teſtamenti pag. 340. *Raphelium* in Annotationibus Polybianis pag. 696. *Elsnerum* ad h. l. pag. 388. ſeq. & *Joannem Alberti* pag. 448. Atque hic quidem iſtum *Maximi Tyrii* locum adfert ex diſſertatione IV. pag. 42. εἰ δὲ ἐστι καὶ ἀνθρώποις πρὸς θεοὺς ἐπιμιξία, ὁ μὲν εὐσεβὴς φίλος θεῷ -- καὶ μακάριος εὐσεβὴς, ὁ φίλος θεοῦ. Nec Hebræis φράσιν hanc inſuetam eſſe oſtendit Cl. *Schœtgenius* pag. 1020. Horarum Hebraicarum. Cur vero Abrahamus ſpeciatim elogio hoc mactatus ſit, inquirit doctiſſimus *Elsnerus* loc. cit. & varias ex variis rationes affert. Arabas ſpeciatim Abrahamum *amicum DEI* appellare poſt *Golium* in Lexico Arabico obſervat *Sikius* in notis ad Evangelium Infantiæ p. 75.

Ad hunc locum B. *Joannes Henricus Majus* Meditationem Sacram de amicitia inter Deum & homines exegit, quæ inter Exercitationes ejus Selectas Tom. II. num. XI. legitur.

Verſ. 24. Ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος κ. τ. λ.) Senſus eſt: videtis itaque, hominem ex operibus *cognoſcere*, ſe eſſe juſtificatum, non autem ex illa fide, quam *jactat*, quamque opere ipſo non demonſtrat. Vide ad v. 20. Lege plura apud *Valet. Velſhemium* in ſingulari diſſertatione ad h. l. Jenæ 1691. *Alethæum* in der Erläuterung Tom. IV. pag. 746. ſeqq. & *Richardum Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ, Anglice edita, Parte II. pag. 275. ſeqq.

Verſ. 25. Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥαὰβ ἡ πόρνη) Vide nos ad *Hebr.* XI. v. 31.

οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους) Paulus *Hebr.* XI. 31. ait: πίστει Ῥαὰβ ἡ πόρνη οὐ συναπώλετο τοῖς ἀπειθήσασι. Utrumque Apoſtolum *Surenbuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 672. ita conciliat: *Paulus*, inquit, *juſtificationem ex fide docens, reſpicit ad ea, quæ traduntur apud Joſuam cap. II. a v. 9. usque ad v. 14. ubi Raab quandam fidei ſuæ declarationem*

nem edit, quando dicit, ſe de maximis & incomparabilibus Jebovæ miraculis in Ægypto & mari algoſo patratis convictam eſſe, ita, ut Jebova Deus Iſraëlitarum in cœlis ſupra & in terris infra, & ſic porro; Jacobus vero ad ea, quæ v. 14. *& ſequentibus traduntur, ubi Raab fidem antea declaratam bono opere exſequitur* &c. *Hoc in caſu veteres Judæorum Doctores dicere ſolent, unus rem probat ex* רישא principio ſermonis, *alter ex* סיפא fine ſermonis, *uti docet theſis noſtra* XVIII. *de modis interpretandi Scripturas Sacras.* Qui heic *ἄγγελοι* dicuntur, ii *κατάσκοποι* vocantur *Hebr.* loc. cit. quam vocem propterea unus alterve codex etiam h. l. exhibent. *Exploratores* vel *nuncios* Græcis *ἀγγέλους* dici, oſtenſum eſt ad 1. *Cor.* XI. 10. p. 480.

Verſ. 26. *Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστι*) Vox *πνεῦμα* ab aliis per *animam*, ab aliis per *reſpirationem*, ſive *halitum* convertitur. Vide quos pro poſteriore hac interpretatione affert *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. & adde illis *Eraſmum Schmidium*, & *Gatakerum* de Stilo Novi Teſtamenti cap. V. pag. 56. Illo ſignificatu adhibetur a *τοῖς* LXX. *Jobi* VII. 15. XXVII. 2. & XXX. 16. ſicut & נפש *Jobi* XLI. 10. Atque ita & h. l. accipere malim. Neque enim fidei *anima* atque adeo *vita* operibus abſolvitur, ſed a Chriſto pendet, quem fidelis amplectitur; illa vero vita per opera exſeritur, ſicut reſpirandi vis ab anima hominis proficiſcitur. Quemadmodum itaque, reſpiratione penitus ſublata, cognoſcitur animam ex corpore exceſſiſſe, ita, ubi opera deſunt, intelligitur, fidem hominis non veram, ſed imaginariam, atque adeo cadaver eſſe.

CAPUT III.

Verſ. 1. *Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε*) i. e. ne affectetis magiſterium, ſtudiumque alios docendi, judicandi, reprehendendi. Sic in *Pirke Aboth* I. 10. *dilige laborem, & Rabinatum* (magiſterium) *odio habe.* Vide *Schœtgenium* pag. 1021. B. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ ita pag. 590. *ne ſtudeatis privatis opinionibus, quæ in Scripturis nullum habent fundamentum.*

Verſ. 2. *Πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες*) *in multis labimur omnes.* Vocem *ἅπαντες* per *pleroſque* reddi vult *Grotius*, in quem recte animadvertit *Salomon Deylingius*, vir doctiſſimus, in Miſſu II. Obſervationum Exegeticarum pag. 12. Confer Acta Academica an. 1733. pag. 6. Rectius *Auguſtinus* epiſt. 29. *Non in uno, ſed in multis; nec quoſdam, ſed omnes dicit.* Ciceronis phraſi fortaſſe diceres, *omnes claudicamus in officio.* Ita enim ille de Officiis I. cap. 33. *In tota vita conſtituenda multo eſt ei rei cura major adhibenda, ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmet ipſis, nec in ullo clau-*

 dicare

dicare officio. Crates apud *Diogenem Laërtium* lib. VI. 89. ἀδύνατον εἶναι ait ἀδιάπτωτον εὑρεῖν, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ῥοιᾷ καὶ σαπρόν τινα κόκκον εἶναι. *Fieri non poſſe, ut inveniatur, qui a lapſu ſit immunis, ſed veluti in grano punico granum aliquod etiam putridum eſſe.* Confer *Cornelii Adami* Obſervationes Theologico-Philologicas pag. 383. ſq. qui etiam exiſtimat, Jacobum fortaſſe ad ſtadium alludere, & ἀθληταῖς ἀπτώτοις, quales commemorat *Plutarchus* Eumen. Tom. I. pag. 593. fideles, in ſtudio pietatis πταίοντας quidem, ſed a corona non excluſos, opponere. Conferatur Archytas apud *Ælianum* Var. Hiſtor. X. 12 & M. *Antoninus* XI. 18. αὐτὸς πολλὰ ἁμαρτάνεις. Antonius Epicuræus apud *Galenum* de affectibus dignoſcendis & curandis cap. I. primo loco cogitare jubet, ὅτι καὶ αὐτοὶ πολλὰ παραπλησίως τοῖς ἄλλοις ἁμαρτάνομεν. Vide plura hujusmodi apud *Gatakerum* ad locum Antonini citatum, & ad ejusdem VII. 26. Cavendum interim vehementer eſt, ne Apoſtolicum hoc adſertum in vitæ morumque licentiam abripiatur. Vide *Speneri* Vindicias locorum Scripturæ &c. vernacule editas, pag. 435. ſeq.

Verſ. 3. ἰδὲ τῶν ἵππων τὲς χαλινὲς εἰς τὰ ϛόματα βάλλομεν) Pro ἰδὲ edit. *Complut.* & codices aliquot habent ἴδε, quod & in contextum recepit *Bengelius.* Recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani perperam εἰδε. Quamvis enim illud inſtar vocis unius in MStis quibusdam legatur, manifeſtum tamen eſt, ſcriptionem illam incuria librariorum ex ἴδε, per confuſam pronunciationem natam eſſe. Quod vero quidam habent εἰ δὲ, idem ad ſeriem ſermonis prorſus non quadrat: neque enim ἀπόδοσις ſequitur. Quod ad ſenſum, nihil intereſt, ſive ἰδὲ, legas, ſive ἴδε. Utrumque enim in N. T. eodem ſenſu occurrit. Neque tamen video, cur receptiorem lectionem ἰδὲ deſerere velimus. Eadem vocula Jacobus utitur v. 4. & 5. item V. 4. 7. 9. 11. nunquam autem τῷ ἴδε, ſi a paucis quibusdam codicibus diſceſſeris. Quod ad rem ſimiliter *Creon* apud *Sophoclem* in Antigone v. 487.

> Σμικρῷ χαλινῷ δ' οἶδα τὲς θυμεμένες
> ἵππες καταρτυθέντας.
> *Parvo freno ſcio feroces Equos regi.*

Et *Philo* pag. 19. Operum: τὸ θυμικώτατον ζῶον ἵππος ῥᾳδίως ἄγεται χαλινωθείς. *Animoſiſſimum animal equus facile recepto freno regitur. Plato* in epiſt. ad Axiochum: *Frenis ſeu loris ac flagello equos dirigimus, & navigamus aliquando, velis navem expandentes; aliquando anchoris frenantes retinemus, ſeu degravamus. Sic gubernanda lingua, Axioche, modo, ut verbis armemus, modo, ut ſilentio reprimamus.* Vide hæc apud *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 273. *Joannem Alberti* in Muſeo Bremenſi Tom. I. pag. 124. & *Picinellum* pag. 742. Phraſis εἰς τὰ ϛόματα βάλλομεν idem infert, quod uno verbo Græci dicunt ἐπιϛομίζομεν. Lege *Suicerum* Tomo I. p. 1193.

Verſ.

Verſ. 4. ἰδοὺ καὶ τὰ πλοῖα τηλικαῦτα ὄντα - - - μετάγεται) *Philo* loc. cit. pag. 9. obſervante *Albertio*, ubi ſupra, ita: κυβερνήτης, οἰάκων ἐνειλημμένος ἄγει, ᾗ ἂν ἐθέλῃ - - - ἕκαστα, μηδενὸς προσδεόμενος ἄλλου. *Gubernator, clavum tenens, dirigit, qua vult, ſingula, nullius inſuper rei indigens.* Confer pag. 20.

ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα) *& a ſævis ventis agitata.* Sic *Arrianus* de Expedit. Alex. I. 26. 3. νότους σκληροὺς, *ſævientes auſtros*, ſicut alibi σκληρὰς βροντὰς, χειμῶνα σκληρὸν appellat. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 696. & Herodoteas pag. 649. De re ipſa lege *Wideburgii*, Profeſſoris Jenenſis, Specimen VII. Matheſeos Biblicæ p. 102.

Verſ. 5. Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγαλαυχεῖ) *& magna jactat*, ut *Eraſmus Schmidius*, ſeu *magnifice ſeſe effert*, ut *Beza*. Hæc enim conſueta verbi notio eſt, quod oſtendit *Elsnerus* pag. 390. allato inter ceteros *Plutarchi* loco in Bruto pag. 999. ὡς αὐτὸς ὁ σοφιστὴς ἔλεγεν μεγαλαυχούμενος, *quemadmodum ipſe Sophiſta glorians dicebat. Martianæus* in Conatibus novæ verſionis ita ſenſum exprimit: *Qui peut prononcer des paroles très-pernicieuſes & très-inſolentes.* Lingua ut μικρὸν μέλος repræſentatur in illo Hebræorum adagio: הלשון צעיר הקומה וגדול הנקמה. *Lingua modicum quidem membrum eſt; ſed facile exit in magnam vindictam.* Vide *Plantavitii* Florilegium Rabbinic. p. 138. n. 757.

ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ ἡλίκην) Pro ὀλίγον legunt ἡλίκον codd. *Alex. Barber. Vel.* editio *Colinæi* & *Vulg.* Horum auctoritas efficere potuit, ut *Millius* ad loc. ὀλίγον explicationis loco haberet, & pro altera lectione in Prolegomenis §. 1356. ita diſſereret: ὀλίγον *eſt in reliquis: eo quod ſupra lingua dicatur* μικρὸν μέλος. *Verum non in hoc verſatur D. Jacobus, ut oſtendat, a quantillo igne, ſeu ignis ſcintilla, quanta materia accendatur; ſed indefinite, & in genere multorum magnorumque malorum cauſam eſſe linguam, ingens illud revera, longeque patens inſtrumentum malitiæ.* Enimvero obſervandum heic eſt, integram Apoſtoli phraſin proverbium, ea ætate inter Judæos receptum, referre. Tale eſt illud *Ben Siræ:* נור דלק מוקד גדישין סגי אין. *Ignis ardens comburit multos acervos frugum*; de quo vide, quæ diſſerit *Druſius* Tomo VI. Criticorum pag. 1878. editionis Francofurtenſis. Propius accedit illud *Siracidæ* XI. 32. ἀπὸ σπινθῆρος πυρὸς (i. e. ὀλίγου πυρὸς) πληθύνεται ἀνθρακιά, *de ſcintilla ignis complentur prunæ.* Nec Græcis hæc locutio inſueta eſt. Ita *Euripides* Ione v. 15.

Ἴστω δὲ μηδεὶς ταῦθ᾽ ἃ σιγᾶσθαι χρέον.
Μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας
Πρήσειεν ἄν τις.

Adde ſimilia ab *Andrea Schotto* in Adagialibus Novi Teſtamenti ad h. l. allata. Ad hujusmodi proverbium alludere Apoſtolum, ex eo apparet,

quod v. 6. comparationem cum lingua inſtituit: καὶ ἡ γλωσσα ἡ πῦρ, *lingua quoque eſt ignis.* Itaque hac phraſi proverbiali non tam de lingua, tanquam ingenti longeque patenti malitiæ inſtrumento, loquitur, quam ſimili quodam allato viam ſibi munit ad linguæ mala clarius exponenda, quod & ſtatim fieri vides. Propterea vel hoc nomine vox ἥλικον locum habere non poteſt. Accedit vero & illud, quod proxime ante linguam μικρὸν μέλος dicit. Ex eo enim conſequitur, vocem ὀλίγον adprime huc quadrare. Taceo ἐλάχιστον πηδάλιον v. 4. idem poſtulare. Non dubium mihi eſt, vocem ἥλικον primum librarii alicujus incuria per proxime ſequentem alterique illi ὀλίγον in pronunciando affinem, irrepſiſſe.

ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει) ὕλην alii cum *Vulg.* per *ſilvam*; alii cum *Eraſmo*, *Beza* & *Eraſmo Schmidio* per *materiam* convertunt. Quod ad ſenſum, nihil admodum refert: quamvis multi malint poſterius. Hoc ſenſu vocem adhibent Græci Interpretes *Jeſ.* X. 17. και φαγεται ὡσει χόρτον τὴν ὕλην, & *Sap.* XI. 18. κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Vide alia, quæ pro hac interpretatione affert M. *Flachs* in diſſertatione de απαξ λεγομένοις hujus epiſtolæ p. 13. Interim *Euripides* quoque l. c. ait, face parva vel Idæum *nemus* incendi poſſe.

Verſ. 6. Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας) *Joannes Clericus* ad *Hammondum* hæc verba fere inſtar gloſſematis, ex margine in contextum relati, expungenda ſuſpicatur, atque ita legendum cenſet: καὶ οὕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται κ. τ. λ. Sed recte illi præter communem codicum, addiderim & verſionum, conſenſum Cl. *Elsnerus* p. 391. obvertit, credi non poſſe, quenquam ὅλον τὸ σῶμα in margine per κόσμον, & τῆς γενέσεως per ἀδικίας explicare voluiſſe. Vide cetera. Ex ſuperioribus patet, Apoſtolum proverbiali formula: ὀλίγον πῦρ ἡλίκην υλην ἀνάπτει, uſum eſſe. Hæc itaque ad inſtitutum ejus accommodari debebat, quod fit in verbis: καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ. Quemadmodum autem ſic lingua cum *igne* comparatur; ita ſequentia οὕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται -- σπιλουσα ὅλον το σῶμα και φλογίζουσα, eo pertinent, ut antecedens phraſeos proverbialis *prædicatum*, ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει, ad præſens argumentum accommodetur. Hoc modo omnia probe cohærent, quæ luxa & manca forent, ſi illa, quæ *Clericus* ſpuria cenſet, omiſeris. Particulam οὕτως codices aliquot omittunt, eamque Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico ad h. l. p. 730. ex v. 5. deſumtam arbitratur. Majorem hæc ſententia veri ſpeciem habitura erat, ſi Apoſtolus pro και ſcripſiſſet οὕτω, quod exſtat v. 5. Jam vero legis καὶ, quod ad comparationem linguæ cum igne ſpectat; mox vero οὕτως, quod ad phaaſin ὕλην ἀνάπτει pertinet, hoc ſenſu: Sicut lingua ignis eſt; ita comparata quoque eſt eadem lingua apud nos, ut totum corpus corripiat, vitiet & incendat, quemadmodum ignis materiam corripere & incendere conſuevit. Ponamus τὸ οὕτως h.l. omitti, non video utique, quomodo verba Apoſtoli cohæreant:

hæreant: *καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας· ἡ γλῶσσα καθίϛαται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, κ. τ. λ.* In priori membro poſt *ἀδικίας* ſubintelligendum eſt *ἐϛὶ*, ſicut in poſteriori exſtat *καθίϛαται*.

ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας) Fuit, qui pro *ὁ κόσμος* legi vellet *οἰακισμὸς*, indice Auctore Prolegomenorum in Novi Teſtamenti Græci editionem accuratiſſimam, pag. 172. Nulla ibi conjecturæ hujus ratio additur. Si quid video, inventori ejus *οἰακισμὸς gubernaculum* denotat ad exemplum vocis *οἴαξ*, & reſpectus haberi viſus eſt ad antedens v. 4. *πηδάλιον*, ejusdem notionis vocabulum. Heic vero notandum eſt, *οἰακισμὸν* non eſſe vocem Græcam, ſed *οἰάκισμα*; hujus vero ſignificatum huc non pertinere, cum non ſine *καταχρήσει* lingua gubernaculum *τῆς ἀδικίας* dici poſſit. *Syrus* legiſſe videtur *καὶ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ὡς ὕλη*. Vertit enim ita, ac ſi Latine diceres: *& lingua ignis eſt, & mundus peccati veluti ſylva eſt.* Quæ quidem lectio *Eraſmo Schmidio*, quamvis nihil temere mutanti, viſa eſt aptiſſima, cum ita lingua igni, mundus vero materiæ cremabili comparetur, neque, quod idem addit, ratio appareat, cur, ſi ad unum ſubjectum *ἡ γλῶσσα*, duo prædicata *πῦρ* & *κόσμος*, eſſent apponenda, articulus poſteriori tantum annectendus eſſet *ὁ κόσμος*, cum potius articulus ſubjecto competat: *ἡ γλῶσσα πῦρ· ὁ κόσμος* (*ὡς ὕλη*) *Grotius* Syrum ita repræſentat, quaſi legerit *ἡ γλῶσσα πῦρ τῆς ἀδικίας καθίϛαται*, neque adeo *τῆς ὕλης* meminerit, quod inſpiciens quisque aliter habere intelliget. Ille vero (*Syrus*) non tam verba Jacobi, quam ſenſum, qui ipſi convenientior videbatur, expreſſiſſe mihi videtur: tantum abeſt, ut illam quidem lectionem invenerit. Quam pro illa rationem adfert *Schmidius*, ea parum, ſi quid video effecerit. Nam non exſtant hic duo prædicata, voci *γλῶσσα* juncta, *πῦρ καὶ ὁ κόσμος*. Ita quidem vir optimus in ſua editione exhibuit: *καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, καὶ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας.* At *καὶ* illud poſterius ante *ὁ κόσμος* in nullo vel edito vel ſcripto libro, qui quidem adhuc viſus ſit, exſtat. Ex quo apparet, non duo heic prædicata jungi voci *γλῶσσα*, ſed unum, nempe *πῦρ*, alteram vero phraſin, *ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας*, pro appoſitione habendam eſſe, quæ *τὸ πῦρ* illuſtret Hinc factum eſt, ut articulus *ὁ* voci *κόσμος* præfigeretur. Similis Pauli phraſis eſt 2. *Theſſal.* II. 3. *καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς της ἀπωλείας.* Hoc poſito, non neceſſe eſt, ut ſtatuamus, accedere debere prædicatum *ὡς ὕλη*, quia non antecedit ſubjectum, ad quod poſſit referri. Senſus potius eſt: & lingua ignis eſt, *illa* (ſcilicet) *univerſitas malitiæ*. Hac vero phraſi indicare voluit Apoſtolus, quid per ignem illum, tralate ſumtum, intelligeret, nempe ejusmodi aliquid, quod omnis iniquitatis fomes & alimentum exiſteret.

Nihil vero obſtat, quo minus lingua *κόσμος ἀδικίας* dici poſſit, modo vocem illam recte interpreteris. *Vulg.* & *Beza* convertunt per *univerſitatem*,

tatem, h. e. interprete *Beza*, *congeriem & cumulum omnium ſcelerum.* Hoc ſignificatu occurrit apud τὺς LXX. *Proverb.* XVII. 6. τῦ πιςῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων, τῦ δὲ ἀπίςυ ὐδὲ ὀβολός. Obſervavit locum *Schœtgenius* p. 1021. qui etiam huc refert 2 *Pet.* II. 5. κατακλυσμὸν κόσμυ ἀσεβείας ἐπάξας. Addiderim *Geneſ.* II. 1. ubi vox צבא exercitus vertitur per κόσμον, i.e. *copias*. Confer *Deuteron.* IV. 19. XVII. 3. *Jeſ.* XXIV. 21. & XL. 26. Venerab. *Læſcherus* in Stromatibus pag. 39. *apparatum inſignem ordine diſpoſitum* intelligit, & ſimul hyperbolen ab h. l. amolitur. Hoc ſenſu Apoſtolus linguam *cumulum* & *receptaculum* malorum dixerit. Hanc interpretationem *Iſidorus Peluſiota* lib. I. epiſt. 4. & lib. II. epiſt. 158. attulit inter alias, ex quibus ipſe tamen eam probat, quæ κόσμον *ornatum* vel *velamentum* interpretatur. Eum ſecuti ſunt alii a *Carolo le Cene* in Tentamine novæ verſionis Gallicæ appellati pag. 623. quibus adde Cl. *Elsnerum* p. 391. Mitius vero locutus videatur Jacobus, ſi, vitia linguæ graviter expoſiturus, eam præclaro alias *ornamenti* nomine indicaſſet. Taceo ad κόσμον univerſitatem ſeu cumulum reſpici, quando lingua ὅλον τὸ σῶμα cumulare dicitur. Malim utique, niſi ſuperior illa explicatio præferenda eſſet, cum *Heinſio* per *inſtrumentum* vertere.

Quod ad rem ipſam attinet, externi quoque Scriptores vitia linguæ noxasque ejus graviter ediſſeruerunt. Spectant huc *Theophraſtus* in Characteribus cap. IV. περὶ ἀδολεσχίας, & cap. VIII. περὶ καλιᾶς, & *Plutarchus* de Garrulitate. Heraclitus de Homeri allegoriis pag. 408. in Opuſculis Mythologicis Galei ἀκόλαςον γλῶτ]αν αἰσχίςην νόσον appellat. *Æſopus*, *Bias*, *Pittacus*, *Anacharſis*, ex veterum teſtimonio linguam ut ἀγαθὸν, ita φαῦλον dixerunt. Vide *Menagium* ad Diogenem Laërtium I. 105. Judæorum in eandem ſententiam effata lege apud *Schœtgenium* p. 1021.

ὕτως ἡ γλῶσσα καθίςαται) Vocis ὕτως γνησιότητα paulo ante adſtruximus. Καθίςαται Latine dixeris *eſt*, ſicut IV. 4. ἐχθρὸς τῦ Θεῦ καθίςαται, i. e. *inimicus DEI fit.* Hanc verbi notionem apud *Herodotum*, aliosque auctores frequentiſſimam eſſe teſtatur *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis p. 650. quem & ibidem p. 429. leges.

ἡ σπιλῦσα ὅλον τὸ σῶμα) σῶμα de corpore Eccleſiæ accipit *Grotius*, eumque ſecutus recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Vertit enim per *aſſembly* i.e. *cœtum.* At Apoſtolo de ipſius hominis corpore ſermonem eſſe phraſis, ἐν τοῖς μέλεσιν, *inter membra noſtra*, credere jubet. Hoc ipſo enim tale membrum corporis præ aliis eſſe innuitur, quod totum corpus inficiat.

καὶ φλογίζυσα τὸν τροχὸν) *Grotius*, *Heinſius*, & cum hoc *Carolus le Cene* legere malunt τρόχον, i. e. *curſum*, ingenioſe quidem, ſed minus vere. Recte *Lambertus Bos*, vir egregius, in Exercitationibus pag. 273. ita: *Per*

τροχὸν

τροχὸν τῆς γενέσεως intelligo indeſinentem ſucceſſionem hominum aliorum, poſt alios naſcentium; *ac ſi dicat Apoſtolus: lingua malo ſuo affecit primores noſtros, nos adhuc adficit, & poſt naſcituros adficiet.* Addit idem, *Plutarchum* in Conſolatione ad Apollonium pag. 100. pari modo dixiſſe *τὸν ποταμὸν τῆς γενέσεως*, i. e. *fluvium nativitatis.* Similem *Anacreontis* locum affert *Elsnerus* pag. 392. ex Ode IV. 7.

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθείς.

Omitto alia, quæ in eandem ſententiam promit *Jo. Alberti* pag. 449. Ita accepit Apoſtoli phraſin *Iſidorus Pelusiota* lib. II. epiſt. 158. *Τὸ ἱερὸν λόγιον φάσκει, ὑπὸ τῆς γλώττης συγχεῖσθαι τὸν χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν. Τροχοειδὴς γὰρ ὁ χρόνος, εἰς ἑαυτὸν ἀνακυκλούμενος.* Confer *Svicerum* Tomo II. pag. 1324. & *J. C. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Part. II. pag. 215. *Generatio*, inquit, *orbicum motum imitatur, & dum homo hominem generat, in orbem quaſi redit homo. Homo primum eſt infans, infans fit puer, & hic fit adoleſcens, & hic poſtea evadit vir, qui rurſus generat infantem, qui pubeſcit, adoleſcit, & vir fit,* &c. Cum itaque vita hominum non minus cum *τροχῷ, rota*, propter continuam & in gyros quaſi ſuos redeuntem hominum ſucceſſionem, quam cum *curſu* comparari ſoleat, nil cauſæ eſt, cur receptam, & a verſionibus quoque probatam lectionem negligamus. Vtramque ſimilitudinem conjunxit *Plato* in Politico, res humanas & *κύκλησιν* & *εἰωθότα δρόμον* appellans. Obſervavit hoc *Jacobus Windetus* de Vita functorum ſtatu pag. 28. Faſciculi IV. Opuſculorum Philologicorum, Roterodami 1694. editi. Ibidem ſimilem noſtræ R. *Jonæ* in Porta Pœnitentiæ fol. 42. phraſin affert: וגלגל הוא החוזר בעולם, *& rota hæc in æternum circumvolvitur.* Plures ejusmodi Hebræorum locos recitat *Schœtgenius* pag. 1023. Horarum Hebraicarum. Longius abit *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 90. ex *Proverb.* XXV. 11. phraſeos hujus vim repetens, ubi *ſermo ſuper rotas ſuas prolatus* dicitur, hoc eſt feliciter & facile procedens, quaſi rotas haberet. Rotas vero has ait eſſe inventionem, diſpoſitionem, elocutionem & pronunciationem. Ceterum *Windetus* l. c. vocem *γένεσις* per *φύσιν* interpretatur, quo ſenſu ſupra *πρόσωπον γενέσεως*, i. e. *φυσικὸν* occurrat. Crediderim tamen, eam reſpondere Hebraico גלגל תולדות *circulus*, ſeu *rota nativitatum*, ſive *generationum.* Confer *Schœtgenium* pag. 1024.

Quod ad verbum *φλογίζειν* attinet, accommodata phraſis eſt R. *Eleaſaris* in *Vajikra Rabba* Sect. XVI. f. 159. ubi ita de lingua: כמה שריפות הוא שורף, *quanta incendia lingua excitat!*

Καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης) *Grotius* legere mavult *φλογισομένη*, eo ſenſu, quod lingua ejusmodi inflammans igne viciſſim *arſura* ſit. *Syrum*

rum ait eadem ratione legiſſe videri. Idem ſentit *Eraſmus Schmidius*, Syrum ita reddens: *ac ardebit etiam ipſa in igne;* ſenſumque hunc commodum ſatis eſſe exiſtimans. Sed id quidem non adeo liquidum eſt. Commode enim cum *Leusdenio* & *Schaafio* in recentiſſima Novi Teſtamenti Syriaci editione verteris: *ac incenditur etiam ipſa igne.* Convenientior ſaltem hic ſenſus altero illo videtur. Linguam Apoſtolus ait ignem eſſe inflammantem homines, qui & ipſe ab igne infernali ſit inflammatus. Ita vero loquuntur Hebræi. Locum ex Codice Talmud. *Nedarim* fol. 22. 1. attulit *Schœtgenius* pag. 1024. *Omnes ſpecies inferni habent poteſtatem in eum, qui ad iram pronus eſt: neque hoc tantum, ſed & infima in ipſum poteſtatem habent.* Crediderim porro, Apoſtolum, ſi ignem infernalem tanquam ſupplicium indicare voluiſſet, ſcripturum potius fuiſſe ἐν γεέννῃ, quam ὑπὸ γεέννης. Ita in Pſalterio Salomonis pag. 951. editionis Fabricianæ in Codice Pſeudepigr. Veteris Teſtamenti, quem locum hic affert Cl. *Elsnerus*, *Grotii* interpretationem alioquin adſtruens, dicitur: ἐν πυρὶ φλογὸς γλῶσσα ψίθυρος ἀπόλοιτο. Similiter *Apocalypſ.* XVIII. 8. de Babylone: ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται, & *Matth.* X. 28. DEVS dicitur ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ.

Verſ. 7. Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν κ. τ. λ.) Vide *Joannis Stephani Menochii* Trattenimenti Eruditi Parte V. pag. 467. ſeqq. φύσις ἑρπετῶν & φύσις ἀνθρωπίνη periphraſtice idem eſt, quod ἑρπετὰ & ἄνθρωποι. Vide omnino B. *J. H. Maji* diſſertationem de Pleonaſmis Græc. L. in N. F. pag. 42. ſeq. ubi ſimilia τῶν ἔξω, v. c. *Ælian.* Var. Hiſtor. II. 33. τὴν τῶν ποταμῶν φύσιν, καὶ τὰ ῥεῖθρα αὐτῶν ἐρῶμεν. Recte tamen idem notat, phraſi huic ſuam non deeſſe elegantiam, & ſimul ad *ingenium* ſive indolem rerum reſpici.

ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων) *Vulg.* poſtremam vocem vertit *ceterorum*, unde ſunt, qui ſuſpicentur, eum legiſſe ἄλλων vel ἐνάλλων. Vide *Millii* Prolegomena §. 498. *Eraſmus* felicius conjecit, Interpretem illum ſcripſiſſe *cetorum.* Et commode nuper monuit diligentiſſimus *Bengelius*, in MSto codice *Vulg.* τὸ *cetorum* ita ſcriptum eſſe, ut notam omiſſarum literarum *er* referat.

Verſ. 8. ἀκατάσχετον κακὸν) *incoercibile malum, indomitum, inſanum.* Voce hac Scriptores frequenter utuntur, v. c. *Phocylides* v. 92.

Λαός τοι, καὶ ὕδωρ, καὶ πῦρ ἀκατάσχετα πάντα.
Vulgus, aqua & ignis coërceri nequeunt.

Vide omnino *Joannis Alberti* Obſervationes Sacras pag. 450. ubi & ad rem ipſam adfert *Theophraſtum* Character. cap. VIII. ὅτι χαλεπὸν τῷ λάλῳ ἐστὶ σιωπᾶν, καὶ ὡς ἐν ὑγρῷ ἐστὶ ἡ γλῶττα. *Loquaci durum eſt tacere, linguam enim tanquam in udo habet.* Adde ibi *Caſaubonum.*

μεστὴ

μεςὴ ἰῦ θανατηφόρυ) *plena veneno mortifero.* Phraſeos vim & elegantiam erudite illuſtrat Cl. *Chriſtianus Ludovicus Schlichterus* in Decimis Sacris pag. 101. ſeqq. oſtendens, ἰὸν & *venenum* & ſagittam ſignificare, atque adeo Apoſtolum ad ſagittas veterum, quas, ut vulnus magis lethiferum hoſtibus infligerent, veneno lethali tingere conſueverint. Vocem θανατηφόρος poëticam eſſe ait *Eraſmus Schmidius*, ſed cum aliis in communem linguam receptam. Patet hoc ex eo, quod eadem utuntur Græci Interpretes *Num.* XVIII. 22. & *Job.* XXXIII. 23. Vitam & mortem in poteſtate linguæ eſſe ait Salomon *Proverb.* XVIII. 21. Idem dicit Hebræorum adagium, de quo *Plantavitius* in Florilegio Rabbin. pag. 107. n. 591. Adde *Schœtgenium* pag. 1024.

Verſ. 9. Ἐν αὐτῷ εὐλογῦμεν τὸν Θεὸν κ. τ. λ.) Vide *Picinellum* pag. 742. & *Svicerum* Tomo I. pag. 1246. Videri poterat, εὐλογεῖν hic idem eſſe, quod *maledicere*, κατ᾽ ἀντίφρασιν, niſi v. 20. εὐλογία & κατάρα ſibi invicem opponerentur.

τὺς ἀνθρώπυς, τὺς καθ᾽ ὁμοίωσιν Θεῦ γεγονότας·) Lege *Sebaſtianum Schmidium* de Imagine DEI cap. XXII. pag. 232. ſeq. & 348. Per hos homines eos, qui ad Imaginem Dei poſtliminio renovati ſunt, h. e. fideles intelligi, hæſitanter affirmat *Dionyſius Andreas Roell* in diſſertatione inaugurali de Imagine DEI in homine, Harderovici 1717. habita, pag. 44. Confer Bibliothecam Bremenſem Claſſ. I. pag. 348. ubi *F. A. Lampius* ſententiam hanc non dubius amplectitur, & ex eo firmare inſtituit, quod *exſecratio* hic opponatur *celebrationi* non tantum *Dei*, ſed & *Patris*. Hinc enim ait conſequi, tale objectum exſecrationis heic conſtitui, quo non tantum excellentiæ divinæ, ſed & paternitati Dei injuria inferatur. Id vero exſtare, ſi exſecratio fidelium, quorum Pater ſit Deus, & novæ imaginis auctor, ſignificari exiſtimetur. Hanc porro exſecrationem de fulminibus excommunicationis, in confeſſores veritatis jactis, interpretatur, nec eos improbat, qui *anathematiſationes Cathedræ Anti-Chriſtianæ* intelligant. Mihi quidem abuſus linguæ inter homines generatim, ſive adverſus fideles, ſive adverſus alios ſe exſerat, indicari, DEVS vero Pater, h. e. hominum, ad imaginem Dei primum creatorum, conditor appellari videtur, ut appareat, quantopere a prima ſua origine, Summique Numinis conſilio diſcedant, qui homines, Dei creaturas, exſecrentur & calumnientur. Eodem argumento utitur *Malachias* II. 10. ad mutuum contemtum cavendum. *Nonne unum, inquit, habemus Patrem? nonne unus nos Deus condidit?* Vides, heic *Patris* nomini *Dei* illud jungi, habito ad creationem reſpectu.

Verſ. 10. Ἐκ τῦ αὐτῦ ςόματος ἐξέρχεται εὐλογία καὶ κατάρα) Hebræorum dicta, huic ſimilia, attulit *Schœtgenius* pag. 1024. Ex illis præ ceteris accommodatus eſt ille ex *Tanchuma* fol. 10. 4. *Os quærit ſtu-*

dere in lege, & verba bona proferre, DEVM laudare, glorificare & canticis celebrare: ſed poteſt etiam calumniari, blaſphemare, conviciari & falſo jurare.

Verſ. 11. Μήτι ἡ πηγὴ ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρόν;) Lege *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. IV. ubi de Hierarchia, lib. I. cap. 8. §. 15. Verbum βρύω diligentius exponit M. *Flachs* in diſſertatione de ἅπαξ λεγομένοις hujus epiſtolæ pag. 15. oſtendens, illud generatim idem eſſe, quod *abundare*, ſpecialius autem de *fontibus* aquam, & *floribus*, germen e terra producentibus, adhiberi. *Heſychius* βρύει· ῥέει, πηγάζει, ἀναβλύζει, πηδᾷ, iterumque: ἀνθεῖ, ἀνίησιν, αὔξεται. Et active & neutraliter uſurpari *Joſua Barneſius* oſtendit ad Anacreontem pag. 128. Atticis autem Scriptoribus frequens eſſe, *Ezechiel Spanhemius* ad Ariſtophanis Nubes v. 46. Adde quoque *Salmaſium* de Homonymis Hyles Jatricæ pag. 30. a. in calce Exercitationum Plinianarum.

τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν) ſcilicet ὕδωρ. Vide *Lambertum Bos* de Ellipſi Græc. L. pag. 210.

Verſ. 12. Μὴ δύναται, ἀδελφοί μου, συκῆ ἐλαίας ποιῆσαι, ἢ ἄμπελος σῦκα;) Eodem ſimili, ſed alio inſtituto, utitur M. *Antoninus* VIII. 15. Μέμνησο, ὥσπερ αἰσχρὸν ξενίζεσθαι, εἰ ἡ συκῆ σῦκα φέρει, οὕτως, εἰ ὁ κόσμος τάδε τινὰ φέρει, ὧν ἐστι φορός.

οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ) ſcilicet δύναται. Codices pauci heic legunt: οὕτως οὐδὲ ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, *ita neque ſalſa dulcem aquam poteſt emittere.* Hanc lectionem poſt *Syrum* & *Vulg.* probant *Lucas Brugenſis*, *Eſtius*, *Beza*, *Grotius*, & *Millius* Prolegom. §. 1208. Imo in contextum recepit recens editor N. T. Græco-Anglicani. At recte pro receptiore lectione pugnat *Hombergius* in Parergis Sacris pag. 356. Ad πηγὴν v. 11. commemoratam, reſpexiſſe Apoſtolum, eandemque adeo iterum appellaſſe, ex eo apparet, quod duo prædicata, quæ ante attulerat, hic iterum conjungit, ita quidem ut alterum, nempe πικρὸν, per ἁλυκὸν explicet. Deinde redit ad prius inſtitutum, quando dixerat, a lingua proficiſci εὐλογίαν καὶ κατάραν, h. e. duo ſibi invicem oppoſita. Hoc itaque non magis a Chriſtianis exſpectari debere ait, quam ab eodem fonte & ſalſam & dulcem aquam. Fontem enim natura ſua, nonniſi dulcem fundere, ſicut ficus non niſi ficus, olea vero non niſi oleas emittat. Accedit denique, *Antigonum Caryſtium* cap. 148. Hiſtoriarum mirabilium pag. 110. teſtari: τὸν Ἱμέραν, ἐκ μιᾶς πηγῆς σχιζόμενον, τὸ μὲν ἁλυκὸν τῶν ῥείθρων ἔχειν, τὸ δὲ πότιμον. *Himeran ex uno fonte in duos ſcindi alveos, alterumque fluvium ſalſum, alterum potabilem eſſe.* Quem quidem locum ideo adfero, ut phraſeos, quæ heic exſtat, convenientia appareat, tantoque minus in dubium vocetur. Interim aſſertioni Apoſtolicæ fides conſtat & auctoritas, quam

quam unum exemplum, ſi vel maxime verum habeatur, infringere non poteſt, cum quod ſemel & contra ordinarium naturæ morem accidit, rationi alioquin univerſali obeſſe non poſſit. Per *ἁλυκὸν* proprie *aqua marina* indicatur. Natum illud eſt ex *ἁλύκη*, quod *Heſychius* per *θάλασσα* exponit. De argumento ipſo lege *V. H. Voglerum* de rebus naturalibus & Medicis pag. 395.

Verſ. 13. *Τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ἡμῖν κ. τ. λ.*) Hic ſcientia & ſapientia cum uſu vitæ, præceptis accommodatæ, junguntur. Confer *Socratis* dictum a Xenophonte in Memorabilibus lib. III. pag. 614. allatum, atque hinc a *Raphelio* repetitum pag. 331. Annotationum Xenophontearum. Adde *Picinellum* pag. 742. *Τίς* interrogativum pro *ἔιτις* ad Hebræorum exemplum h. l. poni *Vorſtius* de Hebraiſmis Parte I. cap. 7. pag. 171. exiſtimat. Intercedit vero *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 184. obſervans, Græcos interdum *τίς* pro *ἔιτις* ponere, & non tantum vocem *τις*, ſed & alia vocabula, ſubintellecto *ἐι*, adhibere ſolere. In duobus Codicibus pro *τίς* legitur *ἔιτις*, quod ex interpretamento natum puto ab eo, qui interrogandi notam non adverterat, vel non legerat; niſi illud *ἐι* ex v. 14. huc relatum putes.

Verſ. 14. *μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψέυδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας*) Anonymus *auctor admonitionum amicarum ad futuros Novi Teſtamenti editores*, quæ exſtant in Actis Eruditorum Lipſienſ. An. 1729. pag. 12. interrogative hæc accipi & explicari vult hoc ſenſu: *nonne animoſi eſtis adverſus veritatem, & mentimini?* Sententiæ hujus hoc affert argumentum, quod Apoſtolus alioquin tantum monuiſſe, ne quis ægritudine animi ad veritatis detrimentum abutatur, atque adeo ægritudinem illam pene approbare videri queat. Vide cetera. Similiter Cl. *Schœtgenius* pag. 1025. ſine hac interrogandi nota ſenſum non ſatis commodum fore pronunciat. *Knatchbulli* in Annotationibus in Novum Teſtamentum eadem olim fuit ſententia. Mihi quidem ſine ſenſus detrimento recepta interpunctio teneri poſſe videtur. Senſus eſt: Si æmulationem amaram & contentionis ſtudium habetis, cavete, ne gloriemini & mendaces ſitis in veritatem; h. e. ne inani arrogantia ducti tales vos eſſe putetis, quales eſſe debebatis, h. e. *σοφὺς και ἐπιστήμονας*, atque adeo in veritatem injurii ſitis. Eadem loquendi ratione utitur Paulus *Galat.* V. 15. *Εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε, μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε.* Abſit autem, ut hinc conſequi putemus, Apoſtolum illud æmulationis & contentionis ſtudium *pene* videri *approbare*, modo non in veritatis fraudem exſeratur. Sicut Paulus *τὸ δάκνειν καὶ κατεσθίειν* non probaſſe cenſendus eſt, modo non inter ſe invicem conſumantur; ita nec altera illa ſuſpicio in Jacobum ceciderit. Vtroque potius loco damnum aliquod, ex vitio illo proxime conſecuturum, comminationis inſtar, commemoratur. Accedit & illud, quod Jacobo in tota epiſtola cum illis res

ſit,

ſit, qui veram fidem cum vitiis ejusmodi ſtare poſſe exiſtimabant. Denique Jacobus ſatis indicat, ſe ζῆλον καὶ ἐριθείαν omni modo averſari, quando v. 16. ait, ὅπου γὰρ ζῆλος καὶ ἐριθεία, ἐκεῖ ἀκαταστασία, καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα. Heic enim vitia illa non veritati tantum noxia eſſe, ſed peſſima quæque parere ſignificat. Si comma 13. & 14. ſecum invicem comparemus, novum pro ſimplice illa aſſertione, ſine interrogandi nota, argumentum naſcetur. Commate enim 13. oſtendit, quid agendum ſit *ſapienti* & *intelligenti*; commate v. 14. quid cavendum ſit illi, qui inſipientiam & inſcitiam ſuam æmulatione & contendendi ſtudio prodat.

Pro κατακαυχᾶσθε Codices pauci legunt καυχᾶσθε, idque mavult *Grotius*. Non dubito verbum compoſitum ab Apoſtolo profectum eſſe. Pendet enim a voce ἀληθείας, hoc ſenſu: *ne gloriemini adverſus veritatem.* Cave, obvertas, ſic non opus fuiſſe præpoſitione κατὰ ante vocem ἀληθείας. Hac enim opus omnino erat propter interjectum verbum ψεύδεσθε. Alioquin ſcripturus, credo, fuiſſet Apoſtolus, μὴ κατακαυχᾶσθε τῆς ἀληθείας, ſcilicet ſupra II. 13. καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως.

Verſ. 15. Οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη, ἀλλ' ἐπίγειος κ.τ.λ.) Vocem ἐπίγειος & ſequentes diligenter illuſtrat *Polemannus* in Exercitatione Programmatica XIII. pag. 14-17.

ψυχικὴ) Vide, quæ ſcripſimus ad 1 *Corinth.* II. 14. & adde *Vitringæ* Obſervationes Sacras lib. III. cap. 11. pag. 165.

Verſ. 16. Ὅπου γὰρ ζῆλος καὶ ἐριθεία) Lege *Schœtgenium* pag. 1026. ex *Pirke Aboth* V. 17. ubi de contentione, quæ ad Gloriam DEI, vel minus, referatur, exponitur, laudata altera, altera damnata. De æmulatione laudabili, deteſtabili, & media diſſerit *Joannes Clericus* Tomo II. Parrhaſianorum Tract. V.

ἐκεῖ ἀκαταστασία) Vide nos ad 1 *Corinth.* XIV. 32. & *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Parte I. p. 697. ſq.

καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα) Exemplis hoc commonſtrat *Clemens Romanus* in epiſt. I. §. 4. 5. & 6. ubi vide *Cotelerium*. Zeli incommoda & noxas graviter exponit *Oppianus* Halieutic. IV. 211. ſeqq.

Ὡς οὐδὲν ζήλοιο κακώτερον ἀνδράσιν ἄλγος
Ἐντρέφεται, πολλοὺς δὲ γόους, πολλὰς καὶ ἔθησιν
Οἰμωγάς· λύσσης γὰρ ἀναιδέος ἐστὶν ἑταῖρος
Λύσσῃ δ' ἀσπασίως ἐπιμίσγεται, ἐς δὲ βαρεῖαν
Ἄτην ἐξεχόρευσε, τέλος δέ οἱ ἔπλετ' ὄλεθρος.

Quam

Quam nullus æmulatione pejor hominibus dolor
Ineſt; multos vero luctus, multosque adfert
Ejulatus &c.

Alia externorum in eandem ſententiam adfert *Conradus Rittershuſius* ad h. l.

Verſ. 17. Η δὲ ἄνωθεν σοφία) Judæorum Magiſtri hanc ſapientiam appellant חכמתא עילאה, vel חכמה עליונה, *ſapientiam ſupernam.* Vide loca apud *Schœtgenium* p. 1026. ſq. Horarum Hebr.

πρῶτον μὲν ἁγνή ἐςιν, ἔπειτα εἰρηνικὴ κ. τ. λ.) Vide *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 743. Si vera forent, quæ Stoici de Sapientibus ſuis magnifice prædicarunt, non illuſtriora requiri poſſent exempla attributorum, quæ Jacobus heic Sapientiæ ſupernæ & cœleſti vindicat. Vel *Senecam* lege de Sapientis conſtantia. Recte vero *Cicero* de Amicitia: *Talem*, inquit, *nobis delineant ſapientiam, qualem nemo mortalis eſt unquam conſecutus.* Confer ipſum *Senecam* epiſt. XLII. Epicuream Sapientis deſcriptionem non minus magnificam habes apud *Laërtium* X. 117. ubi videbis *Menagium*.

εὐπειθής) *obſequens*, vel, *obſequioſa*, quæ facile ſibi aliquid perſuaderi & ſubjici patiatur: ſie läßt ihr ſagen, ut *Lutherus* eleganter expreſſit, quem vindicatum vide in Relationibus Theologicis innoxiis an. 1727. p. 492. contra eum, qui converterat: ſich berichten laſſend.

ἀδιάκριτος) *expers diſputationis*, Eraſmus Schmidius; *absque diſceptatione*, Beza: *quæ non diſcernit homines;* Grotius. Et ſic B. *Lutherus* unpartheyiſch. Optime; h. e. ἀπροσωποληπ]ικῶς, ut reſpectus habeatur ad II. 4. καὶ ȣ̓ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς. Voce hac *Ignatius* aliquoties uſus eſt in ep. ad *Epheſ. Trallenſes* & *Magneſ.* ubi vetus interpres nunc *incomparabile*, nunc *inſeparabile* vertit. Confer *Pearſonum* ad Ignatii epiſtolas pag. 35. *Baſilius*, eodem monente, ἀδιάκριτον πληροφορίαν appellat, i. e. *fiduciam animi ab omni dubitatione remotam.* Lege ad hoc comma Celeb. D. *Heumanni*, Theologi Gœttingenſis, Programma 1734. Gœttingæ editum & *Idea Theologi Jacobæa* inſcriptum. Ibi vox ἁγνὴ ad orthodoxiam ſeu doctrinæ caſtimoniam, ἀδιάκριτος vero ad omiſſum partium ſtudium refertur.

CAPUT

CAPUT IV.

VErſ. 1. Πόθεν πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν;) Vocem priorem hyperbolice hic adhiberi contendit *Glaſſius* in Philologia Sacra pag. 1937. eo, quod Chriſtiani bella tunc nec geſſerint, nec gerere potuerint, renitente Vener. *V. E. Læſchero* in Stromatibus pag. 39. De contentionibus & litibus mutuis, quæ interceſſerint inter Chriſtianos, ſermonem hic eſſe, ſequens comma ſatis indicat. Eas vero efficaciter cum bellis & pugnis comparari non dubitaverit, qui meminerit, eadem animi contentione lites ejusmodi diſceptari ſolere, quæ in bellis locum obtinet. Privatis vero contentionibus πολέμου nomen etiam ab *Epicteto* pag. 332. apud *Arrianum* tribui commode monuit *Raphelius*. Πρὸς τὸ παιδάριον, inquit, πόλεμος, πρὸς τοὺς γείτονας, πρὸς τοὺς σκώψαντας, πρὸς τοὺς καταγελάσαντας. *Bellum contra ſervulum, contra vicinos, contra dicaces, contra irriſores.*

ἐκ τῶν ἡδονῶν, τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν) *Theophylactus* ad 1 *Timoth.* II. pag. 755. hoc belli genus vocat τὸν ἔνδον πόλεμον, τὸν ἐκ παθῶν ἐπεγειρόμενον.

Verſ. 2. Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε) De inſatiabili hominum cupiditate lege *Picinellum* p. 743.

Φονεύετε καὶ ζηλοῦτε) In priore voce variant editi. Adponam, quæ huc contulit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Φθονεῖτε, *invidetis*, inquit, *legit & reddidit* Eraſmus, *an.* 1517. *uti etiam habet editio Baſileenſis* 1540. *&* Stephanus 1604. *In Græcis codicibus pleriſque* Φονεύετε *legitur*, occiditis, *uti etiam habet* Syrus, *&* Vetus, *&* Eraſmus 1516. *Et licet* 1522. *in verſione habet* invidetis: *in Græco tamen rurſus* Φονεύετε *repoſuit, ut* 1516. *Et hoc* Φονεύετε *etiam* Tigurina *habet*, Baſil. 1553. *&* Caſaubonus. - - - *Quicquid ſit, omnino* Φθονεῖτε *legendum eſſe exiſtimo.* Atque ita quoque edidit *Colinæus* & *Schmidius*, ſecutus *Eraſmum* & B. *Lutherum*. Hic vero notandum eſt, quod *Schmidius* τὸ Φονεύετε in pleriſque Græcis codicibus legi dicat, cum tamen dicendum fuiſſet, *in omnibus*, qui quidem adhuc ſint inſpecti. Neque enim vel alius quisquam, vel *Millius* talem aliquem codicem adferre potuit. *Oecumenius* quidem in textu habet Φθονεῖτε, at in commentario Φονεύετε. Tota igitur hæc emendatio ingenio *Eraſmi*, verbis illis v. 5. πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, nitentis, debetur. Itaque recte *Eſtius* mutationem hanc fieri non debuiſſe cenſet, cui ipſe quoque *Eraſmus* videtur diffiſus. Propterea receptam lectionem, cum altera illa nec codice ullo, nec verſione adſtruatur, cum *Calovio* noſtrate & aliis pleriſque tenere malim, inprimis, cum ſenſu commodo non deſtituatur. Placent *Heinſii* hanc in rem verba:

Agit

Agit de perverſis hominum cupiditatibus, quæ finem ſuum raro aut plerumque non adſequuntur: inter quos ſunt οἱ φονεύοντες, non qui occidunt, ſed qui mortem utplurimum aut alienam optant, aut vitæ alienæ imminent, ut cum Pſalm. LXII. 3. ἕως πότε ἐπιτίθεσθε ἐπ' ἄνθρωπον; φονεύετε πάντες ὑμεῖς. - - - *Eſt igitur* φονεύειν, *quod* φονᾷν *vulgo dicunt Græci. Nemo autem minus finem adſequitur plerumque, quam, qui alienam optat, nec exſpectat mortem.* Confer 1 *Joh.* III. 15. πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἀνθρωποκτόνος ἐστί. Quid porro convenientius erat, quam, ut Apoſtolus, qui *bellorum* & *pugnarum* meminerat, *cædis* quoque faceret mentionem, quamvis illa mitiore ſenſu, ſicut & vox πόλεμος & μάχαι, adhibeatur. Neque opus omnino erat, ut φθόνον illis exprobraret, quæ verbo ζηλοῦτε jam comprehendatur. Taceo, totam hanc ſermonis Apoſtolici ſtructuram efficaciter admodum eſſe inſtructam, ut labes illa & noxa, quæ ζήλῳ & ἐριθείᾳ continetur, in oculos incurrat. Ceterum *invidiam* a *cæde* tam prope abeſſe, quam voces, utrumque denotantes, φθόνος & φόνος a ſe invicem abſunt, *Jacobus Duportus* in Poëmatibus ſuis pag. 28. ita teſtatus eſt:

Tantillum diſtant φθόνος *&* φόνος· *at neque diſtant;*
Nimirum invidia eſt & φόνος *&* θάνατος.

Solent alias Scriptores Eccleſiaſtici φθόνον de morte ſuorum, tanquam *fato invido*, uſurpare. Ita *Gregorius Nazianzenus* in Epigrammatibus, quæ primus Græce *Ludovicus Antonius Muratorius* in Anecdotis Græcis edidit, pag. 23. mortem Euphemii lugens ait:

Αἴ, αἴ· τῶν ἀγαθῶν ὡς φθόνος ὠκύτερος!
Heu! heu! quam ſubita eſt bonorum invidia!

Vide ibi *Muratorii* notas, obſervantis, eandem φράσιν ab eodem frequentari, & alibi per φθονερὰν μοῖραν explicari.

Verſ. 3. Αἰτεῖτε καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖσθε) De perverſa precandi ratione vide Judæorum dicta apud *Schœtgenium* pag. 217. & paganorum apud *Chriſtianum Bruningium* in Compendio Antiquitatum Græcarum e Sacris profanarum pag. 217. Exempla vero ejusmodi attulit *Lampius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. pag. 630. De argumento ipſo commentatur *Alethæus* Tomo IV. pag. 298.

ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε) Δαπανᾷν, quod alias in bonam etiam partem dicitur, idem h. l. eſt, quod, *per luxuriam abſumere.* Vide *Svicerum* Tomo I. pag. 823.

Verſ. 4. Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες) Binæ voces poſteriores deſunt in Codice uno, & quatuor verſionibus, *Syr. Copt. Æthiop.* & *Vulg.* Hinc cum *Eſtio* ſuſpectas eas habet *Millius* in Prolegom. pag. 498. ideo inprimis, quod ſexum muliebrem in hac epiſtola nunquam adloquatur Apoſtolus. Re-

cens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani prorſus omiſit. Ab altera parte *μοιχοὶ καὶ* abſunt ab *Alex.* & *Colbert.* Vtriusque ſexus compellatio merito germana habetur, quia idem adulterium non raro in utrumque ſexum ſimul cadit, crimen vero hoc, quod Apoſtolus figurata loquendi ratione indicat, utrumque eadem ratione pervagabatur.

ἐχθρὸς τοῦ Θεοῦ καθίσταται) Vide ſupra ad III. 6.

Verſ. 5. *Η δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει· πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν*) Locus hic, ſi quis alius, Interpretes vexavit, ab iisdem viciſſim vexatus, ideo potiſſimum, quod, quæ hic excitantur Scripturæ verba, totidem verbis in Veteri Codice non leguntur. Adferam ego tantum eos, quorum plerique data opera, alii vero ex occaſione, in eo illuſtrando recentiore memoria occupati fuerunt. Huc pertinent ex noſtratibus *Godofredus Olearius* in Obſervationibus ad Matthæum pag. 81. *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 503. *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 17. ſeq. *Heumannus* in Miſcellan. Lipſienſ. Tom. XII. pag. 172. ſeqq. *Ocderus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 713. *H. B. Starckius* ſuccincte in Notis Selectis in loca dubia Novi Teſtamenti p. 156. & *Chriſtophorus Wolle* in Quadriga dictorum Novi Teſtamenti ab interpunctionibus novis vindicatorum pag. 14. & in Regulis XXX. ad illuſtrationem Novi Teſtamenti ex Auctoribus profanis p. 23.

Ex Reformatis lege *Witſium* in Meletematibus Leidenſibus, Exercitat. XII. & in Miſcellaneis Tom. I. pag. 201. *Joannem Claudium* Tomo V. Operum pag. 29. atque hinc Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1689. pag. 404. *Davidem Holtzhalbium*, Theologum Tigurinum, in diſſertatione de Spiritu ad invidiam concupiſcente, *Gabrielem du Mont* in Hiſtoria Critica Reipublicæ Literariæ, gallice edita, Tom. XI. pag. 133. ſeq. iterumque in Miſcellan. Lipſienſ. Tom. XII. p. 186. ubi in ſingulari epiſtola ad *Heumannum* data, interpretationem ſuam hinc illuſtrat, hinc tuetur, *J. Philalethem* Tomo X. Bibliothecæ Anglicanæ Parte I. pag. 140. ſeqq. *Gvilielmum Surenhuſium* in libro *καταλλαγῆς* pag. 673. & *Jacobum Elsnerum* pag. 393. ſeqq. Obſervationum Sacrarum.

Ex *Anglis Gatakerum* in Adverſariis Miſcellan. cap. XX. & in *Cinno* cap. VIII. *Joannem Eduardum* in Volumine III. Diſſertationum, Anglice editarum, de auctoritate, ſtylo & perfectione librorum ſacrorum cap. XI. pag. 463. (confer Acta Eruditorum Lipſienſ. Tomo III. Supplementorum pag. 140.) *Whiſtonum* in Tentamine contextum Hebr. reſtituendi pag. 108. & *Elliſium* in Fortuitis Sacris pag. 250. ſeqq.

Ex *Arminianis* denique *Simonem Epiſcopium* Tomo I. Operum Parte II. in Reſponſ. ad LXII. Quæſtiones, quæſt. IV. & *Joannem Clericum* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. XXVII. pag. 252. ſeq.

Longior

Digitized by Google

Longior forem, & actum fere agerem, ſi omnes Interpretum ſententias vel adferre, vel expendere inſtituerem. Perfuncti hac opera diligenter ſunt *Gatakerus, Witſius* & *Oederus* ll. cc. Meum erit, ea tantum commemorare, quæ recentiores quidam ita dixerunt, ut vel nova quædam promerent, vel antiqua nova ratione ornarent.

Witſius verba: πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, interrogative accipit, tanquam a Jacobo ipſo profecta, hoc ſenſu: ecquid ad invidiam concupiſcit ſpiritus? Hujus quæſtionis, quæ negandi ſimul vim habet, ſenſum ita ediſſerit: *Spiritus Sanctus, qui in fidelibus habitat, quo reguntur, ducuntur, aguntur, nequaquam* ἐπιποθεῖ, *ingenti deſiderio fertur, vel* ἐπιποθεῖν ποιεῖ, *facit, ut ingenti deſiderio ferantur* πρὸς φθόνον, ad invidiam, *quo pravo prorſusque diabolico adfectu optimo huic Spiritui nihil magis eſt contrarium, ſed ex adverſo idem ille ſanctiſſimus Spiritus majorem potius dat gratiam, efficit, ut quisque fidelis non modo non invideat fratri ea, quæ poſſidet, bona, eumque iis carere optet, ſed majora etiam & plura adprecetur, &, ſi poſſit, reapſe conciliet; neque hoc tantum, ſed & homini fideli, ita comparato, inſignia gratiæ ſuæ augmenta confert, ut iſta in proximum liberali propenſione non ſolum nihil ipſi decedat, ſed vel ob eam ipſam rem divinæ gratiæ muneribus largiſſime locupletetur.* Idem locum Scripturæ, quem Jacobus velit, repetit cum pluribus aliis ex *Numer.* XI. 29. Senſum hunc Cl. *Oederus*, pag. 722. ſeq. ſatis commodum eſſe largitus, nonnihil tamen in eandem interpretationem animadvertit: ab altera vero parte amplectuntur *Amelius* in der Erörterung Tomo I. pag. 17. & *Alethæus* in der Erläuterung Tomo V. pag. 220. ubi illa *Witſii* ſententia enarratur, & ex Reformatis nuper Cl. *Joannes Weſſelius* in Diſſertationibus Academicis, Leidæ 1734. editis, p. 89. ſqq.

Rev. *Gabriel du Mont*, Roterodamenſis Eccleſiæ hodie Paſtor, in Hiſtoria Critica Reipublicæ Literariæ loc. cit. voces πρὸς φθόνον verbo λέγει proxime jungit, addita interrogandi nota, hoc ſenſu: *an putatis, quod Scriptura in vanum loquatur adverſus invidiam?* Spiritus, qui in nobis habitat, deſideria excitat, ſed meliora deſideriis carnis; majorem enim dat gratiam. Cum hac expoſitione ex parte conſentit Rev. *Heumannus* loc. cit. eandemque quod ad phraſin: ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει πρὸς φθόνον; amplius confirmare conatur. Reliqua vero ita convertit: *Spiritus, qui in nobis* (per DEI gratiam) *habitat*, non eſt ſpiritus invidiæ, & odii rixarumque; (vid. v. 1. 2.) ſed eſt ſpiritus amoris, qui *amat*, (& quidem ardentiſſime amat) *& ita etiam vobis* (quos inhabitat) *majorem ſubinde largitur gratiam,* (ut & vos omni depoſito odio & æmulatione, ſimpliciſſime fratres ametis) *uti ſcriptum legimus:* DEVS ſuperbis (*in quorum grege etiam contentioſi ſunt*) reſiſtit, humilibus autem largitur gratiam. Quo ipſo, ut a *Dumontio* abit, ita hic paulo poſt loc. cit. pag. 193. ſeq. ſuam ſententiam ab objectis vindicare conatur. Ad Duumviros hos, quod ad priorem Jacobi

phraſin accedit D. *Joachimus Langius* in Expoſitione vernacula; quod ad poſteriorem vero ab iisdem nonnihil diſcedit. Duas ſcilicet heic quæſtiones exſtare ſtatuit; alteram: *num putatis Scripturam fruſtra contra invidiam loqui?* alteram: *num Spiritus, qui in vobis habitat, adeo concupiſcit?* nempe malum. *Imo vero,* (ita phraſin: μείζονα δὲ δίδωσι χάριν accipit) *ampliorem dat gratiam,* per quam ejusmodi concupiſcentiæ reſiſtere poſſimus. Huic ſententiæ quæ obſtant, ea ſummatim complexus eſt doctiſſimus *Elsnerus* pag. 393. Obſervationum: *Non ſolum plane,* inquit, *diſcrepat hæc expoſitio a præcedentibus & conſequentibus, verum etiam male vertitur:* λέγει πρὸς φθόνον, loqui adverſus invidiam, *cum Græce ſit:* loqui ad invidiam: *vide Luc.* IV. 21. &c. *Huc nec quidquam faciunt Auctorum loca male intellecta; quæſita denique eſt, & a verbo ἐπιποθεῖν abhorrens interpretatio:* deſideria excitat, ſed carnis deſideriis meliora. His addere hæc liceat. Voces πρὸς φθόνον non poſſunt connecti cum antecedente λέγει. Ita quidem unus egit *Oecumenius,* ſed nec codex alius, nec interpres veterum ullus adhuc inventus eſt, qui hanc rationem adſtrueret. Præterea πρὸς φθόνον recte referri ad verbum ἐπιποθεῖν, apparet ex ſtructura τοῖς LXX. alias recepta. Illi enim τὸ ἐπιποθεῖν cum præpoſitionibus εἰς, ἐπὶ & πρὸς conjungunt. *Pſalm.* LXXXIII. 1. ἐπιποθεῖ καὶ ἐκλείπει ἡ ψυχή μου εἰς τὰς αὐλάς. *Deuteronom.* XIII. 8. οὐκ ἐπιποθήσεις ἐπ' αὐτῷ. *Pſalm.* XLI. 1. ὃν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος ἐπὶ τὰς πηγάς, οὕτως ἐπιποθεῖ ἡ ψυχή μου πρὸς σέ. Omitto, quæ Cl. *Wolle* in Quadriga dictorum Novi Fœderis pag. 14. contra hanc interpunctionem diſputavit.

J. Philalethes, Pſeudonymus, in *Bibliotheca Anglicana* loc. cit. itidem duas heic interrogationes locum habere putat, tum hanc: *putatisne vos, Scripturam fruſtra dicere?* tum illam: *Num Spiritus, qui in nobis habitat, fertur in invidiam?* Per *Spiritum* vero illum intelligit Spiritum divinum, cum fidelibus communicatum; de quo ſtatim dicatur, quod *uberiorem* potius *gratiam largiatur.* Propterea Scriptura dicit: *DEVS reſiſtit ſuperbis* &c. ex Proverb. III. 34. His poſitis tria Jacobi commata 4. 5. & 6. his verbis παραφράζει, quæ ex Gallico converſa Latine ſiſtam. *Viri & fœminæ, adulterorum & adulterarum nomine ob genium ſecularem, qui merito pro idololatria habetur, dignæ, quoniam animum, quem DEO dedicaſtis, mundo ſacrum eſſe jubetis: poteſtisne poſt ea, quæ Prophetæ de idololatria, fœdus DEI cum populo ſuo intervertente, dixerunt, ignorare, genium ſecularem idem omnino efficere, amoremque mundi DEI illum evertere, atque adeo eos, qui mundum amant, nec amare DEVM, nec amari a mundo poſſe. Quod ſi vero hoc omne edocti eſtis, creditisne veſtram conditionem non eſſe eandem? Putatisne, Scripturæ locos ad eos, qui conditiones fœderis cum DEO ad exemplum idololatrarum hominumque ſecularium violent, ſpectantes, ad vos non pertinere, & fruſtra ad vos accommodari? Expendite, quæſo, ad errorem hunc exuendum, quæ inter*

vos aguntur. Nonne inter vos graſſatur æmulationis & invidiæ ſtudium, quod contentionem, diſcordiam & lites parit? Unde vero naſcitur hæc invidia? nonne ex faſtu veſtro, qui pati non poteſt, ut quidam veſtrum illis dotibus, prærogativis & commodis ſint inſtructi, quibus ſuperiores aliis redduntur? Jam quæro ex vobis, num hujusmodi mores prodant, Spiritum DEI, quem Evangelica œconomia Chriſtianis largitur, vos gubernare? Num Spiritus ille hanc invidiam, hoc aliis inſidiandi ſtudium ſuggerit? Num faſtum illum, omnis pravitatis fontem, inſpirat? Sæculum eſt, a quo hæc didiciſtis. DEUS nihil hujusmodi probat; imo vero demiſſionem amat & poſtulat, per quam ſua quisque ſorte, quam a DEO accepit, contentus, fortunas ſuas aliis non invidet. Hæc animi demiſſio ita illi placet, ut novis ſubinde beneficiis & gratiæ documentis ita infectos cumulet, atque adeo hinc iniquis ſuperborum deſideriis non ſatisfaciat, hinc alia ſuper aliis largiatur illis, qui præter ea, quæ a DEO nacti ſunt, nihil deſiderant. Nihil heic dico, quod non ex Scripturæ lectione pridem perſpectum habere poſſitis. Idem enim Salomon in libro Proverbiorum docet; DEUM nempe reſiſtere ſuperbis, humilibus vero gratiam largiri. Ex quo manifeſtum eſt, vos ut ſuperbos, non DEUM, ſed mundum ſectari. Hactenus ille.

Hujus ſententiam amplectitur Anonymus D. in eadem Bibliotheca Anglicana Tom. X. pag. 448. eamque ſuccinctius hac verſione comprehendit. v. 5. ***Putatisne, Scripturam fruſtra dicere,*** aut ***Spiritum, quem DEUS nobiscum communicavit, ad invidiam nos excitare?*** v. 6. ***Imo vero majorem*** potius *gratiam nobis largitur: propterea* Scriptura *dicit*: DEVS ſe opponit ſuperbis, gratiam vero humilibus impertitur. Hæc parum diſcedunt ab interpretatione D. *Langii* modo allata, niſi quod voces πρὸς φθόνον ad verbum ἐπιποθεῖ rectius referantur.

Omiſeram fere monere, *Elliſium* in Fortuitis Sacris, quæ ἀνωνύμως exſtant, pag. 250. ſeqq. eadem ratione, qua *Dumontius* &c. uſi ſunt, voces πρὸς φθόνον ad verbum λέγει referre, ſed alio prorſus modo interpretari. *Proxime*, inquit, *ante dixerat Jacobus: an nondum ſatis ex literis ſacris didiciſtis*, mundi amicitias eſſe DEI inimicitias. *Jam pergit*: aut exiſtimatis, ſine cauſa ſic loqui Scriptutas, ac ſi nobis hæc inviderent? *At Spiritus ille, Scripturarum auctor divinus, ex quo in nobis ſedem poſuit, nobis propitius eſt, & clemens, magna nos affectione deſiderat; imo majorem, prout nobis opus eſt, dat gratiam, ampliora confert beneficia. Hoc docent ſacra volumina. Continuo ſubjicit:* Ὑποτάγητε οὖν. *DEO igitur parete, vos illi morigeros præbete; ſocietatem mundo renunciate, hoc modo quod deinceps petituri eſtis, recte petetis, nihilque adeo boni vobis denegabit DEUS.* Vides, Auctorem hujus expoſitionis πρὸς φθόνον interpretari, *per invidiam, invidioſe.* Id facere ſe recte, pag. 252. ex eo conficit, quod τὸ πρὸς, *cum accuſativis junctum, alia longe ſignificatione per adverbium reddi debeat. Communis*, inquit, *eſt, nec minus elegans locutio:* πρὸς βίαν, *violenter*, πρὸς ὑπερβολὴν, *per excellentiam*,

πρὸς καθαρότητα, claritate; πρὸς ἀκρίβειαν, πρὸς ἀφθονίαν. Sic πρὸς φθόνον λέγειν, venuſte quidem, per invidiam dicere.

Duo ſunt, quæ in his deſidero. Ponam, voces *πρὸς φθόνον per invidiam* converti poſſe; non ſane intelligo, quomodo quis cogitare poſſit, Scripturam Sacram aliquid *per invidiam*, ſeu, *quaſi nobis hoc vel illud invideret*, dicere. Neque video, quid ratione nexus & ex mente *Elliſii* Scriptura Sacra nobis *invidiſſe* cenſeri poſſit, aut debeat: utrum *amorem mundi*, an *majorem DEI gratiam*. Neutrum de Scriptura cogitari, adeoque nec ab Apoſtolo amotum cenſeri poteſt, cum ille amorem mundi, ut pernicioſiſſimum, nullaque proinde invidia dignum, repræſentet, gratiam vero DEI ut expetendam commendet, & ut exſpectandam promittat. Dubito etiam, an fine ἀκυρολογία Scriptura dici poſſit, aliquid *per invidiam*, ſeu, *quaſi nobis invideret*, dicere. Proſopopœia hæc alienior eſt, nec ullo, niſi fallor, exemplo probanda. Alterum, quod expoſitioni huic, obſtat, eo continetur. Vir doctus infert in contextum vocem ἡμᾶς, ut ſenſus prodeat: *deſiderat, diligit nos.* Id ut recte feciſſe credatur, non efficit phraſis ſequens: *ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν.*

Idem pag. 255. aliam quandam conjecturam, in quam olim inciderit, affert. Putaverat nempe, idem eſſe, ac ſi Apoſtolus diceret: *ἐπιποθεῖ ἡμῖν τὸ πνεῦμα, ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν; an contra nos deſiderat Spiritus?* h. e. num male vult nobis Spiritus, qui in nobis ſedem poſuit? Ita ait dici *ἐπιχαίρω κακοῖς, malis alicujus inſulto, ἐπιβουλεύω τούτοις, adverſus hos inſidias ſtruo.* Hanc vero opinionem poſtea Auctor ipſe recte deſeruit. Cum enim verbum ἐπιποθέω, apud Scriptores ſatis frequens, non niſi *deſiderii*, quod in rem aliquam fertur, ſignificatu occurrat, fieri non poteſt, ut τὸ ἐπὶ *adverſus* ſignificare exiſtimetur, ideo, quod aliis verbis junctum hanc notionem obtineat.

Iſta, quam retuli, *Elliſii* expoſitio occaſionem fecit *Joanni Clerico*, aliqua ad loci illuſtrationem adferendi, in Bibliotheca Vetere & Nova Tomo XXVII. pag. 252. Poſtquam enim teſtatus erat, ſe non ſatis mentem ejus adſequi, monet, occurriſſe ſibi locum in τοῖς LXX. *Pſalm.* CXIX. vel ſecundum Græcos GXVIII. v. 20. ad quem reſpexiſſe videatur Apoſtolus. Verba hæc ſunt: *ἐπεπόθησεν ἡ ψυχή μου, τοῦ ἐπιθυμῆσαι τὰ κρίματά σου ἐν παντὶ καιρῷ.* Non video, fateor, quomodo Apoſtolus illa ſpectaſſe cenſeri poſſit, quæ ad longe aliud argumentum omnino referuntur.

Supra monui Cl. M. *Chriſtoph. Wolle* in Quadriga dictorum Novi Fœderis pag. 14. ſeqq. contra eos recte diſputaſſe, qui voces πρὸς φθόνον cum verbo λέγει conjungunt. Hac vero occaſione idem pag. 16. ſuam promit ſententiam his verbis: *Poterant diſciplinæ Chriſtianæ alumni ſibi perſuadere, Apoſtolica dicta ad ſe haud pertinere, cum ipſi eſſent a* SPIRITU SANCTO *renati,*

renati, & a mundi amore purgati. Hinc Jacobus ad inſtar prudentis Medici paulo acrius & propius ipſorum tangebat ulcus, denuo quærendo: an ad invidiam concupiſcit SPIRITVS, qui habitat in nobis? *Reſponſionem fortius negantem propriis ipſorum relinquit conſcientiis. Vide* cap. II. 6. 7. IV. 1. 4. *Rem vero hoc medio probat termino:* majorem enim dat gratiam *iis, qui ſua ſorte contenti ſunt, & humilitati ſtudentes, paucis divinæ gratiæ dotibus, fideli opera utuntur. Confer* Matth. XXV. 29. *Totum denique argumentum evincit* v. 6. *dicto Veteris Fœderis ex* Proverb. III. 34. *Eſt igitur infernalis potius genius invidiæ auctor* v. 7. Hæc ſcripta ſunt an. 1725. ex quibus conſtat, virum doctum eam ſententiam mutaſſe, quam an. 1722. in diſſertatione de Regulis XXX. ad illuſtrationem Novi Fœderis ex Auctoribus profanis ita expoſuit pag. 23. *Aut putatis, quod fruſtra Scriptura dicat: Invidiam* (ſcilicet *μὲν* quidem) *deſiderat ſpiritus*, i. e. prava animi inclinatio רוח, *Malach.* II. 15. (adde Rom. II. 15.) *qui habitat in nobis; majorem autem* (*δὲ*) *dat gratiam, (nempe reſiſtendi pravarum affectionum turbini, ſuperbiæ atque invidiæ;) ſiquidem DEO & ejus gratiæ vosmet totos ſubmittatis. Itaque ἐπιποθεῖν πρός τι eſt aliquid magno impetu deſiderare, ut* Pſalm. XLII. 1.

Superſunt duæ virorum doctorum de his verbis ſententiæ, quas in medium proferre operæ pretium duco. Altera eſt *Jacobi Elsneri*, in Obſervationibus Sacris pag. 394. Negat ille ad *Num.* XI. 19. aut alios ab aliis allatos locos, reſpici, *ſed ſenſum heic exprimi putat dicti, quod ſtatim diſertis Sacræ Scripturæ verbis citatur; cujus rei indicium ſit, quod ſtatim repetatur, διὸ λέγει.* Senſum itaque hunc eſſe vult: *an putatis fruſtra Scripturam dicere, ſpiritum, qui habitat in nobis, proclivem eſſe ad ſuccenſendum reſiſtendumque improbis, voluptatem gloriamque amantibus, quod vel quoniam dicit:* DEVS reſiſtit ſuperbis. *Nempe* Spiritus, qui habitat in nobis, concupiſcit ad invidiam, *idem eſt, quod*, DEVS reſiſtit ſuperbis. Spiritum itaque, in nobis habitantem, accipit de DEO, qui ſingulari ratione habitet in fidelibus 1 *Corinth.* III. 16. *Rom.* VIII. 11. Hunc dici ait concupiſcere, ſive proclivem eſſe *πρὸς φθόνον*, quia *τοῖς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται. Φθόνον* itaque de *ira DEI* interpretatur, *qua eos multet, qui rebus ſecundis elati voluptatibusque imminentes ſeſe jactant ἀνθρωποπαθῶς, quod inſolentius ſeſe jactantibus & appetentibus altiora invidere ſolent homines. Eodem modo, quo* ira, zelotypia, & zelus *DEO tribuitur, cum gloriæ voluptatumque cupidos coërcere & multare ſolet.* Vide *Jeſ.* XXXVII. 32. XLII. 13. *Dan.* IV. 26. 27. Monet præterea, Patres quoque hoc ſenſu DEO tribuere *invidiam*, pag. 70. & externos quoque Scriptores, nominatim *Euripidem* Iphigen. in Aulide v. 1097. *μή τις θεῶν φθόνος ἔλθῃ*, & *Appianum* de Bello civili cap. I. pag. 661. *αἰδώς τε θεῶν, ἢ νέμεσις ἀνδρῶν ἢ φθόνου φόβος οὐδεὶς ἐτῆν.*

Erudite, fateor, hæc ita diſputantur. Eſt tamen aliquid, quod expoſitioni huic obſtare videtur. Secundum eam enim *φθόνος ira* notione

DEO

DEO tribuitur. Id vero a Sacro Scriptore fieri potuiſſe non exiſtimo. Quamvis enim a Scriptoribus Sacris DEO קנאה, ζῆλος, *ira*, tribuatur ἀνθρωποπαθῶς, ex eo tamen non conſequitur, eidem ſimiliter φθόνον adſcribi poſſe. *Zelus* enim & *ira* mediæ ſunt voces, quæ pro diverſis vel rei vel perſonæ περικειμένοις nunc præclarum aliquid, nunc vitium ſecum ferunt. Idem vero de φθόνῳ ſeu *invidia* non dixeris, quæ ſemper ſit vitioſa. Hinc factum puto, ut οἱ LXX. nunquam illa voce uſi ſint, ubi vox Hebraica קנאה, *zelus*, ad DEVM vel homines relatus, exprimendus erat. Profani Scriptores huc advocari non poſſunt. Hos enim Diis ſuis φθόνον impegiſſe non mireris, qui religioni ſibi non duxerint, alios ejusmodi pravos affectus iisdem tribuere. Patres vero, meliori quidem mente, ſed non ſatis caute & prudenter eadem loquendi ratione uſos eſſe, *Caſaubonus* recte obſervavit ad epiſtolam *Gregorii Nyſſeni*, Euſtathiæ, Ambroſiæ & Baſiliſſæ inſcriptam pag. 70. *Opinio*, inquit, *maleſanæ vetuſtatis fuit: mala, quibus hominum bona & ἐνεςῶ adſidue interpellantur, ab invidia Deûm proficiſci. Deos enim fingebant ſibi malignos & invidos. Nota vox* Herodoti, φθονερὸν τὸ θεῖον, *& ab ea perſuaſione formula illa originem habuit, apud Græcos uſitatiſſima, invidiæ Deûm vitandæ, quoties bona ſua commemorarent:* φθόνος δ' ἀπέςω καὶ Νέμεσις. *Hujus igitur impiiſſimæ ſententiæ apud piiſſimos Scriptores veſtigia non ſine admiratione ſumma deprehendimus. Quod enim Patres nonnulli* τὸν φθόνον *malorum perſæpe cauſam ſtatuunt: quis non videt, veterem eſſe non quidem ſententiam, ſed locutionem ab antiquis derivatam?* Vide reliqua. Neque aliter *Ludovicus Antonius Muratorius*, in notis ad Anecdota Græca pag. 23. *Qua in re*, inquit, *notandum eſt, inter alias opiniones maleſanæ vetuſtatis hanc etiam tranſiiſſe ad Poëtas, & Scriptores Chriſtianos, qua gentiles* Invidiæ Deorum *omnia ſua infortunia tribuebant, quemadmodum &* fato invido. *Hinc eſt, quod Theologus* (Gregorius Nazianzenus) *tum in ſuis carminibus, tum in orationibus atque epiſtolis mortes carorum ſuorum & omnia adverſa accepta fert* τῷ φθόνῳ. *Quod quanquam interpretari poſſimus,* Diaboli invidiam, *fateri tamen cogimur, virum ſanctum, quum probe ſentiret, minus probam locutionem uſurpaſſe.* Scilicet optimi illi Doctores non ſatis ſibi caverunt ab externorum, quibus multi eorum innutriti erant, phraſibus imitatione non ſatis conſulta exprimendis.

Altera, quam ſummatim exponam, ſententia eſt Cl. *Georgii Ludovici Oederi* in Obſervationibus Sacris pag. 724. ſeqq. Is itidem, ut Cl. *Elsnerus*, Jacobum per λέγει ἡ γραφὴ, non ad alium, quam ad locum *Proverb.* III. v. 34. mox diſerte excitandum putat reſpexiſſe. *Laudaturus*, inquit, *eſt Apoſtolus* Salomonis *verba* Proverb. III. 34. *quæ, antequam recitet, quod factum eſt commate 6, monendum putat:* Spiritus hominum, *pravas nempe cupiditates,* intra ipſos habitantes, *potiſſimum iram, longe aliud facere ſolere,* eſſe nempe proclives ad invidiam, *contra*, majorem potius gratiam dare DEVM.

DEVM, *quæ verba e textu Salomonis*, *mox plene recitando*, *ut maxime notabilia, prælibat.* *Ne quis autem dubitet*, *Apoſtolum in eo eſſe occupatum, ut laudet dictum Veteris Teſtamenti*, *repetit* τὸ λέγει, *addita vocula* διὸ, *ut fere ſolent Scriptores, alterius verba recitaturi*, *digreſſione facta*, *eaque finita*, *bis voculis uti:* Igitur ait, *aut ſimilibus.* Eodem modo ait Paulum 1 *Corinth.* VIII. 1-4. quod cœperat primo commate dicere de idolothytis, interjectis nonnullis, de γνώσει ψευδωνύμῳ verſ. 4. abſolvere. His præſtructis Vir doctus pag. 727. Apoſtolici ſermonis nexum ita repræſentat: *Commate* 1. *Apoſtolus lectoribus ſuis exprobrat jurgia & diſſidia, eorumque fontem voluptatum ſtudium: eandem exprobrationem continuari comm.* 2. & 3. *non opus eſt*, *ut moneam.* *Jam connectemus comma* 4. *facillime.* O adulteri & adulteræ, *omnes nempe utriusque ſexus*, *qui voluptatibus ſeculi ſe inquinant.* *Moris enim in Scripturis eſt*, *eos*, *qui deſerto Deo vero*, *delicias mundi ſectantur*, adulteros *appellare:* an neſcitis, Supremi Numinis odium eos incurrere, qui mundi captant amicitiam? *aut ſi metus iræ divinæ parum vos territat*, *age*, *abducat vos ad Deum ſpes veræ apud ipſum obtinendæ felicitatis.* Num inaniter & caſſis verbis, *quibus nihil ſolidi ſubeſt*, dictum putatis illud Proverb. III. 34. Veſtra *quidem* prava indoles facile invidet *aliis paulo beatioribus*, *verum ita truci ac invido animo Deus non eſt*, qui *potius* majorem ſubinde gratiam concedit. Igitur *illo loco* Salomon ait: DEVS elatis animis reſiſtit, at modeſtis largitur gratiam.

Habes, lector, potiores Interpretum ſententias. Optionem tibi relinquere malim, quam quidquam pronunciare. Neque tamen diffiteor, *Witſii* ſententiam, quam pag. 59. retuli, mihi hactenus præ ceteris arridere. Quod enim illi potiſſimum obvertitur, τὸ ἐπιποθεῖν ſenſu tranſitivo pro *deſiderii excitatione* in fidelibus accipi non poſſe, id quidem non magnum momentum habere videtur. Negari enim non poteſt, apud Sacros inprimis Scriptores verbum activum de eo adhiberi ſolere, qui alium ad agendum excitat, vel agendi vim confert. Vide B. *Glaſſii* Grammaticam Sacram Tract. III. Can. XXII. Porro non dubito, a Jacobo heic ad duos Scripturæ locos reſpici, ad alterum, qui muniat id, quod innuitur per phraſin, ἡ γραφὴ λέγει, ad alterum, qui probet, quod Spiritus humilibus ampliorem gratiam largiatur. Rationes ita ſentiendi has habeo. Quotiescunque in libris Novi Fœderis occurrit phraſis ἡ γραφὴ λέγει, vel ſimilis, toties ſtatim ſequitur aliqua Scripturæ locus, vel diſerte, vel quod ad ſenſum expreſſus. Vide v. c. *Marc.* XV. 28. ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα. *Joh.* VII. 42. οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν. XIX. 24. ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ ἡ λέγουσα, item v. 35. *Rom.* XI. 2. τί λέγει ἡ γραφή; & ſic *Galat.* IV. 30. nec minus 1 *Tim.* V. 18. Jacobum denique noſtrum II. 23. καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα. Nullo porro Novi Fœderis, in quo tamen frequens eſt Veteris illius allegatio, loco probari poteſt, Scriptorem ſacrum ullum inter locum, quem al-

legaturus erat, & allegandi formulam aliquid interjeciſſe. Denique ſatis mihi patere videtur, locum Salomoneum ex *Proverb.* III. 34. tantum ad probandam aſſertionem proxime antecedentem: μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, non autem ad priora ſimul pertinere. Verbis enim Salomonis ipſa phraſis δίδωσι χάριν continetur. *Witſius* quidem loc. cit. & hac phraſi ad *Num.* XI. reſpici exiſtimat; ſed hoc alienius videtur, propius autem, ſi hæc Jacobi ipſius verba eſſe putemus. Mirum porro videri non debet, quod poſt ἡ γραφὴ λέγει, ejusmodi aliquid ex Scriptura refertur, quod totidem verbis nusquam legitur. Idem enim uſu venit *Matth.* II. 23. ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν Προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. Nam & hæc fruſtra in Veteri Inſtrumento quæſiveris, ita tamen comparata, ut ſenſus verborum ipſe ex variis Scripturæ locis probari poſſit. Eadem igitur & hujus loci ratio eſt, neque neceſſe puto, ut definiatur, ad quem locum, quodve exemplum Scripturæ divinioris provocetur. Sufficit, talia in iis exſtare, quæ huc commode referri poſſint. Confer, quæ de hoc allegandi more, Hebræis etiam recepto, commentatus eſt *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 674. ſeqq. Inter cetera provocat ad Hebraicam allegandi formulam אמר הכתוב, vel הכתוב אומר, i. e. λέγει ἡ γραφὴ, vel ἡ γραφὴ λέγουσα; & hæc ſubjungit: *Hac vero allegandi formula veteres Hebræorum doctores uti ſolebant non tantum, quando ipſa Scripturarum Sacrarum verba, verum ſenſus eorum tantum allegatur, brevitatis gratia, usque adeo, ut illi apophthegmata illa, quæ Sacrarum Scripturarum porismata ſunt, quia fundamentum ſuum in iis habent, pro Sacris Scripturis habuerint, quemadmodum ex multis exemplis, in Theſi noſtra* XXXVII. *adductis, manifeſtum eſt.*

Pauca quædam de phraſibus ſubjicienda ſunt. *Eraſmum* nemo audiverit, qui πρὸς θεὸν legendum ſuſpicatur pro, πρὸς φθόνον. Πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖν æque commode dici poteſt, quam *Polybius* libro III. cap. 63. τὴν πρὸς τὸ ζῆν ἐπιθυμίαν dixit. Vide *Raphelium* in Annotationibus Polybianis pag. 697.

ἐν ἡμῖν) *Vulg.* & *Æthiops* vertunt *vobis*, ὑμῖν. Et ſic quoque B. *Lutherus*, ſicut & *Henricus Stephanus* edidit. Quod ad ſenſum, nihil admodum intereſt, cum κοινοποίησις illa Scriptoribus Sacris admodum ſit familiaris. Confer tamen *Witſium* in Miſcellan. lib. I. c. 23. p. 201.

Verſ. 6. Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν) *Polyb.* pag. 989. δίδωσι τῷ δήμῳ τὴν χάριν ταύτην.

Διὸ λέγει· - - δίδωσι χάριν) Pauci Codices hæc omnia omittunt, quæ ideo *Eraſmo* & *Grotio* ex 1 *Petr.* V. 5. ad marginem primum ſcripta, deinde vero in contextum relata videntur. Enimvero omiſſionis cauſa magis eſt in propinquo, quam cum *Millio* recte inde repetas, quod librarius aliquis negligentior ad phraſin repetitam δίδωσι χάριν impegerit, & poſteriorem tantum expreſſerit.

Ὁ θεὸς

Ο θεὸς τοῖς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται κ. τ. λ.) Locus hic petitus eſt ex *Proverb.* III. 34. ubi apud τοὺς LXX. totidem fere verbis legitur. Compara *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς pag. 676. & *Joannis Grammii*, Viri præſtantiſſimi, Disquiſitionem III. de Veteris Teſtamenti Verſionis Græcæ allegatione in Novo pag. 65. ſeq. Similia huic Eccleſiaſticorum Scriptorum dicta vide apud *Andream Schottum* in Adagialibus Novi Teſtamenti, profanorum autem apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 745. *Lambertum Bos* in Exercitationibus pag. 274. & *Joannem Alberti* pag. 451. Ita *Dionyſius Halicarnaſſ.* lib. II. pag. 103. Θεῶν νέμεσιν ὑφορώμενοι, τὴν ἅπασι τοῖς ὑπερόγκοις ἐνισταμένην. *Veriti indignationem Deorum, quibus inviſa eſt omnis ſuperbia.* Vim verbi ἀντιτάσσεται, quo DEUS exercitum quaſi quendam ſuperbis opponere dicatur, ediſſerit *Joannes Gregorius* in Obſervationibus ſuis cap. XXXI.

Verſ. 7. Ὑποτάγητε οὖν τῷ Θεῷ) Id *Epictetus* apud *Arrianum* pag. 419. dicit προσκατατάσσειν ἑαυτὸν τῷ Θεῷ. Ἐὰν, inquit, τῷ θεῷ προσκατατάξῃ ἑαυτὸν, διελεύσεται ἀσφαλῶς. Πῶς λέγεις προσκατατάξαι; ἵν' ὃ ἂν ἐκεῖνος θέλῃ, καὶ αὐτὸς θέλῃ. καὶ ὃ ἂν ἐκεῖνος μὴ θέλῃ, τοῦτο μηδ' αὐτὸς θέλῃ. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas p. 698.

ἀντίστητε τῷ διαβόλῳ) Lege *Picinellum* p. 744.

Verſ. 8. καθαρίσατε χεῖρας ἁμαρτωλοὶ) Phraſi hac reſpicitur ad admonitiones Veteris Teſtamenti, quibus peccatores lavare ſe jubentur. Vide v. c. *Jeſ.* I. 1. 16. λούσασθε, καθαροὶ γίνεσθε. David de ſe *Pſalm.* XXVI. 6. νίψομαι ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου. *Plutarchus* in Pericle τὸν στρατηγὸν ait οὐ μόνον τὰς χεῖρας δεῖ καθαρὰς ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις, *non manus ſolum puras habere debere, ſed & oculos.* Confer *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 698. Non dicam heic, quæ de lotione manuum, tanquam innocentiæ argumento, apud Judæos vel Gentiles exſtant. Vide, ſi placet, quæ dixi ad *Matth.* XXVII. 24.

καὶ ἁγνίσατε τὰς καρδίας) In *Sohar* Levit. f. 33. col. 132. *homo dicitur ſanctificare ſe ipſum in terra, & tunc ſanctificari etiam in cœlo.* Vide *Schœtgenium* pag. 1027.

Verſ. 9. Ταλαιπωρήσατε) Confer huc, quæ de voce ταλαίπωρος dixi ad *Rom.* VII. 24.

καὶ ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν) *Plutarchus* περὶ δυσωπίας docet, κατήφειαν definiri λύπην κάτω βλέπειν ποιοῦσαν, h. e. *triſtitiam, quæ facit, ut oculos dejiciamus.* Confer *J. C. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 431.

Verſ. 11. Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων) Calumniandi vitio pagani quoque graves admonitiones oppoſuerunt. Vide ſingularem *Luciani* tractatum de calumnia cum notis Tollii editum. Aliorum dicta habes apud *Pfannerum* in Syſtemate Theologiæ Gentilis cap. XI. §. 26.

ὁ καταλαλῶν ἀδελφȣ̃ καταλαλεῖ νόμȣ) Sic in *Debarim Rabba* Sect. VI. f. 258. 4. *Dixit R. Aſe*: *Nemo alteri detrahit, qui non ſimul Deum abneget.* Vide *Schœtgenium* pag. 1029.

κρίνει νόμον) i. e. καταϰρίνει, καταφρονεῖ, *condemnat*, *deſpicit*, ut *Oecumenius* interpretatur. Confer *Svicerum* Tomo II. p. 161.

Verſ. 12. Εἷς ἐςιν ὁ νομοθέτης) Non pauci codices & verſiones duæ addunt καὶ κριτὴς, quod editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. Videtur autem additamentum eſſe illius, cui convenire videbatur, ut DEVS etiam κριτὴς appellaretur adverſus eum, qui judicaret & condemnaret proximum. Cum vero in antecedenti commate νόμος tantum commemoretur, cui detrahat calumniator, ſufficiebat, DEVM νομοθέτην appellari, qui legis hinc promiſſa de vita, hinc minas de morte implere poſſit.

σὺ τίς εἶ, ὃς κρίνεις τὸν ἕτερον) Codices aliquot legunt πλησίον eodem ſenſu. Originem hujus varietatis ex eo *Millius* repetit, quod librarius aliquis ante ſcripſerit ex pronunciationis vitio ἑταῖρον, quod alius commutarit cum πλησίον, tanquam voce ejusdem ſignificatus. Non negari poteſt, frequentem eſſe vocum ἕτερος & ἑταῖρος permutationem. Exemplis eam probavit eruditiſſimus *Alberti* ad h. l. pag. 451. & in notis ad Gloſſarium Græcum in ſacros Novi Teſtamenti libros pag. 113. nec minus *Kuſterus* ad Svidam Tom. III. pag. 491. Interim non dubito, Apoſtolum ſcripſiſſe τὸν ἕτερον, non autem πλησίον. Paulus eadem phraſi utitur *Rom.* II. 1. ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, item II. 21. ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον. Adde 1 *Corinth.* IV. 6. VI. 1. X. 24. &c.

Verſ. 13. Ἄγε νῦν οἱ λέγοντες) ἄγε hortandi formula, ad plures etiam relata, in ſingulari numero & heic & ab externis Græciæ & Latii Scriptoribus adhibetur. Exempla habes apud *Eraſmum Schmidium* ad h. l. *J. C. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 24. *Georgium Raphelium* in Annotationibus Xenophonteis pag. 332. *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 274. & *Joannem Alberti* pag. 452. ſeq. Sic *Homerus* Batrachomyomach. v. 190.

Ἀλλ᾽ ἄγε, πανσώμεσθα Θεοὶ τύτοισιν ἀρήγειν.

Σήμερον ἢ αὔριον πορευσόμεθα εἰς τήνδε τὴν πόλιν) Ita in *Debarim Rabba* Sect. IX. f. 261. 1. Angelus mortis ait, ſe circumvagari, ut occidat eos, qui dicant: *hac vel illa ratione res noſtras agemus, & non norunt, quando mors illos ſit oppreſſura.* Vide locum & alios ei ſimiles apud *Schœtgenium* pag. 1030. Adde *Picinellum* pag. 744.

καὶ

καὶ ποιήσομεν ἐκεῖ) *& commorabimur*, vel, *agemus ibi.* Vide nos ad *Actor.* XV. 33. Notandum heic eſt, pleroſque & ſcriptos & editos libros legere πορευσώμεθα, ποιήσωμεν, & ſic in ſequentibus verbis, non futuri, ſed conjunctivi ex aoriſtis forma. Quocunque modo ſcripſeris, eadem utrobique erit ſignificatio, nempe *futuri temporis*, quam illi aoriſtorum conjunctivi ſæpe obtinent. Confer *A. Blackvvalli* Claſſicos Sacros Volumine II. p. 283.

Verſ. 14. Οἵτινες οὐκ ἐπίστασθε τὸ τῆς αὔριον) Similiter externorum Scriptorum multi, quos afferunt *Picinellus* loc. cit. *Jacobus Cappellus* in Obſervationibus ad h. l. pag. 305. & *Gatakerus* ad *M. Antoninum* III. 10. Illuſtris eſt *Senecæ* ille epiſt. 101. *Quam ſtultum eſt ætatem diſponere! ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum laſſam ſenectutem & plenam in otium referam.* Et *Pindari* ille Olymp. Od. XII. v. 10.

Σύμβολον δ' οὔτις ἐπιχθονίων
Πιστὸν, ἀμφὶ πράξιος ἐσ-
σομένας, εὗρεν θεόθεν.

Vix puto monendum, quod per ſe patet, in phraſi τὸ τῆς αὔριον duplicem eſſe ellipſin, quæ plenius ita exprimi poſſit: τὸ τῆς αὔριον ἡμέρας.

ἀτμὶς γάρ ἐστιν) Pro ἐστὶν ſcripti & editi quidam libri habent ἔσται, quod rectius viſum eſt *Millio* in Prolegomenis §. 982. Enimvero Apoſtolus non tam indicat, quæ *futura* ſit vita ipſorum, quam quæ per ſe *ſit*, natura ſua, per quam fiat, ut & ipſis cito & præter exſpectationem perire poſſit. Similia externorum de vitæ brevitate dicta lege apud *Picinellum* pag. 744. & apud *Gatakerum* ad Antonium II. 14. & 17. *Homerus* Iliad. *ι.* v. 605.

\- - - - εἰσόκ' ἀϋτμὴ
Ἐν στήθεσσι μένῃ, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

Summatim præcipua comparationum genera complexus eſt *Gregorius Nazianzenus* epitaph. in Cæſarium: ὄναρ ἐσμὲν, inquit, οὐχ ἱστάμενον, φάσμα τι μὴ κρατούμενον, πτῆσις ὀρνέου παρερχομένου, ναῦς ἐπὶ θαλάσσης ἴχνος οὐκ ἔχουσα, κόνις, ἀτμὶς, ἑωθινὴ δρόσος, ἄνθος καιρῷ φυόμενον, καὶ καιρῷ λυόμενον.

ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη) *poſtea vero evaneſcens.* Vide *Tobiæ Eckhardi* Annotationes in N. T. ex Ariſtophanis Pluto pag. 65.

Verſ. 15. Ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς· ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν) Formula illa, ἢν θεὸς θέλῃ, ſæpe utitur *Xenophon*, v. c. in Cyropædia lib. V. pag. 108. bis, pag. 317. & 369. Vide *Raphelii* Annotationes Xenophonteas

pag 332. qui recte ait notandum eſſe ejus ex *ἱππαρχικῷ* pag. 766. locum ita habentem: *εἰ δέ τις τȣ̃το θαυμάζει, ὅτι πολλάκις γέγραπται τὸ σὺν Θεῷ πράττειν, εὖ ἴσω, ὅτι ἢν πολλάκις κινδυνεύῃ, ἧττον τȣ̃το θαυμάσεται.* Alii quoque eandem *εὐφημίαν* commendatam ſibi habuerunt, ubi aliquid inſtituerent. Judæos, Perſas, Arabas, Græcos & Romanos in exemplum producit *Joannes Gregorius* in Obſervationibus ad varia Scripturæ loca cap. XX. De Turcis lege *Thomam Smithum* de moribus Turcarum epiſt. I. pag. 74. de Romanis *Briſſonium* de Formulis pag. 68. de aliis *Rittershuſium* in Sacris Lectionibus pag. 5. & *Picinellum* pag. 745. Nec omitte *Druſium* in Quæſtion. Hebr. lib. III. 24.

καὶ ζήσωμεν, καὶ ποιήσωμεν τȣ̃το ἢ ἐκεῖνο) *Codices* quidam habent *ζήσομεν* & *ποιήσομεν* in futuro. Sed præſtat acquieſcere lectioni receptiori, hoc ſenſu: *ſi DEUS voluerit, & vixerimus, atque adeo agere poſſimus hoc vel illud.* Sic omnia pendebunt ab eadem particula *ἐάν*. Neque tamen improbo *Eraſmi Schmidii* interpretationem: *Si Dominus voluerit*; *&*, ſi *vixerimus*: *&* tunc (dicendum eſſet) *faciemus hoc aut illud.* *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. voce לֻו pag. 431. *τὸ ἐὰν* cum לו Hebraico confert, totamque phraſin ellipticam cenſet, hoc modo ſupplendam: *Si Domino placeat, vixerimusque, ac iſtud vel illud fecerimus*, gratum nobis erit, & beneficio deputabimus.

Verſ. 16. *Νῦν δὲ καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν*) Hanc gloriationem, quæ in futura tendit, eaque ſibi tanquam certa pollicetur, alienam ab omnibus eſſe vult Salomon *Proverb.* XXVII. 1. *μὴ καυχῶ τὰ εἰς αὔριον, ȣ̓ γὰρ γινώσκεις, τί τέξεται ἡ ἐπιȣ̃σα*, quæ eſt *τῶν* LXX. interpretatio. Similiter Cyrus apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. II. pag. 38. *ἀλαζόνα* eum appellat, qui promittat, quæ præſtare non poſſit. Confer *Raphelium* pag. 334. De voce *ἀλαζονεία* lege *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti pag. 75.

Verſ. 17. *Εἰδότι ȣ̃ν καλὸν ποιεῖν κ. τ. λ.*) Inſpice *Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 363. & *Picinellum* pag. 745. Verbum *ποιεῖν* a Codicibus quibusdam & verſionibus abeſt, probante, poſt *Grotium*, *Millio*, in Prolegomenis. Cum autem frequens Apoſtolo ſit *τὸ ποιεῖν*, non video, cur illud etiam h. l. ab eo profectum eſſe non credamus.

CAPUT

CAP. V.

VErſ. 1. *Ἄγε νῦν, οἱ πλούσιοι*) Vide ad IV. 13.

κλαύσατε ὀλολύζοντες) Verbum ὀλολύζειν, ſemel tantum in Scriptoribus Novi Fœderis exſtat, externis alias ſatis frequentatum. Apud hos vero potiſſimum de clamore in ſacris, & precibus ſpeciatim, adhibetur, adeo, ut nonnulli adfirmarint, neminem veterum, niſi de rebus lætis, illud uſurpaſſe. His vero recte ſe oppoſuit *Joſua Barneſius* ad Anacreontem v. 633. cujus hi ſunt verſus:

> *Τὸν δάκτυλον δὲ δηχθεὶς*
> *Τῆς χειρὸς, ὠλόλυξε.*
> *Digitum itaque morſus*
> *Manus* ſuæ *exclamavit* præ dolore.

Ad hæc, inquam, verba *Barneſius* monet, vel ex hoc uno loco conſtare, quam temere Critici ſtatuerint, nemini veterum ὀλολύζω pro θρηνῶ uſurpatum, additque, ſe de hac re dixiſſe, ad *Euripidis* Iphigen. Taur. v. 1137. & ad *Homeri* Odyſſ. γ. v. 450. 'δ. v. 767. & Batrachomyomachiam v. 100. Inſpice præterea de hoc verbo, ut & voce ὀλολυγὴ, commentantes *Iſaacum Caſaubonum* ad Theophraſti Characteres pag. 396. *Ezechielem Spanhemium* ad Callimachum in Palladis lavacrum v. 135. *Joachimum Kuhnium* ad Pollucis Onomaſticon lib. I. Sect. 20. *Elliſium* in Tract. de Cymbalis in calce Fortuitorum Sacrorum pag. 303. *Tiberium Hemſterhuiſium* pag. 7. ad *Lucianum*, quem cupide exſpectamus, & M. *Flachs* de ἅπαξ λεγομένοις hujus epiſtolæ pag. 17. ſeqq. Frequens verbum eſt apud τὺς LXX. & quidem non niſi in *ejulandi*, quæ etiam h. l. obtinet, notione. Ita *Jeſ.* XV. 3. *πάντες ὀλολύζετε μετὰ κλαυθμῶν.* Solent autem ita reddere verbum Hebr. הילִיל, ſicut ילְלָה per ὀλολυγμόν. Nec vox Hebraica ab ὀλολύζειν ita aliena eſt, ut inde non repeti poſſit. Recte itaque *Svidæ* ὀλολυζέτω idem eſt, quod θρηνείτω, & *Etymologo* ὀλολυγὴ idem, quod *μετὰ ἤχυ κλαυθμὸς καὶ θρῆνος*, *Heſychio* autem *Φωνὴ λυπηρά.* Nec præter rem Apoſtolus voce uſus eſt in ſacris acclamationibus olim recepta. Sicut enim illæ magna vocis contentione perfici ſolebant, ita ſignificare voluit divitibus, olim vehementer lætantibus, tales obventuras eſſe calamitates, quas gravi & lugubri ejulatu ſint proſecuturi.

ἐν ταῖς ταλαιπωρίαις ὑμῶν ταῖς ἐπερχομέναις) Calamitates has ad imminens tunc Hieroſolymorum excidium & exilium Judæorum cum *Grotio* refert *Millius* in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum. Sed vide in contrariam ſententiam *Calovium.*

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 2. Ο πλοῦτος ὑμῶν σέσηπε) Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 334. convenienter monet, πλοῦτον heic ſynecdochice accipi pro ſpecie divitiarum ea, quæ putredini ſit obnoxia, cujusmodi v. c. ſunt carnes, fruges fructusque arborum, &c. Idem verbum κατασήπω in activa forma & ſignificatione affert ex *Xenophontis* Cyropædia lib. VIII. pag. 167. Verbum σήπω ex Hebraico סוף derivat *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr.

καὶ τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν) Vide *Picinellum* pag. 745. σητόβρωτα ξύλα quoque dicuntur, de quibus *Salmaſius* de Modo Uſurarum pag. 447.

Verſ. 3. Ο χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται) *ærugine*, vel, *rubigine vitiatum eſt*. *Rubigo* alias ferro tribuitur. Ita *Stobæus* Serm. 38. hanc ſententiam tribuit Periandro, ὥσπερ ὁ ἰὸς σίδηρον, οὕτως ὁ φθόνος τὴν ἔχουσαν αὐτὸν ψυχὴν ἐξαναψήχει: quam *Diogenes Laërtius* lib. V. verbis nonnihil mutatis *Antiſtheni* vindicat. Confer *Frontonis Ducæi* notas in *Baſilium* Tomo IV. Operum, a Garnerio editorum, pag. 753. Senſus eſt, divites aurum & argentum ſuum ita cuſtodiiſſe, ut non majus inde lucrum ipſis vel aliis natum ſit, quam naſci ſolet ex ferro, quod extra uſum diu conſtitutum ærugine tandem corrumpitur. De voce ἰὸς, quæ mox ſequitur, *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Parte I. pag. 399.

ὡς πῦρ· ἐθησαυρίσατε ὑμῖν) Poſt πῦρ *Arabs* & *Æthiops* pronomen relativum ὃ inſerunt, quod temere utique in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, adeo, ut nec rationem additamenti reddiderit, quod alias in lectionum varietatibus facere ſolet. Adeo dubitandum de vocis γνησιότητι non cenſuit, quæ tamen ut a *codicibus* omnibus ignoratur, ita accepta ferenda eſt Interpretibus illis, qui τὸ θησαυρίζειν ad τὸ πῦρ tantum referendum eſſe putabant. Alii poſt ἐθησαυρίσατε addiderunt ὀργὴν, ut *Vulg.* fortaſſe ex *Rom.* II. 5. Sed nec hac voce opus eſſe ex ipſis Pontificiis nonnulli profeſſi ſunt. Vide *Raithii* Vindicias Verſionis Germanicæ pag. 581. Apoſtolus ſummatim per ἐθησαυρίσατε comprehendit pertinax illud ſtudium divitias, veſtes, aurum & argentum congerendi, ut haberent, quo extremis vitæ temporibus uterentur. Non putem, hoc verbo ſimul reſpici ad pœnas inpoſterum v. c. poſt hanc vitam imminentes. Illæ enim jam ex ſuperiore phraſi patebant.

ἐν ἐσχάταις ἡμέραις) i. e. εἰς ἐσχάτας ἡμέρας, *in ultimos dies*, ſicut v. 5. ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς. Vide *Grotium*, *Heinſium* & *Calovium*. Hos vero dies accipio de diebus hujus vitæ, quos divites illi ſibi non minus pollicebantur, quam ille apud *Lucam* XII. 19. ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου, ψυχὴ, ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ κείμενα εἰς ἔτη πολλὰ, ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου. Tantum

tum abeſt, ut de tempore excidii Hieroſolymitani ſermonem eſſe exiſtimem, quod *Grotius* ad h. l. & *Joſ. Mede* in Operibus, Anglice editis, pag. 664. cenſuerunt.

Verſ. 4. Ἰδὲ, ὁ μισθὸς τῶν ἐργατῶν, τῶν ἀμησάντων τὰς χώρας ὑμῶν) ἀμᾶν eſt *metere*, quod patet ex mox ſequenti συνωνύμῳ, θερίζειν. Sic *Ariſtophanes* in Equit. v. 391.

τ' ἀλλότριον ἀμῶν θέρος.
Alienam meſſem demetens.

Lege plura apud *Flacbſium* in diſputatione de ἅπαξ λεγομένοις hujus epiſtolæ, pag. 23. ſeq.

ὁ ἀπεστερημένος ἀφ' ὑμῶν) Per mercedem illam interverſam ſolutio cum penitus non facta, tum procraſtinata, intelligi poteſt. Nam & hanc caveri voluit DEVS *Levit.* XIX. 13. Hujus præcepti, nempe μισθὸν πένητος αὐθημερὸν ἀποδιδόναι, duas rationes adfert *Philo* pag. 704. Operum. In Synopſi *Sohar* pag. 100. n. 45. ita: *Cum pauper opus aliquod ſervile peragit in domo quadam, halitus ab ore ipſius prodiens ſub gravi illo labore ad noctem usque ſurſum aſcendit. Væ igitur illi patri familias, qui mercedem ejus retardat!* Obſervavit locum *Schœtgenius.*

Verſ. 5. καὶ ἐσπαταλήσατε) Vide nos ad 1 *Timoth.* V. 6.

ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν) Ἐθρεψάμην rectius dici media forma, quam ἔθρεψα, contendit *Thomas Magiſter* in vocibus Atticis pag. 85. non minus heic, quam alias ſæpe, judicio ſuo falſus. *Platonis*, *Demoſthenis* & *Pauſaniæ* exempla a Cl. *Georgio* in Hierocritico N. T. pag. 120. allata rem conficiunt. *Plato* in Epinomide pag. 1012. B. παλαιὸς γὰρ δὴ τόπος ἔθρεψε τὰς πρώτας ταῦτα ἐννοήσαντας.

ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς) Hæc in unius *Æthiopis*, qui non habet, gratiam ex interpretamento nata credit *Millius* in Prolegomenis §. 1217. Non perſpicio ego, cur comparatio hæc ab Apoſtolo non æque profecta videri debeat, quam illa v. 3. φάγεται τὰς σάρκας ὑμῶν ὡς πῦρ. Phraſin ipſam recte verteris, *tanquam in diem mactationis*, ὡς εἰς ἡμέραν σφαγῆς, ut v. 4. Per illum enim diem non diem conviviorum, poſt victimas σωτηρίας celebratorum, cum *Grotio* aliisque, & nuper admodum *Blackwallo* in Claſſicis Sacris Tomo II. pag. 183. intellexerim, tanquam quem lætum ſibi ſumſerint; ſed *diem cædis*, h. e. judicii in eos exercendi, hoc ſenſu, quod inſtar pecorum, cædi deſtinatorum, paverint ſe & ſaginarint lurcones Ita ut ſtatuam, eo inprimis adducor, quod ἡμέρα σφαγῆς nusquam de *epuli die* occurrit, quæ ab altera parte a τοῖς LXX. de die cædis adhibetur. Sic *Jerem.* XII. 3. ἅγνισον αὐτοὺς εἰς ἡμέραν σφαγῆς. XXV. 34. ὅτι ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι ὑμῶν εἰς σφαγήν. Confer *Heinſium* in h. l. Alteram illam interpreta-

pretationem ex eo natam puto, quod non appareret, quomodo deliciæ illæ & comeſſationes *tanquam in die mactationis* factæ dici poſſint. Quod ſi vero τὸ ἐν pro εἰς poſitum cenſeas, hoc, quicquid eſt, dubii evaneſcet. Ita Germani noſtrates proverbialiter de vorace dicunt, *vorare eum, quaſi cras ex furca pendere debeat*. Ceterum elegantiſſima eſt hæc Apoſtoli locutio, ex qua ſimul intelligere poterant homines ejusmodi, quam funeſta fata ſibi a Summo Numine immineant, dum lætando & luxuriando lætos ſumerent dies.

Verſ. 6. κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον) Per δίκαιον multi Chriſtum intelligunt, tanquam qui ὁ δίκαιος appelletur κατ᾽ ἐξοχὴν. (conf. *Matth.* XXVII. 19. 24. *Luc.* XXIII. 17. *Actor.* III. 14. & VII. 52.) ut ſic Judæis divitibus in memoriam revocetur cædes Domini noſtri olim patrata. Vide in hanc ſententiam præter antiquiores *Braunium* in Selectis Sacris pag. 153. *Waſſium* in Bibliotheca Literaria, anglice edita, Sect. I. num. 3. *Whiſtonum* in Conatu contextum Hebr. reſtituendi pag. 97. Anonymum Anglum, qui eſt *Zachar. Pierce*, in epiſtolis duabus ad F. V. de nova editione Novi Teſtamenti, quam *Richardus Bentlejus* tunc moliebatur, ſcriptis pag. 8. atque hinc in Bibliotheca Anglicana Tom. X. Part. I. pag. 87. ex noſtratibus autem Cl. *Chriſtoph. Wolle* in diſſertatione de Parallelismo Novi Teſtamenti verbali cum ſeptuaginta virali caute inſtituendo pag. 17. ſeqq. Speciem habet hæc expoſitio, ſed non talem, quæ rem penitus perſuadeat. Apoſtolus enim, ut cap. IV. 1. ſeqq. vitia inter Judæos, ad Chriſtum converſos, obſervata caſtigat, & ſpeciatim v. 2. τοῦ φονεύειν καὶ ζηλοῦν meminit; ita hoc etiam capite non Judæos, a Chriſto adhuc alienos, quod plerique hujus interpretationis patroni exiſtimant, adloquitur, ſed eosdem Pſeudo-Chriſtianos, tanquam tales, qui & ipſi homines juſtos opprimere non verentur. Placent *Calovii* verba ad h. l. *Agitur de Judæis ad religionem Chriſtianam converſis. Neque mortem Chriſti divitibus imputat Scriptura, ſed principibus & Sacerdotibus Judæorum. Et conſolatio oppreſſorum ſubjuncta*, patientes igitur eſtote, *ſatis docet, non intelligi Chriſtum, ſed pauperes, quibus vim inferebant iniqui divites.*

οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν) *Richardus Bentlejus*, vir alioquin eruditiſſimus, ingenio heic habenas nimis laxavit, quando, contra omnium *codicum* & verſionum quoque fidem, pro οὐκ legi voluit ὁ Κύριος, opinatus, primum quidem in codicibus per compendium ſcriptum fuiſſe literis majuſculis ΟΚΣ, ex quo librarius incurioſus τὸ ΟΥΚ confinxerit. Ita vero ſtatuit in *Remarks upon a late diſcourſe of frythinking*, quas ſub Phileleutheri Lipſienſis nomine edidit pag. 74. In hanc vero conjecturam tanquam audaciorem & parum veriſimilem recte animadverterunt præter Anonymum Anglum in epiſtolis duabus modo appellatis, ex noſtratibus Venerab. *Moshemius* lib. I. Obſervationum Sacrarum in Belgio editarum pag. 95. & *Wollius* loc. cit.

Idem

Idem Anglus Anonymus, mutata interpunctione, ſenſui verborum conſuli poſſe exiſtimans, phraſin interrogative accipiendam putat: *ὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν;* hoc ſenſu: *an non Chriſtus, juſtus ille, nunc, in cælis exſiſtens, vobis reſiſtit?* Parum abit Cl. *Wolle* loc. cit. *nonne reſiſtat vobis?* h. e. *Putetisne unquam accidere poſſe, ut ILLE veſtrum hoc adeo nefandum, quod nunc, licentius viventes, in minimis ponitis, impune ſinat abire flagitium? Cavete, id vobis perſuadeatis.* Enimvero nova hæc interpunctio illud præſtruit, quod *ὁ δίκαιος* de Domino noſtro ſit interpretandus. Id vero nondum liquere ex iis patet, quæ diximus, quæque perſuadent potius, ut juſtum quemvis intelligendum credamus. Ponamus, rem ita habere, jam de ſenſu ſatis conſtiterit. Apoſtolus ait: *condemnaſtis, occidiſtis juſtum, vobis non reſiſtentem.* Verbum ſcilicet præſens *ἀντιτάσσεται* participii ſignificatum habet. Sic codex *Stephani* unus, a *Millio* allatus, in contextu legit *ἀντιτασσόμενον,* quod procul dubio ex interpretamento marginali natum eſt. *Grotius* quoque recte monuit, *verbum* pro *participio* poni. Tota Apoſtoli dictio emphatica eſt, ac propterea *ἀσύνδετος.* Dixit: *ἐθρέψατε - - κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον· ὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν.* Idem utique eſt, ac ſi ſcripſiſſet: *καὶ ὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν,* quod *καὶ* etiam *Vulg.* ſenſus cauſa expreſſit. Neque mirum videri debet, quod *Jacobus* prædicatum hoc *juſto* addiderit. Id enim eo fit conſilio, ut indignum hoc facinus tanto magis in oculos incurrat. Qui enim hominem innocentem, ac præterea patientem injuriarum, quibus fortaſſe reſiſtere poterat, opprimit, duplici flagitio eſt obnoxius.

Cl. *Schœtgenius* pag. 1031. Horarum Hebraicarum *τὸ reſiſtere* de DEO accipi vult, hoc ſenſu: *quamvis vos, impii, huc usque egenos oppreſſeritis, Deus tamen nondum ſe vobis ipſa re hoſtem exhibere voluit: hinc opus eſt, ut vos, o fratres pauperes, patientiam usque ad adventum Domini exhibeatis.*

Verſ. 7. *Μακροθυμήσατε ὖν, ἀδελφοὶ, ἕως τῆς παρυσίας τῦ Κυρίυ*) Adventum illum Domini de adventu particulari ad puniendos Judæos, tum excidio Hieroſolymorum, tum gentis totius exilio, accipiunt ii omnes, qui *τὰς ἐσχάτας ἡμέρας* eadem ratione interpretantur. Confer *Joſ. Mede* in Operibus, Anglice editis, pag. 708. & *Lightfootum* loco mox citando.

ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον) *Ὑετὸν* omittunt *Steph. ιγ. Vulg.* & *Æthiops.* Recte id omnino fieri videtur *Millio* in Prolegomen. §. 1208. *πρώϊμον enim,* inquit, *& ὄψιμον in Sacris literis etiam* de fructu terræ *dicitur, ut in hoc loco.* (*unde* Antiochus hom. 110. *habet καρπὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον.*) *Lector quiſpiam, hoc ignorans, ne ſententia laboraret, adjecit ὑετόν.* Poterat & Interpres *Coptus* addi, qui apud *Wilkinſium* pro *pluvia* habet *fructum.* Sed vel ſic receptior lectio *ὑετὸς* locum ſatis tuetur. Quos enim idem Scriptu-

Digitized by Google

ræ locos *Deuteron* XI. 14. *Jerem.* V. 24. *Hoſ.* VI. 3. *Joël.* II. 23. *Zach.* X. 1. adduxit, illam, quam heic ſtatuit, ſignificationem probaturus, illi omnes de pluvia matutina & ſerotina agunt. Agricola itaque utramque pluviam in frugum incrementum, meſſisque ubertatem exſpectare jubetur. Conf. *Whitbii* Examen pag. 78. De dulci ſpe agricolarum ex externis Scriptoribus nonnulla heic adfert *Picinellus* p. 745.

Verſ. 9. ἵνα μὴ κατακριθῆτε) κριθῆτε hic habent præter *codices* multos edit. *Eraſmi* prima, priores duæ *Rob. Stephani*, & *Aldin.* nuper vero Græco Anglicana Londinenſis. Senſus utrinque idem eſt: nam & κρίνειν idem ſæpe eſt, quod κατακρίνειν, quod ſupra monuimus.

ἰδοὺ, κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν) Hæc verba una cum antecedentibus aliquot illuſtrat *Lightfootus* in concione ſingulari, quæ exſtat Tomo II. Operum ejus, Anglice editorum, p. 1116-1121. Judicium vero illud more ſuo interpretatur de illo, quod ſub everſionem Reipublicæ Judæorum imminebat. Nec aliter *Braunius* in Selectis Sacris p. 154.

Verſ. 10. Τοὺς προφήτας, οἳ ἐλάλησαν τῷ ὀνόματι Κυρίου) *qui locuti ſunt in nomine* (h. e. mandato) *Domini.* Τὸ ἐν deeſt in codicibus plerisque, quod tamen nonnulli exhibent. Plenam phraſin habes v. 14.

Verſ. 11. Ἰδοὺ μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας) Vide *Picinellum* pag. 745.

τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε) Quam efficaciter Jobus in patientiæ exemplum adferatur, oſtendit *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 677. ſeqq. Verbum ἠκούσατε de *lectione* accipi h. l. poſſe, oſtendit *Raphelius* in Annotationibus Polybianis & Herodoteis. *Lectores* enim a Græcis ſæpe ἀκούοντες appellantur. *Polybius* pag. 205. ἐπὶ τί δ' ἂν μᾶλλον συγγραφεὺς ἐπιστήσαι τοὺς ἀκούοντας; *ubi potius, quam heic, ſcriptor hiſtoriæ attentionem* lectorum *excitet?*

καὶ τὸ τέλος Κυρίου εἴδετε) Cave hic de exitu ſeu fine Domini noſtri JESV CHRISTI cogites. De illo enim *fine* ſermo eſt, quem DEVS calamitatibus Jobi hinc *deſtinaverit*, hinc *fecerit*; ut ſcilicet, quod ſtatim ſequitur, miſericordia DEI manifeſta fieret. Confer *Surenhuſium* loc. cit. & *Schœtgenium* pag. 1031. qui phraſin hanc cum illa Hebræorum סופו של יהוה, i. e. *finis, quem DEVS fecit*, comparat. Scilicet eodem commate, hinc calamitates & patientia Jobi, hinc felix earum exitus, divino beneficio conciliatus, indicatur.

πολύσπλαγχνος) *Codices* pauci habent πολυεύσπλαγχνος, quod Apoſtoli eſſe non dubitat *Millius* in Prolegom. §. 1108. ideo, quia mirum non ſit, ſi vocabulum hoc, tanquam ἅπαξ λεγόμενον, ab aliis in receptius mutatum fuerit. Hæc vero ratio rem non confecerit. Nam & alterum illud

illud πολύσπλαγχνος eſt ἅπαξ λεγόμενον, nec vel Scriptoribus Sacris, vel τοῖς LXX. receptum, fruſtra quoque adhuc apud externos quæſitum. Origo itaque τῦ πολυεύσπλαγχνος in eo potius quærenda videtur, quod criticus aliquis πολύσπλαγχνος, alibi non obvium, per εὔσπλαγχνος ex *Epheſ.* IV. 32. & 1 *Petr.* III. 8. exponendum in margine putavit, alius autem gloſſema hoc cum πολύσπλαγχνος conjunxerit. Non raro enim gloſſemata contextum ipſum tandem occuparunt. Scilicet πολύσπλαγχνος idem eſt, quod εὔσπλαγχνος.

Verſ. 12. Πρὸ πάντων δὲ, ἀδελφοί μου, μὴ ὀμνύετε κ. τ. λ.) Vide *Curas* has ad *Matth.* V. 34. & *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Parte III. p. 625. ſeqq.

ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε) ita *Curcellæus*: nec aliter *Stephanus* ιϛ. *Alexand. Covel.* 2. tum verſiones, *Syr. Lat. Æthiops, Arabs*, & *Coptus* Wilkinſii. At εἰς ὑπόκρισιν habent codices MSti plures & editiones primæ, quas & B. *Lutherus* noſter ſecutus eſt, defenſus hoc nomine a *Raithio* in Vindiciis Verſionis Germanicæ pag. 582. Pro utraque ſcriptione paria militant argumenta, & utrobique commodus naſcitur ſenſus, ſive vertas: *ne in condemnationem*, ſive, *ne in hypocriſin incidatis.* Itaque mirum non eſt, ancipitem heic fuiſſe *Millium.* In notis enim ad h. l. priorem, in Prolegomenis autem §. 1208. poſteriorem magis probat. Lectionem ὑπὸ κρίσιν tuetur inprimis *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Eam putat primo ab Apoſtolo profectam, poſtea vero factum fuiſſe credit, ut duæ voces ὑπὸ κρίσιν in unam coaleſcerent, ὑπόκρισιν, cui deinde alius præpoſitionem εἰς addiderit, ut ſenſus, qui alioquin non conſtabat phraſi, ὑπόκρισιν πέσητε, commodus prodiret. Pro altera, εἰς ὑπόκρισιν, lege, quæ poſt *Grotium* & *Heinſium* B. *Calovius* noſter diſſeruit. Atque in his acquieſco. Confer tamen, quæ pro illa ὑπὸ κρίσιν diſſerit Vener. *Pfaffius* in diſſertatione de Variantibus Lectionibus Novi Teſtamenti p. 243.

Verſ. 13. Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω κ. τ. λ.) Verba commatis hujus exponit *Seldenus* de Synedriis Hebræorum lib. II. cap. 7. pag. 747. ſeq. De vi precum ad amoliendam animi ægritudinem vide, quæ Patrum & externorum Scriptorum loca recitat *Picinell.* p. 746.

Verſ. 14. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν κ. τ. λ.) Ad hæc commentantur ex noſtratibus *Jo. Andreas Schmidius* in diſputatione ſingulari de curatione morborum per oleum ſanctum, Jenæ 1695. edita, hinc vero in Decade Diſſertationum ejus Hiſtorico-Theologic. recuſa, *Iſaacus Fauſtius* in diſſertatione, Argentorati 1690. habita, pro *Luthero* & *Chemnitio* contra extremam unctionem Pontificiorum, *Salomon Deylingius* in Obſervationibus Sacris Parte III. Obſervat. XLVIII. pag. 376. ſeqq. *Th. Bartholinus* de morbis Biblicis p. 122. ubi de curatione morborum per oleum apud veteres Chriſtianos, *Joannes*

Digitized by Google

Saubertus in Operibus Poſthumis pag. 253. *Thomas Ittigius* in Selectis Hiſt. Eccleſiaſt. capitibus Sec. I. cap. 7. Sect. V. §. 1. *Joannes Albertus Bengelius* ad Chryſoſtomi libros de Sacerdotio §. 196. & *Petrus Zornius* in Opuſc. Sacr. Tom. I. pag. 338. ſeq.

Ex Reformatis lege *Joannis Marckii* Exercitationem Textualem XLV. pag. 415. ſeq. *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 37. ſeqq. & pag. 1049. *Ludovicum Chriſtianum Miege* de Medicis extraordinariis Novi Fœderis p. 6. *Braunium* in Selectis Sacris pag. 154. *Joannem Dallæum* de Extrema unctione lib. I. cap. 3. & *Campegium Vitringam* in Archiſynagogo pag. 406. ſeqq.

Ex Anglis huc ſpectat *Seldenus* de Synedriis Hebr. lib. II. cap. 7. §. 11. ſeqq.

Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν;) De *moribundo* hoc intelligi vult *Seldenus* loc. cit. quod tamen rectius de morbo quocunque accipi oſtendit *Vitringa* in Archiſynagogo pag. 412. docens ſimul, locum Gemaricum ad *Schabbath* cap. XXIII. §. 5. de *clauſione oculorum mortui*, h. e. ut *Seldenus* vult, *moribundi per oleum* huc non pertinere, quam in rem *Marckium* quoque lege in Exercitatt. Textual. pag. 432. ſeqq. *Ἀσθενεῖν* & *ἀσθένεια* de *morbo* & *ægrotis* non ſolum in N. T. frequenter adhibetur, ſed & אסתנים & איסתנים *ægroti*, voce a Græcis mutuo ſumta, in codicibus Talmudicis paſſim appellantur. Vide *Eliam Levitam* in *Tisbi* ſub hac voce, quam de eo interpretatur, שיש לו נפש צרה, *cui anima vel vita ægra eſt.*

προσκαλεσάσθω τὺς πρεσβυτέρυς τῆς ἐκκλησίας) i. e. *advocet unum ex presbyteris*, more loquendi, tum alias, tum Hebræis inprimis recepto. Vide *Geneſ.* VIII. 4. & *Judic.* XII. 7. Qui *Presbyteri* ſint in tabulis Novi Fœderis, alibi in his *Curis* diximus. Hebraice dixeris זקני הכנסת vel הקהלה. Eos *Seldenus* loc. cit. de quibusvis, etiam זקני השוק *Presbyteris plateæ* & *idiotis* exponit, recte renitente *Vitringa* pag. 414. cum phraſeos hujus uſus conſtans in contrariam partem vergat. Heic obſervatu dignum eſt, *Adrianum* Imperatorem, in epiſtola ad *Servianum* Conſulem data, & apud *Vopiſcum* in *Saturnino* legenda hæc habere: *Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo* Chriſtianorum Presbyter, *non Mathematicus, non aruſpex, non aliptes.* Vbi *Chriſtianorum Presbyter* nonnullis reſpondere viſus eſt *aliptæ* i. e. unctori. Vide quæ de hoc loco poſt *Salmaſium* & *Caſaubonum* ad *Vopiſcum* in Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ commentati ſunt *le Moyne* loc. cit. pag. 38. & *Vitringa* loc. cit. pag. 415. ſeqq.

καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν) *& precentur pro eo.* Vide *Richardi Simonis* Hiſtoriam Criticam Verſionum Novi Teſtamenti pag. 467. Malim tamen h. l. vertere *ſuper eum*, cum, quæ a præſentibus Presbyteris preces

pro

pro ægroto fiebant, etiam *ſuper eum* inſtituerentur. Salutarem precum pro ægrotis uſum Judæi hinc inde commendant. Locos habes apud *Wagenſeilium* ad Sota pag. 685. & *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1031. Adde ſingulare R. *Chaninæ* exemplum ex *Berachoth* cap. V. §. 5. a *Ludovico Cappello* in Spicilegio notarum ad Novum Teſtamentum allatum pag. 132. Sunt qui hæc ab Apoſtolo non tam *juberi*, quam *concedi* & permitti petenti putant, inprimis quod ad olei uſum attinet. Ita jam olim *Michaël Servetus* in Reſtitutione Chriſtianiſmi pag. 562. ſeq. *Sed quid*, inquit, *de illa in ſanandis ægris olei unctione, qua utebantur Apoſtoli, qua nec lex, nec Chriſtus uſi leguntur? Reſpondeo: quemadmodum Chriſtus, dicens:* cum jejunas, unge caput tuum; *unctionis uſum fuiſſe docet, non unctionis præceptum dat; ita Apoſtoli, unctione ſolita utentes, unctionem illam non inſtituunt. Hoc docent Jacobi & Marci verba, quæ ſunt tantum enunciativa.* Apoſtoli, *inquit*, ungebant oleo multos ægros, & ſanabant, *Marc.* VI. *Jacobus, inter Judæos agens, in circumciſione & plerisque aliis Judaïzans, docet Presbyteros ſuper infirmum orare, quando eum ungunt* Jac. V. Orent, *inquit*, ſuper infirmum, ungentes eum oleo &c. *Unde Phariſaïca colligitur traditio, quæ in lege non ita ſcribitur.* Lege reliqua in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 754. ſeq. Eadem eſt *Seldeni* de nuda permiſſione ſententia. Sed hæc quidem ideo admitti non poteſt, quoniam unctionis uſus cum illo precum conjungitur, atque adeo uterque eadem ratione præcipitur. Non obſtat, quod *Servetus* credidit, participium ἀλείψαντες. Frequens enim in ſacris literis hic participii uſus eſt, ut jungatur verbis imperandi, eandemque, quam illa, vim obtineat. Sic *Epheſ.* VI. 17. *καὶ τὴν περικεφαλαίαν τῦ σωτηρίυ δέξασθε - - διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως προσευχόμενοι ἐν παντὶ καιρῷ ἐν πνεύματι, καὶ εἰς αὐτὸ τῦτο ἀγρυπνῦντες.* Nemo dubitaverit, hoc loco non minus preces & vigilantiam, quam galeæ ſalutis uſum, præcipi. Proinde dubium non eſt, Apoſtolum oleum inprimis ad ſanandos ægrotos una cum precibus adhiberi voluiſſe. Taceo, unctionem illam non nude, ſed *ἐν ὀνόματι Κυρίυ*, h. e. invocato ſimul divino Numine, auxilioque ejus implorato, præcipi.

ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν ὀνόματι τῦ Κυρίυ) Fuit, qui per *oleum* illud *commoda medicamenta, ſanandis ægris apta*, indicari putaret, confutatus ab *Ittigio* in Selectis capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sec. I. pag. 433. Nec quicquam eſt, quod a conſueta vocis notione recedere nos jubeat, inprimis, cum oleum ægrotis ſanandis adhibitum fuiſſe ab Apoſtolis ex *Marc.* VI. 13. conſtet. Ratio porro in promtu eſt, cur oleo inprimis uſi ſint. Conſtat enim, veteres illud commendatum ſibi habuiſſe. De *Judæis* luculenta teſtimonia attulit *Joannes Lightfootus* in Chronic. Temporum ad epiſtolam Jacobi, & in Horis Hebraicis ad *Matth.* VI. 17. & *Marc.* VI. 13. De paganis, Græcis & Romanis teſtantur *Jatraliptæ*, ab illis paſſim commemorati.

morati. Vide *Antonii van Dale* Antiquitates Diſſertat. VIII. pag. 718. *Joannem Rendtorfium* ad Anatolii fragmentum apud *Fabritium* Bibliotheca Græca lib. VI. cap. 29. pag. 307. & *Chriſtianum Andream Eſchenbachium* in Diſſertationibus Academicis, ubi de Vnctionibus Gentilium non ſacris c. III. pag. 406. exponit. Veri itaque ſimile eſt, Apoſtolos oleum inprimis curandis ægrotis ideo adhibuiſſe, ut conſtaret, uſum ejus, precibus junctum, apud Chriſtianos præſentiorem medicinam adferre, quam apud Judæos vel paganos fieri ſolebat. B. *Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 253. præeunte fere *Lightfooto*, præceptum hoc Judæis potiſſimum oppoſitum ſuſpicatur, qui tum temporis in curandis morbis, amuletis aliisque magicis remediis ac muſſitatione inprimis uſi ſint, atque has incantationes cum olei adplicatione conjunxerint. Apoſtolum itaque omnia illa ſuperſtitionis documenta ab Ex-Judæis, ad quos ſcribebat, aliena eſſe, & oleum tantum cum precibus conjungi voluiſſe.

Quamvis igitur olei uſus ex conſuetudine, tunc recepta, convenienter repeti poſſit, nolim tamen exiſtimare, eidem ab Apoſtolo naturalem quandam ægrotos ſanandi vim h. l. adſcribi. Ita quidem cenſet Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1033. *Notum eſt*, inquit, *oleum terræ Judaicæ magnam habuiſſe vim ad confortandum hominem infirmum. Vnde & Samaritanus vulnera illius, qui in latrones inciderat, oleo infuſo curabat. Et peregre abituri oleum ſemper ſecum habebant, quo membra feſſa reficerent. Adeoque unctio iſta fuit mere naturalis, non miraculoſa. Monitum vero Jacobi eo tendit, ut in morbis non ante de Medico, quam de precibus cogitemus, id quod & in Achaſia, Rege Iſraëlitarum, in ſacris reprehendi legimus.* Non crediderim, hoc tantum conſilio Apoſtolum hæc attuliſſe. In eo potius erat, ut oſtenderet, quanta precum, ad DEVM ex fide factarum, vis ſit, tanta ſcilicet, ut, quæ alias per naturam rei fieri non poterant, illarum ope miraculoſe perficiantur. Propterea v. 15. diſerte ait: *εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος.* Sed etiam v. 17. ad *Eliam* provocat, precibus ſuis pluviam non ſine miraculo hinc prohibentem, hinc impetrantem. Et quomodo, quæſo, de naturali medendi vi olei loqui Apoſtolus credi poteſt, qui, ſine facto morborum diſcrimine, ægrotis illud adhibendum ſuadeat, quod tamen ad omnia morborum genera amolienda adhiberi poſſe nemo dixerit. Itaque crediderim, externum hoc remedium ab Apoſtolo heic ſuaderi, non quaſi illud per ſe medicinam præſtare poſſit, ſed quod ſingulari divini Numinis auxilio, ad factas in fide preces, ſit præſtiturum. Similiter ſymbola illa externa, quibus Dominus noſter in curandis ægrotis uti interdum conſueverat, nullam illis medendi vim per ſe habebant, ſed ad excitandos potius ſpectantium oculos & animos pertinebant. Malim igitur in eorum ſententia acquieſcere, qui h. l. extraordinarium quoddam ægrotos, adhibito oleo, ſanandi donum, Chriſtianis naſcentis

Digitized by Google

ſcentis Eccleſiæ conceſſum, intelligunt. Vide, quæ in hanc ſententiam afferunt *Marckius* loc. cit. pag. 421. & *Deylingius* pag. 379. Ex hujus chriſmatis mentione *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum, anglice editis, pag. 349. conficit, hanc Jacobi epiſtolam antiquiſſimam eſſe, cum evincat, eo tempore ſcriptam fuiſſe, quo donum hoc miraculoſum inter Apoſtolos & ordinarios Eccleſiæ Presbyteros viguerit.

Mireris merito, Pontificios huic loco, qui ad ſanandos ægrotos unice pertinet, *Sacramentum extremæ unctionis*, moribundis in animæ, quam putant, ſalutem potiſſimum adhibendum, ſuperſtruere potuiſſe. Ita enim Patres *Concilii Tridentini* Seſſ. XIV. cap. 1. *Sacram hanc unctionem infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum Novi Teſtamenti a Chriſto, Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum* credere jubent. Cordatiores ex ipſis Pontificiis, nominatim *Antonius Pagi* in Critica Baroniana ad annum Chriſti LXIII. & *Joannes Launojus* in libro de Sacramento unctionis infirmorum, fruſtra id fieri agnoverunt; noſtrates vero itemque alii data opera oſtenderunt. Huc ſpectant plerique eorum, quos ſupra in limine commatis hujus appellavi, v. c. *Iſaacus Fauſtius* in diſſertatione ſingulari, *Marckius* in Exercitationibus Textualibus pag. 427. ſeq. & *Dallæus*, quibus alios addit Celeb. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria cap. XI. §. 28. Obiter indicare heic liceat, & *Bellarminum*, & alios ex Pontificiis Sacramenti hujus fictitii cauſam ex epiſtola Innocentii I. qui Sæc. V. rebus præfuit, ad Decentium Eugubinum agere ſolere. Sed ad hanc fruſtra appellari poſt *Jacobum Heilbrunnerum* im uncatholiſchen Pabſtthum pag. 745. *Joannem Gerhardum* Confeſſ. Cathol. pag. 1319. *Calovium* in diſſertatione de Vnctione Extrema, & *Chriſtianum Kortholtum* in Diſquiſitionibus Anti-Baronianis pag. 173. non ita pridem oſtendit Rev. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 469. ſeq.

Nihil egit, ut & hoc moneam, qui hanc ægrotorum unctionem phraſi, a palæſtra & gymnaſio ſumta, in ſignum ſanitatis & corroborationis ab Apoſtolo ſuaderi exiſtimavit, teſte *Jacobo Lydio* in Agoniſticis Sacris pag. 34.

Verſ. 15. Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα) *Seldenus* de Synedriis lib. II. cap. 7. §. 13. pag. 758. hæc ita *bene reddi poſſe* putat: *ſalvum faciet* etiam ipſum *mortuum, pro mortuo* ſcilicet *habitum*, ſeu, *etiamſi de exitu animæ ejus neutiquam dubitaretur.* Itaque τὸν κάμνοντα non de *ægroto*, ſed de *mortuo* accipit. Jam negari quidem non poteſt, *mortuos* Græcis interdum καμόντας appellari, v. c. apud *Homerum*, Odyſſ. λ. v. 475. ubi νεκροὶ & καμόντες eodem ſenſu dicuntur:

- - - ἔνθα τε νεκροὶ
Ἀφραδέες ναίεσι, βροτῶν εἴδωλα καμόντων.
- - - *ubi mortui*
Imprudentes habitant, umbræ hominum mortuorum.

Heſychius quoque, *Suidas*, & *Etymologic. M.* τὸ κάμνειν etiam per ἀποθνήσκειν interpretantur, ut alia, a *Seldeno* allata, omittam. Hinc factum eſt, ut *Bellarminus*, pro Sacramento extremæ unctionis militans, hanc verbi ſignificationem urgeret. At enim vero iidem, quos dixi, Lexicographi, verbo κάμνειν *morbi* quoque ſignificationem tribuunt, & *Homerus* Iliad. ψ. v. 444. γῦνα καμόντα *genua laſſata* appellat. Græci Interpretes *Job.* X. 1. κάμνοντα τῇ ψυχῇ Jobum valde adflictum vocant. Itaque verbi hujus notio, ut alias, ſic hoc quoque loco ex περικειμένοις fingenda eſt. Jam vero Jacobus loquitur v. 14. de ægroto, ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; nec proinde ὁ κάμνων alius eſſe poteſt, quam ἀσθενῶν. Super quem enim, ut ἀσθενῶντα, oleo unctum, preces fieri volebat, eundem, ut κάμνοντα, a morbo liberatum iri pollicetur. Lege alia in eandem ſententiam a *Svicero* Tomo II. Theſauri Eccleſ. pag. 29. ſeq. & *Deylingio* loc. cit. pag. 381. allata. *Werenfelſius* in Sylloge Diſſertationum pag. 473. morbos hos præcipue de θεηλάτοις, & a Deo ob certa peccata extraordinario modo immiſſis, accipiendos ſuſpicatur ex phraſi ſequente, *&, ſi peccata commiſerit*, ἀφεθήσεται αὐτῷ, hoc ſenſu: ſi Deus huic homini morbum inflixit in pœnam certorum peccatorum, Deus pœnam iſtam ægroto ad interceſſionem fratrum remittet, morbumque propterea immiſſum ab ipſo auferet. Admitti hæc conjectura poſſit, modo preces illæ, ex fide factæ, non ad intercedentes alios tantum, ſed & ad ægrotum ipſum referantur, tanquam peccata ſua confitentem (confer v. 16.) & remiſſionem eorum quærentem.

καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος) *& eriget eum Dominus*, ſcilicet ex morbo. Ita Chriſtus προσελθὼν ἤγειρε ſocrum Petri, ex morbo decumbentem, *Marc.* I. 31. h. e. ἰᾶτο αὐτήν, interprete *Theophylacto*. Scilicet Latini *ſurgere* dicunt eos, qui ſanitatem recuperant: & *Herodotus* lib. I. pag. 9. ait: αὐτὸς ἐκ τῆς νόσε ἀνέστη. Vide *Grotium* & *Raphelium* ad h. l. in Annotationibus Herodoteis. Itaque nec verbum ἐγείρειν cum *Seldeno* pag. 737. de excitatione mortui, ut *Matth.* X. 8. accipi debet. Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra T. II. pag. 387. & *Svicerum* Tom. I. p. 986.

κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ) Codices aliquot legunt ἀφεθήσονται, procul dubio ex eorum ingenio, qui verbum ſingulare cum voce fœminini generis in plurium numero poſita, conjungi non poſſe putabant, quod in vocibus neutrius generis, v. c. ἁμαρτήματα alias locum habere conſtat. Enimvero non tam ad vocem, quam ad rem, voce indicatam, reſpexiſſe Apoſtolus dici poteſt, niſi cum *Werenfelſio* loc. cit. ſubintelligere

ligere malis τὸ, πεποιηκέναι ἁμαρτίας. *Hammondus* & cum eo *Wallius* in Notis Criticis pag. 349. vertunt: *abſolutio illi dabitur.* Pertinet huc, quod Hebræi dicunt *Nedarim* fol. 41. 1. *Nullus ægrotus a morbo ſanatur, donec ipſi omnia peccata remiſſa ſint.* Confer *Schœtgenii* Horas Hebraicas ad *Matth.* IX. 2.

Verſ. 16. Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα) Ad Clinicorum pœnitentiam hæc refert Anonymus Anglus in libro, quem inſcripſit: *the penitential diſcipline of the primitive church.* Confer *Petri Zornii* Opuſcula Sacra Tomo I. pag. 716. & 718. *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 530. b. τοὺς ἀλλήλους de iis tantum accipi vult, quibus peccata remittendi facultas data ſit, quo ſenſu 1 *Pet.* IV. 9. φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους eſſe jubeantur, ii ſcilicet, qui ex bonis ſuis tales eſſe poſſint. Sed non opus eſt hoc temperamento. Apoſtolus non agit de confeſſione peccatorum, eo fine inſtituta, ut remiſſio eorum a verbi divini miniſtris impertiatur, ſed de illa potius, quæ eo ſpectet, ut mutuæ fiant preces ad recuperandam valetudinem. Hæ vero preces rectius ad Deum fieri poterant a fidelibus, ſi ægrotus peccata ſua, in proximum patrata, profiteretur, atque ſic alios adduceret, ut pœnitentis cauſam & conditionem in precibus ſuis Deo eo ardentius ad amovendam morbi originem, & morbum ipſum commendarent. Ita ut Apoſtoli verba accipiamus, contextus ipſe, & inprimis finis, ὅπως ἰαθῆτε, poſtulat. Scilicet de illis tantum peccatis h. l. ſermo eſt, quæ alter in alterum commiſit, quorumque veniam ab altero poſcit. Quemadmodum enim v. 15. de peccatis in Deum commiſſis præcipue dixerat Apoſtolus; ita nunc v. 16. de peccatis, quæ proximum ſpectabant, exponit, eaque, facta mutua profeſſione, tolli vult, ut mutuus inter fideles amor atque hinc orta ad Deum precatio rectius conſtaret. Confer, quæ in eandem ſententiam dicit B. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 631. Mutuam illam peccatorum confeſſionem fieri externi quoque voluerunt. *Arrianus* Expedit. Alex. lib. VII. cap. 29. *Vnicam*, inquit, *peccati medicinam eſſe cenſeo*, ὁμολογεῖν τε ἁμαρτόντα, peccata confiteri, *manifeſtumque pœnitentiæ documentum edere. Nam, qui injuriam accepit, non ita graviter læſum ſe judicat, ſi iis, qui læſit, perperam ſe feciſſe fateatur: & bona alicui ſpes ſit, ſe non amplius injuria affectum iri, ſi eum, qui affecit, pœnitentiam facti ſui præ ſe ferre appareat.* Obſervavit locum *Jo. Alberti* pag. 453. De Hebræis lege *Schœtgenium* pag. 1033.

πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη) Verbis his lucem affundunt *Alethæus* in der Erläuterung Tom. IV. pag. 350. ſeqq. & *Gerhardus Outhovius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 457. ſeqq. Dubia inprimis eſt vocis ἐνεργουμένη ſignificatio, utrum nempe active an paſſive accipi debeat. Accipe *Joannis Arrowſmithi* verba ex Tacticis Sacris pag. 243. *Crux Interpretum*, inquit, *illa vox ἐνεργουμένη.* Aſſidua; *ſic* Vulg. *ſed abſque omni ad vim*

vocis analogia. Efficax; *ſic* Beza, *multo quidem melius. Verum, ſi ſic interpretemur, ſuperfluum videbitur illud* πολὺ ἰσχύει, *vel hoc participium* ἐνεργουμένη. *Quod enim multum valet, illud eſt efficax; &, quod efficax eſt, illud multum valet: imo, quia multum valet, ideo efficax eſſe dicitur, &, quia eſt efficax, multum valere. Videamus itaque, an non poſſit produci expoſitio, non ad rem ſolummodo noſtram, ſed & ad Apoſtoli mentem accommodatior.* Hilarius ἐνέργειαν *alicubi* (in 1 *Corinth.* XII. 6.) *vertit* inoperationem. *Nove quidem*, ait *Beza, ſed non inepte, nec infeliciter. Quidni itaque* δέησις ἐνεργουμένη, *ſit oratio, quam intus in nobis operatus eſt Spiritus? Certe* ἐνεργούμενοι *dicuntur, qui a dæmone correpti ſunt, & aguntur malo ſpiritu: fortaſſis & heic apud Jacobum oratio dicitur* ἐνεργουμένη, *quæ a Sancto Dei Spiritu nos intus agente dictata & formata eſt in cordibus noſtris.* In margine idem monet *Aretam* in Apocalypſ. VI. dicere: προφῆτις ἐνεργουμένη πονηρῷ πνεύματι, i. e. *Prophetiſſa a malo ſpiritu agitata.* Hanc *Arrovvſmithi* interpretationem nuper amplius ornavit Cl. *Outhovius* loc. cit. ubi primo loco contendit, verbum ἐνεργεῖσθαι, ut & ἐνεργουμένη, novies in N. T. occurrens, ſemper *paſſive* poſſe exponi. Porro autem pag. 477. duas ita de hoc loco ſentiendi rationes affert. Altera eſt, quia non valet oratio, nec multum valere poteſt apud Deum, quæ caret hac energeia, ſeu efficace operatione Spiritus Sancti. Altera iſta, quia Spiritus Sanctus eſt, qui preces in nobis formare debet, & cujus inſtinctu ac inflatu Deum orare debemus, ut Paulus docet *Rom.* VIII. 26. At rem non perſuadet vir doctus. Locos illos Novi Teſtamenti, qui adferuntur, non omnes ſignificationem paſſivam admittere, ſatis oſtendiſſe mihi videor ad *Rom.* VII. 5. ubi idem de 1 *Theſſal.* II. 13. probavi. Hi vero duo loci ſunt inter novem illos, quos pro cauſa ſua adfert *Outhovius*. De aliis nonnullis idem probatum dedit *Alethæus* loc. cit. pag. 360. Itaque huic axiomati nihil tribui poteſt. Verum eſt, preces nullas aliquid efficere apud Deum, quæ vi Spiritus Sancti deſtituantur; verum etiam, Spiritum Sanctum ad preces excitare, & ad illas faciendas idoneos reddere. Sed hæc Spiritus Sanctus in fidelibus precantibus, tanquam qui nec hoc facere ſine ipſo poſſint, ut ſemper præſtruitur; ita h. l. a Jacobo commemorari non debebat, qui in eo potius eſſet, ut oſtenderet, quænam precantis conditio in ſe eſſe debeat. Eum ſcilicet vult eſſe δίκαιον, preceſque ita fundere, ut apud Deum valere poſſint. Valent autem illæ, ſi omni animi virium contentione ad Deum perferantur. Tales erant Domini noſtri preces, *Luc.* XXII. 44. ἐκτενέστερον προσηύχετο. Tales fidelium illæ, quæ pro Petro Apoſtolo fundebantur, *Actor.* XII. 5. προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς γινομένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ αὐτοῦ. *Intentas* ejuſmodi preces etiam h. l. innui ex allato mox Eliæ precantis exemplo apparet, προσευχῇ προσηύξατο, h. e. *valide, vehementer orabat.* Porro non verendum eſt, ne Apoſtolo hoc modo ταυτολογία impingatur. Phraſis enim πολὺ ἰσχύει ad Deum ſpectat, apud quem preces efficere aliquid poſſint, vox ἐνεργουμένη

γυμένη vero ad precantem, ejusque inter precandum conditionem, ita ſcilicet comparatam, ut flectere Deum precando poſſit. Placet igitur B. *Lutherus*, qui vertit: **wenns ernſtlich iſt**, eumque ſecutus *Eraſmus Schmidius*, per *precationem ſeriam* interpretatus. Nec aliter *Eraſmus*, qui orationem *ex animo profuſam* intelligit. Compara, quæ pro *Lutheri* verſione dixit *Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ p. 583.

Hanc precum efficaciam Rev. *Salomon Deylingius* Parte II. Obſervat. XLVIII. pag. 447. ſeq. editionis prioris, & ex hoc Apoſtoli oraculo, & ex variis tum Scripturæ tum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exemplis contra *Pomponatium* aliosque illi ſimiles commonſtrat & adſtruit. Judæorum de vi precum aſſerta habes apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1033. v. c. ex *Vajikra Rabba* Sect. X. fol. 153. 4. ubi R. *Jehuda* dicit: *Pœnitentia poteſt aliquid, ſed preces poſſunt omnia*; R. *Jehoſchua* autem: *Pœnitentia poteſt omnia, ſed preces poſſunt aliquid.* Alia habes apud *Buxtorfium* in Lexico Talmud. Rabbin. pag. 1745. v. תפלה. Patrum hanc in rem dicta leges apud *Svicerum* Tomo I. pag. 1274. Preces omni animi contentione faciendas eſſe Judæi præcipiunt, dicentes: תפלה בלי כוונה כגוף בלי נשמה. *Precatio ſine attentione*, vel, *meditatione eſt, ſicut corpus ſine anima.*

Verſ. 17. Ηλίας ἄνθρωπος ἦν ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν) *Macrobius* Saturnal. lib. IV. cap. 6. *Oratores ὁμοιοπάθειαν vocant, quoties de ſimilitudine paſſionis πάθος naſcitur.* *Max. Tyrius* Diſſertat. XXVII. pag. 261. ὁμοπαθὴς habet. Vide hæc apud *Joannem Alberti* pag. 454. Confer, quæ ſcripſi ad *Act.* XIV. v. 15. *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 61. vim vocis recte ita expreſſiſſe videtur: *Senſus eſt, quod ſint peccato, morbis adverſis, ac tandem etiam ipſi morti obnoxii.* *Chryſoſtomus* Orat. I. de Statuis, rat. 7. ſapienter monet, ſanctorum virorum τάτε πάθη καὶ τὰ παθήματα ideo eſſe in Sacro Codice commemorata, ἵν', ὅταν παρακαλῶμεν ὑμᾶς πρὸς τὴν ἐκείνων ἀρετὴν, μὴ νομίζοντες διὰ τὴν τῶν κατορθωμάτων ὑπερβολὴν ἑτέρας αὐτὺς μετεσχηκέναι φύσεως, ἀποκνήσητε πρὸς τὴν μίμησιν. Et mox: πρὸς τὸ μὴ λέγειν ἡμᾶς εἰς τὴν αὐτὴν πολιτείαν παρακαλυμένυς, ὅτι ἐκεῖνοι φύσεως ἑτέρας μετεῖχον, ἢ ὐκ ἦσαν ἄνθρωποι, διὰ τῦτο ὁμοιοπαθεῖς λέγει ἀπὸ τῆς τῶν παθῶν κοινωνίας δεικνύων αὐτὺς ἀνθρώπυς ὄντας καθ' ἡμᾶς. Ουτε γὰρ οἱ παλαιοὶ δίκαιοι, κατὰ νόμον βιώσαντες, ἀπὸ δρυὸς ἦσαν παλαιφάτυ, ὐδ' ἀπὸ πέτρης. Hæc & his ſimilia lege apud *Gatakerum* ad M. Antoninum VI. 9. qui & eadem argumentandi & cohortandi ratione utitur.

καὶ προσευχῇ προσηύξατο) Quidam ita vertunt: *precationem fecit.* Sed ſic ſcribendum erat: προσευχὴν προσεύξατο. Itaque rectius alii: *precicibus precatus eſt*, h. e. *ſerio, enixe, vehementer* precatus eſt. Hæc enim

 hujus-

hujusmodi phraſium vis eſt, v. c. *ἀκοῇ ἀκούειν*, *χαρᾷ χαίρειν* &c. Vide, quæ ſcripſi Vol. I. harum *Curarum* pag. 227. 458. 581. & 751. Ibi inter cetera oſtenſum eſt, phraſin hanc adeo non eſſe Hebraicam, ut idoneis Scriptorum Græcorum locis fulciatur. Confer jam Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti pag. 197. ſeqq. & *Joannis Henrici Maji τοῦ μακαρίτου*, diſſertationem egregiam de Pleonaſmis L. Gr. in N. T. p. 7. ſeq.

τοῦ μὴ βρέξαι) *ut non plueret*, ſcilicet Deus, quam vocem hic ſubintelligendam eſſe & pie & recte monuit B. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 632. Ita vero profani quoque Scriptores loqui amant. Vide nos ad *Matth.* V. 45. Conſtat, alludi heic ad 1 *Regg.* XVIII. 1. ubi cum diſerta precum, ab Elia factarum, non fiat mentio, Interpretes nonnulli Prophetæ de precibus his ex vetere traditione conſtitiſſe affirmant. Alii vero rectius etiam ex Judæis precum indicium exſtare ajunt in his Eliæ verbis: אשר עמדתי לפניו, *coram cujus facie ego ſto*, collato *Geneſ.* XIX. 27. & *Geneſ.* XVIII. 22. Vide *Surenhuſii Βίβλον καταλλαγῆς* pag. 680. Niſi illas quærere malis in verbis: כי אם לפי דברי, *niſi ad verbum meum*, ſcilicet ad Deum in precibus factum.

καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς) Dominus noſter *Lucæ* IV. 25. eundem pluviæ defectum commemorans, addit, *ὡς ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν*. De terra Iſraëlitica *omni* hoc accipi malim, quam de univerſo terrarum orbe. Agebatur enim de incolis terræ Iſraëliticæ. Solent vero Hebræi ארץ & כל הארץ de ſola terra Iſraëlitica dicere. *Kimchi* ad *Zach.* XIII. 8. ויהודה בכל הארץ ait: ישראל בכל ארץ, *in univerſa terra Iſraëlitica.* Confer *Adriani Relandi* Palæſtinam p. 29.

ἐνιαυτοὺς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ) Tempus hoc eadem ratione deſignat Dominus noſter *Luc.* IV. 25. Cum vero 1 *Regg.* XVIII. 1. anni tres tantum definiri videantur, alii vitium codicis Hebræi heic commenti ſunt, cum *Whiſtono* in Conatu textum Hebr. Veteris Teſtamenti reſtituendi pag 96. alii vero cum Judæis quibusdam pugnam inter utrumque locum eſſe clamaverunt. Vide quæ diximus ad *Lucam* loc. cit. & adde nunc *Wokenii* Harmoniam Veteris & Novi Teſtamenti pag. 221. itemque *Surenhuſium* loc. cit. pag. 681. Poſterior hic commode obſervat, a Judæis ipſis idem tempus definiri. Ita enim *Jalkut Schimoni* ad 1 *Regg.* XVI. fol. 32. *Anno XIII. Achabi fames regnabat in Samaria per tres annos, & dimidium anni, & ſederunt tres annos ſine bello inter Regem Syriæ & Iſraëlis; illius filius Achazia regnavit duos annos, anno autem ſecundo Elias p. m. abſconditus fuit.* Vide cetera, quæ in compendio retulit *Surenhuſius.*

Quod ad rem ipſam ſpectat, Beda in Hiſtoria Angliæ lib. IV. cap. 13. auctor eſt, Saxoniam Auſtralem, in paganiſmo hærentem, per tres annos continuos pluvia caruiſſe, quæ tamen ceciderit, quamprimum incolæ ejus

ad

ad Chriſtum fuiſſent converſi. Confer *Picinellum* pag. 747. *Joſephus* VIII. 7. *Menandrum*, Hiſtoricum, adfert, teſtantem, ſiccitatem ejusmodi Tyrum eodem tempore per annum integrum vexaſſe.

Verſ. 18. Καὶ πάλιν προσηύξατο, καὶ ὁ οὐρανὸς ὑετὸν ἔδωκε) Judæi גבורת גשמים, *poteſtatem pluendi* ſoli Deo tribuunt in Talmude Hieroſol. cap. I. §. 1. f. 2. & in *Maſſecheth Sanhedrin* f. 113. Vide *Pocockium* ad Portam Moſis pag. 148. ſeq. & *Roſteuſcherum* diſputatione de Jejuniis Hebræorum §. 6. qui & obſervat, eosdem, deficiente pluvia, jejunia inſtituere conſueviſſe. Ejusdem copiam ad piorum preces factam eſſe iidem tradunt Judæi in Codice *Taanith* cap. III. pag. 24. col. 1. & 3. Vide *Bartoloccium* Tomo II. Bibliothecæ Rabbin. pag. 703. ſeq. & *Car. Lundium* T. II. Miſchnæ Surenhuſianæ pag. 375. Eandem ab Hebræis Toletanis in Chriſtianorum gratiam impetratam fuiſſe mentitur Joſ. fil. Jechaja in *Schevet Jehuda* pag. 392. verſionis Latinæ Gentianæ. Confer pag. 411. aliud exemplum. Pagani quoque pluvias precibus elicitas eſſe tradunt. Lege *Huetium* in Alnetanis Quæſtion. II. 12. §. 18. & adde, quæ Turcæ de Muhamede, alii autem de Indis Græcisque in eandem cauſam gloriantur apud *Elsnerum* pag. 398. ſeq. Quæ quidem ut ad exempla, in Sacro Codice relata, conficta merito creduntur, ita Chriſtianorum precibus hoc munus datum fuiſſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ documenta majori fide teſtantur. Vide *Salom. Deylingium* loc. cit. & *Hermannum Witſium* in diſſertatione de Legione Fulminatrice §. 53. ſeqq.

Verſ. 19. καὶ ἐπιστρέψῃ τις αὐτὸν) Vide huc commentantem *Joannem Henricum Heideggerum* in Tomo II. Diſſertationum Selectarum pag. 827. ſeqq. ubi de converſione & coërcitione legitima errantium exponit. *M. Antoninus* IX. 42. ſimiliter jubet μεταδιδάσκειν τὸν πεπλανημένον, cujusmodi alia paganorum præcepta exſtant, a *Gatakero* ibidem & ad VIII. 59. collecta.

Verſ. 20. Γινωσκέτω) *Calvinus* lege maluit γινώσκετε, ſine ulla codicum auctoritate.

ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν) Hominem talem ampla a DEO præmia exſpectare jubent Judæi apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1034. Inter cetera in *Joma* fol. 87. 1. dicitur: כל המזכה את הרבים אין חטא בא על ידו. *Quicunque multos ad juſtitiam adducit, per ejus manus non perpetratur peccatum*, h. e. hunc DEVS non permittit in peccata illabi.

ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ) Errorem hic ad doctrinam non minus quam vitam referri recte obſervat *Leonh. Twells* in Examine Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Parte I. pag. 131.

ταῦτα

σώσει ψυχὴν) Poſt *ψυχὴν* codices quidam & verſiones addunt *αὐτοῦ*, *animam ejus*, præter rem, cum vel ex re ipſa intelligi, vel etiam indefinite phraſis accipi poſſit. Frequens alias Sacris Scriptoribus eſt phraſis, *σώζειν ψυχὴν*, v. c. *Matth.* X. 39. XVI. 25. nec inſueta externis, v. c. *Lyſiæ* Orat. V. pag. 74. *Ανδοκίδης δὴ ἔχει τὰ μήνυτρα παρ' ἡμῶν, σώσας τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ἑτέρων διὰ ταῦτα ἀποθανόντων.* *Euripidi* Oreſte v. 627. *ἣν ψυχὴν ἐμὴν σώσῃς* &c. quos affert *Joannes Henricus Majus* in diſſertatione de Pleonaſmis Gr. L. in N. F. pag. 44. Hoc tamen inter Sacros & externos illos eſt diſcrimen, ut quemadmodum hi per *ψυχὴν* vitam *naturalem* tantum intelligunt; ita illi ad *beatiorem* & futuram reſpiciant. Hoc ſenſu *Jacobum* h. l. adhibuiſſe per ſe patet.

καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν) *obteget*, faciet, ut obtegantur vel condonenter peccata, hominis ſcilicet emendati, & ad DEVM converſi. *Polybius*, obſervante *Raphelio*, ſimiliter *πλῆθος ἐλπίδων* pag. 563. & *τραυμάτων πλῆθος* pag. 691. dixit.

PROLEGOMENA IN EPISTOLAM S. PETRI PRIOREM.

S. PETRVM *Simonis* nomine primum, deinde vero a Domino noſtro in lingua Syriaca *Κηφᾶν*, i. e. *Πέτρον* appellatum eſſe conſtat ex Joanne Evangeliſta I. 42. ubi *Lampii* commentarium velim conferri, qui ineptas aliorum etymologias confutat. Confer Cl. *Joannis Alberti* Gloſſarium Sacrum in libros Novi Fœderis pag. 24. A *lapide* ſeu *petra* ita vocatum eſſe, ut vox Syriaca indicat; ita expoſitio Domini noſtri *Matth.* XVI. 18. non obſcure data confirmat. Itaque non eſt, cur in ignorantia vel ſcurrilibus Judæorum ineptiis confutandis verſemur. Illi ſcilicet ex Hebr. פטר, quæ aſini primogenitum *Exod.* XIII. 2. 12. ſignificat, derivant in *Toldos Jeſchu* pag. 35. & *Nizzachon* Wagenſeiliano pag. 240. Telorum Igneorum Satanæ, ridente & indignante merito *Huldrico* in notis ad librum priorem pag. 39.

Vitam & res geſtas *Petri* ex veteribus expoſuit *Abdias* libro I. Hiſtoriæ Apoſtolicæ, in Codice Apocrypho Novi Teſtamensi ab eruditiſſimo *Joanne Alberto Fabricio* Parte II. pag. 402. ſeqq. recognitæ, notisque illuſtratæ. Ex recentioribus inter Pontificios operam huc contulit *Paulus Æmilius*

lius

Digitized by Google

lius Sanctorius, Archiepiſcopus Urbinas, in *Actis S. Petri, ex Sacra Scriptura collectis*, quæ Romæ primum edita, jam in Actis Sanctorum menſe Junio Tomo VII. pag. 2-16. recuſa exſtant. Ibidem Tom. V. ejusdem menſis pag. 398. ſeqq. de Petro & Paulo, Apoſtolis, fuſe differitur, ita quidem, ut Scriptores vitæ utriusque commemorentur, tum vero vitæ anni & martyrii tempus, collatis inter ſe *Papebrochii* & *Henſchenii* ſententiis, usque ad pag. 404. exponantur. Sequuntur poſtea Acta utriusque Græca & Latina ex codice Mediceo, interprete *Jacobo Sirleto* pag. 411-422. porro vero Acta S. Petri, Lino ſuppoſita, una cum Analectis ad utrumque Apoſtolum pertinentibus, usque ad pag. 477. Adde, quæ de vita & martyrio Petri iisdem Actis menſe Januario ad d. XXIX. & de martyrii ac ſepulturæ loco ab *Aringhio* in Roma ſubterranea lib. II. cap. 5. traduntur. Præter hæc conferes inprimis *Guilielmum Caveum* in Vitis Apoſtolorum; *Carolum Stengelium* in commentario Rerum Auguſtanarum, & *Tillemontium* in Memoriis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; ex ex noſtratibus autem B. *Ægidium Straucbium* in diſſertatione ſingulari de Vita Petri, quæ a *Th. Crenio* in Faſce V. Exercitationum num. XII. recuſa eſt, & B. *Thomam Ittigium* in Selectis Capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sec. I. pag. 438. ſeq. De locis, quos adiit Apoſtolus, ex veterum monimentis exponit *Fabricius* noſter in Luce Evangelii ſalutari, toti Orbi exoriente, cap. V. pag. 97. ſeqq. Num *Romæ* etiam verſatus ſit, non æque conſtat, ſed adhuc diſputatur. Qui rem ex *Papia, Ignatio, Cajo, Irenæo, Origene, Lactantio, Euſebio, Epiphanio* & aliis, non inter Pontificios ſolum, ſed Proteſtantes etiam, affirmant, eos recitat *Fabricius* loc. cit. pag. 97. & *Ittigius* loc. cit. pag. 226. ſeqq. qui nec eos omittit, qui negant, ipſe interim affirmantibus adſtipulatus. His nuper etiam acceſſit *Hyacinthus Gimma* in Idea hiſtoriæ literariæ Italiæ Tomo I. pag. 83. ſeqq. *Henricus Valeſius* ad Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam p. 33. *nihil*, ait, *in tota hiſtoria Eccleſiaſt. illuſtrius, nihil certius, nihil teſtatius, quam adventum Petri in urbem Romam eſſe.* Convenientiam factorum & fatorum *Petri* & *Pauli* nuper ediſſeruit Rev. *Henricus Scharbau* in Obſervationibus Sacris, Lubecæ 1731. editis, p. 86-113.

Epiſtolam hanc a *Petro* ſcriptam eſſe, nemo eſt, qui dubitarit. *Walonem* vero *Meſſalinum*, i. e. *Salmaſium*, de Epiſcopis & Presbyteris pag. 14. *hanc ſolam genuinam* eſſe, præter rem exiſtimare, in Prolegomenis ad poſteriorem oſtendemus.

Ad quos exarata ſit, diſputatur. Alii enim ad Ex-Judæos, alii ad Ex-Gentiles, alii ad utrosque ſpectare adfirmant. De hoc momento ad comma primum cap. I. plura dicemus.

Tempus ſcriptionis non minus obſcurum eſt. *Jam ſub* Claudio *datam putat* Grotius ad II. 13. *ſed* A. C. 54. *atque adeo Neronis anno primo* Henricus Dodvvellus *Diſſertatione I. Cyprianica* §. 5. Lightfootus *plane reducit ad* Annum Chriſti 65. *ſed præplacet mihi media ſententia, quæ epiſtolam hanc*

refert ad Annum Chriſti LXI. *Neronis* VII. Habes verba *Fabricii* noſtri ex Bibliotheca Græca lib. IV. cap. 5. §. 8. pag. 164. Eadem eſt *Joannis Millii* ſententia in Prolegomenis §. 59. Cum vero ille eo præcipue nitatur, quod *Romæ*, quam per *Babylonem*, V. 13. memoratam, indicari putat, ſcripta ſit, huic argumento non multum tribui poſſe exiſtimem. Per eam enim Romam intelligi vix poſſe, ex iis patebit, quæ ad locum illum dicemus. Ponam porro, Petrum Romæ fuiſſe, quod in gratiam antiquitatis fere conſentientis, negare nolim; deſunt tamen indicia, quibus conſtare poſſit, quo tandem tempore ibi degerit.

Stili Petrini rationem ediſſerit Celeb. *Joannes Conradus Schwarzius* in de Solœciſmis Diſcipulorum JESU Chriſti antiquatis pag. 54. Petrum, ait, ſanguineum fuiſſe & cholericum, idque documentis nonnullis ex vita ejus allatis firmare inſtituit, tandemque ſubjungit, *hac natura qui ſint, eos ad exprimenda cogitata ſua cumprimis eſſe idoneos, ut cohærentia quædam & elegantia ſcripturæ* exſpectari poſſit. Cave tamen, alio hæc ſenſu accipias, quam quod Spiritus Sanctus ſeſe ad genium & indolem Scriptorum Sacrorum, ſalvo interim ductu ſuo liberrimo, accommodarit. Hinc enim diverſam ſcribendi rationem repetendam eſſe alii monuerunt. *Hebraice* ſcriptam, a Marco autem Græce converſam eſſe, unus, ni fallor, *Baronius* ſine veri ſpecie opinatur in Annalibus ad A. C. XLV. n. 29.

Alia præter binas epiſtolas ab Apoſtolo ſcripta eſſe, nominatim *Evangelium*, *Apocalypſin*, *Liturgiam*, *Prædicationem* &c. ſunt, qui contendant. Vide, quæ hanc in rem *Fabricius* noſter commentatus eſt in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti ſuis locis. Ignorantiam ſuam prodit Auctor Nizzachon Wagenſeiliani pag. 240. Telorum Igneorum Satanæ, hæc tradens: *Scriptum in libro Simonis Cephæ, ſive Petri, JESUM dixiſſe Petro onagro;* Satanas id ſedulo agit, ſtudetque, ut te occidat: verum ego, Jeſus, Deum precabor, ne vitæ dies tibi imminuat. Ibidem pag. 247. aliquod Petri dictum de dubia credentium ſalute, tanquam inter Chriſtianos frequentatum, adfertur, cujus nec vola nec veſtigium in epiſtolis ejus exſtat, quæ potius eidem adverſantur.

Interpretes epiſtolarum Petri tum generales, tum ſpeciales *Schwindelius* in Bibliotheca Paſtorali recenſet. Illis nuper acceſſit Rev. *Hieronymi van Alphen*, Theologi Ultrajectini, commentarius Belgicus in epiſtolam priorem, Ultrajecti 1734. 4. editus, antea vero *Dominici Goltzii*, Amſtelod. 1721. 4. recuſus. Locos earum aliquot illuſtrat M. *Adamus Lebrecht Mullerus* in libro vernaculo, quem *Theologiam Petri Anti-Pontificiam* inſcripſit, 1731. 8vo

CAPUT

CAPUT I.

Verſ. 1. Πέτρος, ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ) Vide Prolegomena noſtra.

ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, κ. τ. λ.) Accipe ad hæc *Salmaſii* verba de Lingua Helleniſtica pag. 221. *Generaliter loquendo unica erat Judæorum* διασπορὰ, *qua per totum orbem inter Gentes diſperſi agitabant. Hæc eſt* διασπορὰ Ἑλλήνων, *quam vocavit* Joannes (VII. 35.) *Ceterum, ut orbis ſecatur in partes plures ac provincias; ita* διασπορὰ *illa univerſalis dividitur in totidem minores* διασπορὰς, *quot ſunt orbis partes & provinciæ Hinc* διασπορὰ Πόντου, Γαλατίας, Ἀσίας *Petro, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet,* χώρα Πόντου, Γαλατίας, Ἀσίας, *& ita de ceteris, quæ ibi ſequuntur. Non igitur illa proprie Aſiana diaſpora Judæorum, ad quam ſcripſit epiſtolam ſuam Catholicam Petrus. Sed pars fuit univerſalis, ex illis regionibus conſtans, quæ ibi enumerantur. Diaſpora autem illa Judæorum, ne quis erret, non exulum fuit, ſed colonorum, nec coacta, ſed voluntaria.* Adde eundem de Funere Linguæ Helleniſt. pag. 101. item in Apparatu de Primatu Pontificis pag. 19. & 45. & in Reſponſione ad Miltonum pag. 285. Ex his inter cetera intelligis, *Salmaſium* hanc epiſtolam ad converſos Judæos retuliſſe. Atque hæc eſt plerorumque ſententia, quos enumerare longum foret. Vide inprimis *Joannis Braunii* Selecta Sacra pag. 156. ſeq. & *Vitringam* ad *Jeſ.* XI. 11. pag. 355. Alii ad Ex-Gentiles exaratam contendunt. Inter hos ex veteribus eſt *Junilius*, lib. I. de Partibus Divinæ Legis cap. 6. ubi eam *epiſtolam ad Gentes* inſcribit, ex noſtratibus B. *Lutherus*, *Oſiander* & *Winckelmannus*, a *Calovio* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. allati. In has partes nuper diſceſſit *Joſ. Hallettus*, Anglus, in diſſertatione de auctore & lingua originali epiſtolæ ad Hebræos, quam Latinam ſubjunxi Volumini III. Curarum. Vide ibi pag. 822. ſeqq. Denique alii medios ſe præſtant, literasque has ad Ex-Judæos pariter & Ex-Gentiles ſcriptas exiſtimant. Inter hos video ex noſtratibus B. *Gerbardum* eſſe, ex Pontificiis vero *Eſtium*, & *Michaëlem Mauduit* in diſſertatione ſingulari, quam in ejus Analyſi epiſtolarum Apoſtolicarum, gallice edita, Tomo II. pag. 658. legis, nec minus Anonymum in Bibliotheca Lubecenſe Vol. X. pag. 263. Atque in hac ſententia & ego acquieſco. Sunt enim quædam in hac epiſtola, quæ tantum in Ex-Gentiles cadunt, v. c. II. 10. οἱ ποτε οὐ λαὸς, νῦν δὲ λαὸς Θεοῦ, οἱ οὐκ ἠλεημένοι, νῦν δὲ ἐλεηθέντες. Hoc *Hoſeæ* oraculo S. Paulus *Rom.* IX. 25. utitur, ut probet, non tantum ex Judæis, ſed & ex Gentilibus quosdam ad Chriſtum eſſe vocatos. Similiter cap. IV. 3. illi, ad quos ſcribit Apoſtolus, τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν perfeciſſe, & ſpeciatim ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις indulſiſſe dicuntur. Omitto alia ab *Halleto* allata. Sunt vero quædam,

M 2 quæ

quæ ad Ex-Judæos referri oportet. Ita I. 18. liberatos eſſe ait ἐκ ματαίας ἀναστροφῆς πατροπαραδότου. Jam nemo ignorat, Judæorum hoc vitium præcipuum fuiſſe, ut ad Patrum traditiones provocarent. Vide *Matth.* XV. 2. 3. *Marc.* VII. 3. 8. 9. *Galat.* I. 14. &c. Quando III. 6. fœminæ Chriſtianæ *filiæ Saræ* adpellantur, veriſimile fit, id in Ex-Judæarum, quibus Sara inprimis in pretio erat, gratiam fieri. Non obverti nobis poteſt vox διασπορὰ, quod illa ad Judæorum *exilium* proprie pertineat, ceu vel ex *Jac.* I. 1. conſtet. Recte enim docuit *Salmaſius* loc. cit. διασποράν non *exilium coactum*, ſed *coloniam voluntariam* ſignificare. *Ideo*, inquit idem pag. 222. Apoſtoli, *ne quis* διασποράν *illam Judæorum de diſſipatione ac disjectione gentis acciperet, per fugam & exilia procurata, non* Ἰουδαίων διασποράν *eam nominarunt, ſed* Ελλήνων *& aliarum regionum, in quibus ita ſparſi degebant Judæi, ut non exules aut relegati in iis cenſerentur, ſed coloni & cives, & eodem jure cum originalibus eorum locorum civibus fruentes. Quod fere ſemper in omnibus, quas circa ea tempora habitandas elegerunt, civitatibus eos habuiſſe conſtat.* Commode etiam pag. 223. obſervat, Noachidarum familias, varia orbis loca petentes, a τοῖς LXX. *Geneſ.* XI. 4. dici: διασπαρῆναι ἐις πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. Illam vero ſeceſſionem & migrationem voluntariam exilii, ſive ἐξορισμοῦ nomine nunquam appellaveris. Porro διασπαρῆναι eſt *varia per loca ſpargi. Ut in agro ſerendo* διασπορὰ *fit ſeminum, quæ per totum agrum vage ac ſparſim jactantur; ita & populorum, dum ſparguntur per varias orbis partes, quas incolendas accipiunt, aut occupant.* Ex his conſequitur, non minus de Ex-Gentilibus, quam Ex-Judæis, per varios orbis locos diſperſis, & Chriſti nomen profitentibus, hanc διασποράν accipi poſſe. Ita *Joh.* XII. 52. illi, qui aliquando ex Gentilibus ad Chriſtum perducendi erant, vocantur τέκνα τοῦ Θεοῦ, τὰ διεσκορπισμένα. Præterea nec fraudi nobis eſt vox παρεπίδημοι, quæ plerisque ideo h. l. ab Apoſtolo adhibita videtur de Judæis reſpectu provinciarum, in quam delati vel ejecti fuerint. Hoc enim nomine ideo potius appellati videntur, quod ad cœtum Chriſti, a quo olim alieni fuerant, acceſſerint. Id patet ex addita voce ἐκλεκτοῖς.

Neque denique objici poteſt, *Jacobum* Apoſtolum I. 1. itidem διασπορᾶς mentionem facere, quando ad Ex-Judæos ſcribit. Ille enim eodem loco τὰς δώδεκα φυλὰς commemorat, atque hoc modo διασποράν arctioribus terminis definit; contra vero *Petrus* ἐκλεκτοὺς καὶ παρεπιδήμους appellat, & ſic ſubindicat, ſe ad omnes eos ſcribere, qui ad Chriſtum ſive ex Judæis ſive ex Gentilibus acceſſerint, & in variis Orbis locis commorentur. Verbo dicam, Petrus utramque epiſtolam illis inſcripſit, quos olim vel Judæos vel Gentiles docuerat, dum varias Orbis regiones obiret. Quamvis enim Judæorum inprimis rationem in Evangelii præconio haberet, (vide *Galat.* II. 7. & adde *Spanhemium* Tomo II. Operum pag. 342. ac *Bertramum* in Lucubrationibus Franckenthalenſibus cap. IX. p. 135. ſeqq. Tomi I. Theſauri librorum Creniani,) non magis tamen Petrus Gentiles, inter

inter quos Judæi degebant, neglexiſſe cenſendus eſt, quam Paulus neglexit Judæos, quamvis hic quidem de Gentilibus potiſſimum convertendis laboraret, *Galat.* II. 7. Cave interim, exiſtimes, ex hac ſententia perire argumentum, quod ad epiſtolam ad Hebræos Paulo vindicandam ex 2. *Pet.* III. 15. 16. petitur. Cum enim Petri epiſtolæ ad Ex-Judæos non minus, quam ad Ex-Gentiles exaratæ ſint, nihil obſtat, quo minus Petrum credamus illam ad Hebræos epiſtolam h. l. appellare, ideo, quod illud, de quo ibi agitur, argumentum in eadem illa ad Hebræos epiſtola, a Paulo tractetur.

διασπορᾶς Πόντȣ, Γαλατίας κ.τ.λ.) In his aliisque Orbis regionibus & provinciis Petrum ſalutaris doctrinæ præconem egiſſe veteres teſtantur, quorum teſtimonia recitat *Joannes Albertus Fabricius* in Luce Evangelii ſalutari toti Orbi exoriente pag. 95. ſeqq. Has Imperii Romani provincias fuiſſe oſtendit *Emanuel Schelſtratenus* Parte I. Antiquitat. Illuſtrat. pag. 36.

Verſ. 2. *Κατὰ πρόγνωσιν Θεȣ̃ πατρὸς κ.τ.λ.*) Comma hoc egregium habet teſtimonium pro SS. Trinitate, ex quo præterea intelligitur, quod beneficium ſingulis perſonis in opere ſalutis acceptum ferri debeat. Πρόγνωσις eſt *præſcientia*, ſive *prænotio*, quæ *electioni*, v. 1. per vocem ἐκλεκτοῖς indicatæ, prævia eſt in mente divina, accurate perſpicienti, quinam inpoſterum conſilium divinum de ſalute ſua ſint vere amplexuri. Vide, quæ ſcripſimus ad *Rom.* VIII. 29. Itaque *Eraſmus* per *præfinitionem*, *Lyranus* per *prædeſtinationem*, *Eſtius* per *prædilectionem*, ſeu, quod idem ait, *providentiam*, aut *benignam ordinationem* minus recte converterunt. Nec rectius Interpretes Galli Montenſes *preordination* reddunt, quorum cauſa in Continuata Defenſione illius verſionis pag. 60. infeliciter agitur. Provocatur ibi ad codicem *Stephani* unum, qui legat πρόθεσιν. Sed hic tot aliis opponi non poteſt. Porro πρόθεσις divina a προγνώσει tanquam antecedens a conſequente in negotio ſalutis diſerte diſtinguitur *Rom.* VIII. 28. 29. nec poteſt non diſtingui, cum illa *conſilium* Dei, hæc vero *præſcientiam* Dei de conſilio illo, ab hominibus recipiendo, inferat.

ἐν ἁγιασμῷ Πνεύματος) B. *Lutherus* recte & linguæ Germanicæ convenienter convertit durch, *per ſanctificationem*, pro quo *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments p. 23. mavult *in*. Sed vide tu *Schönlandii* Vindicias vernaculas illi oppoſitas p. 62.

ἐν ὑπακοὴν) *in obedientiam*, ut ſcilicet finis indicetur, ad quem ſanctificatio Spiritus Sancti tendat. Itaque nolim cum *Eraſmo Schmidio* & *Beza* τὸ εἰς per præpoſitionem *per* interpretari. Υπακοὴ vero hic idem eſt, quod πίςις, ut *Rom.* XVI. 19. ubi vide quæ ſcripſimus. Ita v. 14. credentes τέκνα ὑπακοῆς appellantur. De *fide* heic ſermonem eſſe, patet ex proxi-

me ſequente phraſi: καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ιησȣ̃ Χριςȣ̃. Sicut enim per ſanguinem illum *expiatio* hominum infertur, ita per ῥαντισμὸν, *adſperſionem*, indicatur ejusdem *adplicatio*, quæ non niſi per fidem fieri poteſt. Nihil igitur agit *Georgius Bullus*, quando in Harmonia Apoſtolica cap. II. §. 5. ex h. l. probare conatur, quod Juſtificatio ſequatur ſanctificationem, cum Sanctificatio Spiritus in obedientiam heic adſperſioni ſanguinis Jeſu Chriſti præmittatur. Si ſanctificatio Spiritus phraſi Scripturæ ad pietatem & bona opera reſtringeretur, habuiſſet fortaſſe, cur ita ſentiret. Jam vero illa ad omnia ea pertinet, quæ ad hominem Chriſto vindicandum requiruntur. Recte proinde Anonymus Anglus in hanc παρερμηνείαν animadvertit, cui *Bullus* in Examine Cenſuræ pag. 18. Operum, Londini 1703. junctim in folii forma editorum, ſatisfacere fruſtra conatur, quemadmodum & *Joannes Erneſtus Grabius* ſententiæ ejus non conſulit, Petrinum hunc locum cum illo *Exodi* XXIV. 4-8. comparans, & ad illum reſpexiſſe Apoſtolum opinatur. *Quemadmodum igitur*, inquit, *Moſes ſanguinem fœderis, per ſacrificium iſti, non reſperſit in populum ad emendationem carnis, niſi poſtquam is obedientiam pollicitus erat; ita & nos non poſſumus eſſe* ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς adſperſi corda a conſcientia mala, *Hebr.* X. 22. nec ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſemetipſum obtulit Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis *Hebr.* IX. 14. *niſi prius firmiter in corde proponamus, & ore promittamus obedientiam, legibus a Chriſto latis præſtandam.* Hæc quidem cordato lectori judicanda ſecure permitto.

Verſ. 3. Ευλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν) Comma hoc una cum duobus ſequentibus explicatur a B. *Joanne Oleario* in ſingulari diſputatione *de Regeneratione*, Lipſiæ 1689. & a D. *Joachimo Langio* in diſputatione de Regeneratione ad ſpem vivam vitæ æternæ, Halæ 1711.

ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ) h. e. *Deus*, qui *eſt Pater Domini noſtri*, ut τό καὶ explanandi vim habeat, ut ſæpe alias. Confer *Rom.* XV. 6. & loca alia in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 472. allata.

εἰς ἐλπίδα ζῶσαν) Unus *Stephani* codex pro ζῶσαν legit ζωῆς, quam vocem *Syrus* quoque & *Hieronymus* expreſſerunt. Enimvero Apoſtolus non de ſpe vitæ æternæ præciſe hic loquitur, quam v. 4. demum tanquam finem ſpei vivæ commemorat, ſed de interiore ſpei illius, reſurrectioni Chriſti *viventis* innixæ, conditione nominatim *veritate* & *efficacia*. *Eraſmus Schmidius* recte ζῶσαν per *veram* & *certam* explicat. Similiter *Paulus* θυσίαν ζῶσαν *Rom.* XII. 1. *Petrus* vero II. 5. λίθȣς ζῶντας appellat. *Sophoclem* ζώσας συμφορὰς eas dicere, quæ ſint ἐνεργεςέρας, ἀσφαλεῖς & ἀδιάπτωτοι, ab aliis eſt annotatum. Neque præter rem Apoſtolus ſpem credentium

tium *vivam* appellat, ſed eo potius conſilio, ut inſignis ejus prærogativa præ ea, qua homines ſeculares crebro non magis duci quam falli conſueverunt, innuatur. Ita *Ælianus* Var. Hiſtor. XIII. 29. ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους, *ſpes hominum vigilantium ſomnia* appellat, & ex *Platonis* quidem, ad quem provocat, ſententia, quamvis eam *Diogenes Laërtius* V. 18. *Ariſtoteli*, *Stobæus* vero Serm. 109. *Pindaro* tribuat. Confer *Colomeſii* Opuſcula pag. 233. & *Bourbourſii* Penſées Ingenieuſes pag. 141. Et vel ſic tamen ſpei tantum pagani tribuebant, ut *Bias* interrogatus, τί γλυκὺ ἀνθρώποις; *quid jucundum accidat hominibus?* reſponderit: ἐλπίς. Vide *Laërtium* I. §. 87. ibique *Menagium* pag. 51. qui Philoſophos *Elpiſticos* ideo appellatos eſſe ſcribit, quod ſummum bonum in ſpe collocarent. Alia veterum de commodis, ex ſpe in homines redundantibus, dicta recitat *Picinellus* pag. 747.

Verſ. 4. Εἰς κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον) Alludi hic ad coronas, victoribus olim adſignatas, easque longe deterioris conditionis, per ſe patet. Compara interim *Cornelii Adami* Obſervationes Theologico-Philologicas pag. 436. ſeq. *Jacobi Lydii* Agoniſtica Sacra cap. XLV. pag. 171. & *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti pag. 84.

ἀμάραντον) *non marceſcentem*, vel *areſcentem*, in oppoſitione ad coronas victorum, ex floribus vel herbis cito marceſcentibus contextas. Vide *Dietericum* loc. cit. ubi etiam contendit ad *amarantum* florem ſpeciatim reſpici. Atque hoc placet quoque *Cornelio Adami* loc. cit. *Malim tamen*, inquit, *alludi ad* amarantum, *nitorem gratiamque ſuam diu ſervantem* (*oppoſitione facta contra coronas, ex floribus cito marceſcentibus & flacceſcentibus confectas, quales coronæ* ἡμιμάραντοι, ſemimarcidæ *vocantur a* Luciano (*Tomo II. Toxari* pag. 41.) *quam ob cauſam coronis adhiberi ſolebat.* Confer *Grotium*, & ex noſtratibus *J. H. Urſinum* in Analect. S. Tom. I. pag. 413. *Columella*, inquit, *vocat immortales amarantos, qua de cauſa Deos coronant illis*, Plinius XXI 25. *credituṁque gloriam conſequi eo flore coronatos*. Athenæus XV. 11. *Senes aquilinæ ſenectæ, vegetos puta & ſanos, Ægyptii amaranto coronabant.* Hoc quidem loco exiſtimem coronam hanc ἀμάραντον appellari, tanquam *non mareſcentem*, quo ſenſu & antea ἄφθαρτος vocatur, ſine reſpectu ad *amarantum*, quod floris genus ipſum nomen ſuum κατ᾽ ἐξοχὴν ex eo accepit, quod eſt ἀμάραντος, ſeu non marceſcit. Quod vero ad ἀμαράντινον 1. *Pet.* V. 4. ſpectat, ipſa vocis terminatio oſtendit, eo loco amarantum florem ſpectari. Conf. quæ ibi dicemus.

τετηρημένον ἐν οὐρανοῖς) Judæi quoque vitam æternam *hereditatem poſſeſſionis cœleſtis* appellant. Lege loca apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1036.

monet accipiendam. Alii tamen τὸ, ἐν ᾧ, cum *Eraſmo Schmidio* tanquam in neutro genere *poſitum* interpretantur, *qua in re, qua de re*; rectius, ſi quid video, ut nempe bona illa, & ſpeciatim exſpectatio vitæ beatioris indicentur, quibus etiam in hac vita calamitates ſuas levare poſſint. Confer 2 *Corinth.* IV. 17. Plena phraſis foret ἐν ᾧ χρήματι, quam vocem ſæpe omitti *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. oſtendit.

Verſ. 7. ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως) *ut exploramentum fidei veſtræ* &c. Hanc enim vocis δοκίμιον notionem eſſe oſtendiſſe me puto ad *Jac.* I. v. 3. Senſus eſt, ut exploratio fidei veſtræ per calamitates multo illuſtrior eſſe videatur exploratione (hanc enim vocem tanquam ἀπὸ κοινοῦ repetendam eſſe recte vidit *Eraſmus Schmidius*) auri, quæ fit per ignem. Ex quo ſimul ratione ſenſus conſequitur, fidem ipſam ita exploratam, & explorationem ſuſtinentem auro, igne explorato, nobiliorem eſſe, & ut talem conſpici.

διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου) Hac comparatione externi quoque de variis capitibus utuntur v. c. *Seneca* de Providentia cap. V. *Ignis aurum probat, miſeria fortes viros.* Aliorum dicta ſimilia attulit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 700. In his eſt illud *Iſocratis* ad Demonicum: τὸ μὲν χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. *Polybius* pag. 1140. τὴν ἐκ πυρὸς βάσανον appellat, quod hic δοκίμιον vocatur.

εὑρεθῇ εἰς ἔπαινον) Sic *Polybius* pag. 231. πολλὰ μὲν εὕροι τις εἰς τοῦτο. Argumentum ipſum exponit B. *Martinus Chladenius* in diſſertatione ſingulari ad h. l. de fidei probatione divina, Wittebergæ 1720.

Verſ. 8. Ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε) *Beza* pro εἰδότες mavult ἰδόντες, quod præter aliquot Codices exprimunt etiam *Vulg.* & *Syr.* Nolim tamen a receptiore lectione recedere, quæ, obſervante *Bengelio*, vel ex corrupta lectione ἰδόντες, quæ in *Uffenbachiano* codice clare legitur, vel ex ſequenti phraſi μὴ ὁρῶντες, nata eſt. Vox εἰδότες vel de conſpectu oculari accipi poſſit, ut idem ſit, quod ἰδόντες, vel, ſi hujus ſignificatus exemplum non detur, de *cognitione ſalutari* intelligi, ut ſenſus ſit: quem, *antea* cognitum non habentes, *nunc* diligitis. Sic mox ſequitur ἄρτι. Alias *Xenophon*, ceu obſervatum eſt *Raphelio* pag. 335. in Cyropædia pag. 2. ὁρᾶν & ἰδεῖν eodem ſenſu conjungit, vocem vero εἰδότες ab utraque illa diſtinguit his verbis: τοὺς δὲ οὐδ' ἑωρακότας πώποτε αὐτὸν, τοὺς δὲ καὶ εὖ εἰδότας, ὅτι οὐδ' ἂν ἴδοιεν, *partim, qui nunquam ipſum viderant, partim denique certo quum ſcirent, ſe ipſum non viſuros, nihilo tamen minus ei obtemperandum putabant.* Similia *Herodoti*, ἰδεῖν & εἰδέναι eadem ratione diſtinguentis, loca habes apud eundem pag. 651. Annotationum Xenophontearum, eadem opera obſervantem, phraſin, οὐκ εἰδότες, ex more Græcæ Linguæ idem eſſe, ac ſi Latine dicas: *quamvis non videritis.*

N εἰς

εἰς ὃν, ἄρτι μὴ ὁρῶντες, πιςεύοντες δὲ) Ita recte hæc interpunxit *Eraſmus Schmidius*, ut, τὸ, εἰς ὃν, ad vocem πιςεύοντες referatur, hoc ſenſu: *in quem, quamvis nunc non videntes, creditis tamen & gaudetis* &c. *Polycarpus* §. 1. epiſtolæ ſuæ legit, εἰς ὃν ἰδόντες πιςεύετε, πιςεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε, omiſſis reliquis, non improbante *Millio* in Prolegom. §. 285.

Verſ. 9. Κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίςεως ὑμῶν) Τέλος alii per *finem*, alii per *mercedem* interpretantur. Inter poſteriores ſunt *Beza*, *Grotius*, *Heinſius*, *Pfochenius* de L. Gr. N. T. puritate Sect. 122. *Carolus le Cene* in Tentamine novæ verſionis pag. 627. & nuper diligentiſſimus *Joannes Alberti* pag. 454. Obſervationum, hoc inprimis argumento uſus, quod κομίζεσθαι de mercede reportanda fere uſurpatur. Vide infra V. 4. & 2 epiſt. II. 13. & *Arrian*. V. cap. 27. pag. 231. τὰ ἆθλα τῶν πόνων κεκομισμένοι. Ab altera parte *finis* ſignificatum præferunt plerique, & inter hos *Gatakerus* de Stilo Novi Inſtrumenti cap. XLIII. pag. 256. *Nusquam*, inquit ille, *in ſacra pagina reperio* mercedem fidei *dictam vitam æternam. Ego proinde* finem *retinuerim*, finis *utique nomine id intelligendo, ad quod fides perducit: ſicut ad Rom.* VI. 21. finis peccati mors *dicitur, quia ad mortem perducit*; v. 22. finis vitæ pie transactæ vita æterna, *quia eo tandem pertingit; quæ tamen non* merces, *ſed χάρισμα Θεȣ̃. - - - Nec minus quadrabit*, τὸ τέλος finem *ſimpliciter reddere, quia κομιζόμενοι,* reportantes, *præceſſerat, quam τὴν ἐλπίδα, ſpem ad* Coloſſ. I. 5. *quia ἀποκειμένην*, ſepoſitam *ibi ſequatur*. Hanc ſententiam & mihi præplacere non diffiteor. Apoſtolus ideo ſalutem æternam *finem fidei* appellaſſe videtur, quod fides illuc tendat, quod eam, qui ad finem perſeveret, adſequatur (*Matth*. X. 22.) quod denique ἐν ἐσχάτῳ καιρῷ pleniſſime conferatur. Porro ſalutem, quam hic appellat, v. 13. ἐπιφερομένην χάριν, *gratiam oblatam*, ſeu conferendam vocat. Accedit & illud, quod vox τέλος in *mercedis* notione nusquam in N. T. adhibeatur, quæ ab altera parte *finem* ſæpe ſignificat. Ita Petrus 1. IV. 7. πάντων δὲ τὸ τέλος ἤγγικε, & v. 17. εἰ δὲ πρῶτον ἀφ' ἡμῶν, τί τὸ τέλος τῶν ἀπειθέντων τῷ τȣ̃ Θεȣ̃ εὐαγγελίῳ; *Hebr*. VI. 8. ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν. Externi Scriptores ſummum bonum, ad quod ſcilicet tendere oporteat, ſimiliter appellant. *Cicero* Academ. Quæſt. I. 5. & Finium I. 12. τέλος vertit extremum rerum expetendarum & finem bonorum. Apud *Pindarum* Olymp. ι. v. 81. 82. ſimilem noſtræ phraſin invenio:

Δόρυκλος δὲ τέλος
Πυγμᾶς φέρε, Τίρυνθα ναίων πόλιν.

Doryclus vero finem
Pugilatus tulit, Tirynthem incolens urbem.

Quod

Quod hic *τέλος πυγμᾶς φέρειν* dicitur, id Petro eſt, *τέλος πίστεως κομίζεσθαι*. Verbum *κομίζεσθαι* non ſolum de mercede reportata, ſed & de victoria dici, patet ex *Demoſthenis* Philippica de Pace pag. 152. edit. Dounæi. Νυνὶ γὰρ, inquit, Θηβαίοις πρὸς μὲν τὸ τὴν χώραν κεκομίσθαι κάλλιστα πέπρακται, πρὸς δὲ τιμὴν καὶ δόξαν αἴσχιστα. *Nunc enim Thebanis ad obtinendos fines ſuos & agrum recuperandum res acta eſt optime: Honoris dignitatisque intuitu turpiſſime.*

σωτηρίαν ψυχῶν) *ſalutem æternam* h. l. indicari neminem novi, qui dubitarit, præter Cl. *Joannem Georgium Schellhornium.* Hic enim in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 783. ſeq. per eam *Chriſtum*, per metonymiam effectus pro cauſa efficiente, indicari exiſtimat. Hunc ait *σωτήριον Θεοῦ Luc.* II. 30. *αἴτιον σωτηρίας αἰωνίου Hebr.* V. 9. & *ἀρχηγὸν τῆς πίστεως* II. 10. dici. Similiter Chriſtum fidei finem & ſcopum vocari h. l. putat, in quem V. T. fidelium ſpes omnis ac deſiderium ardens collimaverit: hunc jam obtinuiſſe novi Fœderis cives, cum de priſcis fidelibus Paulus ſcripſerit, *οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν Hebr.* XI. 39. Argumenta ſententiæ hæc habet. Apoſtolus in præſenti non in futuro loquitur, commate vero decimo & ſequentibus veterum deſiderium, quo adventui Meſſiæ inhiarint, exponit, cujus veſtigia tum alias, tum *Pſalm.* XIV. 6. exſtent: *τίς δώσει ἐκ Σιὼν τὸ σωτήριον τοῦ Ἰσραήλ*; imo v. 11. Prophetas ait ſcrutatos eſſe tempora Meſſiæ, quod factum ab illis ſit vel vaticinando de illius adventu, vel adventum hunc exoptando, vel denique illius temporis momenta & circumſtantias monſtrando. Addit denique vir doctus pag. 786. fortaſſe etiam per *σωτηρίαν τῶν ψυχῶν* intelligi poſſe benedictum redemtionis opus, quo ſalus noſtra nobis reſtituta ſit, quodque jam perfectum & conſummatum eſſe Novi Teſtamenti fideles gaudere poterant. Enimvero non de *Chriſto*, ſalutis auctore, ſed de ſalute æterna, per ipſum parta, loqui Apoſtolum ex antecedentibus apparet. Commate enim quinto prædicat *σωτηρίαν*, ultimis temporibus revelandam, & quidem *ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ*, v. 7. quæ non poteſt non de ultimo ejus adventu accipi, cum alioquin Chriſtus fidelibus jam eſſet revelatus. Confer *Coloſſ.* III. 3. 4. De hac ſalute eos ait lætari, tanquam certiſſime ſuo tempore reportanda v. 9. Nec obſtat, quod *κομιζόμενοι*, non autem *κομισόμενοι*, dicantur. Conſtat enim, Scriptores Sacros de re futura tanquam de præſentibus loqui, certitudinem rei ſignificaturos. Ita v. 13. eadem ſalus in præſenti vocatur *ἐπιφερομένη χάρις*, *gratia, quæ offertur*, ſeu *confertur*, i. e. *quæ offeretur*, cum addita phraſis, *ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ſatis oſtendat, de futuro eſſe ſermonem. Præterea Chriſtum *τέλος πίστεως*, ſeu *finem fidei* appellari non poſſe puto, qui ejus potius ſit *objectum*. Sic v. 8. *εἰς ὃν πιστεύοντες*. Chriſtus potius eſt *Legis finis*. Paulus *Rom.* X. 4. *τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι*. Chriſtus *σωτήριον τοῦ Θεοῦ* & *σωτήριον τοῦ Ἰσραὴλ* appellatur, nuſ-

N 2 quam

quam vero *σωτηρία τῶν ψυχῶν*. Apoſtolus v. 10. ſeqq. non tam de deſiderio, quo fideles Veteris Teſtamenti in venturum Meſſiam ferebantur, quam de Prophetarum vaticiniis, ad Chriſtum pertinentibus, exponit, & quidem talibus, quæ non ad adventum ejus, ſed ad *παθήματα εἰς Χριςὸν καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας* ſpectent. Ea igitur vult, quæ Chriſtum hinc paſſurum, hinc gloria ornandum, præſignificarint: hoc utique conſilio, ut fideles Novi Teſtamenti intelligerent, idem ſibi eventurum, ut calamitates præſentis ſæculi ab illuſtri vitæ æternæ gloria exciperentur. Ita infra V. 1. ſe vocat *μάρτυρα τῶν τῦ Χριςῦ παθημάτων, καὶ τῆς μελλύσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνόν*. Eodem ſenſu Paulus *Rom.* VIII. 17. *συγκληρονόμυς Χριςῦ* fideles ait futuros, *ἔιπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν*. Itaque manifeſtum eſt, Apoſtolum heic non provocare ad vaticinia Prophetarum de Chriſto in univerſum, ſed ad ea, quæ perpeſſiones ejus & inſecutam gloriam prænunciarint. Hoc vero inſtitutum Apoſtoli requirebat, qui in eo eſſet, ut credentes illius ætatis tum ad patientiam, ſub calamitatibus probandam, tum ad vitam, Chriſto & Evangelio dignam agendam, certa futuræ gloriæ exſpectatione incitaret. Huc tendit exhortatio v. 13. *Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, νήφοντες, τελείως ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν ἐν τῇ ἀποκαλύψει Ιησῦ Χριςῦ.*

Verſ. 10. 11. *Περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν κ. τ. λ.*) Oraculum hoc evincit, Chriſtum, cujus Spiritus Prophetas agitaſſe dicitur, ante adventum in carnem exſtitiſſe. Illud a Socinianorum cavillationibus vindicavit *Spenerus* in Tractatu vernaculo de Deitate Chriſti, pag. 428. ſeqq. Alia in eadem hæc commata & 13. quoque adferunt *Saldenus* in Otiis Theologicis pag. 298. & *Cloppenburgius* Tomo I. Operum pag. 533. & 903. ex noſtratibus vero B. *Brandanus Henricus Gebhardi* in diſſertatione de ſalute illa, quam ſcrutati ſunt Angeli Gryphisw. 1720.

Verſ. 11. *Ερευνῶντες, εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλυ τὸ ἐν αὐτοῖς Πνεῦμα Χριςῦ κ. τ. λ.*) Vide *Roberti Gelli* Reliquias, Anglice editas, Tomo II. pag. 775. ſeqq. & *Petrum Zornium* in Opuſculis Sacris Tomo II. pag. 500. ubi nonnulla de *temporibus*, ad Chriſtum pertinentibus, legeris. Propius ad nos ſpectat *Zachariæ Piercii*, Angli, conjectura, quam in duabus epiſtolis de editione Novi Teſtamenti, quam *Richardus Bentlejus* olim moliebatur, *ἀνωνύμως* editis, in medium attulit. Expungit ille voces *ἢ ποῖον*, quas aliquis adjecerit, ut conſtaret, vocem *τίς* idem hic eſſe, quod *quale*. Hinc factum putat, ut eas nec *Syrus*, nec *Coptus*, Interpretes expreſſerint. Opportune illi jam occurrit B. *Joannes Henricus Majus* in Græcæ veritatis ſtilique Apoſtolici Vindiciis adverſus recentiſſimi Critici Anglicani cenſuram pag. 14. ſeq. obſervans, eandem loquendi rationem exſtare *Marc.* IV. 30. *τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ; ἢ ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν.* Confer *Actor.* VII. 49. nec minus apud externos, v. c. *Herodianum* III. 12.

pag.

pag. 161. *καὶ τίνα - - - ἔλεγχον μείζονα βούλεσθε, ἢ ποίαν ἀπόδειξιν φανερωτέραν;* & *Ariſtidem* circa finem τοῦ Πρεσβευτικοῦ· *τίνας λόγους ἐροῦμεν ἀπελθόντες; ἢ ποίας ἀποκρίσεις ἀποκρινούμεθα;* & *κατὰ τῶν ἐξορχουμένων* pag. 90. *ναοὺς δὲ αὐτοὺς ποίους καὶ τίνας μάλιστα ὁρῶντες χαίρομεν καὶ ἐκπληττόμεθα.* Addere his liceat, non idem utraque phraſi ſignificari. Nam *τίς καιρὸς* ipſos temporis articulos, *ποῖος* vero temporis illius circumſtantias, ſive a locis, ſive a perſonis &c. petitas, denotat. *Grotius* recte huc attulit Danielis vaticinium cap. IX. obvium, ubi & tempus ipſum, ſpeciatim perpeſſionis definit, & alia ejus *περικείμενα* exponit. Talia & ab aliis Prophetis indicantur, ubi nunc conditionem populi Judaici, ſceptro & libertate deſtituti, ut Jacobus *Geneſ.* XLIX. nunc templi Hieroſolymitani ſtatum, ut *Haggaus* cap. II. & *Malach.* III. nunc alia deſcribunt, quæ temporis illius qualitatem certis notis diſtinguere poterant. *Joannes Weſſelius*, Theologus Leidenſis, in Diſſertationibus Academicis pag. 96. ſcite obſervat, Petrum heic non ſolum ad privatum ſcrutandi ſtudium Prophetarum reſpexiſſe, verum etiam ad ſcholas eorum Propheticas, in quibus verbum promiſſionis, inde a paradiſo auditum, legisque cerimonialis umbras, & immediatas a Deo acceptas revelationes, & denique, quæ ipſimet de illis pia meditatione adſecuti erant, ex diſcipulis ſuis explicabant.

τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα) i. e. *venturas in Chriſtum paſſiones*, ut recte *Eraſmus Schmidius.* Apoſtolus V. 1. *τὰ τοῦ Χριστοῦ παθήματα* appellat. Ita v. 10. *τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος.* Locutio eſt elliptica, qualis Latinorum illa: *quod ad me*, ſcilicet attinet.

Verſ. 12. *Οἷς ἀπεκαλύφθη, ὅτι οὐχ ἑαυτοῖς, ἡμῖν δὲ διηκόνουν αὐτὰ*) *Quibus revelatum eſt* & hoc, eos *non ſibi ipſis* tantum, *ſed* etiam *nobis iſta adminiſtraſſe.* Ita recte *Eraſmus Schmidius.* Omiſſum eſt *μόνον*, quod ſæpius fieri conſtat. Vide Curas noſtras Vol. I. pag. 75. 182. 340. 872. & 932. Scilicet Prophetæ hæc a Spiritu Sancto acceperant, non *ſolum*, ut & ipſis & fidelibus veteris œconomiæ de ſalute illa, inpoſterum paranda, conſtaret, ſed inprimis etiam ideo, ut poſteri & nominatim Apoſtoli intelligerent, ea omnia, quæ ſuo tempore contingerent, divino nutu facta eſſe. Vox *ἡμῖν* in *Codicibus* variis cum *ὑμῖν* eſt permutata, male, ut puto, & ex eo fortaſſe, quod mox *ὑμῖν* ſequitur. At idem illud facit, ut *ἡμῖν* h. l. ab Apoſtolo ſcriptum exiſtimare oporteat. Per *ἡμῖν* Petrus indicat, ſe & ceteros Apoſtolos, tanquam qui vaticinia illa Prophetarum de Chriſto, non minus quam illi, Spiritus S. ope promulgaturi erant audientibus, & ſignificaturi, ea nunc eveniſſe, quæ Prophetæ, Spiritu Dei acti, prænunciarint. Hinc ſtatim ſequitur, *ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς ἐν Πνεύματι ἁγίῳ.* Apoſtoli itaque diſtinguuntur, ut præcones ab illis, ad quos præconium perferebatur. Apoſtolos autem ad veterum Prophetarum oracula provocaſſe, ubi de perpeſſione Chriſti, excitatione ex mortuis & exaltatione ad

 gloriam

gloriam verba faciebant, tum aliunde, tum inprimis ex Petri concione *Act.* II. obſcurum eſſe non poteſt.

εις ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι) Vide huc B. *Joannis Franciſci Buddei* Meditationes Sacras, quæ cum Syntagmate Diſſertationum ejus Theologicarum, Jenæ 1715. 4to edito, prodierunt, pag. 15. ſeqq. & Vener. *Valentini Erneſti Læſcheri* Decimas Evangel. Tomo IV. pag. 201. Adde *Petavii* Dogmata Tomo III. ubi de Angelis, lib. I. cap. VIII. §. 5. & *Eraſmum* Tomo IX. Operum pag. 241. De ἐνεργείᾳ verbi παρακύπτειν dictum eſt ad *Jac.* I. 25. Adde nunc *Jacobum Elsnerum* ad h. l. pag. 401. Obſervat is, παρακύπτειν proprie eſſe *exerto capite inſpicere*, ut *Luc.* XXIV. 12. deinde vero *rem cognoſcere*, *& exerto quaſi capite & intentis oculis acerrime contemplari*, ut h. l. & *Jac.* I. 25. quomodo & *Lucianus* Reviviſc. pag. 407. dixerit: *κἀπειδὴ μόνον παρέκυψα ἐς τὰ ὑμέτερα.* Monet præterea, ἐπιθυμοῦσι idem eſſe, quod *gaudent*, *delectantur*; quam in rem legi cupit ſuas in *Luc.* XVI, v. 21. obſervationes.

Verſ. 13. *Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν*) Phraſin hanc ex antiquitate Hebraica & profana illuſtrat *Joannes Braunius* de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum pag. 491.

ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ) Hac phraſi adventum Domini noſtri ad judicium indicari ex aliis Scripturæ locis, & Patribus quoque, oſtendit *Svicerus* Tomo I. pag. 448.

Verſ. 14. *Ὡς τέκνα ὑπακοῆς*) *Filii obedientes* hic ſunt *fideles*: vide ad v. 2. Illis oppoſiti dicuntur υἱοὶ ἀπειθείας ad *Epheſ.* II. 2. & V. 6. Phraſin ipſam ex Hebraiſmo repetit & illuſtrat *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Parte II. pag. 45. Confer *Sebaſtiani Schmidii* diſſertationem de filiis lucis in Append. ad Diſputatt. in Formulam Concord. p. 230.

μὴ συσχηματιζόμενοι) Vide nos ad *Rom.* XII. 2.

Verſ. 15. *Ἀλλὰ κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον*) *Quemadmodum ille ſanctus eſt, qui vocavit vos, ita & vos* &c. Κατὰ heic ſimilitudinem infert, ut apud *Xenophontem* Hiſt. Græc. lib. II. pag. 363. *ἐξ ἀρχῆς τιμώμενος ὑπὸ τοῦ δήμου, κατὰ τὸν πατέρα Ἅγνωνα*, i. e. *ſicut & Pater ejus Hagno fuerat.* Vide plura apud *Raphelium.*

Verſ. 16. *ἅγιοι γένεσθε*) *Codices* aliquot habent ἔσεσθε, quos & Patres nonnulli ſequuntur, fortaſſe ex τοῖς LXX. qui ita habent *Levit.* XI. 44. & XIX. 2. Senſus utrinque idem eſt, quia futurum ſæpe habet imperandi notionem.

ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι) Deum ſæpe in ſanctitatis variarumque virtutum exemplum, quod imitari oporteat, proponi conſtat. Vide *Gatakerum* ad Marc. Antoninum X. 8. ubi ἐξομοιοῦσθαι θεοῖς occurrit.

Verſ. 17. Καὶ εἰ πατέρα ἐπικαλεῖσθε τὸν ἀπροσωπολήπτως κρίνοντα) Vide ad *Jac.* II. 1.

Verſ. 18. Εἰδότες, ὅτι οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε κ. τ. λ.) Huic & ſequenti commati lucem affuderunt noſtrates Theologi ſingularibus diſſertationibus, *Joannes Meiſnerus* de Sanguine Chriſti, Wittebergæ 1662. *Caſpar Læſcherus* de incorruptibili ſanguine JESV, ibidem 1681. *Joannes Georgius Neumannus* de paſſione Chriſti cruenta vicaria, ibidem 1696. & *Joannes Andreas Danzius* de lytro redemtionis humanæ ex parallelíſmo locorum *Jeſ.* LIII. 10. & 1 *Petr.* I. 18. 19. Jenæ 1720. qua inprimis vox λύτρον philologice explicatur. Adde *Theod. Daſſovii* diſſertationem I. de Emphaſi vocum ſacrarum, comm. 9. Programma Paſchale Jenenſe de redemtione, agni DEI ſanguine facta an. 1727. ed. *Alethæi* Erläuterung Tomo III. pag. 255. ſeq. *Zeltneri* Hiſtoriam Crypto-Socinìſmi Altorfini pag. 621. & 838. & *Joannis Pearſoni* notas ad Symbolum Apoſtolicum pag. 333. & 645. De expiatione Chriſti, per dimidium ſiclum redemtionis *Exod.* XXX. 11–16. præfigurata, exponitur in Heſſiſchen Heb-Opfern Faſcicul. II. pag. 170. ſeqq.

ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου) Voce πατροπαράδοτος uſus eſt *Diod. Siculus* IV. pag. 151. ἡμᾶς δὲ πρὸς τὸν Θεὸν μηδὲ τὴν πατροπαράδοτον εὐσέβειαν διαφυλάττειν, ut obſervatum eſt *Lamb. Bos* pag. 276. Exercitationum, & *Jo. Alberti* pag. 455. bis eandem vocem lib. XVII. occurrere monenti, apud quem & alia leges. Paganos temporibus Chriſtianiſmi naſcentis patria inſtituta pertinaciæ ſuæ prætexuiſſe Patres tradiderunt, quorum locos *Gatakerus* adfert ad *Marc. Antonin.* IV. 46.

Verſ. 19. Ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου) Vide B. *Daſſovii* diſſ. I. de Emphaſi Sacrarum Vocum loc. cit. & Rev. *Salomonis Deylingii* Obſervationes Sacras Parte III. Obſervat. XXXV. p. 254. ſeqq.

Verſ. 20. Προεγνωσμένου μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου) Nomen Meſſiæ ante mundum conditum eſſe traditur in *Pirke R. Elieſer* cap. 3. idque probatur ex *Pſalm.* LXXII. 17. & *Mich.* V. 1. Vide locum apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 3. De phraſi, πρὸ καταβολῆς κόσμου lege Curas has ad *Matth.* XIII. 35. & XXV. 34.

φανερωθέντος δὲ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων δι' ὑμᾶς) *Codices* aliquot legunt, ἐπ' ἐσχάτου τῶν χρόνων, quæ phraſis propius reſpondet Hebraicæ באחרית הימים, & totidem verbis occurrit 2 epiſt. III. 3. ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν. Sed hic alii *codices* habent ἐσχάτων.

Verſ.

Verſ. 21. *Τὺς δι' ἀυτῦ πιςεύοντας ἐις Θεὸν κ. τ. λ.*) Lege *Cloppenburgium* Tomo I. Operum pag. 1044.

Verſ. 22. *Τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες κ. τ. λ.*) Comparetur *Grotius* Tomo III. Operum pag. 641. & *Henricus Morus* in Operibus Theologicis, Latine editis, pag. 320. ſeq. cujus etiam ſingularis in hoc & ſequens comma diſſertatio de regeneratione, cum delectu legenda, exſtat in ejusdem *Diſcourſes on ſeveral texts of Scripture* p. 406. ſqq.

διὰ Πνεύματος) Omittunt *codices* pauci, & *Vulg.* una cum *Copto* Wilkinſii. Ideo ſcholion videtur *Millio* in Prolegom. §. 1209. ſicut editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani parentheſeos notis incluſit. Germanum eſſe non dubito. Apoſtolus enim in hoc capite aliquoties ad Spiritus Sancti operationem provocat v. c. v. 2. 11. 12. Adde IV. 14.

ἀλλήλυς ἀγαπήσατε ἐκτενῶς) Poſtrema voce aliquoties utitur *Polybius* & *Herodotus*, quorum locos habes apud *Raphelium*.

Verſ. 23. *Αναγεγεννημένοι ὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς κ. τ. λ.*) Vide *Amelii* Erörterung Parte II. pag. 350.

διὰ λόγυ ζῶντος Θεῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα) Lege *Trilleri* Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments, Parte I. pag. 198. ſeqq. collatis *Schœnlandii* Vindiciis pag. 189. Obſcurum heic eſt, quo epitheta *ζῶντος καὶ μένοντος* referenda ſint. Alii, nominatim *Beza*, *Eraſmus*, *Grotius*, & *Surenhuſius*, ad Deum utrumque ſpectare ajunt, alii *ζῶντος* ad Deum, *μένοντος* autem ad *λόγον* referunt, ut *Hombergius* in Parergis; alii utrumque de *λόγῳ* & quidem rectius cum B. *Luthero* accipiunt. Non tam enim de Deo, quam verbo ejus, h. l. ſermo eſt, tanquam ſemine incorruptibili. Itaque ad inſtitutum Apoſtoli propius facit, verbo illi & vitam & perpetuitatem tribuere, ne dicam, prædicatum alterum v. 25. de verbo repeti, quod vivum quoque appellatur *Hebr.* IV. 12. Si elogia hæc ad Deum pertinerent, ſcribendum potius fuerat *διὰ λόγυ Θεῦ ζῶντος καὶ μένοντος*. Confer pro hac ſententia *Eraſmum Schmidium*, *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, & *Vitringam* in commentario ad Jeſ. XL. 9. pag. 363. Propterea nec exiſtimo, verba hæc ab Apoſtolo ex *Daniel.* VI. 27. deſumta eſſe, ubi DEVS *vivus atque in æternum permanens* dicitur, quæ *Surenhuſii* loco mox citando eſt ſententia; niſi *Petrum* putes phraſin Danielis ad aliud argumentum accommodaſſe.

Verſ. 24. *Διότι πᾶσα σὰρξ ὡς χόρτος κ. τ. λ.*) Petita hæc ſunt ex *Jeſ.* XL. 6. 8. cum aliquo tamen diſcrimine, & quidem compendii cauſa. Vide *Surenhuſii* *Βίβλον καταλλαγῆς* pag. 684. *Σάρκα* heic non hominum naturam & conditionem, ſed ſtatum Judæorum externum, ſpiritui contradiſtinctum, ut natales ex Patribus, circumciſionem, liberationes varias populo

pulo a Deo procuratas, legem, legiſque opera, & alias prærogativas indicare, *Vitringa* cenſet loc. cit. ad Jeſaiam pag. 362. qui & pag. 363. cultum carnalem Oeconomiæ veteris & prærogativas, quibus populus Judaicus excellebat, *flori agri* ait comparari, primum quidem, quod magno ſe decore, elegantia & varietate oſtentet, deinde vero, quod cito marceſcat & concidat, & impetum gravioris venti non facile ferat. Lege in eandem ſententiam *Adriani Relandi* Antiquitates Hebraicas pag. 247. & *Amelium* loc. cit. ad v. 23 Equidem Petrum id ſibi velle non exiſtimo, quippe qui vocem *σάρκα* ſtatim per vocem *ἄνθρωπος* exponat, atque adeo hominum fragilitatem in univerſum indicet, quod & comparatio, cum Deo ejusque verbo facta, innuit.

καὶ πᾶσα δόξα ἀνθρώπε) Pro *ἀνθρώπε* *Codices* pauci habent *αὐτῆς*, quam & verſiones quædam exhibent, quemadmodum & in Hebræo Jeſaiæ contextu eſt חסדו. At in LXX. Intt. itidem exſtat *ἀνθρώπε* perſpicuitatis cauſa, quam Apoſtolus eorum, quos etiam alias ſequitur, exemplo conſectandam cenſuit. Itaque non erat, cur *Millius* illud *αὐτῆς* probaret in Prolegomenis §. 1209. aut editor Novi Teſtamenti Græco - Anglicani in contextum ipſum reciperet, recte ideo a *Leonhardo Twells* in Examine Critico pag. 24. caſtigatus.

Verſ. 25. *τῦτο δέ ἐςι τὸ ῥῆμα, τὸ ἐυαγγελισθὲν ἐις ὑμᾶς*) *Emſerus* & *Zangerus* B. Lutherum notant, qui integram hanc ſententiam in verſione ſua omiſerit. Quæ illa editio ſit, dicere non habeo. *Böringerus* ſaltem teſtatur, ſe eam legiſſe in editione Novi Teſtamenti germanici Auguſtæ 1523. curata; quemadmodum & in Wittebergenſi an. 1540. & 1545. quam *ὁ μακαρίτης* ipſe recenſuit, item in edit. 1547. exſtat. Confer B. *Raithii* Vindicias hujus verſionis pag. 583. ſeq.

CAPUT II.

Verſ. 1. 2. & 3. explicat *Chriſtophorus Sonntagius* in diſputatione de *λογικῷ*, ſeu rationali lactis Catechetici, Altorf. 1705. duos vero priores *Robertus Gell* in Reliquiis, Anglice editis, Tomo II. pag. 779–787.

Verſ. 2. *Ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη κ. τ. λ.*) Comma integrum explicat *Joannes d'Outrein* in Prolegomenis ad Cimelium aureum, ſive explicationem Catechiſmi Heidelbergenſis vernaculam. *Infantes modo nati* appellantur recens regeniti, ſicut Hebræi proſelytum appellare ſolent קטון שנולד. *parvulum natum.* Vide *Triglandii* Diatribam de Karæis pag. 140. Iidem diſcipulos novitios appellant תינוקות *lactentes* a ינק *ſuxit*, quod variis lo-

O cis

cis probatum dedit diligentiſſimus *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 1036. ſeq. qui & pro phraſi illa priore pag. 1038. illud ex *Jalkut Rubeni* fol. 169.3. גר שנתגייר כקטן שנולד דמי. *Proſelytus, qui ad religionem Judaicam acceſſit, eſt inſtar infantis recens nati.*

τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα) Phraſeos hujus, qua Socinianos aliosque, rationi in rebus divinioribus nimium tribuentes, abuti conſtat, exponit *J. H. Urſinus* in Analectis, Parte II. pag. 353. & B. *Abrahamus Calovius* in epiſt. ad *Ruarum*, quæ in hujus epiſtolis nuper a Rev. *Zeltnero* recognitis extſtat, pag. 174. *Calovius* intelligit *lac ſermonis ſeu verbi Dei, quo nutrimur, & ex quo renati ſumus. Ruarus* autem pag. 180. *lac rationale*, qua in re tum veteres, tum recentiores interpretes pleroſque, ac inter ceteros *Lutherum*, ſe ait ſequi. Recte vero illi *Zeltnerus* in notis obvertit, *Lutherum*, quando per *lac* illud *verbum Dei* intellexit, verſione ſua idem illud a lacte materiali & naturali, corporibus alendis deſtinato, ac propinato, ita diſtinxiſſe, ut indicaret, hominibus ratione ſua utentibus, (non autem abutentibus) mente, *tanquam inſtrumento*, illud eſſe hauriendum. Interim rectiſſime illi agere videntur, qui phraſin per *lac ſermonis*, ſeu *verbi* cum *Beza* & *Eraſmo Schmidio* convertunt, quemadmodum *Th. Hayne* in præfatione ad diſſertationem de cognatione linguarum pag. 13. Analectorum Crenii *lac verbi, in Sacris Scripturis contenti*, interpretatur. Compara Rev. *Salomonis Deylingii* Obſervationes Sacras Parte III. pag. 316. Adde quæ ſupra ſcripſimus ad λογικὴν λατρείαν *Rom.* XII. 1. Ad verbum, & quidem Evangelii, heic reſpici, ſatis ex eo patere videtur, quod commatibus capitis I. extremis illud tanquam medium regenerationis vivum & efficaciſſimum prædicaverat Apoſtolus. Hinc ſcilicet factum eſt, ut nunc denuo illud cum lacte, ut antea cum ſemine, comparatum, commendet illis, qui inſtar infantum, recens per verbum natorum, ali, ſoveri & ad ampliorem ſtaturam ſpiritualem provehi velint. Nolim igitur cum doctiſſimo *Elsnero* in Obſervationibus pag. 402. per λογικὸν και ἄδολον γάλα, ſeu *ſincerum illum mentis & animæ cibum*, ut vertit, *intelligere gratiæ divinæ amorisque in Jeſu Chriſto ſenſum penitiorem uberrimum, qui dolos non modo expellit, & contentiones* v. 1. pax *quippe Dei* βραβεύουσα ἐν καρδίαις *Coloſſ.* III. 5. *verum etiam vitam mentis ita auget & corroborat* v. 5. *ut fiant* τέλεια, *Epheſ.* IV. 13. Cur vir doctus *verbum doctrinamque Evangelii* intelligere nolit, eam habet rationem, quod ſermo fiat ad eos, qui jam eſſent a ſemine illo ἀφθάρτῳ regeniti. Reſpondere vero licebit, Apoſtolum hic agere de *incrementis* a regenitis capiendis, ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε. Hæc vero *incrementa*, non minus quam *initia*, verbo Evangelii recte percepto, & animis magis magisque infixo, debentur. Propterea *Jacobus* I. 21. Ex-Judæis, atque adeo regenitis idem verbum commendat, dum eosdem, ut h. l. Petrus, ad abjiciendas omnis generis ſordes cohortatur. Διὸ ἀποθέμενοι πᾶσαν ῥυπαρίαν καὶ περισσείαν

ρισσείαν

ῥυπαρίαν καὶ περισσείαν κακίας· ἐν πραΰτητι δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Nec aliter Paulus Actor. XX. 32. *καὶ ταννῦν παρατίθεμαι ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, τῷ Θεῷ καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτȣ͂, τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι καὶ δȣ͂ναι ὑμῖν κληρονομίαν ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πᾶσιν.* Idem Apoſtolus *Epheſ.* IV. v. 13. ad quem vir doctus provocat, ad τελειότητα conſequendam ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τȣ͂ υἱȣ͂ τȣ͂ Θεȣ͂ commendat, quam per præconium Evangelii perfici v. 11. ſeqq. innuerat.

Lac illud *verbi ἄδολον* ſeu *ſincerum* ideo appellari puto, ut indicetur, operam dandam eſſe, ne illud, traditionibus humanis per *καπηλεύοντας τὸν λόγον* 2. *Corinth.* II. 17. corruptum, hauriatur. Vocem ἄδολον non minus de *re*, ut h. l. quam *perſona* & *facto* dici oſtendit *Eraſmus Schmidius* ad h. l.

ἐπιποθήσατε) *Grotius* legi mavult *ἐπιποτίζετε*, *Hammondus* ſimiliter *ἐπιποτίσατε*, ſi credimus Auctori Prolegomenorum ad Novi Teſtamenti editionem accuratiſſimam pag. 172. In notis ejus ad N. T. hanc conjecturam fruſtra quæſivi. Cave alterutrum admittas; verbum enim *ἐπιποτίζειν* Græcia, quoad memini, ignorat, quamvis *ποτίζειν* agnoſcat, ſed eo ſenſu, qui locum hic habere non poſſit. Significat enim *potum dare*, non autem *appetere*, quod Apoſtolum h. l. indicare voluiſſe per ſe patet. Ab altera parte verbum *ἐπιποθεῖν* de deſiderio vehementi frequens eſt Sacris Scriptoribus. Vide *Rom.* I. 11. 2. *Corinth.* V. 2. *Philipp.* I. 8. &c. Apoſtolus procul dubio hoc verbo alluſit ad infantes, quos ſponte ſua & impetu quodam naturali in lac maternum ferri conſtat. Spectat huc *Achillis Tatii* locus lib. I. pag. 37. ab *Elsnero* allatus. *Ὥσπερ γὰρ τὰ ἀρτίτοκα τῶν βρεφῶν ȣ̓δεὶς διδάσκει τὴν τροφὴν, αὐτόματα δὲ ἐκμανθάνει, καὶ οἶδεν ἐν τοῖς μαζοῖς ȣ̓͂σαν αὐτοῖς τὴν τράπεζαν.*

ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε) *Codices* aliquot addunt εἰς σωτηρίαν, quam & verſiones quædam, interque has *Vulg.* exprimunt. *Millius* recte ex Scholio aliquo duas illas voces natas putat, quas *Eraſmus* quoque in ſua Novi Teſtamenti verſione, tanquam ad propoſitam metaphoram parum facientes, recte omiſit. Et ſane, ſi quid addere voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus potius erat *εἰς ἄνδρα τέλειον*, quæ Pauli phraſis eſt *Epheſ.* IV. 13. Fruſtra igitur *Emſerus* & alii hoc nomine in *Lutherum*, qui nec ipſe habet, invecti ſunt.

Verſ. 3. *Εἴπερ ἐγεύσασθε*) *Siquidem*, i. e. quoniam *guſtaſtis*. Vide quæ de hac particulæ notione ſcripſi ad 2. *Theſſalonic.* I. 6. Eam *Blackwallus* huic loco in Claſſicis Sacris Parte II. pag. 203. vindicaturus idoneum *Ariſtotelis* locum ex Ethic. Nicomach. III. cap. 9. adfert: *τὸ τύπτεσθαι ἀλγεινὸν, εἴπερ σάρκινοι, verberari moleſtum eſt hominibus, quoniam ex carne ſunt.*

ὅτι χρηςὸς ὁ Κύριος) Pro χρηςὸς Codices aliquot compendium ſcribendi χς. atque hinc alii χριςὸς exhibent. Hanc lectionem germanam cenſet *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter des Neuen Teſtaments, p. 268. ſeq. Contra illum lege *Schœnlandii* Vindicias, germanice editas, pag. 241. & *Joannis Ehrenfriedi Pfeifferi* diſputationem eidem oppoſitam pag. 29. Clarum utique eſt, reſpici heic ad *Pſalm.* XXXIV. 9. ubi *οἱ* LXX. Γεύσασϑε, καὶ ἴδετε, ὅτι χρηςὸς ὁ Κύριος. Interim per Κύριον, ut alias ſæpe, ita & h. l. Chriſtum indicari ex v. 4. patet. B. *Lutherus* χρηςὸς per freundlich convertit, recte quidem, quod oſtendit *Raithius* pag. 584. Confer, quæ de hac voce dixi ad *Luc.* V. 39.

Verſ. 4. Πρὸς ὃν προσερχόμενοι λίϑον ζῶντα) i. e. ὡς λίϑον ζῶντα. Vide *Lambertum Bos* de Ellipſi Gr. L. pag. 381. edit. *Schœtgenii*, & *Joannem Alberti* pag. 456. qui ceteris *Sophoclis* locum addit ex Oedip. Colon. v. 138.

Μή μ' ἱκετεύω προσίδητ' ἄνομον.
Ne me (tanquam) *ſceleſtum*, *quæſo*, *adſpicite.*

Ubi Scholiaſtes: λείπει τὸ ὡς, ἵν' ᾖ ὡς ἄνομον. Ita mox v. 5. plene: ὡς λίϑοι ζῶντες. Notandum hic præterea eſt, comma quartum cum quinto arctiſſime cohærere, hoc ſenſu: *ad quem* (Dominum ſive Chriſtum) *accedentes* (ſi acceſſeritis) tanquam *ad lapidem vivum* - - - - *ipſi quoque ædificamini*, vel *ædificemini* &c. De phraſi λίϑος ζῶν lege *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tomo II. p. 93. Adde *Gatakerum* in Cinno pag. 390. & B. *Gottfriedum Olearium* in Obſervationibus ad Matthæum p. 549. & 604.

Verſ. 5. καὶ αὐτοὶ ὡς λίϑοι ζῶντες) Petrus *fideles vere* lapides vivos, vere ſpirantes & loquentes Dei ſtatuas ſpirituales & participes ϑείας ἐπιπνοίας dicit, obſervante *Alexandro Moro* ad h. l. dum interim pagani & ſpeciatim *Plutarchus* libro de fluminibus λίϑους ἐμψύχους falſo jactant. Confer, quæ de βαιτύλοις paganorum ad h. l. adfert *Amelius* in der Erörterung, Parte II. pag. 168. ſeq. Subtilior merito videatur *Campeg. Vitringa*, quando libro IV. Obſervationum Sacrarum cap. IX. §. 29. exiſtimat, fideles, qui modo cum infantibus recens natis comparati erant, nunc λίϑους ζῶντας appellari, facta ad voces Hebraicas בן *filius*, & אבן *lapis*, verbumque בנה *ædificavit*, alluſione.

οἰκοδομεῖσϑε οἶκος πνευματικὸς) *Stephanus le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 914. ita: *Secundum ſapientiores Judæos Meſſias non debet templum tertium materiale ædificare*, ſed בירת רוחנירת domum ſpiritualem, *cum ſecundum illos ſub Meſſia omnia debeant eſſe ſpiritualia. Ad iſtam ſententiam videtur alludere* Petrus *Apoſtolus*, *qui* II. 3. *dicit nos eſſe lapides* ἐμψύχους καὶ ζῶντας, & πνευματικὸν οἶκον, *quia revera Judæi etiam templum ſpirituale a Meſſia exſpectabant*, &c. Ejusmodi Judæorum teſtimonia de templo ſpirituali

tuali tempore Meſſiæ habes apud *Buxtorfium* in Hiſtoria Arcæ fœderis cap. 23.

ἱεράτευμα ἅγιον) Spectat huc B. *Joannis Benedicti Carpzovii* diſputatio de regali fidelium Sacerdotio, in Diſputationibus ejus Academicis p. 1171. ſeqq. Adde infra ad v. 9. Phraſis hæc in abſtracto poſita idem vult, ac ſi dixeris *ἱερεῖς ἅγιοι*. *Græcanicæ genus eſt elegantiæ σόφισμα pro σοφιστὴς, πάλαισμα* pro luctatore & diſputatore cauto. *Sic apud* Lycophronem *Paridis ψυχρὸν παρακαμίλισμα*, *Helena*. *Troilus*, *τερπνὸν ἐναγκάλισμα συγγόνων*, *mulier de gabalo pendens αἰώρημα* &c. *Sic in literis ſacris Αἰγύπτου αὔχημα apud* Jeſaiam, *ἐξουθένημα λαοῦ apud Regium Pſalten ore τῶν* LXX. *ἱεράτευμα pro ἱερεῖς apud* LXX. *Exodi* XIX. 6. & Petrum *Apoſtolum*. Habes verba *Iſaaci Caſauboni* ex Animadverſion. ad Athenæum lib. I. cap. 9. pag. 30. qui ibidem ſimiles Patrum locutiones recitat. Similiter *Diogenes Laërtius σοφὸν ἀστρονόμημα* pro *σοφὸς ἀστρονόμος* dixit I. 34. Nec aliter Latinis *aviditas* & *pudor*, *avidus* eſt & *verecundus*, ut *Phædro* II. 1. Plura ejusmodi exempla attulit *Diſpontinius* in Collectaneis ſuis in Phædrum tit. *Abſtracta pro Concretis*. Ex aliis utriusque Linguæ Scriptoribus talia collegerunt *Vechnerus* in Hellenolexia pag. 330. & *Elias Major* de varianda oratione pag. 9. Ex ignoratione phraſeos hujus Græcæ natum videtur, ut codices quidam *εἰς* ante *ἱεράτευμα* exhibeant, quaſi *ſacerdotium* illud *ſanctum* finis eſſet, in quem *domus ſpiritualis* ſtrueretur.

Si parva magnis, vera falſis, componere liceat, monere fas fuerit, paganos quoque Sapientes ſuos Deorum Sacerdotes appellaſſe. *Porphyrius* de Abſtinent. I. 2. *ὁ ὄντως φιλόσοφος τοῦ ἐπὶ πᾶσι θεοῦ ἱερεύς*. Stoicos id de ſuis prædicare tradidit *Stobæus* Tomo I. lib. II. tit. IV. §. 4. Adde *M. Antoninum* III. 4. ibique *Gatakerum* pag. 93.

ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας) Vocem *πνευματικὰς* non habet *Syrus*, quamvis in codicibus omnibus, & verſionibus ceteris exſtet. Et vel ſic *Millius* in Prolegomenis pro interpretamento, ex margine in contextum relato, habere potuit. Cl. *Schætgenius* in Horis Hebraicis Magiſtorum locos recitat, qui ſacrificia legitima & Deo placentia cum animi & ſpiritus meditatione conjungi debere præcipiunt. Nonnulli eorum ſacrificia *σαρκικὰ* tempore Meſſiæ ceſſatura eſſe teſtati ſunt. Vide B. *Georgii Eliezeris Edzardi* Annotationes ad *Beracboth* cap. I. p. 191.

Verſ. 6. *Διὸ καὶ*) *Codices* aliquot habent *διότι*, alii vero *διὸ γὰρ*, quod & in editione prima *Eraſmi*, & *Aldina* quoque legitur. Communior lectio noſtra merito germana habetur. Eadem phraſi utitur Paulus apud Lucam *Actor*. XIII. 35. locum Scripturæ, ut h. l. fit, allegaturus: *διὸ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει*. Confer *Rom*. I. 24. IV. 22. XV. 22. 2 *Corinth*. V. 9. &c.

περιέχει ἐν τῇ γραφῇ) In Codicibus aliquot eſt περιέχει ἡ γραφὴ, quam phraſin *Vulg.* expreſſit, ad quem *Eſtius* Græcum contextum refictum eſſe conjecit, adprobante *Millio.* Fortaſſe tamen a ſciolo aliquo Græcum aliquod exemplum eſt interpolatum, cui phraſis hæc non ſatis Græca videretur. Talis vero eſt, ſi ex ſimplici verbo ἔχει eam æſtimes. Hoc enim ſæpe neutraliter uſurpatur, ut idem ſit, quod *exſtat.* Vide *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 652. *Herodotus* enim libro III. pag. 204. ita: ὕβρισμα ἐς τοὺς εἶχε ἐκ τῶν Σαμίων γενόμενον, *in quos Samiorum exſtabat injuria. Beza* ideo vertit: *quapropter etiam continetur in Scriptura. Eraſmus Schmidius* vero: *quapropter & ſummario complexu tradit* DEUS *in Scriptura.* Neque hæc ellipſis in citandis Scripturæ locis infrequens eſt. Paulus *Epheſ.* IV. 8. Διὸ λέγει· Ἀναβὰς & V. 14. Διὸ λέγει· ἔγειραι κ. τ. λ. *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς phraſeos hujus, περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, hanc reddit rationem, pag. 687. quod ea, quæ deinde adferuntur, ex variis Sacræ Scripturæ locis, nempe *Jeſ.* XXVIII. 16. *Pſalm.* CXVIII. 22. & *Jeſ.* VIII. v. 14. ſint petita.

Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον κ. τ. λ.) Locus eſt ex *Jeſ.* XXVIII. v. 16. cum quo Petri allegationem comparant *Surenhuſius* loc. cit. *Vitringa* comm. in Jeſaiam Tom. II. p. 121. & *B. H. Gebhardi* in Vindiciis textus Hebr. contra Pezronium p. 183. De λίθῳ ἀκρογωνιαίῳ lege *Feſſelium* Tomo II. Adverſariorum Sacrorum p. 92.

καὶ ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθῇ) Paulus *Rom.* IX. 33. ita hæc adfert: καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται. Vide, quæ ibi ſcripſimus, & adde *Vitringam* loc. cit. itemque *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 574.

Verſ. 7. Ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσι) Quomodo hoc ex *Jeſaiæ* loco citato deducatur, oſtendit *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. rad. יסד pag. 331. Pro τιμὴ *Flacius* initio ἔντιμος ſcriptum fuiſſe conjicit ex v. 4. & 6. ſed præter rem, cum altera vox cum altera ſine ſumma negligentia permutari non potuerit, quod recte monet *Stolbergius* de Solœciſmis & Barbariſmis Græcæ dictioni Novi Teſtamenti adfictis pag. 68. unde nec ulla codicum varietas h. l. obſervatur. *Stolbergius* idem abſtractum pro concreto poſitum putat, τιμὴ pro ἔντιμος. Sic Philiſcus apud *Ælianum* Var. Hiſtor. XIV. 11. ad Alexandrum dixit: δόξης φρόντιζε, ἀλλὰ μὴ ἴσο λοιμὸς, καὶ μὴ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ εἰρήνη καὶ ὑγεία. *Ad gloriam incumbe, verum ea conditione, ne ſis peſtis, vel magnus aliquis morbus, ſed pax & ſanitas.* Plura ejuſmodi exempla habes apud Cl. *Georgium* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 217. Fortaſſe tamen rectius heic ſubintellexeris verbum ἐστὶ cum *Joanne Erico Oſtermanno* in Poſitionibus Philologicis Græcum Novi Teſtamenti contextum concernentibus, Diſputat. II. §. 12. hoc ſenſu:

ſenſu: *vobis igitur bonor eſt*, vel, *vobis res pretioſa lapis bic eſt.* Et ſic *Eraſmus Schmidius.* De momentis *pretioſitatis* hujus diſſerit *Jacobus Nyloë* in *Schriftuurlycke Licht* pag. 59. ſeqq.

ἀπειθοῦσι δὲ, λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν) Vox λίθον ratione ſtructuræ parum quadrare videtur ad antecedentia, quæ λίθος in nominandi caſu potius requirant, quomodo & in codicibus nonnullis legitur. *Syrus* omnia illa, quæ inde a λίθον ad καὶ leguntur, omiſit, idque recte factum cum *Grotio* contendit *Millius* locum hunc ex *Matth.* XXI. 42. huc immature relatum exiſtimans. Adſtipulatur Rev. *C. M. Pfaffius* in Diſſertatione de Variantibus Lectionibus Novi Teſtamenti cap. VIII. §. 1. pag. 143. At vide in contrarium diſputantem *Stolbergium* loc. cit. pag. 67. ſeq. qui, poſtquam monuerat, *Heinſium* quoque, qui alioquin *Syrum* probaverat, communem ſcripturam teneri poſſe exiſtimare, ſi ſubintelligatur vox λέγεται, hoc ſenſu: *ad vos igitur, qui creditis, pretioſus bic ſpectat lapis: qui vero non credunt* dicitur λέγεται, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν, κ. τ. λ. hæc ſubjungit: *Non opus eſt, multiplicare figuras; ſufficit Atticiſmus, qui licet in medio poſitus nibil efficit orationis cobærentiæ, præſertim ſi repetatur nomen antecedens omiſſum; quæ explicandi ratio optima viſa eſt eruditiſſimo* Voſſio, *ac comprobata in ſcboliis ſupra citatis. Senſus eſt:* ἀπειθοῦσι δὲ (ὁ λίθος) ὃν λίθον ἀπεδοκίμασαν οἰκοδομοῦντες κ. τ. λ. *incredulis vero* (lapis ille) quem lapidem *reprobarunt ædificantes* &c. Confer doctiſſimi *J. C. Schwarzii* commentationem de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis pag. 79. & *Georgii* Hierocriticon Novi Teſtamenti pag. 44. Structura integra hæc fuerit. λίθος οὗτος, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδ. οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, ſicut 1 *Cor.* X. 16. τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία, pro, οὐχὶ ὁ ἄρτος, ὃν κλῶμεν.

B. *Gothofr. Olearius* in Obſervationibus ad Matthæum p. 589. alia ratione phraſi huic conſulere inſtituit. Putat enim repeti ἀπὸ τοῦ κοινοῦ poſſe verbum τίθημι, ut κῶλον aptiſſime reſpondeat κώλῳ, hoc modo: τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον &c. quod κῶλον pertineat ad πιστεύοντας: cui jam reſpondeat iſtud, pertinens ad ἀπειθοῦντας· τίθημι λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν &c. *Similiter*, inquit, *alteri* ἡμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσι, reſpondebit *illud*, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, καὶ λίθον προσκ. *Imo neque incommodi quicquam babere exiſtimem, ſi verba* λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες. *parentbeſi incluſa exclamantis eſſe ſtatuamus, boc modo:* incredulis vero (ó lapidem ab ædificantibus repudiatum!) factus ille eſt caput anguli &c. At vide, quæ his conjecturis opponit B. *Franciſcus Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti p. 378. ſeq.

ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας) Phraſis hæc Hebraica viſa eſt *Vorſtio*, quod ad *Matth.* XXI. monuimus. Illi vero Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 337. opponit hunc *Thucydidis* locum lib.

lib. 1. §. 13. *τριήρεις τε περὶ τὴν Σικελίαν τοῖς τυράννοις εἰς πλῆθος ἐγένοντο, triremes etiam tyrannis in Sicilia in multitudinem fiebant.*

καὶ λίθος προσκόμματος) Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tomo II. pag. 92. & *Suiceri* Theſaurum Tomo II. pag. 244. Mirum heic nemini videri debet, quod Apoſtolus dicit, incredulis quoque Chriſtum factum eſſe *εἰς κεφαλὴν γωνίας*, & ſimul tamen *λίθον προσκόμματος*, quem antea v. 6. credentibus *λίθον ἀκρογωνιαῖον* eſſe dixerit. Ex conſilio enim Dei etiam illis, qui non credebant, poſitus erat in lapidem angularem, cui inniterentur, ſi crederent; ipſorum vero incredulitate atque adeo culpa fiebat, ut evaderet lapis offenſionis. Simile quid accidere videmus lapidibus angularibus, quibus ædes muniri ſolent. Illi ſcilicet tum ad tutelam & præſidium domus, tum ad ſecuritatem prætereuntium ponuntur; ſæpius tamen uſu venit, ut prætereuntes culpa ſua ad illos offendant. Senſus itaque fuerit: incredulis autem idem ille lapis, quem ædificantes reprobaverunt, in ſe lapis eſt angularis, ſimul autem lapis offenſionis & petra ſcandali. Similiter utrumque prædicatum conjungitur a Simeone *Luc.* II. 34. *ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ισραήλ.*

Verſ. 8. *Οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες*) Vide *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 119. & *Jacobi Schalleri* diſputationem de Chriſto lapide offenſionis, Argentorati 1690. Dubium heic eſt, quomodo voces allatæ interpungi debeant. Editi, quos vidi, omnes ita: *οἳ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, ἀπειθοῦντες.* At *Oecumenius στιγμὴν* ponit poſt verbum *προσκόπτουσι*, & ſic *Syrus* quoque reddidit: *& offendunt in ipſum, propterea quod non credunt ſermoni.* Atque hoc videtur rectius. Senſus eſt: *qui impingunt*, nempe, in lapidem illum angularem, *verbo non credentes*; quo ipſo & offenſio ipſa & ejus cauſa indicatur, ut appareat, lapidem illum angularem non eo conſilio a Deo ipſo poſitum eſſe. Eadem phraſi Apoſtolus infra III. 1. utitur: *ἵνα καὶ εἴτινες ἀπειθοῦσι τῷ λόγῳ*, & IV. 17. *τί τὸ τέλος τῶν ἀπειθούντων τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίῳ.* Confer in eandem ſententiam *Joannem Marckium* in Exercitationibus Biblicis pag. 781. & *Starckium* in Notis Selectis ad loca dubia & difficiliora Novi Teſtamenti pag. 155. Ceterum verbo *προσκόπτειν* paſſim utitur *Polybius* v. c. pag. 45. *ἀλλὰ καὶ προσκόψαντες τῇ βαρύτητι τοῦ Μάρκου, ſed etiam duritia Marci non mediocriter offenſi.* Vide *Raphelium* pag. 701. Annotatt. Polybian.

εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν) *Starckius* loc. cit. recte obſervat, phraſin hanc multis *λίθον προσκόμματος* fuiſſe. Inter hos numerandi ſunt illi, qui ad probandum abſolutum reprobationis decretum ea abutuntur. *Beza* nominatim ita explicat: *alterum Judæorum genus eſt, qui ſunt immorigeri, quibus Chriſtus eſt offendiculo, prout etiam ad hoc ipſum a Deo ſunt conditi.* Idem credo indicare voluiſſe *Hombergium* in Parergis ad h. l. quando *τὸ ἐθέτησαν* vertit,

vertit, *facti ſunt.* Eam vero expoſitionem noſtrates diligenter ſunt amoliti, ex quibus legi velim *Flacium* in Clavi, voce *Pono*, & in *Gloſſa* ad h. l. *Franzium* loc. cit. *Glaſſium* in Grammatica Sacra Tract. I. Can. 21. pag. 78. & *Tarnovium* in Exercitationibus Biblicis pag. 883. ſeqq. Sed nec illi eandem omnes viam ingrediuntur. *Tarnovius* §. 6. ita explicat: *in quo ſuo malo propoſito inobediendi Deo ſunt ſepoſiti.* At §. 7. ait: *ſi cui hoc non placeat, videat, num. h. l.* εἰς ὃ *poſſit explicari, per* ἐφ' ᾧ, quare, idcirco, *Rom.* V. 12. *Matth.* XXVI. 50. *quo & alludit verſio* Syriaca. Ad hæc B. *Albertus Ehlers* in ſuo exemplo Novi Teſtamenti obſervaverat, τὸ εἰς ſæpe apud ſacros & profanos Scriptores denotare *propter*, teſte *Rhenio* in Grammatica majore pag. 435. & *Noldio* in Concordantiis Particularum pag. 63. §. 18. v. c. *Marc.* I. 38. 2 *Corinth.* II. 9. εἰς τοῦτο, *propter hoc.* Confer *Noldii* not. 1953. Τιθέναι vero idem eſſe ait, quod *ſeponere*, ut ſimplex ſit pro compoſito. Vide *Matth.* XXIV. 51. *Joh.* XV. 16. *Actor.* XIX. 21. & 1 *Corinth.* XVI. 2. *Flacius* in Gloſſa ad h. l. ita: *Rectius meo judicio, ſi ſenſum ſpectes, verteretur*: in quod intenti fuerant. Idem vero in Clavi pag. 935. v. *Pono*, innumera exempla ait in Scriptura eſſe, ubi verba Paſſiva neutralem quandam ſignificationem habent, & ſimplicem tantum nudamque exiſtentiam declarant, ut proinde impii a Petro heic dicantur tales eſſe, ut reſiſtant, aut non obediant ſermoni de Chriſto. Multi τὸ, εἰς ὅ, referunt ad λόγον, quaſi ſcriptum eſſet εἰς ὅν, hoc ſenſu, quod ad *verbum* illud audiendum poſiti ſint. Cum vero ejusmodi enallages exemplum fruſtra in tali ſtructura quæratur, fatente *Glaſſio*, rectius illi agere videntur, qui phraſin εἰς ὃ referunt ad προσκόπτοντες. Placet *Glaſſius* loc. cit. pag. 79. ita diſſerens: *Tota phraſis præcedens eſt,* οἳ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες, *h. e.* qui offendunt verbo non credentes, *ſeu, qui eo ipſo, quod increduli ſunt, impingunt in verbum (participia enim Græca cauſam rei quandoque includunt,* Hebr. XI. 31. &c.) *Igitur phraſis dicta complectitur duo: 1.* τὸ ἀπειθεῖν, *ſeu incredulitatem. 2.* τὸ προσκόπτειν, *ſeu offenſionem in Chriſto, & ſermone ejus ſancto. Prius* cauſa *eſt, poſterius* effectum. *Offenſio autem iſthæc nihil aliud eſt, quam judicium divinum & pœna horribilis, quam increduli incurrunt ob propriam culpam & contumaciam: quæ ſignificatio* τῆς προσκοπῆς *patet tum ex deſcriptione ejus* Jeſ. VIII. 14. 15. Matth. XXI. 44. (*quæ loca exactiſſime conſiderentur*) *tum ex phraſeos, quæ metaphorica eſt, conditione. Sicut enim, qui in lapidem impingit, læditur, & dolorem ſentit; ſic, qui ad Chriſtum, lapidem ſalutis, incredulitate impingunt, inſigniter læduntur, & dolores æternos incurrunt. Et notetur bene, quod* v. 7. *præcedenti* τὸ ἀπειθεῖν, *ut antecedens, a* προσκόμματι, *ut conſequente, ſejungatur. Ad hoc igitur judicium divinum, & pœnas, propria contumacia promeritas, utique increduli poſiti ſunt a Deo, juſtiſſimo omnis* ἀπειθείας *vindice & judice, non antecedentis, ſed conſequentis & judiciariæ voluntatis reſpectu. Confer epiſtolam* Judæ v. 4. &c. Eandem expoſitionem locum habere poſſe *Franzius* quoque largitur, & fuſius oſtendit, quamvis alioquin τὸ ἐθέτησαν

Digitized by Google

ad verbum Evangelii de Chriſto recipiendum referre malit. Cum *Glaſſio* facit *Starckius* ita vertens: *Qui impingunt* (in illum,) *dum verbo* (Evangelii) *non credunt*, *ad quod* (impingere & cadere) *etiam poſiti ſunt*. Similiter interpretatur *Hammondus*. Nec fere aliter inter veteres ſenſit *Oecumenius* ad h. l. cujus hæc habe verba: Ουχ ὡς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐις τοῦτο ἀφωρισμένοις εἴρηται. οὐδεμία γὰρ αἰτία ἀπωλείας παρὰ τοῦ πάντας ἀνθρώπους θέλοντος σωθῆναι βραβεύεται, ἀλλὰ τοῖς ἑαυτοὺς σκεύη κατηρτικόσιν ὀργῆς, καὶ ἡ ἀπείθεια ἐπηκολούθησε, καὶ ἐις ἣν παρεσκεύασαν ἑαυτοὺς τάξιν ἐτέθησαν. Ει γὰρ αὐτεξούσιος ὁ ἄνθρωπος γέγονε, και οὐκ ἔςι βιάζεσθαι τὸ αὐτεξούσιον, οὐκ ἂν ἐικότι μέμψαιτό τις λόγῳ τῷ τοιαύτης λήξεως ἀξιώσαντι τοῦτον, ἧς διὰ τῶν αὐτοῦ ἔργων ὁ ταῦτα δράσας ἑαυτῷ ἐμνηςεύσατο. *Non quaſi ad hoc ſint ſegregati a Deo, id dictum eſt*; (nempe, ἐις ὃ ἐτέθησαν) *nulla enim perditionis cauſa ab eo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, miniſtratur: ſed eos, qui ſe ipſos vaſa iræ effecerunt, & incredulitas ſecuta eſt, & in eo ordine conſtituti ſunt, ad quem ſeſe præparaverant. Si enim liberi arbitrii homo factus eſt, nec poteſt cogi liberum arbitrium: nequaquam decenti ſermone quiſpiam eum accuſaverit, qui talem ipſi ſortem decrevit, quam ſuis operibus is, qui ea operatus eſt, ſibi ipſi adſcivit.*

Quod ſi quis τὸ ἐτέθησαν a *judicaria* Dei, incredulos punientis, voluntate repetere noluerit, is verbo illi eandem notionem tribuere poſſit, quam phraſis illa *Actor*. XIII. 48. ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι ἐις ζωὴν αἰώνιον, obtinet. Quemadmodum enim ibi vox τεταγμένοι non pertinet ad Deum, a quo ad vitam deſtinati ſint, ſed ad illos, qui ſecuti & amplexi erant ordinem Dei in negotio ſalutis; ita τὸ, ἐτέθησαν commode referre poſſis ad homines, qui animum ſuum obſirmarint, ut ad Chriſtum offenderent. Senſus itaque foret, incredulos hos ad offenſionem illam ſe ipſos diſpoſuiſſe. Conſtat utique, phraſin τιθέναι τὴν καρδίαν, vel τιθέναι ἐις καρδίαν a τοῖς LXX. ſæpe de inſtituto & conſilio animi adhiberi. Sic *Hagg*. I. 7. θέσθε τὰς καρδίας ὑμῶν ἐις τὰς ὁδοὺς ὑμῶν, & *Malach*. II. 2. καὶ ἐὰν μὴ θῆσθε ἐις τὴν καρδίαν ὑμῶν. Nec inſuetum Scripturæ eſt, paſſiva verba neutraliter uſurpare, ſine indicio cauſæ efficientis, quæ ex περικειμένοις æſtimanda eſt. Sic *Rom*. IX. 22. vaſa κατηρτισμένα ἐις ἀπώλειαν, & VII. 4. homo πεπραμένος *ſub peccatum* dicuntur, & Gentiles *Rom*. I. 21. ἐματαιώθησαν. Confer B. *Glaſſii* Grammat. Sacr. Tract. III. can. XXIV. p. 308.

Verſ. 9. Υμεῖς δὲ γένος ἐκλεκτὸν κ. τ. λ.) Hoc commate ad varia Veteris Teſtamenti loca reſpici oſtendit *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 689. Adde *Wokenium* in Harmonia Moſis pag. 109. & *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* I. 1. 34. & I. 6. 145. Diverſa, quæ heic exſtant, Chriſtianorum elogia perſequitur B. *Abrahamus Calovius* in ſingulari diſputatione de Chriſtiani nominis dignitate, Wittebergæ 1679. *Fridericus*

ricus Rappoltus in diſſertatione de Eccleſiæ dignitate, Lipſiæ 1672. & *Chriſtophorus Reuchlinus* de dignitate Chriſtianorum, Tubingæ 1705.

βασίλειον ἱεράτευμα) Confer ad v. 5. Phraſis hæc totidem verbis exſtat *Exod.* XIX. 6. quem locum Judæi in *Tanchuma* fol. 31. 3. inter eos numerant, qui in Veteri & Novo Teſtamento בעולם הזה ובעולם הבא obtineat. Lege verba apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1039. Hujus elogii dignitatem ediſſerit *Amelius* in der Erörterung Tomo II. pag. 389. ſeq. ea etiam adferens, quæ de Sacerdotum inter Judæos & paganos prærogativis celebrantur. Rem ipſam noſtrates variis diſſertationibus expoſuerunt. Inter hos ſunt *Guilielmus Baierus* de Sacerdotio Chriſtianorum regio, Jenæ 1689. quæ recuſa eſt in Theſauro Theolog. Philolog. Novi Teſtamenti pag. 789. *Joannes Benedictus Carpzovius* in Diſputatt. ejus Academic. pag. 1171. recuſa, Lipſiæ 1695. *Joannes Nicolaus Quiſtorpius*, Roſtochii 1706. & *Gottlieb Wernsdorfius*, Wittebergæ 1728. Atque hic quidem recentiores potiſſimum controverſias, quas de hoc argumento motas eſſe conſtat, diligenter excuſſit. Confer D. *Chriſtophori Eilmari* Erörterung der Lehre vom geiſtlichen Prieſterthum, Vitembergæ 1704. & *Joannis Adolphi Frohnii* Recht des geiſtlichen Prieſters zu Miniſterial-Wercken in allerley Noht-Fällen, Naumburgi 1705. nec omitte B. *Joannis Fechtii* Philocaliam Sacram p. 29. *Salomonis Deylingii* Obſervationes Sacras Parte III. pag. 320. & *Joannis Steuberi* Diſſertationes Theologicas p. 221. ſqq.

Ex Anglis huc pertinet *Joannis Dodvvelli* liber ſingularis *de Jure Laicorum Sacerdotali*, Latine editus, & alter Anglicanus, *de uno altari & uno Sacerdotio.*

λαὸς εἰς περιποίησιν) Vide nos ad *Epheſ.* I. 14. & *Guſſetium* in Commentariis L. Hebr. rad. סגל p. 549.

ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε) *Polybius*, obſervante Raphelio, dicit *ἐξαγγέλλειν τὰς πράξεις*, *narrare res geſtas*, p. 1411.

Verſ. 10. *Οἱ ποτε ȣ̓ λαὸς, νῦν δὲ λαὸς Θεȣ̃*) Hæc verba oſtendunt, Apoſtolum non ad Ex-Judæos tantum, ſed & ad Ex-Gentiles, qui in paganiſmo non pertinebant ad populum Dei, (quo nomine Judæi alias in Scriptura frequenter appellantur) epiſtolam hanc ſcripſiſſe. Vide ad I. 1.

Verſ. 11. *Ἀγαπητοὶ, παρακαλῶ ὡς παροίκȣς καὶ παρεπιδήμȣς*) Quo ſenſu ita appellentur Chriſtiani, diſquirunt *Albertus a Felde* in Decade Obſervationum ex Patribus Apoſtolicis, Obſervat. IX. pag. 25. &, qui in eum animadvertit, *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 259. ſeqq. De paganis, homines cum *peregrinis* comparantibus, lege *Picinellum* pag. 748. Confer nos ad *Hebr.* XI. 13.

Digitized by Google

ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν) Vide *Joannis Andreæ Boſii* Exercitat. ad 2 *Timoth.* II. 22. p. 9. & *Picinellum* l. c.

αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς) Itaque & hoc nomine vita hominum bellum eſt & jugis militia. Sic *M. Antoninus* II. 17. *ὁ δὲ βίος πόλεμος.* Vide ibi *Gatakerum.*

Verſ. 12. *Τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν ἐν τοῖς ἔθνεσιν κ. τ. λ.*) Lege *Amelium* Tomo I. pag. 182. ſeq.

ἐποπτεύσαντες) ſcilicet *τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν*, niſi etiam ſubintelligere velis *αὐτά*, ſcilicet *ἔργα*, quorum proxime ante fit mentio, quæ *Raphelii* eſt ſententia in Annotationibus Xenophonteis pag. 337. Verbo *ἐποπτεύειν* accuratam inſpectionem & examen innui pridem obſervatum eſt. Vide inprimis *Amelium* loc. cit. &, qui idem eſt, *Petrum Zornium* Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 51. in notis, item *Ezechielem Spanhemium* ad *Ariſtophanis* Ranas v. 757. *Heſiodum* *ἔργα ἐποπτεύειν* dicere obſervavit *Seelenius* in Bibliotheca Lubecenſe Tomo VII. pag. 465. ubi etiam commentationem ſuam *de Epoptis veterum* exſpectare jubet.

ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς) *in die viſitationis*, ſive inſpectionis, aut examinis: accurate ſcilicet & publica auctoritate inſtituti. Ita Rev. *Raphelius* loco citato: *De borum Epiſcoporum, ſimiliumve Magiſtratuum publicis, non aliorum quorumvis privatis judiciis arbitror Petrum hic loqui, atque ἡμέραν ἐπισκοπῆς vocare eum diem, quo epiſcopi iſti munere ſuo cenſorio fungantur, cognitisque hominum factis vel præmia decernant, vel pœnas. Notæ enim ſunt vel ex Actis Apoſtolicis cum Gentilium, tum Judæorum calumniæ, quibus Chriſtianorum doctrinam & vitam criminabantur, quaſi ea ad evertendum ſtatum publicum aut ſeditionibus turbandum atque immutandum eſſet comparata. Cui ſententiæ optime conveniunt, quæ ſequntur v.* 13. 14. 15. *Ocurrit verbum hoc eodem ſenſu Oeconom.* p. 654. l. 17. & 30. Lege in eandem ſententiam *Zornium* ll. cc. Patrum, qui ad Deum hanc *ἐπισκοπὴν* referunt, loca lege apud *Svicerum* Tomo I. pag. 1177.

Verſ. 13. *Ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει*) Explicat locum B. *Sebaſtianus Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori pag. 337. ſeqq. Eundem a *παρερμηνείᾳ Miltoni* vindicat *Salmaſius* in Reſponſione ad Miltonum pag. 285. ſeqq.

ἀνθρωπίνῃ κτίσει) Phraſin hanc juri divino Magiſtratus fraudi non eſſe, oſtendit *Samuel Bochartus* Tomo II. Operum pag. 1003. ubi de Jure Regum commentatur. *Neque enim*, inquit, *ideo dicitur* humana, *quod ſit juris humani, aut homines habeat auctores; ſed quia Principatus ab hominibus & in homines exercetur. Sic* virga hominis *dicitur, qua homines caſtigat Deus,* 2 *Sam.* VII. 14. *&* tentatio humana, *qua eos idem tentat* 1 *Corinth.* X. v. 13.

v. 13. *De cætero vel ipſe* Petrus *aperte docet, humanam hanc ordinationem a Deo eſſe; cum fideles illi ſubjectos eſſe jubet* propter Dominum. *Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet, id eſſe a Domino; quod hominum, qui natura æquales ſunt, alii aliis ſubjiciuntur, ac proinde noſtrum eſſe, vel in Auctoris gratiam huic ordini nos ſubmittere.* Ita quidem phraſin hanc accipere malim, quam cum *Wilhelmo Nicholſio*, Anglo, ſtatuere, τὸ ἀνθρώπινον heic πνευματικῷ opponi, & conſtitutiones, a mundanis ethnicisque Regibus factas, reſpici. Vide librum ejus, quem inſcripſit: *the duty of inferiours tovvards their Superiours*, cui præmiſſa eſt diſſertatio *de Jure Principum divino.* Summam ejus habes in Actis Eruditorum Lipſienſ. an. 1702. pag. 398. ſeq. . Neque enim de inſtitutis aut legibus imperantium inter paganos heic ſermonem eſſe, ſed de imperantibus ipſis, ex eo ſatis intelligitur, quod ἀνθρωπίνη illa κτίσις mox in varias imperantium perſonas, quales ſunt βασιλεὺς & ἡγεμόνες, diſtinguatur. B. *Lutherus* noſter κτίσιν rectiſſime per Ordnung convertit. Vide *Raithii* Vindicias pag. 584. Nec aliter jam olim *Oecumenius* accepit. Κτίσιν ἀνθρωπίνην, inquit, τὰς ἀρχὰς καλεῖ τὰς χειροτονητὰς ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ καὶ αὐτὺς τὺς βασιλεῖς, καθότι καὶ αὐτοὶ ὑπὸ ἀνθρώπων ἐτάχθησαν, ἤτοι ἐτέθησαν. οὐδὲ γὰρ ἡ γραφὴ τὴν θέσιν κτίσιν λαλεῖν. i. e. Κτίσιν ἀνθρωπίνην *vocat magiſtratus a Regibus ordinatos, vel etiam ipſos Reges, quoniam illi quoque ab hominibus ordinati, vel conſtituti ſunt. Solet enim Scriptura* ordinationem *vocare* κτίσιν.

εἴτε βασιλεῖ) Imperatorem Romanum, tanquam ſupremam poteſtatem tunc habentem, h. l. indicari recte exiſtimavit *Grotius*. Ita enim Imperatores Romani ea ætate a Græcis appellabantur. Vide quæ ſcripſi in *Curarum* Volumine I. pag. 976. Adde *Ezechielem Spanhemium* de uſu & præſtantia Numiſmatum Tomo II. pag. 397. & *Nathan. Lardnerum* in Fide Hiſtoriæ Evangelicæ, quem librum nuper Latine converſum edidi, lib. I. pag. 143. Affert ille inter cetera *Joſephi*, Scriptoris æqualis, locum de Bello Judaico lib. V. cap. 13. §. 6. οἱ μὲν γὰρ Ῥωμαίων βασιλεῖς ἐτίμησάν τε καὶ προσεκόσμησαν τὸ ἱερὸν ἀεί. Itaque *Joannes Harduinus* in Operibus Selectis pag. 338. b. temere hoc nomine in Grotium animadvertit, ideo, quod *Polemon*, amicus & ſocius Populi Romani, illa ætate Ponto, Galatiæ & Cappadociæ, ad quarum incolas Chriſtianos Petrus ſcripſerit, cum Regis auctoritate præfuerit. Hoc enim aſſertioni illi non obſtare nuper erudite oſtendit *Petrus Zornius* in Hiſtoria Fiſci Judaici p. 189.

Verſ. 14. Εἴτε ἡγεμόσιν) Vox ἡγεμὼν generalis eſt, & nunc Procuratorem, nunc Proconſulem, nunc Legatum Cæſaris denotat. Vide *Curas* has ad *Matth.* XXVII. 3. & *Actor.* XXIII. 26. Adde *Spanhemium* loc. cit. Tom. II. p. 597. & *Zornium* loc. cit. pag. 507. Vrbi alicui præfectos eodem nomine appellari oſtendit *Garnerius* ad Baſilium Tomo III. pag. 156. & 441.

εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν) Vide *Picinellum* pag. 748.

Verſ. 15. φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων ἀγνωσίαν) De verbo φιμοῦν lege *Gerhardum Outhovium* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. I. Faſcic. II. pag. 67. ſeqq.

Verſ. 16. Ὡς ἐλεύθεροι) i. e. libere id facientes, & voluntarie, non coacte. Ita *Salmaſius* Reſponſ. ad Miltonum p. 288.

ἐπικάλυμμα τῆς κακίας ἐλευθερία) Vide *Andreæ Schotti* Adagialia Novi Teſtamenti ad h. l.

Verſ. 17. Πάντας τιμήσατε) Verbum τιμᾷν latius patere, & non honorem ſolum, ſed & charitatem & officia, aliis præſtanda, innuere *Beza* ad h. l. recte monuit, in eo tamen falſus, quod Hebraicum loquendi morem heic videre ſibi videtur. Nubem auctorum, Græce ita loquentium, produxit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 143. Inter eos eſt *Iſocrates* ad Demonicum pag. 4. οἱ μὲν γὰρ τοὺς φίλους παρόντας μόνον τιμῶσιν, οἱ δὲ καὶ μακρὰν ἀπόντας ἀγαπῶσι, *alii enim amicos præſentes tantum* honore proſequuntur, *alii vero etiam longe abſentes* amant. Quibus verbis τιμᾷν & ἀγαπᾷν ita inter ſe invicem permutantur, ut alterum alterum explicet. Confer, quæ ſcripſimus ad 1 *Timoth.* V. 3. Hæc notio ſi teneatur, non opus fuerit, præceptum Petri temperare cum verſione Gallica Montenſi, quæ ita habet: *rendez l'honneur à tous ceux, à qui il eſt dû.* Charitatis enim officia nemini ſunt deneganda. Vide tamen, quæ pro hac verſione contra *Malletum* adferuntur in continuata defenſione illius verſionis pag. 541. Apoſtolum h. l. officium aliquod generale, ſive honore ſtricte ſic dicto, ſive amore & ſtudio exhibeatur, indicare, ex eo patet, quod mox fratres i. e. Chriſtianos, eo dignos, ſpeciatim commemorat.

τὴν ἀδελφότητα ἀγαπᾶτε) i. e. *fratres*, (Chriſtianos) *diligite*, per metonymiam; quemadmodum *Herodotus* συμμαχίας dicit pro ſociis lib. I. pag. 37. ἐς τε δὴ ὦν τὰς ἄλλας ἔπεμπε συμμαχίας, *& ad alios ſocios miſit*, obſervante *Raphelio*. Vox ἀδελφότης Eccleſiaſticis Scriptoribus, Petri procul dubio exemplo, receptiſſima eſt, nominatim *Baſilio*, cujus locos affert *Fronto Ducæus* ad κεφάλαια τῶν ὅρων τῶν κατ' ἐπιτομὴν Interrogat. LXXI. pag. 440. Vide notas ejus Tomo II. editionis Baſilii Garnerianæ pag. 774. b. Sic & *Cyprianus* epiſt. 24. & 32. *fraternitatem ſalutate.* Cur vero Chriſtiani fratres appellentur, *J. H. Urſinus* oſtendit in Analectis Vol. II. pag. 143. ſeq.

τὸν Θεὸν φοβεῖσθε, τὸν βασιλέα τιμᾶτε) Utrumque conjunxit *Sophocles* Ajace v. 653.

Τοι γὰρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν Θεοῖς εἴκειν
Μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδας σέβειν
Ἄρχοντές εἰσιν, ὥς θ' ὑπεικτέον.

Artabanus

Artabanus apud *Plutarchum* in Themiſtocl. pag. 125. Ημῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιςος οὗτός ἐςι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα Θεοῦ, τοῦ τὰ πάντα σώζοντος. Vide *Hombergium* & *Joannem Alberti*. Philippus, Macedonum Rex, apud *Polybium* pag. 1034. ſe ait φοβεῖσθαι οὐδένα πλὴν τοὺς θεούς.

Verſ. 18. οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς) *Vulg.* extremam vocem interpretatus eſt *dyſcolis*, ex quo *Millius* ad locum & in Prolegomenis §. 499. ſuſpicatur, δυσκόλοις olim in contextu ſcriptum fuiſſe, in margine vero interpretamenti loco σκολιοῖς, quod deinde locum prioris illius occuparit. At recte γνησιότητα vocis σκολιοῖς vindicant *Kuſterus* in præfatione ad repetitam Novi Teſtamenti Milliani editionem pag. 4. *Whitbius* pag. 78. Examinis, & olim *Bochartus* Tomo II. Operum pag. 1004. Pro ea inprimis pugnat codicum omnium conſenſus. *Vulg.* vero alteram illam δυσκόλοις fortaſſe ad marginem, ſcholii inſtar, invenit, in N. F. alias receptam v. c. *Marc.* X. 24. *Matth.* XIX. 23. & *Luc.* XVIII. 24. quam tanquam frequentiorem & clariorem, retinendam putavit. *Bochartus* loc. cit. obſervat, σκολιὸν proprie *obliquum* ſonare, ad mores vero translatum pro *pravo* & *perverſo* ſumi, ut apud *Heſiodum*:

Ρεῖα δὲ ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

Addit quoque, hanc lectionem a *Syro* etiam, qui lucis cauſa *duros* & *perverſos* reddidit, propius vero ab *Arabe* & *Æthiope* per, *perverſæ naturæ* & *pravos* exprimi, ac præterea melius cum ſequentibus cohærere, ubi πάσχων ἀδίκως commemoretur: ſub δυσκόλοις enim ſeu *moroſis* Dominis ſæpe *indigna* homines pati; ſub σκολιοῖς, *perverſis* vero, etiam ἄδικα, *injuſta*. Sic *Proverb.* IV. 4. junguntur σκολιὸν ςόμα καὶ ἄδικα χείλη, *perverſum os & injuſta labia*. Et *Proverb.* XXVIII. 11. ὁ πορευόμενος δικαίως, *qui juſte incedit*, & ὁ σκολιαῖς ὁδοῖς πορευόμενος, *qui obliquis* ſeu perverſis *viis incedit*, ſibi mutuo opponuntur. *Omnino igitur illi Domini, ſub quibus injuſta patimur, non ſolum ſunt δύσκολοι* moroſi, *ſed &* σκολιοὶ perverſi. Confer in eandem ſententiam *Eraſmum Schmidium*.

Verſ. 19. Τοῦτο γὰρ χάρις) *Codices* hic variant. Plerique in hac conſpirant: alii vero habent nunc χάρις Θεοῦ, nunc χάρις Θεῷ, nunc χάρις παρὰ τῷ Θεῷ, quam poſtremam lectionem *Syrus* quoque expreſſit. Sed voces illæ omnes interpretandi cauſa additæ videntur, inprimis cum proximo commate 20. eadem phraſis, τοῦτο χάρις παρὰ Θεῷ, legatur. Ipſa vero hæc phraſis efficit, ut credamus, χάριν heic idem eſſe atque *gratum*, *acceptum*, atque adeo abſtractum pro concreto poſitum, ut ſupra v. 7. Υμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιςεύουσι. Paulus καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ dixit, 1 *Timoth.* II. 3. & V. 4.

εἰ

εἰ διὰ συνείδησιν Θεȣ͂) Nonnulli, inter quos & *Heinſius* eſt, & *Carolus le Cene* in Tentamine novæ verſionis pag. 627. conſcientiam hanc ad Deum referunt, tanquam illius rei conſcium; alii vero ad conſcientiam hominis, quæ Deo teſtata fiat; idque rectius, quod & Paulus voluit, quando *Rom.* XIII. 5. obſequium magiſtratui probari jubet *διὰ τὴν συνείδησιν* ſimpliciter.

Verſ. 20-25. Hæc commata, quæ pericopen epiſtolicam, pro concione apud noſtrates explicari ſolitam, complectuntur, illuſtrantur a *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. p. 23. ſqq.

Verſ. 20. *Ποῖον γὰρ κλέος*) *Daniel Fidlerus* in Poſitionibus Philologicis ſuper quædam loca Novi Teſtamenti, Poſit. IV. ſubintelligi vult *ὑμᾶς μένει*, quæ phraſis exſtat *Actor.* XX. 23. Rectius vero ſubintelligitur *ἐςὶ*, ſicut in antecedente phraſi: *τȣ͂το γὰρ χάρις*. Sic *Jac.* IV. 4. *ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν.*

κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε) De verbo *κολαφίζεσθαι* vide dicta Volum. I. harum *Curarum* pag. 358. & 680. Conſtat alias, ſervos inprimis a Dominis colaphis cædi ſolitos, ex quo patet, Petrum, ſervos heic adloquentem, verbo accommodatiſſimo uſum eſſe. Cave itaque, vocem hanc ad exemplum paucorum codicum cum altera *κολαζόμενοι* permutandam exiſtimes.

Verſ. 21. *Εἰς τȣ͂το γὰρ ἐκλήθητε, ὅτι καὶ Χριςὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ὑμῶν κ. τ. λ.*) Comma hoc B. *Gottlieb Wernsdorfius* ſingulari diſputatione de *ὑπογραμμῷ* Chriſti piis in paſſione relicto illuſtravit, Wittebergæ 1726. Idem ante fecerant *Val. Alberti* de paſſione Chriſti meritoria & exemplari, Lipſiæ 1695. & *Joannes Deutſchmannus* de paſſionali *ὑπογραμμολογίᾳ* Salvatoris noſtri, *Wittebergæ* 1690. Adde *J. H. Vrſini* Adverſaria Sacra pag. 50. ſeqq. & *Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 91. ſeqq. A Socinianorum, *τὸ ὑπὲρ ἡμῶν* prave interpretantium, calumniis locum hunc vindicatum vide in *G. G. Zeltneri* Hiſtoria Crypto-Sociniſmi Altorfini, pag. 838.

ἡμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν) Vox *ὑπογραμμὸς* occurrit 2 *Maccab.* II. 28. *τὸ μὲν διακριβȣ͂ν περὶ ἑκάςων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δ' ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς διαπονȣ͂ντες*, *veritatem quidem de ſingulis Autori concedentes ipſi autem ſecundum datam formam brevitati ſtudentes.* Gloſſæ veteres: *ὑπογραμμὸς*, *perſcriptum.* Eadem voce uſus eſt *Polycarpus* epiſt. ad Philippenſes: *μιμηταὶ ȣ͂ν γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς αὐτȣ͂ καὶ ἐὰν πάσχωμεν διὰ τὸ ὄνομα αὐτȣ͂, δοξάζωμεν αὐτόν. τȣ͂τον γὰρ ἡμῖν τὸν ὑπογραμμὸν ἔθηκε δι' ἑαυτȣ͂, καὶ ἡμεῖς τȣ͂το ἐπιςεύσαμεν.* Vide locum, qui manifeſte ad Petrinum hunc alludit pag. 10. in Variis Sacris *Stephani le Moyne*,

Moyne, cujus Obſervationes Tom. II. pag. 510. vocem hanc diligenter illuſtrant. Summam habes pag. 513. his verbis comprehenſam: *Tales delineationes* (ædificiorum) *& formæ vocabantur etiam* ὑπογραφαὶ, *& in genere omnes lineæ, & formæ, quibus erat inſiſtendum, ut aliquid regulare redderetur, & rite procederet, vocabantur* ὑπόγραμμα *&* ὑπογραμμός. *Sic Auctor* 2.Maccab. *loco laudato; ſic* Petrus, *ſic* Polycarpus *utuntur iſta voce* ὑπογραμμῷ, *pro* linea nimio ducta, *cui debent operarii inſiſtere, & pro delineatione, forma, regula, exemplo, ad quod opera dirigi debent, & ad quæ mores noſtros debemus inſtituere & componere.*

Verſ. 22. Ὃς ἁμαρτίαν ὐκ ἐποίησε κ. τ. λ.) Lege *Petavii* Dogmata Theolog. Tomo III. ubi de Pelagianis I. 6. 7. & Tom. V. ubi de Incarnatione lib. XI. cap. V. §. 6. cap. VII. §. 2. & cap. X. §. 4.

ὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ ςόματι αὐτῷ) *nec* fuit *dolus in ore ejus.* Ευρίσκεσθαι enim apud LXX. Interpretes & Scriptores Sacros Novi Fœderis ſæpe idem eſt, quod εἶναι, *exiſtere*, quemadmodum Hebræi verbo נמצא eodem ſenſu utuntur. Vide, quæ ſcripſi ad *Matth.* I. 18. & *Gatakerum* ad M. Antoninum pag. 329. a. Cave tamen, phraſin prorſus Hebraicam putes, quamvis Hebræis inprimis receptam. Ita enim idoneos Græciæ Scriptores loqui oſtendit diligentiſſimus *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 115. Sic *Thucydides* lib. III. §. 47. καὶ τὸ Κλέωνος τὸ αὐτὸ δίκαιον καὶ ξύμφορον τῆς τιμωρίας ὐχ εὑρίσκεται ἐν αὐτῷ. *& Cleonis quod attinet ſententiam, non invenitur*, ſeu non eſt *in ea juſtum, vel utile ultionis quicquam.* Similiter Germani ſich finden pro eſſe adhibent. Confer, quæ ſcripſi Volumine II. *Curarum* pag. 353. & 530. B. *Gothofredus Olearius* in Obſervationibus ad Matthæum pag. 40. recte ita: *Sane vim verbi* εὑρέθη *minime heic adſequeretur, qui verteret:* nec deprehenſus eſt in ejus ore dolus. *Ille enim hoc tantum diceret, deprehenſam ab aliis in Chriſto Jeſu nullam fallaciam, nullum dolum fuiſſe, quod cuicunque mendaci & impoſtori, dictorum affatim memori, contingere poteſt. Præterea verba iſta reſpondent illis Eſaiæ* ולא מרמה בפיו (LIII. 9.) *quæ certe magis literaliter verti non poſſunt, quam iſtis:* non fuit dolus in ore ejus, *quem ſenſum etiam ibi expreſſere verſiones, ſive veteres, ſive recentiores ad unam omnes.* Obſervare hic liceat, τὺς LXX. *Jeſ.* loc. cit. habere: ὐδὲ δόλον ἐν τῷ ςόματι αὐτῷ. Ibi vero *Alexandrinum* exemplum legit: ὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ ς. α. & *Cyrillus* ὐδὲ δόλος εὑρέθη. Fieri poteſt, ut verba hæc ad noſtra *Petri* ſint reficta.

Verſ. 23. Ὃς λοιδορύμενος ὐκ ἀντελοιδόρει) Comma hoc a Patribus, non verba, ſed ſenſum ſpectantibus, varie allegari oſtendit *Cotelerius* ad Tomum I. Monumentorum Eccleſ. Græc. pag. 726. Rem ipſam fieri jubent Hebræi, eumque, qui ita agat, חסיד *ſanctum* ajunt appellari. Vide *Schœtgenii* Horas pag. 1040. Inter externos *M. Antoninus* VI. §. 30. Patris exem-

plum imitandum ſibi commendat, *ὃς ἔφερε τὰς ἀδίκως μεμφομένους μὴ ἀντιμεμφόμενος, qui tulerit immerito reprehendentes, nec eos viciſſim redarguerit.* Confer eundem §. 26. *ἀντιδυσχεραίνοντα*, ibique compara *Gatakerum.* Exempla ſimilia attulit *Saldenus* de uſu & abuſu librorum lib. I. cap. 3. §. 4. *Sophocles* Ajace v. 1340.

- - - Ἐγὼ γὰρ ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω
κλύοντι φλαῦρα, συμβαλεῖν ἔπη κακά.

παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως) *Vulg.* vertit, ac ſi legiſſet, *ἀδίκως: tradebat autem judicanti ſe injuſte.* Hanc lectionem & interpretationem defendunt Pontificiorum plerique, inter quos eſt *Richardus Simon* in Obſervationibus Novis in textum & verſiones Novi Teſtamenti pag. 386. ſeqq. Eandem amplexus eſt *Caſaubonus* in epiſt. ad Frontonem Ducæum p. 106. editionis Londinenſis, mirante *Colomeſio* in Opuſculis Sacris p. 119. Ab altera parte communiorem & conſtantem, ſi unum *Veleſii* exemplum præterieris, codicum Græcorum lectionem tuentur ex noſtratibus *Balthaſar Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 585. ex Pontificiis autem *Arnaldus* in continuata defenſione verſionis Gallicæ Montenſis, quæ contextum Græcum verſioni prætulerat, pag. 576. ſeqq. Recte ille urget conſenſum codicum Græcorum fere univerſalem, & exemplum verſionum *Syriac.* & *Arab.* Monet quoque, nondum ſatis conſtare, num verſio illa Latina vetus vere habuerit *injuſte.* Quamvis enim nonnulli, nominatim *Cyprianus* de bono patientiæ, & *Paulinus* epiſt. 2. ita locum allegent, *Auguſtinum* tamen Tract. 21. in Joannem, & *Fulgentium* libro I. ad Thraſymachum contrariam vocem *juſte* adferre, fierique facile potuiſſe, ut librarii duorum illorum Patrum locos interpolarent, cum id ſine detrimento argumenti, quod tractabant, fieri potuerit; contra vero dubitari non poſſe, *Auguſtinum* loc. cit. *juſte* legiſſe, cum locum Petrinum eo fine adferat, ut probet, Patrem æque ac filium judicium exercere. Præterea, quod idem urget, *Didymus* & *Oecumenius*, qui in hanc epiſtolam ex Patribus ſunt commentati, *δικαίως* legerunt; nec ex Pontificiis deſunt, qui hanc lectionem probent. Inter hos ſunt *Cajetanus*, *Heſſelius*, *Eſtius*, *Joannes Baptiſta Folengius*, *Fromondus*, *Benedictus Juſtinianus*, *Claud. Guillialdus*, *Iſidorus Clarius*, & *Eraſmus*; ſicut alii utramque lectionem promunt, & neutram judicant inconvenientem.

Negari quidem non poteſt, Vulgati Interpretis lectionem commodum ſenſum ſecum ferre, ſi de Pilato, injuſto judice, cui Dominus noſter ſe permiſerit, accipiatur. Interim altera illa Græci contextus omnino vera eſt, ſecundum quam res ad Deum, juſtum judicem, refertur. De Chriſto enim, ut jam patiente, ſermo eſt; itaque commemorari non debebat, Chriſtum ſe injuſto judici permiſiſſe: ſed Apoſtoli inſtitutum potius requirebat,

rebat, ut exponeret, qualem ſe ſub perpeſſione præſtiterit. Præterea recte monuerunt Interpretes nonnulli, & inter hos *Eſtius*, phraſi hac reſpici ad *Jerem* XI. 20. *Tu autem, Domine Zebaoth, qui judicas juſte, & probas renes & corda, videam ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi cauſam meam*; & ad alios Scripturæ, ſpeciatim Pſalmorum, locos, in quibus Deus *juſtus judex* vocatur. Omitto alia, quæ adferri poterant, niſi opera hac perfunctum viderem B. *Gottlieb Wernsdorfium* in diſputatione de Judice, juſte non injuſte judicante, contra ſtatores infallibilitatis Pontificiæ, Wittebergæ 1717.

Ceterum non obſcurum eſt, verbum παρεδίδυ vocem aliquam requirere ſubintelligendam. Et parum refert, ſive cum nonnullis ἑαυτὸν, quo vide *Lambertum Bos* de Ellipſibus Gr. L. pag. 58. editionis *Schœtgenianæ*, ſive cum aliis, & *Syro* ſpeciatim, κρίσιν intelligas. Hoc quidem ego malim propter vocem κρίνοντα, quæ κρίσιν præſtruit.

Verſ. 24. Ος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν κ. τ. λ.) Lege B. *Joannis Friderici Mayeri* diſputationem de officio Chriſti Sacerdotali, Gryphiswvald. 1704. *Andreæ Danielis Habichhorſtii* diſputationem de crucifixione Chriſti ſatisfactoria, Roſtochii 1681. *Amelium* Tomo II. pag. 652. ſeq. *Joannem d'Outrein* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. IV. pag. 154. ſeqq. & *Alexandrum Morum* ad *Jeſ.* LIII. pag. 139. Contra Socinianos locus urgetur & vindicatur in Rev. *Zeltneri* Hiſtoria Crypto Socinianiſmi Altorfini pag. 600. & 915. & in *Joannis Friſchmuthi* diſſertatione de hirco emiſſario, quæ exſtat Tomo II. Theſauri Theologico-Philologici pag. 926. Phraſin ἀνήνεγκεν, qua ad victimas Veteris Teſtamenti in aram ſublatas alluditur, præ ceteris illuſtrant *Vitringa* libro II. Obſervationum Sacrarum cap. 13. *G. J. Voſſius* Tomo VI. Operum pag. 897. *Alexander Morus* loc. cit. & *Stephanus le Moyne* in Obſervationibus ad Varia Sacra pag. 480. *Vitringa* pag. 228. ita: *Vix uno verbo* ἔμφασις *vocis* ἀναφέρειν *exprimi poteſt, quam ideo Syrus duplici voce circumſcripſit. Notat* ferre & offerre. *Et poſteriore quidem ſignificatu in* v. 5. *hujus ejusdem capitis. Item* Hebr. VIII. 27. & XIII. 15. *Primo itaque dicere voluit Petrus, Chriſtum portaſſe peccata noſtra, in quantum illa ipſi erant impoſita, alludens ad* Jeſ. LIII. 4. *Secundo ita tuliſſe peccata noſtra, ut ea ſecum obtulerit in altari. Reſpicit ad animantes, quibus peccata primo imponebantur, quique deinceps peccatis onuſti offerebantur. Sed in quam aram?* ξύλον, *ait* Petrus, lignum, *h. e.* crucem. *Huc putem reſpicere, quod* Exod. XX. 24. *juſſerit Legislator, ut aræ ex lapidibus minime cæſis exſtruerentur.* Adde *Guſſetii* Commentarios Linguæ Hebraicæ rad. נשא O. 2.

ἐπὶ τὸ ξύλον) *ſuper lignum.* Vide *Herzogii* diſſertationem de particula ἐπὶ pag. 19. qua oſtendit, eam, ut alias, ita & h. l. accuſativo junctam

ctam, reſpondere Latinorum *ſuper*. Subtilior eſt *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis loc. cit. contendens, Chriſtum heic dici peccata noſtra *iterum ſuper lignum ſive ad lignum detuliſſe, cum Adamus atque Eva ex arbore olim deduxerint peccatum.* Ἀναφέρειν de ſacrificiis oblatis uſurpari ex locis Scripturæ modo citatis conſtat, ubi ſignificatio τȢ ἀνὰ *iterum* utique exulat.

ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι) Idem eſt, quod Paulus *Rom.* VI. 2. dicit: ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ. Eleganter etiam ἀπογίνεσθαι *mori* opponi τῷ γίνεσθαι *naſci*, illuſtri *Herodoti* loco lib. V. pag. 330. docet *Raphelius* pag. 653. Annotationum Herodotearum. *Trauſi*, inquit, *in cæteris quidem omnibus quod Thraces faciunt*, κατὰ δὲ τὸν γινόμενόν σφι καὶ ἀπογινόμενον ποιεῦσι τάδε· τὸν μὲν γινόμενον περιιζόμενοι οἱ προσήκοντες ὀλοφύρονται, ὅσα μιν δοκεῖ, ἐπεί τε ἐγένετο, ἀναπλῆσαι κακὰ· ἀνηγεόμενοι τὰ ἀνθρώπεια πάντα πάθεα· τὸν δ' ἀπογινόμενον, παίζοντές τε καὶ ἡδόμενοι γῇ καλύπτȢσι, ἐπιλέγοντες, ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθεὶς ἐςὶ ἐν πάσῃ εὐτυχίῃ. Conf. idem p. 135. & lib. VI. p. 401.

Ȣ τῷ μώλωπι αὐτȢ ἰάθητε) Μώλωψ non vulnus eſſe, ſed vibicem, ſive veſtigium verberum aut flagellorum, *Raphelius* obſervat ex *Siracidæ* XXVIII. 17. πληγὴ μάςιγος ποιεῖ μώλωπας, *Plaga flagelli efficit vibicem*; & ex *Arriani* Epictet. p. 212. ubi iterum μαςιγωθεὶς Ȣκέτι μώλωπας, ἀλλ' ἕλκη ποιεῖν, *flagellatus non jam vibices, ſed vulnera accipere dicitur.* Vox αὐτȢ pleonaſtica nonnullis viſa eſt, & hoc nomine in codicibus aliquot fortaſſe omiſſa. *Millius* tamen tenendam cenſet, ſed ideo, quod Hebraicæ loquendi rationi conveniat. Sed & Græcos ab ea phraſi non abhorrere luculente oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis p. 262. Ita *Plato* epiſt. XIII. pag. 1301. καὶ ὧν ἂν γένωνται πατέρες αὐτῶν ἐμȢ πλȢσιώτεροι, Ȣκ ἐκδοτέον, *quorum ipſorum patres ſi me ditiores eſſent, dos curanda non eſſet.* Germanum eſſe τὸ αὐτȢ & efficaciæ cauſa h. l. poſitum, vel id oſtendit, quod in eodem commate ὃς - - - αὐτὸς dicitur. Huic ſcilicet mox reſpondet Ȣ - - - αὐτȢ tanquam perpeſſioni ante ſignificatæ, ut cauſæ, effectus ſive fructus.

Verſ. 25. Ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα κ. τ. λ.) Lege *J. H. Urſinum* in Analectis Vol. I. pag. 278. & *Ludovici Cappelli* Opera pag. 40. πεπλανημένα καὶ τὴν ὁδὸν ἀγνοȢ͂ντα conjungit *M. Antoninus* VI. 22. Hanc ovium ſimplicitatem & ad deerrandum proclivitatem deſcribit *Ariſtoteles* Hiſt. Animal. IX. 3.

ἀλλ' ἐπεςράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν) De hoc Domini noſtri elogio lege *Petavium* Tomo IV. Dogmatum Theologicorum, ubi de Hierarchia, lib. III. cap. 7. §. 12. Vox ἐπίσκοπος alias *curatorem* & *inſpectorem* in genere denotat, & infra V. 2. ποιμαίνειν atque ἐπισκο-

ἐπισκοπῶν conjungitur. Sic Solon apud *Plutarchum* in Vita ejus pag. 88. Senatum Areopagitarum conſtituiſſe dicitur ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων. Vide *Joannem Alberti* pag. 457.

CAPUT III.

Verſ. 1. Ὁμοίως αἱ γυναῖκες ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν) *Similiter, uxores, ſubditæ* eſtote *viris veſtris*, ut recte *Eraſmus Schmidius*, ſicut II. 18. οἱ οἰκέται in vocandi caſu. De re ipſa lege, quæ ſcripſi ad *Epheſ.* V. 22. & *Coloſſ.* III. 18. Adde *Eraſmum* Tomo V. Operum p. 704. & *Spenerum* in Conſiliis Theolog. German. Tom. IV. p. 350.

ἵνα - - - ἄνευ λόγου κερδηθήσωνται) Apoſtolus ſperat, fore, ut mariti, *verbo* Evangelico non audientes, ipſo *opere*, nempe vita uxorum honeſta & decente, ad animum emendandum adducantur. Sic paſſim *Xenophon* οὐ λόγῳ ἀλλ' ἔργῳ ἀναδεικνύναι, διδάσκειν & ἀναπείθειν dixit. Vide locos apud *Raphelium* pag. 338. Pro κερδηθήσωνται Codices quidam habent κερδηθήσονται, eorum, puto, conſilio, qui credebant, futura Græcorum paſſivis conjunctivis deſtitui. Hanc vero Grammaticorum traditionem, ut vanam eſſe *Eraſmus Schmidius* ad h. l. monuit; ita *Doriſmum* in hac ſtructura a *Wyſſio* fruſtra quæri oſtendit Cl. *Georgius* in Hierocritico Novi Teſtamenti p. 159. Similem verborum formam habes 1. *Corinth.* XIII. 3. καυθήσωμαι & *Matth.* V. 25. qualis etiam eſt apud *Iſocratem* Orat. ad Demonicum pag. 10. ὀφθήσῃ.

Verſ. 2. ἐποπτεύσαντες) Vide ſupra II. 12.

Verſ. 3. Ὧν ἔστω οὐχ ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν) Lege *Spenerum* l. c. Parte I. pag. 28. ſeqq. & Parte II. pag. 223. & 359. ſeqq. item *Val. Henr. Voglerum* de rebus naturalibus & Medicis pag. 264.

Ὧν idem h. l. eſſe, quod ὑμῶν ſtatuit Celeb. *Joannes Conradus Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis pag. 118. ex eo, ſcilicet, quod perſonæ in eadem oratione ab optimis quibusque Scriptoribus ſoleant permutari. Vide exempla ab eodem allata. Inter hæc eſt illud *Luciani* in Pſeudomant. pag. 761. Τὰς κλήρων διαδοχὰς ἀεὶ ἀνεβάλλετο προςτιθεὶς, ὅτι ἔσται πάντα, ὁπόταν ἐθελήσω ἐγὼ, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ προφήτης μου δεηθῇ καὶ εὔξηται ὑπὲρ ἡμῶν. *Hæreditates ſemper differebat, addens, omnia fore, quum voluiſſet, & Alexander vates ipſius pro ipſis deprecaretur & vota faceret.*

Quæ de ἐμπλοκῇ, ſive plicatura crinium dici heic poterant, ea occupavi ad 1. *Timoth.* II. 9. Adde nunc ſingularem Anonymi de hoc ornatus genere obſervationem, quæ exſtat in Bibliotheca Lubecenſe Vol. X. p. 161. ſeqq. Oſtenditur ibi crinium plicaturam & criſpaturam non minus inter Judæos, quam gentes, olim receptam fuiſſe, cauſasque nunc habuiſſe Petrum, cur in epiſtola, ad Ex-Judæos & Ex-Gentiles ſcripta, in adfectatum hunc comarum cultum animadverteret. De illo leges præterea, quos idem adfert, *Adrianum Junium* in commentario de coma cap. VIII. quod de criſpatura & contortione capillorum exponit, & *Stephanum Chamillardum* in diſſertationibus, Gallice editis, *ſur pluſieurs medailles & pierres gravées de ſon cabinet & autres monumens d'antiquité*, Pariſiis 1711. 4. editis epiſt. XVI. Adde illis, ſi placet, *Junium* de pictura veterum libro III. cap. 9. *Bonifacium* IV. 29. Hiſtor. ludicræ, ubi de muliebri capillorum cultu, *Salmaſium* ad Capitolini Pertinacem cap. 12. & *Saubertum* de Sacrificiis cap. X. De fœminis, quæ ornandis mulierum comis operam dabant, quæque *ornatrices*, *politrices* & *cultrices* appellabantur, erudite diſſerit *Poſtellus* in notis ad Junonem callidam, metro germanico editam, pag. 209. ſeqq.

Verſ. 4. Ἀλλ' ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος) Ornatum animi internum externo illi corporis etiam a paganis prælatum fuiſſe allatis veterum teſtimoniis oſtendunt *Jacobus Cappellus* in Notis ad h. l. & Anonymus in Bibliotheca Lubecenſe loc. cit. pag. 263.

ἐν τῷ ἀφθάρτῳ τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος) Eandem fere phraſin habes in epiſtola Meliſſæ, Pythagoreæ, quæ exſtat in Opuſculis Mythologicis, Phyſicis & Ethicis, a Th. Galeo editis, pag. 749. χρὴ ὦν τὰν σώφρονα καὶ ἐλευθέραν (γυναῖκα) τῷ κατὰ νόμον ἀνδρὶ ποτῆμεν, ἀσυχίᾳ κεκαλλωπισμένην, ἀλλὰ μὴ πολυτελῶς. ἦμεν δὲ τᾷ ἐσθᾶτι λευκοείμονα καὶ καθάριον, καὶ ἀφελῆ, ἀλλὰ μὴ πολυτελῆ καὶ περισσάν. παραιτητέον γὰρ αὐτὰν τὰν διαγῆ καὶ διαπόρφυρον, καὶ τὰ χρυσόπαστα τῶν ἐνδυμάτων. ταῖς ἑταίραις γὰρ τάδε χρήσιμα ποτὶ τὰν τῶν πλειόνων θήραν. τᾶς δὲ πὸθ' ἕνα τὸν ἴδιον εὐαρεστούσας γυναικὸς κόσμος ὁ τρόπος πέλει καὶ οὐχ αἱ στολαί. εὔμορφον γὰρ τὰν ἐλευθέραν ἁδέσθαι τῷ αὐτᾶς ἀνδρὶ, ἀλλ' οὐ τοῖς πλησίον. ἔχοις δ' ἂν ἐπὶ τᾶς ὄψεος ἐρύθημα μὲν σαμεῖον αἰδοῦς, ἀντὶ φύκεος· καλοκἀγαθίαν δὲ καὶ κοσμιότατα καὶ σωφροσύναν ἀντὶ χρυσῶ καὶ σμαράγδω, κ. τ. λ. *Oportet igitur modeſtam & liberam viro legitimo quiete cohabitare & ornatam, ſed non magnifice. Et veſtitum quidem candidum mundum ac tenuem, non autem ſplendidum ac ſuperfluum geſtare. Nam rejiciendæ ſunt illæ pellucidæ totæ & purpureæ, & auro intertextæ veſtes, quoniam hoc lupas & ſcorta decent, ut quamplurimos pelliciant, atque capiant. Ejus vero mulieris, quæ uni marito placere debet, ornatus in moribus ac induſtria poſitus eſt, non in ſtolis. Decorum eſt enim & pulchram, liberam uni marito placere, non quibusvis obviis. In vultu autem*

ruborem

pudorem & ruborem poſſis ſignum verecundiæ, loco fuci, adhibere. Probitatem vero, modeſtiam atque ingenuitatem, pro auro & ſmaragdo. &c.

Verſ. 5. Ουτω γάρ ποτε καὶ αἱ ἅγιαι γυναῖκες, αἱ ἐλπίζουσαι ἐπὶ τὸν Θεὸν) Poſtrema phraſis αἱ ἐλπίζ. ἐ. τ. Θ. deſideratur in verſione Æthiopica, ideoque *Millio* in Prolegomenis §. 1217. παρεμβλήσεως ſuſpecta eſt, cum nemo talia, ſi adfuiſſent, prætermittere potuerit. Quis vero crediderit, ab alio eadem ita inſeri potuiſſe, ut codices ad unum omnes, qui quidem adhuc inſpecti ſunt, & verſiones cæteras occuparet? Quis porro non animadvertat, a Petro hæc profecta eſſe, qui meminerit, eundem ad Deum aliquoties in hoc argumento provocare, quando v. 2. ἁγνὴν ἐν φόβῳ ἀναστροφὴν & v. 4. τὸ πολυτελὲς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ commemorat.

ἐκόσμουν ἑαυτὰς, ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν) Obſequium hoc marito præſtitum pro optimo uxoris ornatu haberi vult *Meliſſa* loc. cit. Αρέσκειν δὲ, inquit, (δεῖ) τῷ αὐτᾶς ἀνδρὶ, ἐπιτελέας ποιεῦσαν τὰς ἐκείνου θελήσιας. αἱ γὰρ τῶ ἀνδρὸς θελήσεις νόμος ὀφείλει ἄγραφος εἶναι κοσμίᾳ γυναικὶ, ποθ᾽ ὃν χρὴ βιῶν αὐτάν. νομίζειν δὲ προῖκα ποτενενῆχθαι ἅμα αὐτᾷ καλλίσταν καὶ μεγίσταν τὰν εὐταξίαν. *Placere vero* (fœminam oportet) *marito ſuo voluntati ejus abſolute morem gerendo. Voluntas enim mariti pro lege non ſcripta debet eſſe boneſtæ mulieri, ad quam ei vita eſt exigenda, putandumque ei eſt, ſe dotem pulcherrimam & ampliſſimam ei attuliſſe obedientiam.*

Verſ. 6. Ως Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ Αβραὰμ, κύριον αὐτὸν καλοῦσα) Similiter Judæi, obſervante *Schætgenio*, in *Tanchuma* fol. 9. 3. *Sed Abrahamum coluit uxor ejus, & vocavit ipſum Dominum*, dicens, *Geneſ.* XVIII. 12. *Et Dominus meus ſenex eſt.* Sic Megiſto, Timoleontis conjux, apud *Plutarchum* de virtut. mulier. pag. 252. Ariſtotimum adloquens ait: ἐι μὲν ἦς ἀνὴρ φρόνιμος, οὐκ ἂν διελέγου γυναιξὶ περὶ ἀνδρῶν, ἀλλὰ πρὸς ἐκείνους ἂν ὡς κυρίους ἡμῶν, ἔπεμπες, *ſed ad ipſos, utpote Dominos noſtros, nos miſiſſes.* Vide *Joannem Alberti* pag. 458. eadem opera monentem, maritos non δεσπότας, ſed κυρίους appellari, quorum nominum differentiam expoſuerit *Ant. Hotmann* de vet. rit. nupt. cap. 23. Compara tamen heic *Elsnerum* p. 403. oſtendentem, maritos a Græcis & Romanis non ſolum κυρίους, ſed etiam δεσπότας, ab uxoribus appellari v. c. ab *Euripide* in Medea v. 223. & Helena v. 578. item *Achille Tatio* lib. V. p. 309. Latinis quoque illud *dominorum* elogium adverſus maritos receptum fuiſſe docet *Tiraquellus* Leg. I. Connubiali n. 14. ſqq. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa p. 749.

καὶ μὴ φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν) Dubia heic viſa eſt nonnullis ultimæ vocis ſignificatio, quippe quæ nunc *timorem*, nunc *libidinem veneream* inferat, quo poſteriore ſenſu eam adhibet *Ariſtoteles* de generatione animalium lib. IV. cap. 5. διὸ καὶ τῶν γυναικῶν ὅσαι πρὸς τὴν ὁμιλίαν ἀκρα-

Digitized by Google

τεῖς τὴν τοιαύτην, ὅταν πολυτεκνήσωσι, παύονται τοῖς πτοήσεως. Vide *Henrici Stephani* Schediaſmata lib. II. Sched. XII. pag. 59. in Supplemento ad Tomum V. Theſauri Critici Gruteriani, qui non obſcure hanc notionem h. l. admittit. Allatis enim Petri verbis ſubjungit: *ubi non male fortaſſe* μηδεμίαν πτόησιν *intelligemus* τὸ περὶ μηδεμίαν ἐπιθυμίαν ἐπτοῆσθαι. *Grotius terriculamenta* intelligit, *ad prodendam pudicitiam, quam magiſtratus provinciarum ſæpe etiam minis attentarint*, relata, & præpoſitionem πρὸς ante μηδεμίαν intelligi vult. Similiter *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 353. exiſtimat, talem heic terrorem indicari, quo a fide maritis probanda avocari poſſint, allato in exemplum illo, quod Abrahamo & Saræ accidit *Geneſ.* XX. 2. Idem ſtatuit *Millius*; ſed inconvenienter, quod oſtenſum eſt a *Jacobo Lenfant* in Bibliotheca Selecta *Joannis Clerici* Tom. XVIII. pag. 210. Procul dubio ab Apoſtoli mente hæc aliena ſunt. Ideo *Stephanus* in Theſauro Tom. III. pag. 589. de pavore rectius accepit, eo quidem ſenſu, ut jubeantur mulieres officium facere etiam, cum nullus eas metus conſtringit, i. e. ſponte & ultro. Non dubito tamen ego, φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν recte converti ab *Eraſmo Schmidio: ſi nequaquam terremini ulla conſternatione.* Eadem phraſi utuntur Interpretes Græci *Proverb.* III. 25. καὶ οὐ φοβηθήσῃ πτόησιν ἐπελθοῦσαν, οὐδὲ ὁρμὰς ἀσεβῶν ἐπερχομένας. Timor vero hic apud fœminas oriri poterat vel a maritis, Judaicæ aut Gentili ſuperſtitioni addictis (vide v. 1.) atque adeo durioribus; vel a calamitatibus, quas ſibi religionis cauſa imminere ſentiebant. Pavorem ejusmodi amoliri debebant ſpe læta in provida Numinis cura collocata, de qua v. 5. Fortaſſe & recte dixeris, Apoſtolum hac phraſi cavere in univerſum voluiſſe, ne obſequium, maritis præſtandum, uxores meticuloſiores redderet, quod uſu venire conſtat. Atque hoc innuere voluiſſe videtur B. *Lutherus* ita vertens: **und ſeyd nicht ſo ſchüchtern,** de qua voce lege *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum verſionis Germanicæ. Denique phraſis hæc eadem eſt, qua Apoſtolus v. 14. utitur: τὸν δὲ φόβον αὐτῶν μὴ φοβηθῆτε, quod recte monuit *Hombergius* in Parergis pag. 358.

Verſ. 7. Οἱ ἄνδρες ὁμοίως συνοικοῦντες) Memineris, non minus & heic οἱ ἄνδρες, quam ſupra II. 18. οἱ ἄνδρες, & III. 1. ὁμοίως αἱ γυναῖκες in vocandi caſu accipi debere, ut ſenſus ſit: *viri ſimiliter* uxoribus *cohabitantes* eſtote; ut *Eraſmus Schmidius*; vel: *viri pariter connubio juncti* ſint, vel vivant; ut *Joannes Henricus Majus* in Obſervationibus Sacris lib. II. p. 120. editionis primæ, vel pag. 160. editionis ſecundæ. Idem nubem exemplorum adfert, qua conſtare poſſit, συνοικεῖν dici de *matrimonii vinculo copulatis.* Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tomo I. pag. 150. & *Gatakerum* de Stilo Novi Teſtamenti cap. XI. pag. 121. Interim non exiſtimandum eſt, Petrum ad ſolam tori conjugalis conſuetudinem τὸ συνοικεῖν referre. Latius enim id patet, & generatim *domeſticam maritorum cum uxoribus conſociationem,*

Digitized by Google

nem, ejuſdemque habitaculi communionem denotat, quæ verba ſunt Rev. *Raphelii* in Annotationibus Xenophonteis pag. 339. Accipe *Xenophontis* locum ex Cyropædia lib. IV. pag. 82. οἰκήσετε τὰς αὐτὰς οἰκίας, καὶ χώραν τὴν αὐτὴν ἐργάσεσθε, και γυναιξὶ ταῖς αὐταῖς συνοικήσετε, και παίδων τῶν ὑμετέρων ἄρξετε, ὥσπερ νῦν. Vide alia apud eundem in Annotationibus *Herodoteis* pag. 654.

κατὰ γνῶσιν) Plerique hæc referunt ad συνοικοῦντες, ut idem ſit, quod *prudenter*, ut *Eraſmus Schmidius, cum ratione*, ut B. *Lutherus; ut ſcientes decet*, ceu *Beza*. *Hombergius* autem in Parergis pag. 359. mavult conjungere cum phraſi ſequente, ἀπονέμοντες, hoc ſenſu: *ſimiliter vos mariti ſecundum ſcientiam*, h. e. cum ſciatis infirmitatem mulierum, *illis tribuatis honorem*; vel: *ſecundum cognitionem aut prudentiam, qua polletis præ mulieribus illis, ut infirmioribus* &c. Cum vero jam oſtenſum ſit, vocem συνοικοῦντες non pro nudo epitheto vocis ἄνδρες, ut ſcilicet *mariti* ſic tantum indicentur, ſed potius pro prædicato, imperandi forma poſito, habendum eſſe; facile patet, phraſin, κατὰ γνῶσιν, ad idem hoc prædicatum eſſe referendam. Scilicet κατὰ γνῶσιν eſt, *prudenter, ſapienter, cordate*. Hoc ſenſu Paulus 2. *Corinth.* VI. 6. dicit ἐν γνώσει. Habet vero κατὰ hunc ſignificatum apud Græcos in phraſibus ſimilibus v. c. *Marc.* I. 27. κατ' ἐξουσίαν, *potenter*, *Rom.* II. 2. κατὰ ἀλήθειαν, *vere*, & 1. *Corinth.* XIV. 40. κατὰ τάξιν, *ordinate*. Vide *Majum* loc. cit. pag. 164.

ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει) *tanquam vaſi infirmiori.* Judæi quoque uxorem כלי & מאנא, i. e. *vas* appellant in *Megilla* fol. 12. 2. & in *Sohar* Levit. fol. 38. col. 152. *Propterea quivis Deum roget, ut ipſi vas bonum deſtinet. Quicunque enim ſemen ſuum immittit in vas non bonum, ille ſemen ſuum deturpat.* Vide *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 827. Videri itaque poteſt Apoſtolus ad illam appellationem, Judæis receptam, reſpexiſſe. *Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. pag. 23. hanc vocis σκεῦος ſignificationem *hebraizantem* appellat, ideo, quod pro πρᾶγμα adhibeatur. Sed vide in contrariam partem Cl. *Georgium* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 83. inter cetera variis *Arriani* & *Thucydidis* locis evincentem, Græcis quoque Scriptoribus varias *res* & *ſupellectiles* σκεύη appellari. Quod ad argumentum ipſum ſpectat, *Plato* quoque libro V. de Republica pag. 654. ait: ἐπὶ πᾶσι δὲ ἀσθενέστερον γυνὴ ἀνδρὸς, & *Ariſtoteles* libro III. Oeconomicorum. Confer *Joſuæ Arndii* Miſcellanea pag. 68. qui Scholiaſten ad Apollonii librum I. Argonauticorum, ἄνδρας φύσει θρασυτέρους, γυναῖκας δὲ ἀσθενεστέρας appellantem, adfert, ac præterea monet, in Gloſſa ad Gemaram *Sanhedrin* cap. II. §. 15. mulierem appellari כלי שאינו נגמר, *vas imperfectum*, ἀτελέστερον σκεῦος.

ἀπονέμοντες τιμὴν) *honorem exhibentes.* *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum, Anglice editis. pag. 353. de alimentis uxori paran-

dis

dis τιμὴν accipit, tanquam quibus uxores per imbecillitatem ſexus acquirendis non ſufficiant. Jam negari quidem non poteſt, τιμὴν & τιμᾶν hoc ſenſu adhiberi, (vide nos ad 1. *Timoth.* V. 17.) idem vero ab h. l. omnino exulat. Apoſtolus enim heic *prudentiam* requirit a maritis, cum uxoribus verſantibus, qua ſcilicet efficiatur, ne obſequium, ad quod idem uxores cohortatus erat, durius evadat. Id vero inprimis cavetur, ſi maritus infirmitates uxorum patienter ferat, leniter eas tractet, adeoque id illis tribuat, quod ſexus conditio requirit. Fieri poteſt, ut Apoſtolus hanc admonitionem de honore uxoribus habendo Judæis inprimis oppoſuerit, buos conſtat de ſexu muliebri abjectius ſenſiſſe. Lege hanc in rem *Wagenſeilium* ad Tela ignea Satanæ p. 471. ſeqq.

ὡς καὶ συγκληρονόμοις χάριτος ζωῆς) Ita *Curcellæus* & *Eraſmus Schmidius*: συγκληρονόμοι habent codices tum ſcripti, tum editi plerique. Vide *Millium* ad loc. & in Prolegom. §. 822. & 1209. Noſtram illam lectionem ſecuti ſunt *Vulg. Syr. Arabs*, *Æthiops*, *Oecumenius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, & B. *Lutherus*. Atque illa quidem ſcopo Apoſtoli accommodatior, adeoque ab eo profecta videtur. In eo enim eſt, ut maritos cohortetur ad honorem uxoribus, ſibi alioquin ſubjectis, tribuendum. Huic admonitioni argumentum jungit, quo permoveri poſſint. Hoc vero eo continetur, quod uxores eodem loco, quo viri, a Deo habitæ ſint in eo, quod fœminas non minus gratiæ ſuæ participes reddiderit, quam viros. Hujus argumenti vim non adeo perſpicio, ſi vox συγκληρονόμοι ad maritos referatur. Idem perſuadet particula καὶ, qua opus non erat, ſi de maritis ſermo eſſet. Jubet itaque Apoſtolus maritos cogitare, rem ſibi eſſe cum fœminis, quæ non tantum ſint *conjuges*, quibus συνοικῶσι, ſed etiam *cohæredes* gratiæ cœleſtis. Nec omittendum eſt illud, quod particula ὡς non minus ἀσθενεστέρῳ σκεύει, quam συγκληρονόμοις præmittitur; eo nempe fine, ut utrumque prædicatum ad idem ſubjectum pertinere credatur. Altera lectio συγκληρονόμοι ex eo fortaſſe nata eſt, quod magis reſpondere videretur ſtructuræ vocum, nempe antecedenti phraſi, οἱ ἄνδρες συνοικοῦντες, quam συγκληρονόμοις reſpondeat ἀσθενεστέρῳ γυναικείῳ.

εἰς τὸ μὴ ἐκκόπτεσθαι) Ita iterum *Curcellæus*, & editi ac ſcripti codices plerique. *Eraſmus Schmidius* vero ἐγκόπτεσθαι, quod verbum exprimunt Interpretes *Syrus*, *Vulg. Arabs*, *Æthiops* & *Lutherus*. Hoc ipſum germanum videtur *Millio* ad loc. & in Prolegom. §. 1209. *Joanni Alberti* in Obſervationibus ad *Galat.* V. 7. pag. 365. & Editori Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Intercedit vero *Whitby* in Examine Variant. Lectionum Millii pag. 78. obſervans, *Oecumenium* non legiſſe ἐγκόπτεσθαι, quod *Millius* tradit, obſcurumque eſſe, quid in Græco contextu legerint *Syrus* & *Arabs*. Quod ad *Oecumenium* attinet, in textu quidem verbum ἐκκόπτεσθαι occurrit, in commentario vero per ἐγκοπὴν explicatur. Quod ad rem ipſam vel nihil vel

vel parum admodum refert, quam lectionem ſequaris. Vtrumque verbum in ſacris literis receptum eſt; alterum vero *impedimentum* infert, alterum *exciſionem*, vel *interruptionem*. Interim pro lectione ἐκκόπτεσθαι id facit, quod Hebræi quoque preces dicant *exſcindi*. Ita in *Schemoth Rabba* Sect. XXII. fol. 121. R. *Jehoſchua* quærit: וכי יש תפלה עכורה, *num preces quædam abſcinduntur*; & clarius in *Jalkut Rubeni* fol. 161. 3. ad *Deuteron*. VII. 14. non erit apud te עקר ועקרה, *ſterilis vir & fœmina*, שלא יהא תפילתך עקורה לפני המקום, *ne eradicentur preces tuæ apud Deum*. Vide Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 1041. Verſio *Montenſis* Gallica phraſin hanc ita reddit: *afin, que vos prieres ne ſoient pas interrompues*; pro quo *Malletus* malebat poni *empechées*. Vide autem, quæ pro priore illa, allatis variorum expoſitionibus, dicuntur in Nova illius verſionis defenſione, Gallice edita, pag. 257. ſeqq.

Verſ. 8-15. explicantur a *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 81. ſeqq.

Verſ. 8. Τὸ δὲ τέλος) i. e. *in genere*, *ſummatim*. Vide nos ad 1. *Tim*. I. 5. & adde *Martianæi* Eſſais de Traduction p. 397.

συμπαθεῖς) *ſimiliter affecti*, *ut mutuo tangamini non tantum malorum*, *ſed etiam bonorum ſenſu*; quæ expoſitio eſt Rev. *Raphelii* in Annotationibus ex *Polybio*, qui pag. 819. συμπαθεῖς vocat, in quibus eadem eſt animorum fiducia.

φιλόφρονες) *bene invicem vobis cupientes*; ſic *Eraſmus Schmidius*: *comes*; ſic *Beza*. Ad verbum reddideris: *amice ſentientes*. Ad comitatem & affabilitatem in vitæ uſu reſpici non dubito: hæc enim vocis φιλοφρόνως notio eſt *Actor*. XXVIII. 7. Eadem ratione φιλοφροσύνη dicitur, de qua lege *Valeſium* ad Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam pag. 152. b. Codices quidam legunt ταπεινόφρονες, & utramque lectionem exponit *Oecumenius*; ſicut *Vulg*. habet, *modeſti*, *humiles*. Vide *Millium* ad loc. qui vocem ταπεινόφρονες, ad marginem primum ſcholii loco poſitam, in contextum tandem irrepſiſſe exiſtimat. Verſio Gallica *Montenſis* reddidit: *une douceur*, *qui gagne le coeur*, Græcum contextum ſecuta. Pro illa verſione lege Novam defenſionem, Gallice editam, p. 589. ſeqq.

Verſ. 9. Μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας) Vide ſupra ad II. 23. B. *Joannis Deutſchmanni* diſſertatio de recriminandi more huc ſpectat, Wittebergæ 1676. edita. *Raphelius* huc ex *Herodoto* I. 7. pag. 497. *Getonis* ad Spartanorum legatum, contumelioſis vocibus uſum, hoc adfert reſponſum placidiſſimum: σὺ μέντοι ἀποδεξάμενος ὑβρίσματα ἐν λόγῳ οὐ με πείσεις ἀσχήμονα ἐν τῇ ἀμοιβῇ γενέσθαι. *Verum tu*, *contumelioſis in me invehens verbis*, *non tamen induces me ad vicem contumelioſe reddendam*.

Verſ. 10. Ο γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν, καὶ ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς) Reſpiciunt hæc ad *Pſalm.* XXXIV. 12. ubi ita οἱ LXX. τίς ἐςιν ἄνθρωπος, ὁ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθάς. B. *Franciſcus Wokenius* Apoſtoli verba cum contextu Hebræo & Græcis Interpretibus confert in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 315. ſeqq. Cum eo tamen *vitam* illam de *æterna* accipere nolim in *Stromatibus* pag. 83. Vitam enim, quæ hic agitur, tranquillam & facilem innui, ſequens phraſis ἡμέραι ἀγαθαὶ, prodit; ne dicam, ea heic commemorari, quæ ad uſum vitæ faciliorem reddendum inprimis faciunt, & commate duodecimo divini Numinis curam, preceſque audiendi facilitatem illis, qui ita agant, promitti.

παυσάτω τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ) *cohibeat, coërceat linguam ſuam.* Lutherus: der ſchweige ſeine Zunge. Vide *Stadenii* Expoſitionem vocum aliquot verſionis Germanicæ p. 572.

Verſ. 12. πρόσωπον δὲ Κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά.) Ex paganis *Xenophon* Hiſtor. Græc. lib. V. pag. 442. ait multa commemorari poſſe, quibus conſtet, ὡς θεοὶ οὔτε τῶν ἀσεβούντων, οὔτε τῶν ἀνόσια ποιούντων ἀμελοῦσι, *eos, qui ſe impie gerant, ac nefaria deſignent, a Diis haud negligi.*

Verſ. 13. Καὶ τίς ὁ κακώσων ὑμᾶς;) Sic M. *Antoninus* XI. 20. τί γάρ σοι ποιήσει ὁ ὑβριστικώτατος, ἐὰν διατελῇς εὐμενὴς αὐτῷ;

ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε) *Codices* quidam pro μιμηταὶ habent ζηλωταὶ, quod *Millius* in Prolegomen. §. 647. ex *Tit.* II. 14. deſumtum putat.

Verſ. 14. Ἀλλ' εἰ καὶ πάσχοιτε διὰ δικαιοσύνην) Cum δικαιοσύνη hic *virtutem, pietatem* &c. deſignet, vel τὸ ἀγαθὸν, de quo v. 13. *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. I. pag. 44. exinde colligit, Apoſtolum ad vocis Hebraicæ צדקה exemplum ea uſum eſſe. Contra vero Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 42. oſtendit Græcos etiam δικαιοσύνην *virtutem* generatim appellare. Inter ceteros luculentus eſt *Ariſtotelis* locus lib. III. Politic. c. 13. pag. 445. κοινωνικὴν γὰρ ἀρετὴν εἶναί φαμεν τὴν δικαιοσύνην, ᾗ πάσας ἀναγκαῖον ἀκολουθεῖν τὰς ἄλλας, *communem, ſive ſociabilem enim virtutem dicimus juſtitiam, quam cetera omnes virtutes neceſſario conſequuntur.* Confer eundem in Moral. Nicomachic. lib. V. cap. 2.

τὸν δὲ φόβον αὐτῶν μὴ φοβηθῆτε) Vox αὐτῶν reſpicit hoſtes Chriſtianorum, ſive paganos, qui auctoritate valebant, & magiſtratu fungebantur. Eos vero ad cavendam offenſionem non diſerte appellavit Apoſtolus. Vide *A. Blackwalli* Claſſicos Sacros pag. 96. φόβον φοβεῖσθαι Græce dici ſatis alibi in his *Curis* oſtendimus.

Verſ.

Verſ. 15. *Κύριον δὲ τὸν Θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν*) Comma hoc una cum ſequenti explicat *Philippus Mullerus* in diſſertatione VII. de ſtatu confeſſionis, Jenæ 1687. Vide & *Joannem Albertum Bengelium* ad Chryſoſtomi libros de Sacerdotio pag. 438.

μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου) Hæc editi, quos vidi, omnes, ad comma hoc 15. referunt, a quibus *Eraſmus Schmidius* in contextu Græco & verſione initium facit commatis ſequentis, neſcio, quo conſilio. Rectius enim referuntur ad antecedentia, ubi ratio reddi jubetur omni, qui eam de ſpe Chriſtianorum requirat. Ibi vero dubium eſt, utrum propius pertineat ad rationem reddentem, quam ad eum, qui eam poſtulet. Verſio *Anglicana* refert ad eum, qui rationem reddi vult, ut ſcilicet id faciat *cum lenitate & timore ;* at recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani de eo accepit, qui rationem reddere jubetur, reprehenſus ideo a *Leonh. Twells* in Examine Critico Parte I. pag. 125. Equidem non dubito ab hujus partibus ſtare. A paganis enim, de veritate religionis Chriſtianæ nondum convictis, & Chriſtianos inter errantes, imo maleficos, numerantibus lenitas & timor ſeu reverentia exſpectari non poterat : utrumque vero conveniebat Chriſtianis, inprimis, ubi cum magiſtratibus res erat ; ut ſcilicet partim leniter partim reverenter cauſam ſuam agerent, & hac ratione hinc duritiem eorum frangerent, hinc placidis moribus animos alienos ad mitiorem rectioremque ſententiam de ſe & doctrina Chriſtiana adducerent. Id patet ex verſ. 16. ubi *ἀγαθὴ ἐν Χριστῷ ἀναστροφὴ* commendatur, tanquam talis, quæ pudore afficere poſſit homines, ſiniſtre de Chriſtianis judicantes.

Verſ. 16. *ἵνα ἐν ᾧ καταλαλῶσιν ὑμῶν, ὡς κακοποιῶν*) Voces duæ poſtremæ deſunt in *Vulg.* & uno Codice *Veleſ.* quas propterea cum *Eſtio* ex cap. II. 12. repetitas putat *Millius.* Cum vero nihil obſtet, quo minus Apoſtolus eadem phraſi de eodem argumento uſus credi debeat, nimium uni vel codici vel verſioni tribueretur, ſi in ejus gratiam communis fere lectio deſeratur.

καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν) *Henricus Stephanus* in diſſertatione de Stylo Novi Teſtamenti Græco non procul a fine, in verbo *καταισχυνθῶσιν* vacare putat præpoſitionem, ut ſit pro *αἰσχυνθῶσιν*, atque ita cum hoc verbo jungi poſſit ſequens accuſativus, qui alioqui non videatur apte cum participio *ἐπηρεάζοντες* jungi, hoc ſenſu : *ut illi, qui inceſſunt vos, pudefiant ob veſtram bonam in Chriſto converſationem,* vel, ut pudefiant a veſtra bona converſatione, eorum maledicta refellente. Equidem non video, cur accuſativus participio *ἐπηρεάζοντες* jungi non poſſit. Eundem enim ſibi junctum habet *Matth.* V. 44. & *Luc.* VI. 28. *ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς*, quemadmodum nec externis Scriptoribus inſuetum eſt, ac-

 cuſandi

Digitized by Google

cuſandi caſum verbo illi vindicari. Vide *Curas* has ad *Matthæi* loc. cit. PorroSacriScriptores verbo *καλαισχύνεσθαι* ſimpliciter pro *pudore affici* utuntur, v. c. *Luc.*XIII. 17.*Rom* IX. 33. 2. *Corinth.*VII.17. & IX.4.Denique verbum *καλαισχυνθῶσιν* pendet a phraſi, *ἐν ᾧ καταλαλῶσιν.* Sic *Paulus* 2.*Corinth.* IX. 4. *μήπως - - - καταισχυνθῶμεν ἡμεῖς - - - ἐν τῇ ὑποςάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως.*

Verſ. 17. *εἰ θέλει τὸ θέλημα τῦ Θεῦ*) *θέλει* in duobus Codicibus omiſſum eſt, quod videretur ſuperfluum; ab aliis vero cum *θέλοι* permutatum, quod poſterius poſt *Complut.* & *Eraſmum* in editione prima exhibet Cl. *Bengelius.* Eadem phraſi utuntur Hebræi: אם כן ירצה רצון אלהים, *ſi placuerit voluntati Dei.* Vide *Druſii* Præterita lib. VI. ad 1. *Corinth.* IV. 19. Propterea *Grotius* ad h. l. agnoſcit *Ebraicum exundantem ſermonem. Ego vero* (verba habes B. *Maji* in diſſertatione de Pleonaſmis Græcæ Linguæ in N. T. occurrentibus pag. 24.) *exiſtimaverim, eſſe heic periphraſin potius, quam Ebraiſmum, ac voces τὸ θέλημα τῦ Θεῦ idem eſſe, quod* DEUS *ipſe. Sic enim amant Græci dicere.* Euſtathius *ad* Odyſſ. λ. pag. 1686. *ὅτι δὲ τὸ, Βίη Ἰφικληείη, περιφραςικῶς δηλοῖ τὸν Ἰφικλῆν, δῆλον, καθὰ καὶ τὸ βίη Ἡρακληείη τὸν Ἡρακλῆν.* Mihi quidem Apoſtolus ad formulam illam Hebræorum reſpexiſſe videtur, ſicut *Paulus* 1. *Corinth.* IV. 19. & *Jacobus* IV. 15. Neque tamen propterea phraſin non Græcam puto exiſtimandam, ſed talem potius, quæ voces *συγγενεῖς* conjungat, qualis eſt *χαίρειν χαρὰν, φοβηθῆναι φόβον* &c. Ita vero & Græcos loqui paſſim in his *Curis* oſtendi. Vide interim *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti pag. 199.

Verſ. 18. *Ὅτι καὶ Χριςὸς ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε κ. τ. λ.*) Confores huc *Chriſtiani Langii* Analyſin dicti de Paſſione Dominica contra Pontificios, Lipſiæ 1632. ex Anglis vero *Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 198. & 641. verſionis Latinæ, & *Henricum Morum* in OperibusTheolog. Latinis pag. 237. lib. I. c. 9. Myſterii Pietatis.

ἅπαξ) *ſemel*, i. e. *perfecte*, ut Cl. *Chriſtophorus Wolle* interpretatur in diſſertatione de vera fictaque particularum Novi Fœderis emphaſi, quæ ſubjuncta eſt commentationi ejus de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana, pag. 307. ſeq. Confer, quæ in eandem rem ſcripſi ad *Hebr.* VI. 4. Non negaverim, ſignificationem hanc, Scriptoribus externis quoque receptam, locum heic habere poſſe, modo illud præſtruatur, reſpectum primario haberi ad ſacrificia Veteris Teſtamenti, quæ non *ſemel*, ſed repetitis vicibus, quoties res ferebat, offerri debebant.

περὶ ἁμαρτιῶν) *Codices* duo pro *περὶ* legunt *ὑπὲρ*, quod etiam *Aldin.* & *Froben.* cum *Oecumenio* exhibent. Scilicet ea particula in negotio perpeſſionis ſalutaris alias utuntur Scriptores S., Apoſtolus autem *περὶ* heic adhibuiſſe videtur ideo, quod mox ſcripturus erat *δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων*, atque adeo &

rem,

rem, propter quam, & *perſonas*, pro quibus Dominus paſſus fuerit, eo efficacius & clarius repræſentaturus.

ἔπαθε) Pauci *Codices* & verſiones aliquot ἀπέθανε habent: germanam vero eſſe lectionem communiorem, manifeſtum eſt ex eo, quod Apoſtolus perpeſſionem Chriſti in exemplum adfert illis, qui πάσχειν debebant, quodque cap. IV. 1. Chriſtum bis repræſentat ut παθόντα, non vero ut ἀποθανόντα, atque adeo ut perpeſſione jam defunctum.

ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ) *ut nos ad Deum adduceret*, facta ſcilicet expiatione. Ita Paulus *Rom.* V. 2. δι' οὗ (Χριστοῦ Ἰησοῦ) καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν. Confer, quæ ibi ſcripſimus, & adde *Vitringam* Tomo II. Commentarii in Jeſaiæ XLIX. 5. pag. 570. Alias verbum προσάγειν ab externis Scriptoribus de iis adhiberi ſolet, qui in Regum aulis aditum aliis ad Reges ſalutandos aperiunt. Ita apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. I. pag. 23. edit. *Hutchinſonii*, miniſter aliquis dicitur τιμὴν ἔχειν τοῦ προσάγειν τοὺς δεομένους Ἀστυάγους.

θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ Πνεύματι) Vt per σάρκα *humana* Chriſti natura, ſecundum quam mortuus eſt; ita per πνεῦμα *divina*, per quam & vitam reſumſit, & vivum ſe ſtitit, familiari Scripturæ phraſi indicatur. Vide *Rom.* I. 3. 4. IX. 5. & 1. *Timoth.* III. 16. Confer inprimis *Joannem Philippum Storrium* de ſenſu vocum *carnis* & *ſpiritus*, cum de Chriſto dicuntur. Hanc expoſitionem nuper adſtruxit Vener. *Joannes Laurentius Moshemius* adverſus *Radulphum Cudworthum* in Syſtemate Intellectuali hujus Vniverſi cap. V. Sect. III. pag. 1076. ſeqq. verſionis Latinæ. *Cudworthi* ſcilicet judicio Chriſtus a Petro morti traditus dicitur in corpore craſſiori, vitæ vero redditus in corpore ſubtili, quod animis proprium eſt. Quæ quidem ſententia quam prope accedit ad Platonicorum de ſubtili animæ vehiculo, tam remota eſt a Scripturæ Sacræ oraculis, & ſpeciatim a phraſi hac Apoſtolica aliena. Recte *Moshemius* loc. cit. *Meo quidem judicio aut nihil, quod ego queam intelligere, dicit* Petrus, *aut vocabulo πνεύματι cauſam indicat efficientem reſurrectionis* CHRISTI. *Qua cauſa cum anima non ſit* CHRISTI, *ſed divina ejus natura, illis accedere haud dubito, qui, πνεῦμα divinitatem* CHRISTI *hic indicare, arbitrantur.*

Verſ. 19. Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν) Locus hic adeo obſcurus eſt, ut nonnulli judicium ſuſpendere, quam pronunciare ſententiam maluerint. Inter hos eſt *Joachimus Camerarius*, qui poſtquam candide profeſſus erat, *plane ſibi ignotum eſſe, quæ phraſis illa ſit, aut quid h. l. ſignificetur*, ſubjungit: *eſt igitur hic unus ex iis locis ſacrarum literarum, de quibus pietas religioſa quærere amplius, & dubitare, quid dicatur, ſine reprehenſione poſſit.* Hoc minus itaque mirum eſt, complures in hoc comma

Digitized by Google

comma non ſolum commentatos eſſe, ſed & in varias abiiſſe ſententias. Adferam ego primum ex noſtratibus illos, qui oraculum hoc una cum ſequenti ſingularibus diſſertationibus explicare aggreſſi ſunt. Inter hos appello *Joannem Affelmannum* in diſputatione de deſcenſu Chriſti ad inferos, Roſtochii 1616. *Joannem Guilelmum Bayerum* de Chriſto prædicante in inferno, Jenæ 1689. 4. *Abrahamum Calovium* de deſcenſu Chriſti ad inferos, Wittebergæ 1682. *Chriſt. Chemnitium* Jenæ 1661. 4. *Joannem Benedictum Carpzovium* Lipſiæ 1687. recuſ. in Diſputationibus ejusdem Academicis pag. 640. quam *Joannes Gottlieb Lucius* adverſus *Cornelii Haſæi* Diſputationem de deſcenſu Chriſti in inferiores partes terræ ſuper *Epheſ.* IV. 9. vindicavit, ibidem 1703. *Joannem Deutſchmannum* in Jubilæo Chriſtologico-Apoſtolico-Eccleſiaſtico-Symbolico, Wittebergæ 1700. *Joannem Fechtium* Roſtochii 1704. 1710. & 1719. *Bernhardum Gosmannum* de Chriſto prædicante in carcere ſpiritibus, Roſtochii 1657. *P. C. Hilſcherum* Tomo II. Analectorum Societatis Charitatis & Scientiarum pag. 453. ſeqq. *Joannem Hulſemannum* Wittebergæ 1647. *Joannem Juſtinum Keulingium* Lipſiæ 1668. *Iſaacum Laurbechium* de deſcenſus Chriſti ad inferos majeſtate, Altorf. 1700. 4. *Cæleſtinum Myslentam* Regiomonti 1647. *Joannem Georgium Neumannum*, Wittebergæ 1694. & 1703. *Paulum Roberum*, ibidem 1647. *Kilianum Rudrauſium*, Gieſſæ 1685. *Joannem Trellundium* de metaphorico Chriſti ad inferos deſcenſu, & proprio deſcenſu, Hafniæ 1721. *Auguſt. Varenium* in Triumpho Jeſu Chriſti vivificati, Roſtochii 1681. & in Trifolio Panegyrico gemino, ibidem 1661. 12. *Joannem Weinmannum*, Altorf. 1660. & *Guſtavum Georgium Zeltnerum* in epiſtola ad *J. A. Danzium* de Peccato in Spiritum Sanctum, & deſcenſu Chriſti ad inferos. In eundem locum commentantur *Alethæus* in der Erläuterung, Tomo I. pag. 110. ſeq. *Amelius* in der Erörterung, Tomo I. pag. 50. & pag. 92. *H. B. Starckius* in Notis Selectis in loca dubia Novi Teſtamenti pag. 156. & nuper *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1042. ſeqq. Singulares præterea noſtratium de deſcenſu Chriſti ad inferos libri exſtant, in quibus hic inprimis locus ad partes vocatur. Tales ſunt *Danielis Crameri* Exegema de deſcenſu Chriſti ad inferos, Stetini 1615. 8. *Joannis Eckhardi* Tractatus, Lipſiæ 1610. 8. *Jacobi Himmelii*, Spiræ in 4to. *Joannis Meiſneri*, Wittebergæ 1663. *Phil. Jacobi Barcklini* tract. de deſcenſu Chriſti ad inferos atque de inferno Anonymo cuidam Anglo oppoſitus an. 1730. quibus addes *Joannis Petri Sigismundi Winckleri* Gründlichen Beweiß zur Beſtärckung der Lehre von der Höllen-Fahrt Chriſti, tribus fere plagulis comprehenſam, Halæ 1725. 8. Vide Collectionem Novantiquorum Theologic. an. 1728. pag. 562. ſeqq. Omitto, quæ non ita pridem de loco & argumento hoc diſputata ſunt hinc a Rev. *Joanne Reinhardo Rus* hinc a *Liſſeo*, *Snitlingio*, *Hofmanno*, Rev. *Joanne Georgio Webero* libro ſingulari, Vinar. 1731. 8. & aliis, qui ipſi ſe oppoſuerunt. De his dixi nonnulla ad Epheſ. IV. 9. Confer Bibliothecam Theologicam

logicam Selectam Tomo III. pag. 913. ſeqq. & *Heinſii* quæſtiones ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Novi Teſtamenti pertinentes Tomo VIII. pag. 1245. Omitto etiam, quæ huc commentati ſunt, qui libros noſtratis Eccleſiæ Symbolicos illuſtrarunt.

Longior forem, ſi diverſas, etiam noſtratium, de ſenſu loci hujus, & deſcenſu Chriſti ipſo, ſententias vel enarrare, vel expendere vellem. Pleraſque, vel ſaltem potiores, collectas videbis a B. *Thoma Ittigio* in Selectis Capitibus Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. pag. 101. ſeqq. & in Diſſertatione de Evangelio mortuis annunciato, quæ in Enneade Exercitationum ejus Theolog. pag. 265. recuſa eſt, tum a Rev. *Joanne Georgio Walchio* in Introductione in libros Eccleſiæ Lutheranæ Symbolicos pag. 842. ſeqq. Idoneas habeo cauſas, cur in communiore doctorum noſtrorum ſententia acquieſcam. Movet me inter cetera id, quod Apoſtolus ſectione illa, quæ v. 18—22. continetur, omnia, quæ Dominus noſter in hominum ſalutem procurandam & teſtandam hinc paſſus eſt, hinc fecit, ordine ſuo commemorat. Habes heic paſſionem, mortem, vivificationem, deſcenſum ad inferos, adſcenſum in cœlos & ſeſſionem ad dextram Dei. Porro verſ. 22. Chriſtus dicitur πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν, quod ut proprie accipi debere nemo negaverit; ita cur v. 19. τὸ, πορευθεὶς ἐκήρυξε proprie accipi non debeat, non perſpicio. Totam vero illam ſectionem ad Chriſtum referri, & cetera, quæ de diluvio & arca Noæ, illique reſpondente baptiſmo, adferuntur, lucis cauſa interjici, ex eo apparet, quod initio cap. IV. lectores ad Chriſtum παθόντα revocantur. Sententiam ipſam luculente mihi propoſuiſſe videtur B. *J. F. Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ lib. IV. cap. II. §. 25. pag. 1083. *Primo loco*, inquit, *mortem Chriſti commemorat* (Petrus) *quam cum ſecundum humanam naturam ſubierit, dicit*, θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, *morte quidem adfectus*, qua carnem; *tum vivificationem, quæ, quoniam ex divina Chriſti natura originem trahit, dicit:* ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, vivificatus autem ſpiritu; *denique deſcenſum Chriſti ad inferos:* ἐν ᾧ, in quo (ſpiritu) *h. e. virtute divinæ naturæ, qua vivificatus eſt*, etiam πορευθεὶς abiit, *ſeu revera in locum damnatorum ſe contulit, atque illis* ἐκήρυξεν, prædicavit. *Atque hæc cum ſit mens & ſententia Apoſtoli, ut ex propria atque genuina omnium verborum ſignificatione liquet manifeſtum eſt, nec de morte, nec de ſepultura, nec de utraque ſimul, deſcenſum Chriſti ad inferos intelligi poſſe. Contigit enim poſt* ζωοποίησιν *ſeu reſurrectionem ejus. Manifeſtum porro, nec de doloribus eum accipi poſſe, ſiquidem vivificatio ſeu reſurrectio ſignificabat, omnia jam peracta eſſe, quæ noſtri cauſa Chriſtus peragere voluit. Multo minus de doloribus, quos ante mortem ſenſit, deſcenſus hic accipi poteſt, cum Petrus doceat poſt vivificationem, adeoque multo magis poſt mortem Chriſti eum contigiſſe. Sed &, cum vivificatio animæ corporiſque conjunctionem denotet, ſolam animam Chriſti in infernum deſcendiſſe, ut dolores ibi pateretur, adſeri nequit.*

Accedit, quod diſerte Petrus dicit, eum prædicaſſe τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. *Atque eadem ratione nec totum exinanitionis ſtatum, nec deſtructionem regni Satanici per deſcenſum Chriſti ad inferos intelligi poſſe demonſtratur. Supereſt itaque, ut concludamus, deſcenſum Chriſti ad inferos proprie eſſe intelligendum, eo quidem modo, quod Chriſtus, poſtquam reſurrexerat, ſed, antequam reſurrectionem ſuam manifeſtaret, qua corpus pariter ac animam in locum, ubi ſpiritus maligni animæque damnatorum captivi detinentur, revera ſe contulerit, atque ibi prædicarit.* Idem pag. 1088. Chriſtum eo fine ad inferos ait deſcendiſſe, *ut ſe diabolo omnibusque ſpiritibus malignis ceu victorem demonſtraret, atque tanquam præco aliquis regnum illorum jam deſtructum, caputve ſerpentis antiqui contritum denunciaret, ſimulque animabus damnatorum earum incredulitatem exprobraret, &, quod ſua culpa miſeræ eſſent, nec ullam de injuſtitia aut immiſericordia divina conquerendi cauſam haberent, ſignificaret.* Hæc, etiam longiora, ideo repetere placuit, quoniam potiora hujus argumenti capita breviter & clare repræſentant.

Si ab hac expoſitione diſceſſeris, veri ſpecie ſe præ ceteris ea commendat, nec paucos patronos invenit, quæ de præconio, impiis tempore Noachi facto, locum accipi vult. Proponam rem verbis B. *Joannis Gerhardi*, ὁμοψήφου, ex commentario ejus in h. l. pag. 489. *Simpliciſſime exponuntur* (hæc verba) *de prædicatione pœnitentiæ, quia Filius Dei per Noachum comminatione imminentis diluvii eos, qui vixerunt temporibus Noæ, invitavit ad pœnitentiam*, Geneſ. VI. 3. *Huc referendum, quod Apoſtolus noſter* 2. epiſt. II. 5. *vocat* κήρυκα τῆς δικαιοσύνης, præconem juſtitiæ, (*ubi uſurpat nomen ex verbo* κηρύττω, *quod hic habetur, deductum,*) *ergo prædicavit illis ex Chriſti mandato juſtitiam, quæ conſiſtit in remiſſione peccatorum*, Luc. I. 77. *ac fide in promiſſum Meſſiam obtingit, cujus fidei antecedens eſt vera contritio, conſequens ſtudium bonorum operum. Prædicavit* Noachus *in nomine Meſſiæ, adeoque filius Dei per* Noachum *prædicavit pœnitentiam & remiſſionem peccatorum*, Luc. XXIV. 47. *ut peccata ſua agnoſcerent, ſerio de illis dolerent, in promiſſum Meſſiam crederent, vitam emendarent & animum ad juſtitiæ ſtudium applicarent.* Eadem inter noſtrates ſententia eſt *Winckelmanni* & *Horneji* commentariis in hanc epiſtolam, *Eraſmi Schmidii* ad h. l. *Balthaſaris Raithii* in Vindiciis verſionis Germanicæ Lutheri pag. 587. *Gothofredi Olearii* in diſſertatione de Angelis deſertoribus & captivis ad epiſtolam Judæ v. 16. §. IV. *Hedingeri* in Notis Germanicis ad Novum Teſtamentum, *Alethæi* in der Erläuterung loc. cit. & D. *Joachimi Langii* in commentar. Lat. quos citat *B. H. Starckius* in Notis Selectis pag. 156. ipſe quoque illis adſtipulatus, atque ita verba hæc vertens: *in quo* (Spiritu nempe ſuo æterno coll. Ebr. IX. 14. & Notis Selectis ad h. l. pag. 72.) *etiam illis, qui jam ſunt in cuſtodia,* ſeu *carcere,* (infernali) *ſpiritus abiens prædicavit* (in præcone inprimis juſtitiæ) Noa 2. *Petr.* II. 5. B. *Hilſcherus* in Analectis Societatis Charitatis & Scien-

Digitized by Google

Scientiarum Tomo II. p. 455. ſq. alioquin ὁμόψηφος illis, per πνεύματα ἐν φυλακῇ intelligit *homines tempore Noachi in undis jamjam perituros ac ea de cauſa maxime angore conſtrictos*, quemadmodum *Olearius* loc. cit. Proceres indicari opinatur, qui præcipua corruptionis univerſalis cauſa & ſubſecuti diluvii occaſio exſtiterint. Confer quoque Rev. *Guſtavum Georgium Zeltnerum* in epiſtola ſupra citata & in notis ad verſionem Lutheri Biblicam.

Eandem hanc expoſitionem Reformati doctores plerique cum *Beza* amplectuntur. Ex his vide *Samuelem Bochartum* Tomo II. Operum pag. 985. *Jacobum Elsnerum* in Obſervationibus p. 404. & nuper D. *Danielem Gerdeſium*, Theologum Duisburgenſem, in Obſervationibus Miſcellan. ad loca quædam Scripturæ Sacræ hiſtoriam Patriarcharum illuſtrantia Obſerv. X. cujus ſummam habes in Miſcellaneis Duisburgenſibus Tomo I. pag. 654. ſeq. Vir doctus, quem poſtremo loco laudavi, vocem πορευθεὶς ſpeciatim ex *Geneſ.* VI. 3. לא ידון רוחי ita interpretatur, quaſi id vellet, quod *Spiritus Chriſti etiam tunc*, *cum abitum* ſeu diſceſſum *minitaretur*, *longanimitatem tamen ſuam per conceſſum* CXX. *annorum ſpatium demonſtraturus prædicaverit illis*, *qui nunc ſunt in carcere.* Eadem ratione phraſin hanc expoſuit D. *Ludovicus Chriſtianus Miegius* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. II. pag. 588. Ex Reformatis doctoribus lege præter hos *Joannis Carrei* diſſertationem de deſcenſu Chriſti ad inferos, Hagæ 1654. 12. *Joannis Hundii* nudam veritatem oppoſitam nudo errori de deſcenſu Chriſti ad inferos, in 8vo. *Joannis Jacobi Hottingeri* diatribam de Spiritu Sancto prædicante ſpiritibus in carcere, Tiguri 1692. 4. *Barthol. Holtzfuſii* diſputationem, Francofurti ad Viadrum 1699. *Matthiæ Netheni* diſp. de deſcenſu Chriſti ad inferos, Herbornæ 1676. *Cornelii Haſæi* diſputationem de deſcenſu Chriſti in inferiores partes terræ, ad Epheſ. IV. 9. directe relatam, Bremæ 1702. & *Friderici Adolphi Lampe* epiſtolam ad *Theodor. Haſæum* contra Vindicias *J. G. Lucii* ſupra memoratas, ibid. 1704. 4.

Ex Arminianis non alieni ab hac poſtrema expoſitione ſunt *Joannes Clericus* in Notis ad *Hammondi* verſionem Novi Teſtamenti Gallicam, & *David Clericus* in Quæſtionibus Sacris Quæſt. 18. pag. 190. ita tamen, ut per Spiritum Chriſti *divinitatem* ejus, per πνεύματα vero ἐν φυλακῇ *bonos angelos*, hominum cuſtodes, intelligant, atque adeo Chriſtus in divinitate ſua, ſanctisque Angelis, incredulis temporibus Noæ prædicaſſe dicatur. Similiter *Amelius* Tomo I. der Erörterung pag. 51. phraſin illam accipit, præterea vero Chriſtum ipſum in aſſumta humana natura præconio hoc perfunctum opinatur. Hoc vero quomodo cum phraſi ἐν ᾧ (πνεύματι) conciliari poſſit, equidem non video. Vide autem, quæ contra illam phraſeos, πνεύματι ἐν φυλακῇ, expoſitionem ex noſtratibus attulit B. *Ittigius* in Selectis Capitibus H. E. Seculi I. pag. 104. & ex Jeſuitis *Deſpineuil* in Memoriis Tre-

 voltinis

voltinis an. 1704. pag. 116. ſeqq. tum vero *Philalethes* quidam in Bibliotheca Anglicana Tom. X. pag. 411. ſeq.

Ab hac ſententia abeunt illi, qui de illo præconio ſermonem heic eſſe volunt, quod Spiritus Chriſti, cum Apoſtolis communicatus, ad Judæos & Gentiles, tanquam homines in carcere incredulitatis & peccatorum, Satanæque laqueis detentos, pertulerit. Ita ſentiunt ex Arminianis *Philippus Limborchius* libro III. Theologiæ Chriſtianæ cap. 13. & ex Anglis *Joannes Eduardus in the Enquiry into four remarkable texts of the N. T.* de quo Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1693. pag. 53. exponunt. Confer *Amelii* Erörterung Tomo I. pag. 93. qui ſententiam hanc in medio relinquit, quam nuper amplexus eſt Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1043. Πνέυματα *hic*, inquit, *in genere denotant homines, quemadmodum paulo poſt* ψυχαί. Ἐν φυλακῇ, in captivitate, *erant tum Judæi, ſub jugo legis exiſtentes, tum quoque Gentiles, ſub poteſtate Diaboli jacentes. Illos omnes Chriſtus liberavit, prædicationem verbi ſui ad ipſos mittens & continuans & Apoſtolos divina virtute inſtruens.* Sed, ut alia ſunt, quæ huic interpretationi opponi poſſint; quam in rem lege *Philalethæ* cujusdam animadverſiones in Bibliotheca Anglicana Tom. X. pag. 402. ſeqq. ita admitti non poteſt, quod vir doctus poſt ἀπειθήσασί ποτε, τελείαν σιγμὴν poni, pro ὅτε autem ὅτι legi mavult, de quo mox videbimus.

Liceat denique ſubjungere novam prorſus *Philalethæ*, quem modo appellavi, conjecturam loc. cit. pag. 415. ſeqq. propoſitam. Is vero τὰ πνεύματα ἐν φυλακῇ, de militibus, obſervando & cuſtodiendo ſepulchro Domini noſtri præfectis, accipit, ſententiæque ſuæ ſummam pag. 425. his verbis, quæ ex Gallicis Latina feci, comprehendit: *Chriſtus vitæ redditus eſt per omnipotentiam Dei: per hanc Dei omnipotentiam ita demonſtratam, & per diſpoſitionem* (ſeu conditionem) *hominum, qui ſepulchrum ejus cuſtodiebant, quique teſtes erant oculati, factum eſt, ut Apoſtoli, ſecundum Domini ſui præceptum, cum fructu doctrinam Chriſti Judæis incredulis promulgare eosque adducere potuerint, ut tanti Monarchæ imperio ſe ſubmitterent.* Nolo recitare argumenta, quæ pro adſerenda conjectura hac ab auctore adferuntur. Ita enim comparata mihi videntur, ut non facile quenquam in adſenſum perducere poſſint. Taceo etiam, quæ eidem paulo poſt ab Anonymo pag. 449. ſeq. recte ſunt oppoſita.

Neque tamen idem ille Anonymus eſt audiendus, quando omne illud, quod v. 19. dicitur, ad *Noachum* putat pertinere, qui, ab Angelis de imminente diluvio admonitus, *Geneſ.* VI. 8-22. incredulis emendandis operam dederit, *præco juſtitiæ* ideo 2. epiſt. II. 5. appellatus. Propterea Noachi nomen, quod v. 20. in gignendi caſu occurrit, in initio commatis 19. in nominativo ſubintelligi vult, tanquam quod in fine v. 19. omnino ſubintelligi

telligi debeat. Eo etiam procedit, ut ſuſpicetur, olim poſt, ἐ ᾧ καὶ, ſcriptum fuiſſe Νῶε, quod nomen deinde tum ex adfinitate literarum cum illis ἐν ᾧ, (quæ eaſdem habent tranſpoſitas) tum ex facta v. 20. ejuſdem nominis repetitione, librariorum culpa perierit. His poſitis ſenſum verborum hunc eſſe vult: *Per eum quoque* Noachus *ſpiritibus in cuſtodia* (h. e. qui nunc tenentur in tenebris uſque ad extremum diem æque ac angeli apoſtatæ, de quibus 2. *Pet.* II. 4. & *Judæ* v. 6.) *illis, qui olim increduli erant, cum, ſua ætate, longanimitas Dei eos ad pœnitentiam exſpectaret.* Si quid ego video, conjectura illa de nomine Νῶε initio v. 19. vel reſtituendo, vel ſaltem ſubintelligendo, adeo non eſt veriſimilis, ut, ſi in uno alterove codice, (ſine quibus auctor ipſe illud adſerere ſe nolle profitetur) exſtaret, ſphalma librarii agnoſci deberet. Omnia enim, quæ in hac pericope exſtant, prædicata ad Chriſtum referri debere, ex eo intelligitur, quod & antecedentia & conſequentia verba ad eum proxime ſpectant. Chriſtus dicitur paſſus, ut nos ad Deum adduceret, dicitur occiſus, dicitur vitæ redditus, dicitur v. 22. poſt reſurrectionem ad Dei dextram eſſe, poſtquam in cœlum adſcendit. Cur itaque illud ἐκήρυξε ad Noam referetur, neque potius ad Chriſtum, ſive illa prædicatio ἀμέσως per ipſum, ſive, quod auctor ſtatuit, per Noachum virtute ejus facta cenſeatur? Auctoris cauſam non juvat, quod v. 20. ἡμέραι Νῶε commemorantur, imo vero id ipſum perſuadet potius, ut credamus, de Noacho non alio fine mentionem fieri, quam ut illa indicentur, quæ Noachi ætate ab incredulis patrata ſint. Porro non intelligo, cur in fine commatis 19. Noachi nomen omnino ſubintelligi debeat. Ponamus denique, nomen Noachi in initio verſus 19. ſcriptum fuiſſe, nonne Apoſtolus potius ſcripturus erat ἐν ἡμέραις ἀυτȣ͂, quam ἐν ἡμέραις Νῶε? Quamvis enim nonnunquam nomen ejus, de quo ſermo eſt, loco pronominis relativi repeti ſoleat, id tamen nec frequens admodum eſt, nec ſine efficacia quadam, quam nullam heic video, fieri ſolet.

De Scriptoribus Pontificiis nihil h. l. dicere attinet, quos ὑποθέσει ſuæ δȣλεύειν conſtat. Vide interim, ſi placet, *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tomo V. lib. XIII. cap. 14. & *Michaëlem Mauduit* in ſingulari diſſertatione, quam Analyſi epiſtolarum Apoſtolicarum Tomo II. pag. 665. ſeqq. ſubjunxit. Is ſcilicet enarratis & confutatis aliorum, *Auguſtini* nominatim & *Fromondi*, ſententiis, ſuam adſtruere conatur, quod nempe Chriſtus, vita functus, quod ad animam eos, carcere juſtitiæ divinæ detentos, adierit, iisque lætum de reconciliatione cum Deo facta nuncium attulerit. Contra hanc Pontificiorum ſententiam, quam *Walenburchii* fratres contra *Joannem Hundium*, ſupra laudatum, adſtruere conati ſunt, lege diſputantem inter ceteros *Ludovicum Cappellum* in Operibus pag. 235. Fuerunt etiam, qui Diabolis redemtionem nunciatam eſſe dicerent. Vide *Pitſchmanni* Dubia vexata Hiſtoriæ Eccleſ. Sec. I. Faſciſc. I. p. 52.

Qui Patrum & de loco Petrino, & de deſcenſu Chriſti ipſo ad inferos ſententias legere voluerit, illi evolvendos ſuaſerim poſt *Svicerum* Tom. I. Theſauri pag. 92. ſeq. *Petavium* loco modo citato, *Th. Milles* ad Cyrilli Catecheſin IV. 8. pag. 53. *Joannem Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 418. ſeqq. verſionis Latinæ, *J. B Cotelerium* ad Patres Apoſtolicos Tomo I. pag. 117. *Fevardentium* ad Irenæum V. 31. pag. 451. editionis Grabianæ, & Scriptorem Anglum Hiſtoriæ Criticæ Symboli Apoſtolici paſſim. Hæc pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant. Jam de vocibus & phraſibus aliquot nonnulla dicemus.

ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν Φυλακῇ πνεύμασι) Accipe *Jacobi Lenfant* annotata ex Bibliotheca Selecta *Joannis Clerici* Tomo XVIII. pag. 214. *Ad vocem πνεύμασι* Millius *notat:* ſpiritu. MSS. Codd. Lat. multi. *Imo plerique Latini impreſſi. Sunt mihi tres, in quibus legitur ſpiritu, & in duobus ex his* ſpiritibus *notatur in margine, tanquam varia lectio.* Robertus Stephanus *videtur habuiſſe MStum Græcum, in quo legeretur πνεύματι: namque in variis lectionibus, quas ſubjunxit editioni anni* MDLVIII. *hæc leguntur πνεύμασι πο. manifeſto errore typographico, pro, πνεύματι πο. cum in ipſo textu idem* Robertus Stephanus *ediderit πνεύμασι. Ac revera* Millius *obſervat Append.* p. 57. col. 2. *in* Veleſianis *codicibus legi πνεύματι, & certe parum abeſt, quin hanc lectionem genuinam eſſe credam. Nempe Apoſtolus per* Spiritum intellexit Spiritum Sanctum, *a Chriſto poſt adſcenſionem in cælum, in Apoſtolos demiſſum, quo ſpiritu prædicavit populis τοῖς ἐν Φυλακῇ.* Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico Novi Teſtamenti ad h. l. monet, *Allixium* in concione de deſcenſu Chriſti ad inferos, obſervaſſe, *Clementem Alexandrinum* & Codices quoſdam MStos habere *πνεύματι*. Unde illa Latinorum codicum lectio, *ſpiritu*, orta ſit, non dixerim; falſam vero eſſe non dubito. Cum enim voces, *ἐν ᾧ* omnino pertineant ad antecedens *πνεύματι*, ſicut v. 21. *ᾧ* ſpectat ad antecedentem vocem *ὕδατος*, non video, quomodo Apoſtolus eandem vocem repetere v. 19. voluerit. Fac autem repetere voluiſſe, ſcripturus potius erat *ἐν ᾧ καὶ πνεύματι*. Neque per poſterius illud *πνεύματι* Spiritus S. intelligi poſſit, niſi per prius illud eundem indicari probaveris, atque adeo ſtatueris, Dominum noſtrum a Spiritu Sancto ſpeciatim in vitam revocatum fuiſſe. Τὸ, ἐν ᾧ idem eſſe, quod *per quem*, idque Græce dici, oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti p. 151.

τοῖς ἐν Φυλακῇ πνεύμασι) Has voces varie ex variis explicari in ſuperioribus eſt admonitum. Si Scripturæ ſtylum reſpexeris tutiſſime de Spiritibus, infernali carcere detentis, acceperis. Ita *Matth.* V. 25. *εἰς Φυλακὴν βληθήσῃ*, & *Apocal.* XX. 7. *σατανᾶς ἐκ τῆς Φυλακῆς αὐτοῦ λυθήσεσθαι* dicitur. Sic *Ariſtotelem* lib. II. de cura rei familiaris dixiſſe *ἐν Φυλακῇ εἶναι*, *in carcere detineri*, obſervavit *Elsnerus*.

πορευ-

πορευθεὶς ἐκήρυξε) Cum *profectio* illa etiam *adventum* includat, *Beza* hebraicam dicendi rationem videre ſibi viſus eſt. Similes vero Græcorum locutiones habes apud *Gregorium* l. c. p. 141.

Verſ. 20. Ἀπειθήσασί ποτε, ὅτε) Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1043. poſita poſt ποτε, τελεία ςιγμῆ, factoque novo commatis initio, legi pro ὅτε vult ὅτι, quod in editione ſua *Genevenſe* exſtet, & codices quidam teſte *Eraſmo* habeant. *Millius* unum pro hac lectione adfert. Ex hac lectione vir doctus hunc promit ſenſum: *Jam enim ſemel Deus temporibus Noachi pro longanimitate ſua homines invitavit, eorumque pœnitentiam exſpectavit: quæ quia ſecuta non eſt, reliqui omnes, octo tantum exceptis, perierunt. Hodie vero increduli aliud quoddam diluvii genus habent, nempe, qui cum præconio Evangelii conjungitur, hominesque non ſuffocat, ſed ſalvat.* Interpunctionem hanc & lectionem vir doctus ideo præfert receptæ alteri, quod perſuaſum ſibi habet, non de *incredulis* illis, qui Noæ, ſed qui Domini temporibus fuerunt, heic agi. Idem τὸ ὅτι in ὅτε mutatum putat, quod creditum fuerit, τὸ ὅτε reſpondere debere voci ποτέ. Enimvero magis in proclivi eſſe videtur dicere, τὸ, ὅτι vel caſu vel incuria in editionem illam Genevenſem, & unum alterumve ſcriptum codicem irrepſiſſe, quam exiſtimare, ὅτε illud tot codices veterumque verſiones ideo occupaſſe, ut ad antecedens ποτὲ quadraret. Præterea is eſt utplurimum vocis ποτὲ uſus, ut præterlapſum tempus longius indicet, atque idem ſit, quod πάλαι. Sic *Petrus* ſupra II. 10. οἱ ποτε ὐ λαὸς ad eos dicit, qui ipſi quorumque majores in paganiſmi tenebris verſati erant, & v. 5. hujus capitis τάς ποτε ἁγίας γυναῖκας appellat, quæ veteris ſint memoriæ, quo nomine Saram diſerte commemorat. In 2. epiſt. I. 21. inquit ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, omnia illa tempora ſuperiora reſpiciens, quibus Deus unquam, oracula ſua exſtare voluit. Porro ποτὲ illud & ὅτι ad illa diluvii tempora referri debere, ſatis patet ex eo, quod ἡμέραι Νῶε allegantur. Si denique Apoſtolus id voluiſſet, quod vir doctus cenſet, ut ſcilicet Deus dicatur homines jam ſemel ad pœnitentiam invitaſſe, hodie vero incredulis baptiſmi aquam in ſalutis lavacrum deſtinaſſe, ſcripturus, puto, erat: ὕτω ἅπαξ, ſicut ſupra verſ. 5. Ουτω γάρ ποτε καὶ αἱ ἅγιαι γυναῖκες. Imo vero Apoſtolus invitationem illam ad pœnitentiam, fruſtra factam tempore Noæ, eo potius conſilio adfert, ut appareat, quanta fuerit illorum ἀπειθησάντων pertinacia, quæ nec 120. annorum ſpatio frangi potuerit.

ἅπαξ ἐξεδέχετο) *Codices* quidam habent ἅπαξ ἐδέχετο, & ſic *Eraſmi* edit. prima *Ald.* & *Col.* alii vero ἀπεξεδέχετο, quam vocem *Vulg. Syr.* & *Æthiops* expreſſerunt. Lectoris eam alicujus, non ipſius Apoſtoli eſſe *Millius* cenſet in Prolegomenis §. 958. Apoſtolo vero tribuit *Lambertus Bos* in Exercitationibus pag. 276. & phraſin hanc confert cum Pauli illa *Rom.* VIII. ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεται, ut ſenſus ſit: *quando Deus patienter admodum*

admodum exſpectabat, ſcil. reſipiſcentiam illorum hominum per ſpatium annorum CXX. Confer omnino Cl. *Joannis Alberti Bengelii* Apparatum Criticum ad h. l. qui ipſe τὸ ἀπεξεδέχετο in contextum recepit, non contemnendis argumentis adductus. Ab altera parte *Elsnerus*, V. C. pag. 405. vocem ἅπαξ defendi poſſe ait eo ſenſu, quo occurrat ſupra v. 18. & *Judæ* v. 3. & 5. ubi ο ſemel *ſignificet tempus peremtorium, quo elapſo non detur ſimile.* Confer *Glaſſii* Grammaticam Sacram Tract. V. *Can.* XIV. Sic *Latini* & *Germani: ſemel pro ſemper.* Ceterum *Lambert. Bos* loc. cit. recte animadvertit in *Hombergium* pag. 360. Parergorum, ita vertentem: *cum Dei longanimitas probiberetur, ſeu contemneretur ab incredulis etiam eo tempore, quo arcam intrabat Noæ familia.* Recte ille monet, ex Scriptorum uſu verbum ἐκδέχεσθαι, mediæ formæ, non niſi activam habere ſignificationem. Idem contra *Eraſmum* monuerat *Eraſmus Schmidius*, ita convertentem: *cum ſemel exſpectabatur Dei lenitas*; & contra *Vulgati* interpretationem: *quando exſpectabant Dei patientiam.* Non male res inſtituunt, qui heic ſubintelligunt *reſipiſcentiam*, quam Deus exſpectaverit; putarim tamen, commodius & propius dici Deum exſpectaſſe τὺς ἀπειθήσαντας, ut ſic vox hæc ἀπὸ κοινῦ repetatur, quod ſæpius fieri debere conſtat. Sic *Hebr.* IX. 18. commemorantur οἱ ἀπεκδεχόμενοι Χριςὸν εἰς σωτηρίαν. Similiter Deus h. l. dicitur ἐκδέξασθαι τὺς ἀπειθήσαντας εἰς μετάνοιαν.

ἐν ἡμέραις Νῶε) Ex hoc præcipue loco *Snabelius* in Amœnitatibus Theologicis, Emblematicis & Typicis pag. 167. ſeqq. colligit, Noachum typum CHRISTI fuiſſe, variaque ex vita ejus & rebus geſtis, inprimis arcæ ſtructura, capita repræſentat, quæ huc pertineant. Spectant huc ex parte *Balthaſaris Bebelii* Hiſtoria Eccleſiæ Noachicæ, Argentorati 1666. 4to, & *J. H. Heideggeri* Hiſtoria Patriarcharum pag. 228. ſeqq. De typico Noæ reſpectu vide quoque *Aringbii* Romam ſubterraneam Tomo II. pag. 242. Originem nominis alii aliam reddiderunt, nec pauci, inprimis ex veteribus, ineptiunt. Vide præſtantiſſimi *Fabricii* noſtri Codicem Pſeudepigraphum Veteris Teſtamenti pag. 229. & Cl. *Joannis Alberti* Gloſſarium Sacrum Novi Fœderis pag. 45. itemque *H. B. Starckii* Notas Selectas ad Pentateuchum pag. 25. ſeq.

κατασκευαζομένης κιβωτῦ) Arcam Noæ ejusque architecturam libris tribus expoſuit *Athanaſius Kircherus*, Amſtelodami 1673. fol. editis. Poſtea idem egit *Joannes Pelletier* in diſſertatione Gallica de arca Noachi, Rothomagi 1700. 12. Vide Ephemerides Pariſ. an. 1700. pag. 438. ſeqq. editionis Amſtelodamenſis, & Nova Reipublicæ Literariæ *Jacobi Bernardi* an. 1702. pag. 422. ſeqq. menſis Aprilis. Ex illa ſciagraphiam arcæ habes in Vener. *Valentini Erneſti Læſcheri* Decimis Evangelicis Parte I. pag. 201. Alcorani de ea fabulas ridendas proponit *Maraccius* in Confutatione ejus pag. 340. ſicut de ejusdem reliquiis, quæ venditantur, diſſerit *Juſtus Gothofredus*

Rabenerus

Rabenerus in Amœnitatibus Hiſtorico-Philologicis Programm. VIII. Ex Noacho a paganis Deucalionem, aliosque hujus generis, effictos fuiſſe non pauci ſunt, qui exiſtiment. Eos videbis apud *Fabricium* loco citato pag. 240. ſeqq.

εις ἥν ὀλίγαι (τȣτέςιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν) in quam ingreſſæ *paucæ, nempe octo animæ, ſervatæ ſunt in aqua.* Ita *Eraſmus Schmidius*: recte utique, ellipſin ſupplens, quam & res ipſa, & ſtructura ſermonis requirit. Lege in eandem ſententiam *Hombergium* pag. 360. & *Elsnerum* pag. 406. Poſterior hic ſimilem *Diodori Siculi* phraſin ex libro II. pag. 138. adfert: *ἐὰν μὲν οἱ πεμφθέντες εἰς τὴν νῆσον διασωθῶσιν, ſi, qui miſſi ſunt, ſalvi & incolumes in inſulam perveniſſent:* & *Luciani* Ver. Hiſtor. lib. II. pag. 771. facto naufragio, *μόλις ὑπὸ Λευκοθέας διασωθῆναι εἰς τὴν τῶν Φαιάκων χώραν.*

τȣτέςιν ὀκτὼ ψυχαὶ) Vox *ψυχαὶ* vacare videtur, quando ponitur pro *toto homine*, ut *Actor.* II. 41. 43. III. 23. XXVII. 37. & h. l. Ita ſtatuit *J. H. Majus* de Pleonaſmis Græc. L. in Novo Fœdere pag. 44. *Euripidis* ſimilem locum excitans ex Hecuba v. 87.

Πȣ̃ ποτε θείαν Ἑλένȣ ψυχὰν
Η Κασάνδρας ἐσίδω.

Ubi tandem divinam Heleni animam
Et Caſandræ intuebor. i. e. Helenum & Caſandram.

Nec proſarios Scriptores ab hac dictione alienos eſſe, evicerunt *Lambertus Bos* in Exercitationibus pag. 69. & *Georgius Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 309. Hinc factum puto, ut unus alterve codex legeret *ὀλίγοι.*

δι' ὕδατος) Alii *in aqua*, alii *per aquam* interpretantur. Illud, *in aqua*, *Eraſmus Schmidius* & *Gerhardus* ſpeciatim ita accipiunt, ut idem ſit, atque, *non obſtante aqua*, ſicut 1 *Timoth.* II. 15. *σωθήσεται γυνὴ διὰ τεκνογονίας.* Qui *per aquam* vertunt, ſubintelligunt vocem, *delati.* Sic *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 340. allato libro 5. de Expedit. Cyri p. 278. *Ἐπεμψεν ἡμᾶς, ὦ ἄνδρες ςρατιῶται, ἡ τῶν Σινωπέων πόλις συνησθησομένȣς, ὅτι διὰ πολλῶν τε καὶ δεινῶν, ὡς ἡμεῖς ἀκȣ́ομεν, πραγμάτων σεσωσμένοι πάρεςε. Miſit nos, milites, Sinopenſium Reſpublica, vobis gratulatum, quod e multis ac difficilibus rebus, quemadmodum accepimus, incolumes huc evaſeritis.* Conferri idem vult *Luc.* VI. 1. *Joh.* VI. 4. & *Actor.* XIV. 22. Similiter *Hombergius* pag. 361. phraſin *δι' ὕδατος* refert ad illam: *κατασκευαζομένης κιβωτȣ̃, quod nempe arca ſit parata per aquam,* i. e. quæ per aquam debebat vagari. Et ſic *Elsnerus: in arcam, per aquam* ſcilicet euntem. Non præter rem hæc ita traduntur: malim tamen in B. *Calovii* interpretatione acquieſcere. *Re-*

tineri tamen poſſet, inquit, *hoc loco uſitatior ſignificatio*, *quod δι᾽ ὕδατος*, per aquam *ſervatæ ſint octo animæ illæ. Nam ſi in terris manſiſſent*, *periiſſent. Per aquam autem non ſimpliciter*, *ſed* in arca, *ſervatæ ſunt. Arca enim aquis innatabat. Sic analogia concinnior. Nam δι᾽ ὕδατος*, per aquam ſalvamur, *non ſimpliciter*, *ſed qua abluimur*, *in Eccleſia a peccatis per baptiſmum*, *&* *per aquas baptiſmi tr.:jicimus in portum æternæ vitæ.* Hanc vero Apoſtoli mentem fuiſſe, ut *aquam* illam, qua *arca* ferebatur, tanquam *medium* ſalutis conciliandæ indicaret, ex eo inprimis colligo, quod baptiſmum, aquæ illius antitypum, ait nunc σώζειν ἡμᾶς, ſicut antea dixerat, octo illos διασωθῆναι δι᾽ ὕδατος. Quemadmodum igitur negari nequit, baptiſmum efficax ſalutis *medium* eſſe, ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, *Tit.* III. 5. ita, vi factæ h. l. comparationis, aquæ illæ diluvianæ, reſpectu credentium, pro *medio* conciliatæ vitæ naturalis haberi debent.

Verſ. 21. Ὡ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα) Lege B. *Hülſemanni* diſſertationem de efficacia baptiſmi, Wittebergæ 1640. *Sebaſtiani Schmidii* Collegium Biblicum poſterius pag. 313. Rev. *Salomonis Deylingii* Obſervationes Sacras Parte I. pag. 194. ſeqq. & nuper Vener. *Joannis Laurentii Moſhemii* diſſertationem Theologicam de baptiſmo diluvii antitypo, Helmſtad. 1727. de qua conferri poſſint Annales Julii Semeſtri XIV. pag. 160. ſeqq.

Pro ᾧ *Alex. aliique*, *quos habemus*, *optimi legunt* ὃ νῦν: *quique mutarunt in* ᾧ νῦν, (*quanquam melius mutatum eſſet in* οὗ νῦν) *id claritatis gratia fecere.* Ita *Millius* ad loc. In MSto *Alexandr.* majuſculis ſcilicet literis exarato τὸ ο *Salmaſio* pro Ου poſitum eſſe videtur, ad exemplum ſimilis ſcriptionis in ejusmodi codd. obviæ, in lib. de Transſubſtantiat. ſub *Simplicii Verini* nomine edito, pag. 31. adeo, ut non dubitet, veram lectionem h. l. eſſe οὗ καί. Confer Cl. *Joannis Alberti Bengelii* Apparatum Criticum ad h. l. qui τὸ ὃ in contextum recepit, libris & ſcriptis & editis nonnullis adductus. Eandem lectionem expreſſit quoque B. *Lutherus*: welches nun auch uns ſeelig machet in der Taufe, die durch jenes bedeutet iſt, ſicut & amplectitur *Deylingius* loc. cit. Præterea mutato vocum ordine codices quidam habent: ᾧ ἀντίτυπον νῦν καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα. At ſimilis huic trajectio ſupra exſtat II. 19. ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες pro ᾧ προσέχοντες ὡς λύχνῳ &c. καλῶς ποιεῖτε.

De voce ἀντίτυπον diligenter commentati ſunt *Salmaſius* de Transſubſtantiatione pag. 30. ſeqq. & ex eo *Suicerus* in Obſervationibus cap. IV. & in Theſauro Eccleſiaſtico Tomo I. pag. 383. ſeqq. *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 118. & nuper Vener. *C. M. Pfaffius* ad Fragmenta Irenæi pag. 131. ſqq. & 291. itemque in præfatione. Adde *Jacobum Elsnerum* & *Joannem Alberti*, qui & conferri heic vult *Chriſt.* *Scho-*

Schotani opus poſthumum de octo Sacramentis Veteris & Novi Teſtamenti pag. 7. *Beza, Eraſmus Schmidius* & *Alberti* vertunt, *correſpondens exemplar*, quo ſenſu *Moſchopulus* ἀντίτυπα interpretatur τά μεταγεγραμμένα καὶ τὸν αὐτὸν τύπον ἔχοντα, ἀπὸ τῦ τύπος. *Elsnerus* imaginem & formam e regione oppoſitam intelligit. Placet *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis ita præcipiens pag. 655. *Μεταφορικῶς τύπος dicitur res aliud quid præfigurans, ἀντίτυπος autem res illa præfigurata. Latinus interpres reddidit* ſimilis formæ; *non male*. Quomodo vero baptiſmus diluvii antitypus dici poſſit, oſtendit *Moshemius* diſputatione modo laudata, pag. 32. ſeqq. Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad hanc φράσιν obſervat, Judæos quoque in *Jalkut Rubeni* fol. 29. 1. mentionem facere *diluvii ſuperioris*, ſeu, *myſtici*, מבול למעלה, & *arcæ Noæ ſuperioris*, תיבת נח למעלה.

ὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπυ, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν) Hæc verba editiones pleræque per parentheſeos notam, tanquam baptiſmi deſcriptionem, a reliquis ſeparant, & ſic ſequentia, δι' ἀναστάσεως Ἰησῦ Χριστῦ, ad verbum σώζειν referunt. Licenter vero id fieri videtur doctiſſimo *Deylingio* loc. cit. pag. 195. qui, omiſſa παρενθέσει, extrema illa verba ad ἐπερώτημα εἰς Θεὸν pertinere ἀμέσως cenſet. Ita ait accepiſſe *Arabem* & *Æthiopem*, idque rem ipſam poſtulare, cum reſurrectio Chriſti expiationis peccatorum & liberationis noſtræ terminus ſit *Rom.* IV. 25. & proinde conſcientiæ noſtræ tranquillitas ea cumprimis nitatur, tanquam certiſſimo argumento, Deum, qui vadem ex ſepulchri clauſtris eduxerit, nobiſcum eſſe reconciliatum.

Inprimis vox ἐπερώτημα Interpretibus negotium faceſſit, quorum alii alios ſignificatus attulerunt. Novem omnino recenſet *Sebaſtianus Schmidius* in Colleg. Bibl. loc. cit. Nos ea adferemus, quæ recentioribus quibusdam placuerunt. Inter hos ſunt auctores *Veſperarum Groninganarum* Colloquio III. pag. 35. ſeqq. quorum ſententiam recitant *Acta Eruditorum Lipſienſ.* an. 1678. p. 347. & B. *Joannes Franciſcus Buddeus* in Theologia Morali p. 347. Illis ſcilicet indicari videtur *petitio* ſive *interrogatio* ad Deum, tum quid fieri velit, ad exemplum Judæorum, *Actor.* II. 37. tum, quomodo in ſe ſit affectus, an non ſibi inſtar Patris faveat &c. Sed vide, quæ in hæc animadvertit *Deylingius* l. c.

Cl. *Elsnerus* pag. 408. conſcientiæ *confugium ad Deum & poſtulationem ſalutis* indicari putat, ideo, quod ἐπερώτημα apud τὺς LXX. *Daniel.* IV. 14. καὶ ῥῆμα ἁγίων τὸ ἐπερώτημα occurrit, quemadmodum iidem ἐπερωτᾷν Θεὸν paſſim uſurpant, v. c. *Jeſ.* XXX. 2. & LXV. 1. ubi de illis ſermo eſt, qui ſe ad Deum conferunt, ut, quæ ſaluti ſibi ſint, intelligant. Idem huc refert *Hebr.* X. 22. 23. ubi accedere jubemur ad Deum ἐρραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς καὶ λελυμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ. Addit, apud

Auctores quoque v. c. *Thucydidem* lib. III. pag. 209. & pag. 219. idem eſſe, quod *interrogationem*, aut *poſtulationem*. Monet denique, ἐπερώτημα male conjungi cum vocibus εἰς Θεὸν, quæ potius pertineant ad verbum σώζειν, hoc ſenſu, quod acerrimum illud confugium, enixaque poſtulatio & imploratio dicatur σώζειν εἰς Θεὸν, quia ita accedentes ſalutem apud Deum impetrent. *Rom.* X. 13. Hoc modo ait Paulum 2 *Timoth.* IV. 18. dicere: ὁ Κύριος σώσει εἰς τὴν βασιλειαν αὐτȣ̃ τὴν ἐπȣράνιον. Omitto alia, quæ ad hæc moneri poterant. Certe voces εἰς Θεὸν ab ἐπερώτημα divelli non poſſunt. Videtur quidem viro docto Petrus, ſi aliud voluiſſet, ſcripturus potius fuiſſe πρὸς Θεὸν. Sed eodem tamen loquendi modo etiam alibi Apoſtolus utitur v. c. I. 4. κληρονομίαν τετηρημένην ἐν ȣ̓ρανοῖς εἰς ἡμας, item v. 10. οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες, v. 11. τὰ εἰς Χριςὸν παθήματα, v. 25. εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς, IV. 7. νήψατε εἰς τὰς προσευχάς. In his locis omnibus τὸ εἰς idem eſt, quod πρὸς, *ad*, *apud*, *adverſus*, & *objectum* infert, *in quod* aliquid feratur, aut *cum quo* ipſi res ſit. Itaque non video, cur vox ἐπερώτημα non poſſit conjungi cum phraſi εἰς Θεὸν, tanquam objectum, in quod feratur. Præterea non crediderim, voces εἰς Θεὸν cum verbo σώζειν conjũgi poſſe, ut idem ſint, quod *ſalutem apud Deum impetrare*. Quos enim Vir doctus ex 2 *Timoth.* IV. 18. *Joſepho* lib. II. contra Apionem p. 1061. & *Diodoro Siculo* lib. II. pag. 131. attulit, illi omnes non *perſonas*, ſed *rem* v. c. βασιλείαν, χώραν, οἰκεῖαν, in quam aliquis ſalvus perductus ſit, commemorant. Ex quo non conſequitur, eandem phraſin adhiberi poſſe, ubi de Deo, tanquam *perſona*, ſeu *objecto*, ſermo eſt.

Placent itaque illi, qui ἐπερώτημα baptiſmale de *ſtipulatione* interpretantur, cum *Grotio*. Hoc enim ſenſu vocem Auctoribus adhiberi conſtat & Cl. *Elsnerus* aliquot locis probavit. Addam *Salmaſii* verba ex libro de Vſuris p. 127. Stipulatio (eſt) *quæ interponitur ad firmandum pactum*, *quam Græci interpretes ἐπερώτησιν reddiderunt*, *quia interrogatione fiebat.* Dabis? dabo. Promittis? promitto. *Hinc &* interrogatio *ſæpe in jure pro ipſa* ſtipulatione. *Et apud* Senecam *lib.* III. *de Beneficiis*: ille non eſt interrogatione contentus, niſi reum manu ſua teneat: *i. e. ſtipulatione. Nec aliter Græci ſtipulationem dicere norunt*, *quam ἐπερώτησιν.* Pro hac vocis h. l. expoſitione vide, quæ præter *Deylingium* dixit *Moshemius.* Adde *Wolfburgii* Obſervationes Sacras pag. 212. ſeq. *Petri Zornii* Opuſcula Sacra Tomo II. pag. 247. & *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti pag. 310. Tom. I. ex Reformatis autem *Hermannum Witſium* in Oeconomia lib. IV. cap. 16. §. 19. ſeqq. Confer præterea B. *Martini Chladenii* diſputationem de Abrenunciatione baptiſmali, & alterum ejusdem de Profeſſione baptiſmali, Wittebergæ 1713. nec non M. *Chriſtiani Gottlieb Clugii* commentationem ſacram de ritu interrogandi infantes de fide ante ipſam aquæ adfuſionem, ſpeciatim de ejus adverſariis, Wittebergæ 1731. 4.

Digitized by Google

δι᾽ ἀναςάσεως Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃) Verba hæc alii ad bonam conſcientiam referunt, tanquam cujus fulcrum præcipuum ſit reſurrectio Chriſti, alii ad ſalutem per baptiſmum impetrandam, cujus cauſa & fundamentum eadem Chriſti reſurrectione contineatur. Prius placet *Deylingio*, poſterius *Moshemio* diſputat. citata Sect. I. §. 32. ſeq.

Atque hoc malim, inprimis ideo, quod Apoſtolus I. 3. Deum dicit ἀναγεννῆσαι ἡμᾶς ἐις ἐλπίδα ζῶσαν δι᾽ ἀναςάσεως Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ ἐκ νεκρῶν. Subjungam totius commatis paraphraſin his *Moshemii* verbis §. 34. conceptam: *Olim cum diluvium tempore Noachi omnes perderet, octo tamen animæ Noachidarum, arca vectæ, miniſterio aquæ ſervabantur, ita, ut incolumes aquas pertranſirent ad ſalutem. Hujus conſervationis veſtigia legere videmus baptiſmum, qui in aqua juxta ſimilitudinem illam nos usque etiam ſalvat ſalute ſpirituali. Qui etiamſi aqua peragi debeat in corpore, non tamen id propter meram nobis ſiſtit ſordium corporis ablutionem. Quo reſpectu neutiquam ſalvat, & omnino diſtinguendus eſt, tum a Judæorum ritibus & proſelytorum baptiſmo, quos in praxi, ſi ſpectamus, meræ tantum ſunt cerimoniæ & notæ inanes doctrinæ Judæorum, cujus finem, ſanctitatem ſcilicet, ignorant: tum etiam cum Gentilium luſtratione neutiquam confundendus, qui nitori corporis tantum ſtudent in gratiam Deorum, animæ ſtulti nullam plane curam habentes. Salvat nos potius eatenus baptiſmus, quatenus corporis immerſione in aquam animæ eluuntur inquinamenta, & fidem noſtram publice nos profitemur, rogati in Deum, ſeu cauſa Dei, quo ipſo Dei caſtra nos ſequi velle teſtamur, & in ejus cultu obedientiam noſtram ipſi probare ſancte promittimus, de æterna felicitate ſic quaſi cum illo contrahentes. Quod fieri ſane non poteſt integre, quin pura adſit & ſanguine Chriſti mundata conſcientia. Quod autem hoc modo vere ſalvet baptismus, id omne proficiſcitur ex virtute reſurrectionis Chriſti, qui hanc ἐνέργειαν in baptiſmum contulit; dum illum ſalutis medium efficaciſſimum ipſe conſtituit.* Idem *Moshemius* Sect. II. hujus diſputationis conſectaria ex priore deducit, interque ea pædobaptiſmum nominatim contra *Hermanni Schynii*, Mennonitæ, placita adſtruit. Patrum de efficacia baptiſmi ad ſalutem cogitata exhibet *Svicerus* Tomo I. p. 649. ſq.

Verſ. 22. Ὅς ἐςιν ἐν δεξιᾷ τȣ̃ Θεȣ̃, πορευθεὶς ἐις τὸν ȣ̓ρανὸν) h. e. *qui, poſtquam in cælum profectus eſt, eſt ad dextram Dei.* Alii trajectionem ſtatuunt. Supra v. 19. obſervato vocum ordine ita: πορευθεὶς ἐκήρυξε. Poſt vocem Θεȣ̃ in *Vulg.* legis: *deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur;* quæ *Veleſ.* Græce ita exhibet: καταπιὼν τὸν θάνατον, ἵνα τῆς αἰωνίȣ ζωῆς κληρονόμοι γινώμεθα. *Millius* ad loc. & in Prolegom. §. 844. ſententiam hanc a Studioſo aliquo ad marginem primum fortaſſe ex 2 *Timoth.* I. 10. ſcriptam, atque hinc in contextum relatam eſſe, recte exiſtimat. Neque enim ullo modo veri eſt ſimile, Apoſtolum hic demum poſt commemoratam ſeſſionem ad dextram Dei abolitionem mortis, quæ perpeſſione ipſa præſtita erat, commemoraturum fuiſſe. Itaque non erat, cur *Emſerus*, *Dieten-*

tenbergerus & *Zangerus* dicam ſcriberent Luthero, qui hæc omiſerit. Vide contra eos B. *Raithii* Vindicias p. 587.

ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν, καὶ δυνάμεων) Per ἐξουσίας καὶ δυνάμεις *Braunius* in Selectis Sacris p. 111. intelligi vult *principes & Pædagogos Eccleſiæ Judaicæ*. Sed vide, quæ ſcripſimus ad *Coloſſ.* I. v. 16.

CAP. IV.

Verſ. 1-8. *Franc. Wockenius* in Stromatibus Apoſtolicis Part. I. pag. 114. ſqq. illuſtrat. Comma primum & ſecundum exponit *Juſtus Feurbornius* in Dilucidatione ſalutiferæ paſſionis JESV CHRISTI, Gieſſæ 1621.

Verſ. 1. Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε) Similem poſtremæ phraſi illam *Xenophontis* de Expedit. Cyri lib. VI. pag. 296. adfert *Raphelius*: Χρὴ παρασκευασαμένους τὴν γνώμην πορεύεσθαι ὡς νῦν εὐκλεῶς τελευτῆσαί ἐστιν. *Sic comparatis animis pergendum nobis eſt, ut ſtatuamus, hoc tempore glorioſe occumbendum eſſe.* Ita *Euſtathius* ad Iliad. δ. v. 325. ὁπλίζεσθαι interpretatur παρασκευάζεσθαι· ὅπλα γὰρ, inquit, πάσης τέχνης τὰ ἐργαλεῖα, καὶ ὁπλίζεσθαι τὸ εἰς ἔργον ἑτοιμάζεσθαι.

ὅτι ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ πέπαυται ἁμαρτίας) Hanc ſententiam parentheſi includi vult *Hombergius*. Alii vero cauſam antecedentis cohortationis ad eundem, qui in Chriſto patiente erat, animum induendum adferri exiſtimant. Alii ipſam ἔννοιαν, qua armati & muniti eſſe debeant, indicari putant, nempe illam, quod, qui paſſus eſt in carne, deſtitit a peccato. Hæc poſtrema eſt *Eraſmi Schmidii* & *Bezæ* ſententia, in verſione expreſſa. Primam ego prætulerim. Pro ἐν σαρκὶ codd. aliquot habent σαρκὶ, ſine ἐν, quod rectius omitti cenſent *Grotius* & *Millius*. Recte vero repugnat *Whitbius* pag. 79. Examinis Critici. Apoſtolum h. l. ἐν σαρκὶ ſcripſiſſe vel id indicio eſt, quod v. 2. eandem phraſin repetit, quamvis ſenſu nonnihil diverſo. Cave interim τὸν παθόντα ἐν σαρκὶ de Chriſto accipias cum *Socinianis*, contra quos diſputat heic *Calovius*, quemadmodum *Gvilelmum Ameſium* hoc nomine confutat *Wokenius* l. c. Quis enim diceret, Chriſtum peccare deſiiſſe, qui nec peccare potuerit, nec peccaverit unquam? Vide ſupra II. 22. Quis vero præterea non videt, exemplum Chriſti παθόντος proponi veris ejus ſectatoribus, addito ſimul fructu, qui ex calamitatibus fortiter exantlatis in patientes redundet? Qui τὸ παθεῖν ἐν σαρκὶ cum *Grotio* & aliis de *affectibus carnalibus crucifigendis & interficiendis* acci-

accipiunt, illi non attendunt, ſe hoc loco id intrudere, quod Petrus v. 2. inſtar finis affert, qui ex perpeſſione ante commemorata conſequatur, ut ſcilicet non amplius ad ſuas aliorumque hominum cupiditates, ſed ad Dei voluntatem vitam componant. Non recogitant quoque, & alibi hunc calamitatum fructum proponi v. c. 2 *Corinth.* IV. 16. & *Hebr.* XII. 11. Pro *πέπαυται ἁμαρτίας Hammondum* malle *ἀπέθανε ταῖς ἁμαρτίαις* Auctor Prolegomenorum ad Novi Teſtamenti editionem accuratiſſimam p. 172. tradit: ſed fruſtra ejus hanc conjecturam, quam fortaſſe alibi, neſcio quo argumento inductus, propoſuit, in notis ejus ad N. T. quæro.

Verſ. 2. *Εις τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις*) Hæ ſunt *ἐπιθυμίαι κοσμικαὶ*, quas Paulus *Tit.* II. 12. caveri vult. Confer *Sviceri* Theſaurum T. I. p. 1166.

τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ βιῶσαι χρόνον) *M. Antoninus* IV. 31. *τὸ δὲ ὑπόλοιπον τȣ̃ βίȣ διέξελθε.*

Verſ. 3. *Ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τȣ̃ βίȣ*) Voces *ἡμῖν* & *τȣ̃ βίȣ* deſunt in *Codd.* quibusdam, ideoque omittendæ videntur *Millio*, cujus exemplo *ἡμῖν* prorſus ex contextu expunxit Editor N. Teſt. Græco-Anglicani. Contra *Millium* lege *Whitbium* p. 79. contra alterum vero *Leonh. Twells* in Examine Critico illius N. T. Parte I. pag. 49. Pro *ἡμῖν Halletus*, Anglus, in diſſertat. de Auctore epiſtolæ Pauli ad Hebræos legi vult *ὑμῖν*. Vide eam in calce Voluminis III. harum Curarum pag. 823. Idem ſtatuit *W. Wall* in Notis Criticis ad Nov. Teſt. Anglice editis p. 355. Nec alienus ab hac lectione eſt B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, quam & Codd. quidam exhibeant, & *Syrus* exprimat, inprimis etiam ideo, quod Apoſtolus v. 1. & 4. in ſecunda perſona loquatur. Nihil video opus eſſe, ut receptiorem lectionem deſeramus, cum ejusmodi *κοινώσει* frequenter utantur Apoſtoli. Ceterum in hac phraſi: *ἀρκετὸς γὰρ* eſt *λιτότης*, qua etiam ad dehortandum utitur *Ezechiel* XLIV. 6. & XLV. 6. nec minus *Polybius* pag. 1408. *Ἱκανὰ γὰρ τὰ κατ' ἄγνοιαν γενόμενα τοῖς γράφȣσιν, ἃ διαφυγεῖν ἄνθρωπον δυχερές.* Vide *Raphelium* pag. 703. ubi etiam monet, a *Polybio* pag. 173. *τȣ̀ς παρεληλυθότας χρόνȣς* commemorari.

πεπορευμένȣς ἐν ἀσελγείαις) Externos Græciæ Scriptores *τὸ πορεύεσθαι* de vitæ uſu adhibere oſtendit Cl. *Georgius* contra eos, qui de Hebraiſmo cogitant, in Vindiciis Nov. Teſt. pag. 139. Sic *Plato* lib. IV. pag. 820. *πορέυεσθαι δὲ τὸν νομοθέτην δεῖ πρῶτον ταύτῃ, ὅπηπερ ἂν θελήσῃ*: *Legiſlatorem autem decet, ut omnium primus ſecundum eas leges ambulet*, (i. e. vivat) *ſecundum quas vult, ut alii vivant.* Et lib. VII. pag. 1282. *Πορευθεὶς δὲ, ὡς ἐλέγομεν, καὶ ἑαυτὸν ἔμφρονά τε καὶ σώφρονα ἀπεργαζόμενος*, *qui autem ita ambulabit* (i. e. vivet) *ſicut diximus, ille ſe ipſum ſapientem ac prudentem efficiet.* Videri poterat hic ſcribendum fuiſſe *πεπορευμένοις*, ut vox reſponderet

deret antecedenti ἡμῖν. At ita loqui amant Græci, ut accuſativus ſequatur infinitivum verbi, dativum aliumve caſum regentis. *Polybius* Hiſtor. V. 9. Εἰ δ' ὀρθὸς ὁ λόγος, σκοπεῖν ἐν μέσῳ πάρεσι χρωμένους οὐχ ἑτέροις τισιν ἀλλὰ τοῖς ἐξ αὐτῆς τῆς οἰκίας ταύτης παραδείγμασιν. *Quæ an recte ſentiam nunc, promtum eſt unicuique dijudicare non aliunde quam ex illa ipſa regia petitis exemplis.* Locum hunc pluresque ei ſimiles adfert *J. C. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum J. C. antiquatis pag. 88. ſeqq.

οἰνοφλυγίαις) Eadem voce *Philonem* uti pag. 36. Opp. obſervavit *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Volum. I. pag. 125. *Andronicus Rhodius* lib. περὶ παθῶν pag. 6. Οἰνοφλυγία ἐστιν ἐπιθυμία οἴνου ἄπληστος. Confer *J. C. Dieterici* Antiquitt. Biblic. Nov. Teſt. T. II. p. 57. *Etymologus*: οἰνόφλυξ, ὁ εἰς τὸν οἶνον ὁρμῶν.

κώμοις, πότοις) Vtramque vocem a *Plutarcho* quoque conjungi oſtendit *Seelenius* in Annotatt. Philolog. ex Plutarcho pag. 14. De voce κῶμος vide nos in Vol. II. *Curarum* pag. 270. & 741.

καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις) De voce ἀθέμιτος, quæ etiam *Act.* X. 28. occurrit, lege omnino *J. C. Dieterici* Antiquit. Bibl. Nov. Teſt. pag. 50. *Eſt*, inquit, *ex α στερητικῷ & θέμις*, jus. θεμιτὸς *idem quod* θεμιστὸς *ſeu* θέσμιος licitus, juſtus, *aut* legibus conſentaneus. *Nam* θέμις *eſt* lex, jus; *unde* οὐ θέμις ἐστιν, *& ſine verbo*, οὐ θέμις, οὐ θεμιτὸν, non eſt juſtum, nefas eſt, fas & æquum non eſt: θεμιτῶς juſte & legitime. Ἀθέμιτος *contra idem, quod* ἀθέσμιος, nefarius, illicitus. Vide cetera. *Xenophon* Cyropæd. lib. I. pag. 21. ἀθέμιστα εὐχομένους eos dicit, qui contra voluntatem divinam aliquid petant; eademque paulo poſt παράνομα vocat. Vide *Raphelium. Joannes Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. II. c. 3. Sect. IV. p. 614. ed. Tubingenſis, cultus gentilium profanos a Petro ideo ἀθεμίτους appellari exiſtimat, quod *omnia* πορνείας *exempla, adulterium, inceſtum, venerem maſculam aliaque libidinis genera in ſacris ſuis habuerint; ut, quo longius abeſſent a puritate, eo ſpiritus, quos colebant, immundis gratiora redderentur. Nam auctor apocryphus*, ita pergit, μιασμὸν, γενέσεως ἐναλλαγὴν, γάμων ἀταξίαν, μοιχείαν καὶ ἀσέλγειαν *inter alia ſcelera recenſet, quæ inter media Gentilium* μυστήρια καὶ τελετὰς *admittebantur.* (Vid. *Sapient.* XIV. 23.) *Certe* Tertullianus *fornicationem, tam indiviſum idololatriæ comitem exiſtimavit, ut dicere non dubitaverit*; quis, immundis ſpiritibus operatus, non conſpurcatus & conſtrupratus incedit? Atque hic ipſe Petri locus ex iis eſt, qui faciunt, ut credamus, epiſtolam hanc non præciſe ad Ex-Judæos, ſed etiam ad Ex-Gentiles eſſe exaratam.

Verſ. 4. Ἐν ᾧ ξενίζονται κ. τ. λ.) Verbum ξενίζεσθαι eleganter idem eſſe, quod, *novitate rei alicujus inſolitæ perturbari*, monuit *Lamb. Bos* ad v. 12. allato *Polybii* loco ex lib. V. p. 521. ξενισθεὶς καὶ διαπορήσας διὰ τὸ παράδο-

δοξον. Similes huic *Polybii* locos & aliorum alios recitant *Raphelius* in Annotatt. Polybianis, & *Elsnerus.* Recte itaque *Eraſmus Schmidius* vertit: *itaque alienum & inſolens illis videtur;* minus autem convenienter *Beza: quamobrem illi peregrinari ſibi videntur.* Lutherus & ſenſui & voci Græcæ, & Germanicæ linguæ convenientiſſime: **Das befremdet ſie.** Hac enim phraſi utimur Germani, ubi rem inſolentem nec exſpectatam etiam cum indignatione quadam conſpicimus. Conf. *J. C. Dieterici* Antiquitat. Biblicas N. T. Tom. II. pag. 46. *Svicerum* Tom. II. pag. 440. & *Hombergium* in Parergis, qui vel per *turbari*, vel per *alieno animo eſſe*, explicari phraſin poſſe exiſtimat. At poſterior ſignificatio non niſi per conſequentiam ex verbo ipſo elici poteſt.

μὴ συντρεχόντων ὑμῶν εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν) *non concurrentibus vobis ad easdem luxuriæ ſordes.* Ita *Lamb. Bos* auctoritate *Heſychii*, qui *ἀνάχυσιν* per *φυρμὸν, βλακίαν* i. e. *ſordes, mollitiem*, *φυρμὸν* autem alibi *μολυσμὸν, ῥύπον* & *μίασμα pollutionem, ſordes, inquinamentum* interpretatur. *Ἀνάχυσιν* proprie eſſe *colluviem aquarum*, ſeu *paludem* ex *Strabone* lib. I. pag. 10. monet *Elsnerus*, ut proinde metaphorice *ſentina* ſeu *gurges vitiorum* indicetur.

Verſ. 5. *Οἱ ἀποδώσουσι λόγον κ. τ. λ.*) Hoc comma una cum ſequenti explicavit *Paulus Ræberus* in diſſertat. ſingulari, Wittebergæ 1647. *Sam. Battierius* in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 194. mutata & interpunctione & voce *οἳ* in *ᾧ* ita legi vult: *βλασφημοῦντες ᾧ ἀποδώσουσι λόγον τῷ ἑτοίμως ἔχοντι κρῖναι* &c. Structuram vero hanc comparat cum illa *Actor.* XXI. 16. *ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν, Μνάσωνί τινι Κυπρίῳ.* Quemadmodum vero nullam mutationis utrinque factæ cauſam adfert, ita nemo eam temere admittet. Vox *βλασφημοῦντες* a verbo *ξενίζονται* ſeparari non poteſt. Hanc enim loquendi rationem amat Petrus, ut ſcilicet participium hoc cum verbo aliquo conjungat. Ita ep. 2. cap. II. 10. *δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες*, & verſ. 12. *ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες*, quæ phraſis noſtræ prorſus & ſimilis, *ἐν ᾧ ξενίζονται, βλασφημοῦντες*, mentemque Petri h. l. ſimul declarat, quod ſcilicet pagani, emendatæ vitæ rationem, quam ſtupentes & indignantes conſpiciant, conviтiis proſcindere audeant. Scilicet non tam de Deo ſermo eſt, in quem invehantur, quam de religione & vita, quam Chriſtiani profiteantur. Sic 2 ep. II. 2. *ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται.* De calumniis vero, quibus pagani Chriſtianos homines, Chriſtique doctrinam proſciderunt, dicere, nihil attinet. Plauſtra earum videbis in Apologiis veterum Doctorum, quarum ſummam exhibuit B. *Chriſtianus Kortholtus* in Pagano obtrectatore.

τῷ ἑτοίμως ἔχοντι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.) De phraſi *ἑτοίμως ἔχειν*, *paratum eſſe*, diximus ad *Actor.* XXI. 13. De judicio extremo, a Chriſto aliquando exercendo, ſermonem heic eſſe patet ex *Actor.* X. 42. collato cum

Job. V. 22. & 2 *Timoth.* IV. 1. *διαμαρτύρομαι ὖν ἐγὼ ἐνώπιον τῦ Θεῦ καὶ τῦ Κυρίυ Ιησῦ Χριςῦ, τῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρὺς.* Mirum utique eſt, *Mich. Mauduit* in ſingulari diſſertat. quam Analyſi epiſtolarum Apoſtolicarum gallice editæ Tom. II. Diſſ. XX. pag. 677. ſqq. ſubjunxit, phraſin hanc ad omnia alia retuliſſe. Per *vivos* ille intelligit Chriſtianos, per *mortuos* autem incredulos. Vtrosque Chriſtum ait tunc fuiſſe judicaturum, idque factum arbitratur ſub Claudio Imperatore, (cujus ætate ſcripta ſit hæc epiſtola,) per famem, quæ ſub eo contigerit. Cumque illa & bonos & pravos oppreſſerit, ideo Petrum putat v. 6. monuiſſe, Evangelium ideo etiam hominibus, per incredulitatem mortuis, nunciatum eſſe, ut, recepta per fidem vita, non ut mortui, ſed ut viventes a Deo judicentur, &, ubi juxta carnem, ſicut alii, fame ſint peremti, animæ tamen ſemper coram DEO ſint ſuperſtites. Enimvero ut hæc interpretatio ſuperſtruitur hypotheſi de epiſtola hac in initio imperii, a Claudio geſti, ſcripta, quæ *Grotio* quidem & paucis aliis ſe probavit, plerisque autem vel falſa vel ſaltem dubia viſa eſt; ita a fame illa repeti non poteſt judicium, quod imminere Apoſtolus teſtatur. Omitto reliqua, quæ ab erronea quadam Pontificiorum opinione pendent.

Verſ. 6. *Εις τῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς ἐυηγγελίσθη*) *Sam. Battierius* in Bibl. Bremenſe Claſſ. VIII. pag. 956. ſeqq. loco huic conſulturum ſe putavit, ſi reſcriberet: *εις τῦτο γὰρ νεκροὶ ἐυηγγελίσθησαν.* Hanc enim phraſin apud *Matth.* XI. 5. & *Paulum Hebr.* IV. 2. & 6. occurrere, neque adeo dubitari poſſe, quin *τὸ, νεκροῖς ἐυηγγελίσθη* interpretandi cauſa, primum ad marginem ſcriptum, poſtea in contextum irrepſerit. Ex hac lectione hunc elicit ſenſum: *Propter iſtud enim etiam mortui fuerunt evangelizati* (i. e. mortuis fuit Evangelium prædicatum) *ut cenſerentur*, (numerarentur, haberentur) *quidem inter homines carne,* (i. e. per hanc præſentis vitæ naturalem conditionem) *viverent autem ſecundum ſpiritum Deo.* Per mortuos vero intelligit illos, qui per Chriſtum nondum ſint regenerati & ad novam vitam ſuſcitati; & ſignificatum verbi *κριθῶσι* ex *Thucydide* lib. II. p. 43. probat: *κράτισοι δ' ἂν τὴν ψυχὴν δικαίως κριθεῖεν* &c. *fortiſſimi & optimi merito cenſeantur* &c. Miror, virum doctum in hanc conjecturam incidere potuiſſe, quæ nullam veri ſpeciem habet. *Millius* quidem unum adfert codicem, in quo legatur *ἐυηγγελίσθησαν*, voce *νεκροῖς* junctum. Cum vero hanc ſtructuram Grammaticæ rationes non patiantur, neceſſe eſt, ut in alterutra voce librarii mendum agnoſcatur. Pro conjectura ſua *Battierius* id adfert, quod hic locus nullum nominandi caſum habeat, qui vel cum verbo *ἐυηγγελίσθη*, vel etiam cum *κριθῶσι* commode jungi poſſit, ac præterea cum antecedentibus male prorſus cohæreat. Non fallor, ſi dixero, admiſſa etiam nova illa lectione non magis cohærere locum cum antecedentibus: nexus enim ille pendet a verbis *εις τῦτο γὰρ*, quæ tamen viro docto ſana &

inte-

Digitized by Google

integra videntur. Neque deeſt verbo εὐηγγελίσθη nominandi caſus, quamvis non diſerte ſit expreſſus. Id vero in verbis paſſivis frequenter fieri ſolet, v. c. *Rom.* XII. 21. οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται. Nam & ibi nominandi caſus deeſt, qui tamen ex re ipſa facile ſuppletur, nempe vel λόγος, vel τί. Similiter & hic agendum eſt. Ita *Grotius* non male ſubintelligi vult Χριστὸς ex *Galat.* I. 16. Plenior exſtat phraſis *Luc.* XVI. 16. ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται, & ſupra I. 25. τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς. Præterea phraſis νεκροὶ εὐηγγελίσθησαν æque clara, niſi potius clarior eſt, quam noſtra illa, νεκροῖς εὐηγγελίσθη, ut interpretatione vel ſcholio aliquo opus non fuerit. Nec denique deeſt verbo κριθῶσι nominandi caſus: hic enim eſt νεκροὶ, quæ vox ἀπὸ κοινοῦ eſt repetenda.

Adſerta germana verborum lectione, de ſenſu eorum erimus ſoliciti. In eum inquiſiverunt data opera ex noſtratibus B. *Thomas Ittigius* in ſingulari diſſertatione, Lipſiæ 1699. edita, & Jenæ 1730. recuſa, quæ etiam in ejusdem Enneade Exercitationum Theologicarum exſtat pag. 265. ſeqq. *Theophilus Alethæus* in der Erläuterung Tom. II. pag. 1. ſeqq. & *B. H. Starckius* in Notis Selectis ad loca dubia Novi Teſtamenti pag. 156. Ex Reformatis vero nuper Rev. *Daniel Gerdeſius*, Theologus Duisburgenſis, in Miſcellaneis Duisburgenſibus Tom. I. Faſcic. II. pag. 286. ſeqq. & *Samuel Battierius* loc. cit. Ex Pontificiis denique præter *Mauduitium* loc. cit. *Joannes Martianæus* in Conatibus novæ verſionis pag. 398. ſeqq. Diverſas Interpretum ſententias enarravit *Ittigius* loc. cit. Itaque actum non agam, ſed præcipuas earum commemorabo. Sunt ſcilicet, qui per τοὺς νεκροὺς *ſpiritualiter mortuos* intelligunt, *ut Apoſtolus hoc dicto id confirmare videatur, quod ſub initium capitis docuerat, nempe Chriſtianos & fortiter adverſa pati, & ſanctam vitam agere debere, quia eum in finem evangelium etiam mortuis prædicetur, ut a ſpirituali morte excitati non amplius ſecundum carnis deſideria, ſed ſecundum Dei voluntatem vivant, nec a ſanctimoniæ ſtudio perverſis hominum judiciis aut aliis adverſitatibus revocentur.* Verba habes B. *Ittigii* ex diſſertatione modo allegata pag. 359. ſeq. in qua hæc ſententia pluribus ornatur. Alii νεκροὺς de illis accipiunt, qui vita tunc functi erant, vivi autem Evangelii doctrinam audiverant, hoc omnino ſenſu: *Eum in finem* (ut ſcilicet voluntati Dei conformes ſe redderent collato v. 2.) *etiam mortuis* (i. e. credentibus jam vita functis) *Evangelium* (dum adhuc ſuperſtites erant) *nunciatum eſt; ut judicati quidem* (& usque ad mortem vexati) *ſint ſecundum homines* (quoad impiis eorum conatibus licuit) *ſed nonniſi quod ad carnem*, cum interim ſecundum Deum (& gratiam ejus) *ſpiritu vivant.* Ita ſentiunt *Alethæus* & *Starckius* ll. cc. Illi itaque contendunt, *mortuos* in eadem propria ſignificatione accipiendos eſſe, qua v. 5. vi aoriſtorum εὐηγγελίσθη & κριθῶσι: *mortuos* autem non ut jam *mortuos*, ſed ut olim ſuperſtites evangelium audiviſſe dici ajunt, perinde ut v. 5. *mortui* non ut mortui ju-

dicabuntur, quæ phraſis conformis eſt illi, quam legis *Ruth.* I. 8. Phraſi porro illa, *ἵνα κριθῶσι κατὰ ἀνθρώπȣς σαρκὶ*, reſpici putant ad homines *βλασφημȣ̃ντας* v. 4. & ad *τὸ κρῖμα, judicium a domo Dei inceptum*, quum per mortis ſupplicium *carnis* quidem ſeu corporis jacturam fecerint converſi & pii, quoad ſpiritum autem ſive animam vitæ æternæ ſint participes. Legis verba *Starckii* loc. cit.

De his *vere*, ſed *in Domino*, *mortuis τȣ̀ς νεκρȣ̀ς* interpretatur etiam *Gerdeſius* loc. cit. ſed ita, ut illis, Chriſto nixis, in ipſo mortis articulo in *judicio particulari* lætus hic nuncius factus exiſtimetur, remiſſa ipſis eſſe peccata, & vitam beatam conceſſam, adeo, ut quamvis hoc judicium illis ſubeundum fuerit *ſecundum carnem*, ipſique *ſecundum hominem*, h. e. ad exemplum hominum ceterorum, *judicati ſint*, i. e. *mortui*, nihilominus tamen *vivificati ſint quoad Spiritum*, & *ſecundum Deum vivant*. Ita D. *Gerdeſius*.

Mihi quidem media ex his ſententia, quæ *Alethæi* & *Starckii* eſt, ſe præ ceteris probat; quemadmodum illi inprimis diſplicent, qui ex hoc dicto damnatis etiam ſpem ſalutis ſupereſſe adſtruere conati ſunt. Contra hos lege B. *Ittigium* in diſſertatione citata pag. 324. Enneadis & in præfatione ad eandem pag. 2. ſeqq. Confer **Unſchuldige Nachrichten**, an. 1716. pag. 135. ſeq.

Verſ. 7. *Πάντων δὲ τὸ τέλος ἤγγικε*) *Finem* hunc de exitio Reipublicæ Judaicæ accipiunt nonnulli v. c. *Joſ. Mede* in Operibus pag. 664. *B. P. Karlius* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. VI. pag. 598. & ex noſtratibus nuper Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1046. Cum vero paulo ante de judicio extremo in vivos & mortuos exercendo v. 5. & de naturaliter mortuis v. 6. actum ſit, in eorum ſententia acquieſco, qui finem hunc de judicio, cujus vim & rationem mortui ſtatim poſt mortem experiuntur, accipiunt. Propterea illud Apoſtolus credentibus, tum adhuc vivis, inculcare poterat, ut tanto magis ſobriæ, & ad preces aptæ, vitæ ſtuderent.

σωφρονήσατε ȣ̃ν) *ſobrii eſtote.* Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, nec minus *Lutherus*: **ſo ſeyd nun mäſſig**; quam verſionem contra *Emſerum* defendit *Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ p. 588. ſq.

Verſ. 8-11. explicantur a B. *Franciſco Wokenio* in *Stromatibus Apoſtolicis* Parte II. pag. 44. ſeqq.

Verſ. 8. *Περὶ πάντων δὲ τὴν εἰς ἑαυτȣ̀ς ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες*) *habentes*, ſcilicet, eſtote; ut ſupra II. 18. & III. 1. niſi velis *τὸ δὲ* heic pro abundanti habere, atque adeo participium hoc referre ad *σωφρονήσατε καὶ νήψατε*. De voce *ἐκτενὴς* lege *Svicerum* Tom. I. p. 1072.

ὅτι

ὅτι ἀγάπη καλύψει τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν) *Codices* varii legunt καλύπτει, quod & verſiones veteres pleræque, nec minus *Lutherus* expreſſerunt, quemadmodum *Bengelius* in contextum Novi Teſtamenti Græci recepit. De peccatis non in Deum, ſed in homines commiſſis, quæ per amorem mutuum tegantur, excuſentur, remittantur, ſermonem h. l. eſſe, tum ipſa hæc ad amorem mutuum cohortatio, tum locus parallelus *Proverb.* X. 12. evincit. Vide hoc contra Pontificios adſtruentes *Feſſelium* Tomo II. Adverſariorum Sacrorum pag. 483. & *P. J. Spenerum* in Reſponſis Theologicis Germanicis Tomo I. pag. 17. & 23. Adde Nova Reipublicæ Literariæ Jacobi Bernardi an. 1700. Tom. II. pag. 490. Apoſtolum vero ad *Proverbia* loc. cit. reſpicere, ſenſumque verborum ex Hebraico contextu reddere, oſtendit *Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Parte II. p. 388. Cl. *Schœtgenius* p. 1046. Horarum Hebr. ex Synopſi *Sohar* p. 53. n. 10. locum hunc adfert: *cum homo quidam peccat coram Domino ſuo, qui alias juſtus eſt, tam ſuperi, quam inferi illud contegunt.*

Verſ. 9. φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους) Hoſpitalitatem veteres ſibi inprimis commendatam habuiſſe conſtat. Vide quos in hanc rem citat *Petrus Zornius* Tomo II. Opuſculorum p. 441. qui & de hoſpitalitate Judæorum ſpeciatim commentatur ad *Hecatæi* fragmentum p. 22.

Verſ. 10. Ἕκαστος, καθὼς ἔλαβε χάρισμα, εἰς ἑαυτοὺς αὐτὸ διακονοῦντες) Durior hæc phraſis videri poterat, quando ἕκαστος participio plurali jungitur. Similem vero *Herodoti* lib. VII. pag. 413. locum promit *Blackvvallus* Tomo II. Claſſicorum Sacrorum pag. 70. Μαχοίμην ἂν πάντων ἥδιστα ἑνὶ τούτω τῶν ἀνδρῶν, οἱ Ἑλλήνων ἕκαστός φησι τριῶν ἄξιος εἶναι. Idem conferri vult eundem lib. IV. pag. 277. & *Euripidem* in Oreſte v. 1716. Quod ad rem, quæ heic inculcatur, eandem præcipiunt ipſi Gentiles. Hieroni *Pindarus* Pyth. α'. πολλῶν ἐσσὶ ταμίας. Et *Alexander Severus* apud *Lampridium* ſe *diſpenſatorem publicum* profitebatur. Confer *Gatakerum* ad M. Antoninum XII. 26. & *Picinellum* pag. 749. *Seneca* locum ex epiſt. 6. adferentem, quo teſtatur, ſe *cupere omnia in alium transfundere, & in hoc gaudere, aliquid diſcere, ut doceat.*

Verſ. 11. Εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ, κ. τ. λ.) Vide huc *Joannis Fauſtii* diſſertationem, Argentorati 1686. habitam, & aliam *Joannis Nicolai Quiſtorpii* de nonnullis Sacræ Scripturæ affectionibus, Roſtochii 1714.

ὡς λόγια Θεοῦ) Vide nos ad *Rom.* III. 2. & *Actor.* VII. 38. Adde *G. G. Kirchmaieri* Paralleliſmum Novi Fœderis & Polybii ratione dictionis pag. 56.

εἴ τις διακονεῖ) *Jacobus Rhenferdius* in diſſertatione II. de decem Otioſis Synagogæ cap. II. §. 6. διακονεῖν illud, a miniſterio verbi (λαλεῖν) diſtinctum, de adminiſtratione eleemoſynarum accipit, cum illis temporibus præter duo illa miniſteria nullum aliud in Eccleſia inſtitutum legatur.

Verſ. 12. Ἀγαπητοὶ, μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει) De verbo ξενίζεσθαι vide ſupra ad v. 4. *Vulg.* vertit: *nolite peregrinari in fervore*; quam verſionem tanquam bene Latinam contra *Arnaldum* defendit *Richardus Simon* in Obſervationibus Novis ad Novum Teſtamentum pag. 336.

Simili loquendi ratione utitur *M. Antoninus* VIII. 15. Μέμνησο, ὅτι, ὥσπερ αἰσχρὸν ξενίζεσθαι, εἰ ἡ συκῆ σῦκα φέρει, οὕτως εἰ ὁ κόσμος τάδε τινὰ φέρει, ὧν ἐστὶ φορός. Confer ibi *Gatakerum* pag. 300. De re ipſa lege *J. S. Menochii* Trattenimenti Parte II. pag. 144.

Vocem πύρωσιν diligenter illuſtrat *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Parte II. pag. 144. ſeqq. Inter cetera hæc habet: *In Medicis officinis quantam præſtet utilitatem* πύρωσις, *utilitas loquitur quotidiana. Ab his* ἐργαλείοις δοκιμαστικοῖς *ſumta eſt metaphora, ut* πύρωσις *ſumatur pro* δοκιμασίᾳ *rerum extra furnum conſideratarum, idque perquam commode ab illa probatione, quæ fit igne. Vt ſpectatur in ignibus aurum, æſtu fervefactum, æſtu probatum; ſic animus Chriſtiani in ignibus tribulationum, a Phlegontibus, & Æthonibus, & Pyroentibus effervefactis* &c. Confer *Svicerum* Tomo II. pag. 894. & inprimis *Doughtejum* in Analectis Veteris Teſtamenti Exc. 142. p. 377. ſeq.

Verſ. 13. Ἀλλὰ καθὼς κοινωνεῖτε τοῖς τοῦ Χριστοῦ παθήμασι, χαίρετε) Varios Rabbinorum locos, quibus gaudium de calamitatibus præcipitur, affert Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1046. Et reliquis illuſtris eſt ille in *Mechilta* fol. 47. 2. & *Tanchuma* fol. 28. 3. *Præterea homo gaudeat in adflictionibus plus quam de bonis. Nam licet homo omnibus diebus ſuis felicitate gaudeat, tamen nulla ipſi peccata delentur, id quod adflictiones faciunt.*

Verſ. 14. Εἰ ὀνειδίζεσθε ἐν ὀνόματι Χριστοῦ, μακάριοι κ. τ. λ.) Lege *Joannis Michaëlis Langii*, Profeſſoris quondam Altorfini, diſſertationem de beatitudine male audientium propter Chriſtum, quæ recuſa eſt in Decade II. Diſſertationum ejus Theologicarum num. X. Confer **Unſchuldige Nachrichten**, an. 1706. pag. 757. Ἐν ὀνόματι B. *Lutherus* vertit: **über dem Namen**, quod diſplicuit *Trillero* **in der Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments**, pag. 14. dubio ſcilicet, an non phraſis hæc ad vocem μακάριος pertineat, hoc ſenſu: *beati eſtis in nomine Chriſti.* Enimvero de contumelia, propter Chriſti nomen i. e. doctrinam ejusque profeſſionem fidelibus facta, ſermonem heic eſſe patet ex loco parallelo *Matth.* V. 10. 11. Præpo-

ſitio-

Digitized by Google

ſitionem vero ἐν idem eſſe, quod *propter*, dubitari non poteſt per 2 *Timoth.* II. 9. κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μȣ, ἐν ᾧ κακοπαθῶ. Sæpe vero, ubi de adflictione fidelium agitur, Chriſti & nominis ejus fit mentio v. c. *Matth.* X. 22. διὰ τὸ ὄνομα ἀυτȣ͂, *Actor.* V. 41. IX. 16. XV. 26. ὑπὲρ τȣ͂ ὀνόματος ἀυτȣ͂, & *Marc.* VIII. 35. ἕνεκεν ἀυτȣ͂ καὶ τȣ͂ εὐαγγελίȣ.

ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τȣ͂ Θεȣ͂ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται) Codd. quidam & verſiones poſt δόξης habent καὶ δυνάμεως, quas voces Studioſus aliquis fortaſſe ex *Jeſ.* XI. 2. ad marginem primum collocaſſe videtur *Millio* ad loc. Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico ad N. T. pag. 736. ita: *Frequens in Doxologiis conjunctio gloriæ & virtutis: eam librarii feſtinantes hic quoque arripuerunt; vel etiam loca* 2 *Pet.* I. 3. *Jeſ.* XI. 2. 2 *Tim.* I. 7. *reſpexerunt.* *Grotius* germanam lectionem hanc eſſe credit: ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως τὸ τȣ͂ Θεȣ͂ πνεῦμα, omiſſa particula καὶ, ante τὸ τȣ͂ Θεȣ͂. *W. Wall* in Notis Criticis ad N. T. pag. 356. ὅτι τὸ τῆς δόξης τȣ͂ Θεȣ͂ πνεῦμα mavult, hoc ſenſu: *Spiritus gloriæ Dei quieſcit ſuper vobis.* Sed non opus eſt, ut καὶ illud abjiciamus, modo pro *explanativo* habeamus, ut idem ſit, quod, *id eſt*, vel *nempe.* Hanc vero τȣ͂ καὶ notionem frequentem eſſe paſſim in his *Curis* oſtendi. Vide inprimis ad 1 *Tim.* III. 19. Ita *Spiritus gloriæ* explicaretur per *Spiritum Dei.* Phraſi hac ad *Schechinam*, Spiritus S. ſymbolum, reſpici putat *Theod. Haſæus*, in Diſſert. III. de gloria templo II. per Spiritus S. in eo apparitionem acceſſura §. 14. quam vide in Sylloge Diſſertationum ejus pag. 151. *Reſpici*, inquit, *heic loci illuſtre illud gloriæ ac præſentiæ divinæ ſignum, non ex eo ſolum conjicere licet, quod, cum appellatur* πνεῦμα τῆς δόξης, *id referendum ſit ad* Schechina, *quam* gloriam, δόξαν, הכבוד *dici abunde oſtendimus, ſed & ex phraſi* quieſcere, *quæ ad cogitandum de* Schechina *nos quaſi manu ducit.* Vide cetera.

κατὰ μὲν ἀυτȣ̀ς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται) Deſunt hæc in *codd.* aliquot & verſionibus, interque has *Vulg.* Ideo & *Millio* in Prolegom. §. 808. ex ſcholio marginali petita videntur. Rectius vero a librariorum quorundam incuria ſententiæ hujus omiſſionem repetas. Accommodata utique eſt ad Petri verba antecedentia. Dixerat is de calumniis in Chriſtianos conjectis, dixerat de Spiritu *gloriæ* ſuper illis quieſcente. Quid propius ad inſtitutum ſuum, & ſolatium Chriſtianorum dicere poterat, quam ſi moneret, eundem ſpiritum, qui ab adverſariis conviciis proſcinderetur, ab ipſis Chriſtianis, tanquam ſpiritum gloriæ *glorificari*? Pro illorum verborum γνησιότητι pugnat etiam *Raithius* in Vindic. p. 591.

Verſ. 15. Μὴ γάρ τις ὑμῶν πασχέτω, ὡς φονεὺς κ. τ. λ.) Vide B. *Franzium* de interpretatione Scripturæ Sacræ p. 423. ſeqq.

ἢ ὡς

ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος) Vocis hujus notionem ediſſerit *J. C. Dietericus* in Antiquitatt. Biblicis N. T. Tom. I. pag. 82. Talem ait eſſe *ἀλλοτριοεπίσκοπον, qui alias πολυπράγμων dicatur, quique fines alieni officii invadat, ea curare ſatagat, quæ ad ſe nihil attinent, in aliorum vocationem ſine legitima vocatione ſeſe ingerat, omnia reformare ſtudeat, cum tamen ea nec intelligat, nec facere juſſus ſit.* Hos ait a *Demoſthene* f. 61. dici *περιεργάσασθαι τὰ τῶν ἄλλων.* Idem tamen monet, aliis h. l. videri denotari *avidum alienarum rerum inſpectorem*, qui alienas res inſpicit, earumque ſibi acquirendarum deſiderio ſtimulatur. Atque hæc eſt *Calvini*, *Heinſii* & *Car. le Cene* pag. 628. *Tentaminis* ſententia, quam una cum nonnullis aliorum recitat *Suicerus* Tom. I. pag. 197. Cum h. l. *ἀλλοτριοεπίσκοπος τοῖς φονεῦσι, κλέπταις καὶ κακοποιοῖς* jungatur, videtur omnino aliquid amplius, quam curioſa quædam *περιεργία* indicari, atque adeo tale quid, quod publicam cenſuram mereatur. Propterea *Nathan. Lardnerus*, vir doctus, in Fide Hiſtoriæ Evangelicæ, Latine a me nuper editæ, lib. I. c. 8. pag. 349. *Vox*, inquit, *Græca, heic adhibita, eum infert, qui aliorum hominum rebus dirigendis & gubernandis præeſſe cupiat, & h. l. ſpeciatim alius populi publica negotia reſpicit.* Idem in ſequentibus oſtendit, eam Judæorum indolem tunc fuiſſe, ut facile in aliarum gentium negotia ſe ingererent, & principatum adfectarent. De argumento ipſo compara *Georg. Weiſſii* delineationem Apoſtolicam allotrioepiſcopi, Lipſ. 1683. & 1701. & *Georg. Lebrecht Wilkii ἀλλοτριοεπίσκοπον* condemnatum, Dresdæ 1705.

Verſ. 16. *δοξαζέτω δὲ τὸν Θεὸν ἐν τῷ μέρει τούτῳ*) Pro *μέρει* codd. quidam habent *ὀνόματι*, & ſic *Vulg. in iſto nomine.* Sed ſcholion hoc eſſe videtur *Millio* ex v. 14. deſumtum. Videri poterant Græci codices ad *Vulgatam* refficti. Latine enim dici poteſt *hoc nomine*, i. e. hac de cauſa, quod Græco *ἐν τῷ μέρει τούτῳ* tam bene reſpondet, quam alienum ab hoc argumento eſt Græcum illud, *ἐν τῷ ὀνόματι τούτῳ.* Latine recte cum *Beza* verteris *hac in parte.* Confer quæ ſcripſi ad 2 *Corinth.* III. 10. & IX. 3. ubi poſteriore loco ex *Raphelio* admonitum eſt, *Polybium* hac phraſi uti frequentiſſime. Conf. *G. G. Kirchmaieri* Paralleliſmum Polybii & Nov. Teſtam. ratione dictionis pag. 57.

Verſ. 17. *Ὅτι ὁ καιρὸς τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ Θεοῦ*) Ut per *κρίμα* tentationes & caſtigationes, ita per *οἶκον τοῦ Θεοῦ cœtus fidelium* intelligitur. Ille enim *domus Dei* clare appellatur, 1 *Tim.* III. 15. & *Hebr.* III. 1. ubi vide quæ ſcripſimus. Itaque nolim cum Cl. *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 1048. per domum Dei intelligere *templum* Hieroſol. *cum toto ejus cultu, qui primum abolitus ſit, quemque deinde vaſtatio totius terræ & everſio totius Reip. Judaicæ ſit inſecuta.* Fideles & ad Chriſtum converſos illa phraſi indicari conſtat ex eo, quod ſtatim exponitur per *ἀφ' ἡμῶν, a nobis.* Per eos vero ſignificari fideles liquet ex phraſi ſequente, per quam

ἀπει-

ἀπειθῦντες, *refractarii & pertinaces* illis opponuntur. Taceo, tunc temporis templum illud non amplius οἶκον τῦ Θεῦ, ſed σπήλαιον λησῶν fuiſſe. Commode vero idem vir doctus ex *Bava kama* fol. 60. 1. locum, huc pertinentem, adfert: *Pœnæ nunquam perveniunt in mundum, niſi impii in eo ſint: verum nunquam incipiunt, niſi a juſtis.* Conf. *Jerem.* XXV. 29.

Verſ. 18. Καὶ εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, κ. τ. λ.) Eadem hæc verba exſtant *Proverb.* XI. 31. apud τὺς LXX. quæ tamen non nihil aliter in Hebræo contextu habent. Exinde B. *Franciſcus Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 389. dubitat, num Apoſtolus ad locum hunc reſpexerit. Mihi id quidem dubium non eſt, cum ex aliis locis conſtet, & Petrum & alios Apoſtolos Græcam verſionem etiam tunc eſſe ſecutos, ubi οἱ LXX. cum Hebræo fonte non prorſus conſpirant. Neque tamen propterea neceſſe eſt, quod *Wokenius* recte monet, ut de emendando Hebræo codice cogitemus. Id video poſt alios egiſſe *Samuelem Barkerum* in *Bibliotheca Literaria*, ſeu Collectione Inſcriptionum, Numorum & Diſſertationum, Anglice edita, num. X. p. 42. qui pro בארץ legi vult בחרץ· *cum induſtria, cum difficultate*, quia חרוץ ἀνδρεῖος opponatur τῷ עצל ἀέργῳ, ὀκνηρῷ, *Proverb.* X. 4. XII. 24. 27. Idem ſuſpicatur, Græcos pro אף כי legiſſe איפה·

Vox μόλις, i. e. *ægre, non niſi ſummo labore*, eodem ſenſu occurrit apud *Philonem* pag. 18. Operum, obſervante *Joanne Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 125.

Verſ. 19. Ὥςε καὶ οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τῦ Θεῦ κ. τ. λ.) Lege *Cloppenburgii* Opera Tomo I. pag. 347.

CAPUT V.

Verſ. 1. Πρεσβυτέρυς, τὺς ἐν ὑμῖν, παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος) *Walo Meſſalinus*, i. e. *Salmaſius* libro de Epiſcopis & Presbyteris pag. 14. ita: *Hortatur* (Apoſtolus) πρεσβυτέρυς *eorum, ad quos epiſtolam direxerat*, &c. *Non igitur ſuperior in Eccleſiis illorum locorum eo tempore ordo præter Presbyteralem confuſum cum Epiſcopali. Cum vocat eos* πρεσβυτέρυς, *ipſe ſe* συμπρεσβύτερον *eorum appellat. Quod idem eſt, ac* συνεπίσκοπος *Pauli in illa ad* Philippenſes. *Ut autem ſciremus, qui eſſent illi* Presbyteri, *ad quos ſcribit, & quod eorum eſſet officium, eos adhortatur, ut paſcant Dei gregem*, ἐπισκοπῦντες ὑκ ἀναγκαςῶς. *Ergo eorum Presbyterorum munus hoc tunc temporis fuit, paſcere gregem Chriſti, &* ἐπισκοπεῖν, *i. e. eum procurare. Iidem itaque illi Presbyteri cum Epiſcopis, eodem nomine appellati, & eodem munere fungentes*, &c. Et pag. 16. *Apparet ex his, longe majorem eſſe dignitatem Apoſtoli,*

Digitized by Google

ſtoli, qui eſt μάρτυς τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ, *quam* Epiſcopi, *vel* Presbyteri, *qui tunc re ac nomine idem fuit. Deſcendebant igitur, ac ſe humiles faciebant Apoſtoli, cum* Presbyterorum, *ſive* Epiſcoporum, *quos in Eccleſiis inſtituebant, ſe* συμπρεσβυτέρους, *vel, quod idem erat,* συνεπισκόπους *appellabant.* Comparetur idem pag. 152. ſeqq. Tam clara hæc ſunt, ut uberiore luce non indigeant, nec facile quicquam excipi poſſit. Vide tamen *Henricum Dodwellum* in Parænesi ad exteros de nupero Schiſmate Anglicano §. 7. Confer in eandem *Salmaſii* ſententiam *Campeg. Vitringam* in Archiſynagogo cap. III. & V. ubi πρεσβυτέρους illos & ἐπισκόπους cum Judæorum פרנסים confert, & pag. 72. ait: *Statuit igitur divus Petrus, Presbyterorum officium* ποιμαίνειν και επισκοπεῖν, *unde erudimur,* πρεσβυτέρους, ποιμένας καὶ ἐπισκόπους *ejusdem notionis eſſe vocabula, h. e.* פרנסים *eſſe* ποιμένας καὶ ἐπισκόπους. Confer, quæ de voce πρεσβύτερος commentatur *Svicerus* Tomo II. p. 825. ſeq. *Paulus Colomeſius* in Obſervationibus Sacris pag. 159. ex hoc loco non inepte conficit, πρεσβυτέρους, vocem alioquin ambiguam, ibi, ubi de miniſtris Evangelii ſermo eſt, rectiſſime per *Paſtores*, qui ſcilicet ποιμαίνουσι, explicari.

Verſ. 2. ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ) Vide nos ad *Actor.* XX. 28.

ἐπισκοποῦντες) *Codices*, ſi unum & item alterum exceperis, in hac voce conſentiunt, & vel ſic *Millius* in Prolegom. pro ſcholio marginali venditare potuit. Scilicet curam paſtoralem intento ſtudio agi vult Apoſtolus, ideoque τῷ ποιμαίνειν junxit τὸ ἐπισκοπεῖν. Similiter *Paulus Act.* XX. v. 28. προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Multo minus probavero, quod *Robertus Valeſius* ad *Iſaacum Caſaubonum* ſcribit in hujus epiſtolis, ab *Almeloveenio* editis, pag. 670. ἐπισκοποῦντες, inquit, *interpretantur quidam* οἱ ἐπὶ τοὺς σκοποῦντας. *Fallax, dixit quidam, etymologia.* Gautius *quidam diſtinguit inter* σκοπεῖν, *quod ad quosvis Presbyteros pertinere ſcribit, &* ἐπισκοπεῖν, *quod ad ſolos* Epiſcopos, *proprie ſic dictos.* Scilicet facile patet, hoc, quicquid eſt, eo conſilio eſſe inventum, ut Apoſtoli ætate inter Epiſcopos & Presbyteros diſcrimen aliquod fuiſſe credatur.

μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως) Similiter *Polybius* II. 39. pag. 176. οὐχ ἑκουσίως, ἀλλὰ κατ' ἀνάγκην αὐτῶν ἀπέστησαν, quem locum obſervavit *G. G. Kirchmaierus*, vir doctus, in Parallelismo dictionis Novi Teſtamenti & Polybii pag. 58. cum quo tamen dicere nolim, *Spiritum Sanctum heic Polybii veſtigiis inſtitiſſe, ſed inſtar imitatoris, libero erectoque animo præditi, qui addere, demere variisque immutare modis ſoleat.* Phraſis hæc ita comparata eſt, ut eam Apoſtolus, a divino Spiritu actus, non minus quam *Polybius* ex media Græcia petere potuerit.

Poſt

Poſt ἑκουσίως *codices* nonnulli & verſiones addunt κατὰ Θεὸν, quod *Millio* in Prolegomen. §. 958. ex ſcholio marginali natum recte videtur.

μὴ αἰσχροκερδῶς) Vide *Curas* has ad 1. *Timoth*. III. 3.

Verſ. 3. Μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων) Lege huc ex noſtratibus D. *Joachimi Langii* diſſertationem de Idea boni Paſtoris, Halæ 1711. ex Reformatis autem *Joannis Marckii* Exercitat. Scripturarias num. XXV. Conſtat heic inprimis diſputari de ſignificatione vocis κλήρων. Si *Henricum Dodwellum* audimus, *hæreditates*, i. e. bona *Eccleſiæ* indicari credemus. Ita enim ille in diſſertatione Cyprianica I. §. 9. *Ut autem verum fatear*, κλήρων *nomine ego non perſonas*, *ſed* hæreditates *potius* Eccleſiæ *dicatas intelligo. Quod illæ quoque non ſacris modo Scriptoribus*, *ſed optimis etiam caſtiſſimisque Græcæ linguæ Scriptoribus* κλῆρος *appellentur*, *fruſtra ſim*, *ſi exempla congererem. Primos autem Chriſtianiſmi proſelytos ſua vendere ſolitos*, *atque in communes uſus diſtribuiſſe ex Actorum ipſa conſtat hiſtoria. Nec id minus manifeſtum eſt*, *Apoſtolorum fuiſſe primum*, *deinceps Epiſcoporum illud diſtribuendorum Eccleſiæ theſaurorum officium. Hoc igitur erat* ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον v. 2. *dare operam*, *ne quid illis deeſſet*, *qui Eccleſiæ Eleemoſynis alerentur. Ita enim ſequitur*, ἐπισκοποῦντες &c. Hactenus *Dodwellus*, quem & leges in Paræneſi ad exteros de nupero Schiſmate Anglicano §. 7. ſeqq. Eandem ſententiam ex noſtratibus amplexus eſt *Amelius* **in der Erörterung** Tomo I. pag. 123. ſeq. quam & adſtruere conatur ibidem pag. 271. ſeqq. *Dodwello* vero ſe oppoſuit præter *Marckium* loc. cit. Vener. *C. M. Pfaffius* in Originibus Juris Eccleſiaſtici p. 61. ſeqq. Confer B. *Buddei* diſſertationem de origine & poteſtate Epiſcoporum paſſim.

Negari quidem non poteſt, κλῆρον apud Græcos, inter cetera, *bona*, *poſſeſſiones*, *fundum* ſignificare. *Ezechiel Spanhemius*, vir ſummus, ad hymnum *Callimachi* in Delum v. 281. idoneis locis evicit, κλῆρον præter *ſortem* modo *hæredium ruſticum*, modo uniuscujusque *facultates*, modo *agrorum ſortem*, ac *diviſionem*, modo *terram*, ſeu *regionem*, quam quævis gens inſedit, denotare. Conferatur idem ad hymnum in Palladem v. 142. & ad *Ariſtophanis* Nubes pag. 203. item in Exercitat. II. de Orbe Romano pag. 79. Tomi XI. Theſauri Antiquitatum Græviani: nec omitte *Salmaſium* de Uſuris pag. 189. ſeq. & *Grævium* ad Heſiodum pag. 37. ſeq. Itaque in tantum *facultates*, ſeu hæreditates Eccleſiarum etiam h. l. intelligi poterant. Cum vero non appareat, Apoſtoli ætate Eccleſias hæreditatibus, ſeu fundis ejusmodi inſtructas fuiſſe, vel ideo de illis cogitare non licebit. Quod enim *Dodwellus* urget, proſelytos ſua vendere & in communes uſus conferre conſueviſſe, id ex *Actis* quidem ratione cœtus Hieroſolymitani conſtat, gratis autem ad cœtus quoscunque, per orbem terrarum diſperſos, transfertur.

 Vide,

Vide, quæ hanc in rem monui ad Actus Apoſtolorum Volum. I. pag. 1047. & 1070. Imo vero ex Paulinis epiſtolis conſtat, eleemoſynis, hinc inde collectis, pauperum cœtuum neceſſitatibus conſultum fuiſſe. Ibi vero vehementer dubitandum eſt, ejusmodi eleemoſynas, præſenti inopiæ ſublevandæ deſtinatas, in *fundum* aliquem converti, atque adeo ab Apoſtolo hoc nomine appellari potuiſſe. Male quoque τὸ ποιμαίνειν ad bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem reſtringi patet ex *Job.* XXI. 16. & *Actor.* XX. 28. Taceo, Patres, & ſpeciatim *Ignatium*, verbum ποιμαίνειν ad curam gregis ſubjecti agendam, quæ certe alimentis procurandis non abſolvitur, adhibere.

Neceſſe itaque eſt, vocem κλῆροι alia notione h. l. accipere, ea ſcilicet, quæ *gregem* infert. Accipe Vener. *Pfaffii* loc. cit. verba. *Ratio* (hujus ſignificatus) *ab Interpretibus adfertur duplex:* I. *quia populus Iſraëliticus olim dicebatur* κλῆρος *ſive* patrimonium, *aut* hereditas Dei, *Deuteronom.* IV. 20. IX. 29. *in cujus locum utique nunc Chriſtiana plebs ſucceſſit.* II. *quia portiones illæ gregum Epiſcopis veluti ſortito obtigerunt, ut partes terræ, quæ ſingulis obvenerunt in poſſeſſionem & ſortes olim vocabantur*, Judic. I. 3. III. *quia mox per* ποίμνιον κλῆροι *explicantur. Addimus* IV. *quia expreſſe ii, qui ad gregem acceſſere olim, dicuntur* προσκληρωθῆναι *tanquam per ſortem adjecti eſſe* Actor. XVII. 4. *ex quo & patet, Clericos hic cum grege haud intelligendos, quæ mens eſt* Petri de Marca, *Archiepiſcopi olim Pariſienſis, in diſſertatione de diſcrimine Clericorum & Laicorum* §. 8. fol. 289. *editionis Bœhmerianæ.* Ratum igitur eſto, per κλήρους cœtus Chriſtianorum diverſos indicari, qui ut per ſe κλῆροι erant Θεοῦ, ita diverſis Presbyteris, quaſi per *ſortem* adminiſtrandi obtigerant. Ad hanc cœtuum, a ſe invicem diſtinctorum, diverſitatem indicandam Apoſtolum non in ſingulari, ſed plurium numero κλήρους appellaſſe ſine enallage, vel Hebraiſmi imitatione, exiſtimo. Illi vero junctim ſumti conſtituebant λαὸν εἰς περιποίησιν & γένος ἐκλεκτὸν, quo nomine ſupra II. 9. appellantur. Propterea & Patres nonnulli κλήρου nomen de cætu fidelium uſurparunt. Vide *Suicerum* Tomo II. pag. 111. & *J. A. Bengelium* ad Chryſoſtomi libros de Sacerdotio pag. 504. lib. VI. cap. 7. §. 553. *Scaliger* in Scaligeranis pag. 225. *Clerus temporibus Apoſtolorum erant plebeji, quod apparet ex* 1. *Petri epiſtola majeſtuoſa.*

Quod ad vocem κατακυριεύειν attinet, ea ut Pontificiis recte pridem eſt oppoſita, ad dominium, quod illi Pontifici Summo & Epiſcopis in Eccleſiam adſerere conantur, irritum reddendum; ita hi quidem eam ſibi non obeſſe oſtenſuri, verbum hoc de *abuſu dominii* accipiendum eſſe contendunt, *Dodwellum* loc. cit. ὁμόψηφον nacti. Recte vero ex ipſis Pontificiis *Richard. Simon* in notis ad verſionem Novi Teſtamenti Gallicam *Matth.* XX. 25. expoſitionem illam averſatus eſt, ideo, quod S. *Lucas* XXII. 25. id ſimpli-

ſimpliciter *κυριεύειν* & *ἐξουσιάζειν* appellat, quod *Matthæus κατακυριεύειν* & *κατεξουσιάζειν* dixit. Similiter ſimplici verbo uſus eſt *Paulus* 2. *Corinth.* I. 24. *οὐ κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως.* Confer *Hackſpanium* in Notis Philologicis Parte III. pag. 140. & Vener. *Salomonem Deylingium* in Miſſu I. Obſervationum Exegeticarum pag. 18. ſeq. Scilicet verba, cum *κατὰ* compoſita, ſæpe ſimplicium ſignificatum tuentur. Sic *καταχρῶμαι* idem eſt, quod *χρῶμαι*, *utor* 1. *Corinth.* VII. 31. & IX. 18. ubi vide, quæ ſcripſi.

Ceterum *Joannes Braunius* in Selectis Sacris pag. 158. hanc admonitionem ad Antiſtites Eccleſiæ Chriſti, ex Judæis collectæ, ſpeciatim relatam ab Apoſtolo eſſe exiſtimat, ut agnoſcerent, nullum inpoſterum dominium exercere ſe poſſe in gregem Chriſti, ut fieri ſolebat a Patribus carnis, dominatoribus, curatoribus & pædagogis, cum hodie Sancti non ſint pueri ſub tutoribus & pædagogis dominatoribus, qui ad præcepta & traditiones conſtringantur, ſed ut liberi & adulti, qui ſolidiori cibo opus habeant: cum omnes ſint fratres, & ut fratres ſedeant una cum Domino.

Dicere heic poteram de eo, quando & quo jure vox *κλῆρος* ad paſtores & Sacerdotes, Clericorum nomine deſignandos, & a Laicis diſtinguendos, adhibita ſit. Malo tamen lectorem ad eos ablegare, qui de hoc argumento data opera ſunt commentati. Vide *Pfaffium* loc. cit. pag. 113. ſeqq. & *Amelium* in der Erörterung Tomo I. pag. 123. Adferam interim nonnulla ex *Adriani Beverlandi* Otiis Oxonienſibus MStis cap. XII. κλῆρος, inquit, *in Gloſſario* ſors. Sors *ſignificat* matrimonium, *unde* conſortes. *Feſtus:* hæreditas inter conſortes Erctum. *Hinc actio* de familia Erciſcunda. Hercules totam epitheti ſui ſortem cum muliebri cultu compenſavit: *Tertullianus. Sors itaque hæreditas, & conſortes cohæredes. Cum hæredis inſtitutio ſit fundamentum teſtamenti; ideo Chriſtus, ſupremum conditurus arbitrium, in procinctu XII. Apoſtolos, ex æquis partibus palam nuncupavit πρωτοκλήρους,* cohæredes. *Hebræi terræ ſanctæ κλῆροι, Deuter.* IV. 20, *quæque tribus occupavit unicam.* Ἀπόστολοι *erant filii adoptivi. Deus Pater Jeſu Chriſti:* tu es filius meus, *principio epiſtolæ ad Hebræos. Cum Chriſtus eſſet militantis Eccleſiæ Imperator, gaudebat militari jure teſtandi, vivo licet Patre. Et cum ille non haberet naturales liberos, familiam ſuam fulſit adoptione Apoſtolorum.* Si filii, ergo hæredes. *Galat.* IV. 7. *& proximi ſucceſſores Num.* XXVI. *Qui per adoptionem in aliam tranſiere familiam, illi debent in ultima cera agnoſci, adeo, ut, ſi fuerint præteriti, eis detur bonorum poſſeſſio contra tabulas. Hi πρωτόκληροι dici quoque poſſunt αὐτοκληρονόμοι.* Suus hæres *eſt, qui proximum in familia obtinet gradum.* Omitto cetera: longius enim horum pleraque petita eſſe nemo non intelligit.

ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τȣ̃ ποιμνίȣ) *τύποι* ſunt *exempla:* vide Vol. III. *Curarum* pag. 254. 352. & 401.

Verſ. 4. *καὶ φανερωθέντος τȣ̃ Ἀρχιποιμένος*) Lege *Vitringam* in Archiſynagogo pag. 15. & 44.

κομιεῖσθε τόν ἀμαράντινον τῆς δόξης ϛέφανον) Ad vocem *ἀμαράντινον Curcellæus* in ſua Novi Teſtamenti editione monuit, *Henricum Stephanum* conjicere legendum *ἀμάραντον*. Ubi hanc conjecturam attulerit, neſcio. Si qua prodidit, neceſſe eſt, ut mentem poſtea mutarit. Ita enim in *Theſauro* Tom. II. pag. 792. *Apud Petrum tamen*, inquit, epiſt. I. cap. V. *κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης ϛέφανον*, *redditur:* reportabitis immarceſcibilem illam gloriæ coronam. *Sed mihi veriſimile non fit, uti voluiſſe Petrum nomine ἀμαράντινος pro ἀμάραντος, cum ἀμαράντινος non fiat ex ἀμάραντος; quatenus eſt nomen appellationum, ſed quatenus eſt nomen certi floris proprium, habeatque κτητικȣ̃ formam hoc ἀμαράντινος. Cum autem huic lectioni in illo Petri loco noſtros omnes veteres codices aſſentiri viderim, non jam ſuſpicor, ἀμάραντον ſcriptum ab eo fuiſſe, ſed ἀμαράντινον ϛέφανον pro vera lectione agnoſcens, reddendum puto:* Reportabitis coronam gloriæ amarantinam, *ſeu*, quæ eſt ex amaranto. *Perinde ac ſi diceret: quæ eſt ex vero, ſeu ex pretioſo amaranto, aut, quæ gloriæ corona magis etiam eſt immarceſcibilis, quam ea, quæ eſt ex amaranto. Fateor tamen, quod ad ſenſum, parum vel potius nihil intereſſe.* Recte hæc docet *Stephanus*, nec aliter *Eraſmus Schmidius* ad h. l. qui & propterea vertit *gloriæ coronam non marceſcentem*, quando *Beza* habet, amarantinam illam gloriæ coronam. Ex amaranto autem corollas texi, & in funeribus ſpeciatim adhiberi ſolitas eſſe teſtatur *Philoſtratus* in Heroicis cap. XIX. pag. 741. editionis Olearii. *Ὅθεν καὶ ϛεφάνȣς ἀμαραντίνȣς ἐς τὰ κήδη πρῶτοι Θετſαλοὶ ἐνόμισαν, ἵνα, κἂν ἄνεμοι τὴν ναῦν ἀπολάβωσι, μὴ σαπρȣ̀ς ἀποφέρωσι μηδ᾽ ἐξώρȣς.* *Hinc & coronis amarantinis primi Theſſali in funeribus utendum ſanxere, ut, ſi venti etiam navim longius egiſſent, non flaccidos tamen & deformes adferrent.* Vide etiam Cl. *Tobiæ Eckhardi* Obſervationes Philologicas in N. T. ex *Ariſtophanis* Pluto p. 54. Argumentum ipſum exponit B. *Abrahamus Deutſchmannus* in diſputatione de corona gloriæ immarceſcibili, Wittebergæ 1684.

Verſ. 5. *Ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις*) *πρεσβύτεροι* heic ſunt *ſeniores* ratione ætatis, ut 1. *Timoth.* V. 1. & *Hebr.* XI. 2.

πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι) Poſtremam vocem omittunt *codices* pauci & verſiones, quam ideo ſcholii marginalis loco habet *Millius*. Cum vero non inſuetum ſit, verbo alicui ejusdem verbi participium *ἀμέσως* jungi, (vide Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti p. 192.) mirum non eſt, hoc loco *ὑποτασσόμενοι*, interjectis aliquot vocibus, repeti, a quo verbum ſequens *ἐγκομβώσασθε*, pendeat.

τὴν

τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε) Totam hanc phraſin, inprimis vero verbum ἐγκομβώσασθαι, diligenter expoſuit *Joannes Sibranda* diſſertatione ſingulari, Franequeræ primum an. 1696. edita, & in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. VII. pag. 954. recuſa. Ille vero ita vult converti: innectite & innodate humilitatem, *i. e. in mentibus veſtris facite quaſi foramina, & per illa agite ligamenta, ut illa quaſi per nodos τὴν ταπεινοφροσύνην connodent in vobis, & connectant mentium veſtrarum partes ſeparatas & diviſas, ut per hanc ταπεινοφροσύνης innodationem ſemper & perpetuo ſine ulla ſciſſura aut ruptura conjunctæ & copulatæ maneant, & quidem quam maxime inſtituite talem connodationem, ut ſervi, paſtores, puellæ viles: humileſque facere ſolent, ut ſic ſemper veſtra humilitas ubivis gentium, quotquot ſunt, & victuræ ſunt, innoteſcat.* Hanc verbi vim eſſe, idem ex vocibus κόμβος, κόμβωμα & ἐγκόμβωμα, Græciæ receptis, fuſius oſtendit, cumque ἐγκόμβωμα proprie de *puellarum, paſtorum* & *ſervorum* veſtimento, quod nodo conſtringi ſolebat, adhiberi ab Auctoribus videat, hinc conficit, metaphorice uſurpari de quocunque negotio ſub metaphora, veſtimenti humilitatem repræſentante, quo quis innectitur & connodatur, inprimis ſi virtus fuerit. Hac occaſione inprimis alienum ſe profitetur a *Gatakeri* ſententia, exiſtimantis, innui heic *amiculi alicujus decentioris vel cultioris genus, quod externum geri, nodoque vel fibula adſtringi conſueverat.* Idem expreſſerunt *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, vertentes: *intus ornati eſtote. Sibranda* porro in reliquos Interpretes p. 973. animadvertit, ex iis vero *Eraſmum* ad verum propius accedere arbitratur, vertentem: *humilitatem vobis fixam habete; & Vatablum: humilitatem animi vobis infixam habete*, i. e. *arcte ſeu nodis illigatam tenete.* Et ſic B. *Lutherus*: Haltet feſt an der Demuht. Atque id quidem Apoſtoli ſententiæ apprime reſpondere exiſtimo, ut nempe innuatur, ſubmiſſionem animi inſtar amiculi alicujus exterioris, nulla forma conſpicui, ceteris virtutibus & dotibus præclaris ſuperinjiciendam quaſi eſſe, ne quid de earum pulchritudine deminuatur. Jam vide, quæ de verbi hujus ſignificatu diſſerunt *Gatakerus* de Stylo Novi Teſtamenti cap. IV. & in Cinno lib. I. cap. 9. atque hinc *Svicerus* Theſauro Tom. I. pag. 996. *Heinſius* in Exercitationibus Sacris f. 609. & ex hoc *Carolus le Cene* in Tentamine novæ verſionis pag. 629. itemque *Braunius* de Veſtitu Sacerdotum Hebr. pag. 368. ex noſtratibus autem *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Tom. I. pag. 266. *Chriſtophorus Sonntagius* in Spicilegio Obſervationum in ἅπαξ λεγόμενα Novi Teſtamenti Obſervat. VI. pag. 17. *J. C. Schvvarzius* in Monumentis Ingeniorum Tomo III. pag. 299. & *Amelius* Tomo I. der Erörterung pag. 51. Non poſſum mihi temperare, quin *Dieterici* aliqua in hanc rem ſubjiciam. Dixerat ille, ἐγκομβώσασθε idem eſſe, quod: *vobis inſinuate, & veluti innodate*, quia ἐγκόμβωμα veſtimenti genus ſit *Polluci* IV. 18. Itaque ſententiam Apoſtoli ita repræſentat: *Omnes, alii aliis ſubjecti, modeſtiam animi ſinceram, non fucatam, vel hypocriticam, quæ ipſiſſima eſt ſuperbia, & hoc peſtilen-*

Digitized by Google

ſilentior, quo tectior, amplectimini & colite, & altiſſime mentibus veſtris inſigite, ita ut ſocietatis veſtræ & conjunctionis vinculum ſeu compages & nodus κόμβος, ſit ταπεινοφροσύνη. Vide reliqua. Scholion vetus codicis *Coisliniani* ἐγκομβώσασθε ita interpretatur: ἐνειλήσασθε, περιβαλέσθε, ἢ ἀναστείλασθε. Debemus hæc doctiſſimo *Joanni Alberti* in Gloſſario Græco pag. 217. quod vide. De voce ἐγκόμβωμα velim etiam conferri *Jungermannum* ad Pollucem IV. 18. pag. 421. editionis Belgicæ.

Georgius, Nicomediæ Metropolita, verbum hoc inſtar barbari abjecerat, rectiora edoctus a *Photio*, epiſtola ſingulari, quæ legitur num. 156. Hic vero ad *Apollodorum Caryſtium* in Ἀπολειπούσῃ & *Epicharmum* provocat. Ex locis, quos διαῤῥήδην recitat, apparet, verbum illud media forma adhibitum eſſe, quod vel ideo notandum eſt, ne ἐγκομβώσατε, quod codex *Alex.* habet, rectum cenſeamus.

ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται) Vide ſupra ad *Jac.* IV. 6. B. *J. H. Majus* libro I. Obſervationum Sacrarum pag. 118. editionis primæ, & pag. 154. ſeqq. editionis ſecundæ, varia externorum Scriptorum loca congeſſit, quibus homines, vitiis dediti, Diis inimici pronunciantur. Quod ad ſuperbos ſpeciatim attinet, *Achilles Tatius* libro V. pag. 305. μισεῖ ὁ Θεὸς τοὺς ἀλαζόνας, & *Xenophon* libro VI. de Expedit. Cyri pag. 379. ὁ Θεὸς τοὺς μεγαληγορήσαντας ταπεινῶσαι βούλεται. Idem *Herodotus* libro VII. pag. 442. Φιλέει γὰρ ὁ Θεὸς τὸ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. Vide & ſimilem locum ex *Bammidbar Rabba* Sect. II. f. 190. apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1048.

ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν) Phraſi hac, quæ aliis Hebraica viſa eſt, & Auctores utuntur. *Andocides* Orat. II. pag. 263. ita: Νῦν δὲ, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ μοι βουλείητε δοῦναι χάριν. Inprimis ea delectari video *Libanium* in epiſtolis, quarum Centuriæ XVI. operas, quibus exſcribendas dedi, cum maxime exercent.

Verſ. 6-11. explicantur a *Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 72. ſeqq.

Verſ. 7. πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιῤῥίψαντες ἐπ' αὐτόν) Eadem eſt Pſaltæ admonitio *Pſalm.* LV. 23. cum quo hunc locum confert idem *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 335. Similiter *M. Antoninus* IV. 31. τὸ δὲ ὑπόλοιπον τοῦ βίου διέξελθε, ὡς θεοῖς μὲν ἐπιτετροφὼς τὰ σεαυτοῦ πάντα, ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς. *Quod autem vitæ reliquum eſt, ita exigito, ut qui Diis tua omnia ex toto animo commiſeris.* Compara, quæ ibi adfert *Gatakerus* pag. 156. b.

Verſ. 8. Νήψατε, γρηγορήσατε) De ſobrietate & vigilantia, in uſu vitæ adhibenda, lege, quæ ad h. l. tradit *Arrowſmithus* in Tacticis Sacris pag. 259. ſeqq.

διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ) Eadem phraſi diaboli in *Aboth R. Nathan* cap. 36. dicuntur: מהלכים מסוף העולם ועד סופו, *circumambulantes ab uno fine mundi ad alium*, obſervante *Schœtgenio.* Leones, lupos & canes, horrendum vociferantes, & ululantes proprie *ὠρύεσθαι* dici a Scriptoribus, oſtendit *Lambertus Bos* Exercitationibus pag. 280. Cur cum leone conferatur Diabolus, docent Patres apud *Svicerum* Tomo II. pag. 232.

Verſ. 9. *Ὠ ἀντίστητε στερεοὶ τῇ πίστει*) Vide *Arrovvſmithi* Tactica Sacra pag. 262.

εἰδότες τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ἐπιτελεῖσθαι) Quid *ἀδελφότης* velit, diximus ſupra ad II. 17. Per illam paganos, ad Chriſtum converſos, intelligit *Altingius* Tomo V. Operum pag. 143. in Heptade Diſſertationum, ideo, quod epiſtola hæc ad Ex-Judæos ſcripta ſit. His itaque ait fraternitatem tribui, tanquam qui præter naturalem cognationem *Actor.* XIII. 26. *Rom.* IX. 3. aliam ſpiritualem habeant, quæ ſit religionis fraternitas *Actor.* IX. 13. 30. XI. 1. 12. Hos putat ad tolerantiam adflictionum excitari eo argumento, quod eædem tolerentur a fratribus Chriſtianis, qui ſint in hoc mundo, h. e. inter Gentiles. Recte hæc dici crederem, modo conſtaret, epiſtolam hanc tantum ad Ex-Judæos eſſe exaratam, quod, quo minus ratum habeatur, in limine hujus epiſtolæ oſtendiſſe mihi videor. Itaque rectius *ἀδελφότης* accipitur de Chriſtianis omnibus, ſive ex Judæis, ſive ex Gentilibus ad Chriſtum fuerint converſi, & inter Gentiles verſarentur. Nam & illi ipſi, ad quos ſcribebat Apoſtolus, inter Gentiles degebant. Verbum *ἐπιτελεῖσθαι* idem eſt, quod *accidere, evenire*, quo ſenſu & *Xenophontem* in Memorabilibus Socratis lib. IV. pag. 645. adhibuiſſe monuit *Raphelius*: *Εἰ δὲ βιώσομαι πλείω χρόνον, ἴσως ἀναγκαῖον ἔσται τὰ τοῦ γήρως ἐπιτελεῖσθαι, καὶ ὁρᾷν τε καὶ ἀκούειν ἧττον. Quod ſi diutius vivam, fortaſſe neceſſarium erit ea evenire, quæ ſenectuti accidunt, & minus audire ac cernere* &c.

Verſ. 10. *Ὁ δὲ Θεὸς πάσης χάριτος, ὁ καλέσας ἡμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὀλίγον παθόντας, αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς*) *Wokenius* loc. cit. phraſin *ὀλίγον παθόντας* referre mavult ad antecedentia illa, quam ad ſequentia, *αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς*, ut ſic *Synchyſis*, ab *Heinſio* adſtructa, evitetur. Cum vero hujus trajectionis non minus in probatis Scriptoribus, quam in N. F. multa exſtent exempla, quæ non ſine vi quadam e medio tolli poſſint, (vide v. c. paulo poſt v. 12.) malim Lutherum, eadem ratione interpretantem, ſequi, cum idem illud votum Apoſtolus ad Chriſtianos eo conſilio faciat, ut intelligant, talem eſſe Deum, qui etiam ſub his calamitatibus eos in bono conſervare poſſit. Neque obſtat vox *αὐτὸς* & *ὑμᾶς* repetita. Repetitio enim hæc efficaciam dicendi auget, nec alias inſueta eſt. Vide ſupra II. 24. *ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι*

σώματι ἀυτȣ̃, & mox: *ȣ̃ τῷ μώλωπι ἀυτȣ̃ ἰάθητε.* Vide, quæ ibi ſcripſimus. Pro *καταρτίσαι*, *ϛηρίξαι* &c. codices quidam habent *καταρτίσει*, *ϛηρίξει* &c. quæ, in futuro poſita, verſiones quædam exhibent. Recte vero obſervavit *Eraſmus Schmidius*, priorem illam formam tenendam eſſe, quæ referunt aoriſtum primum Optativorum, & votum continent: *inſtauret vos, ſtabiliat* &c. De verbo *καταρτίζειν* lege, quæ ſcripſi ad 2 *Corinth.* XIII. 11. & *Galat.* VI. 1. B. *Lutherus* interpretatur vollbereiten, de qua voce leges B. *Stadenii* Expoſitionem vocum aliquot Germanic. verſionis Biblicæ.

Verſ. 12. *Διὰ Σιλȣανȣ̃*) Vide nos ad 2 *Corinth.* I. 19.

ὡς λογίζομαι) *ut arbitror*, certis ſcilicet argumentis adductus. Hæc enim verbi vis eſt. Vide *Rom.* III. 28. & VIII. 18.

δι' ὀλίγων ἔγραψα) Ex his nonnulli cum *Grotio* efficere conantur, Apoſtolum priorem hanc epiſtolam exaraſſe. Alii vero, inter quos vide inprimis *Calovium* noſtrum, rectius verba de ipſa hac epiſtola accipiunt: quæ eadem ratio eſt phraſeos Paulinæ 1 *Corinth.* V. 9. *ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιϛολῇ*, *ſcripſi vobis in ipſa hac epiſtola.* Nonne merito huc referas, quæ cap. I. v. 10. leguntur: *ἐξερεύνησαν προφῆται οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες*, & v. 13. *τελείως ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν.* Facit huc, quod *Petrus* 2 *epiſt.* III. 1. *δευτέραν* appellet, habita hujus, tanquam prioris, ratione. Confer *Joannis Alberti Fabricii* noſtri Codicem Apocryphum N. T. Tom. II. pag. 905. ſeq.

εἰς ἣν ἑϛήκατε) Pro *εἰς ἣν* unus codex *Alexandr.* legit *ἐν ᾗ*, quod ſcilicet ad ſenſum magis accommodatum videbatur. At enim vero *τὸ εἰς* ſæpe cum *ἐν* permutatur. Vide exempla, quæ attuli Vol. I. Curarum pag. 44. 263. 434. 435. 517. 557. & 1116. Videri præterea poteſt Apoſtolus *εἰς ἣν* ideo adhibuiſſe, ut indicaret, fideles gratiam illam, in qua ſtabant, pro ſcopo habere, in quem conſtanter ferantur.

Verſ. 13. *Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ*) Per Babylonem *Romam* intelligunt multi, atque hanc veterum traditionem fuiſſe poſt *Euſebium* teſtatur *Hieronymus* in Catalogo. Ex quo factum eſt, ut *Valeſius* ad Euſebium pag. 33. *Millius* item in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum §. 59. & alii idem traderent. Vide vero, quæ contra hos obſervantur a *Jacobo Lenfant* epiſtola ſingulari, quam habes in *Joannis Clerici* Bibliotheca Selecta Parte XVI. pag. 297. ſeqq. Alii itaque nomen *Babylonis* proprie accipiunt, in eo tamen diſſentientes, utrum urbs Babyloniæ, ſeu Aſſyriæ, an Ægypti illa ſit intelligenda. Pro illa *Salmaſius*, pro poſteriori vero militant *Bonaventura Cornelius Bertramus* in Lucubrationibus Franckentalenſibus cap. IX. pag. 132. ſeqq. Tomi I. Theſauri librorum Creniani, *Joannes Pearſonus* in Operibus Poſthumis, ubi de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum

differit,

diſſerit, cap. VIII. §. 7. ſeqq. ex noſtratibus vero *Calovius*. Atque in hac ſententia & ipſe acquieſco. Confer præterea doctiſſimi *Fabricii* noſtri Bibliothecam Græcam libro IV. cap. 5. pag. 164. *Pearſonio* adſtipulatur *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Fœdus pag. 357. & *Jac. Nyloe* in *Redevoering* pag. 71 - 84. Præcipuum ſententiæ hujus momentum in eo vertitur, quod Babylon, Aſſyriæ urbs, tunc temporis devaſtata fuerit. *Marcus* autem, qui Petro epiſtolam ſcribenti, præſens erat, in Ægypto doctrinam ſalutarem prædicarit. *Pearſoni* argumentis calculum ſuum *Vitringa* quoque adjecit in Commentario ſuper Jeſaiam Tom. I. p. 421.

Vox συνεκλεκτὴ omnino aliam ſubintelligendam requirit. Plerique vocem ἐκκλησία intelligunt, præeuntibus ſcholio marginali codicis *Lincolnienſis, Oecumenio, Vulg. Syr.* & *Arabe. Jacobus Cappellus* in Notis ad h. l. διασποράν mavult, hoc ſenſu, ut diſperſio Babylonienſis coëlecta ſalutare dicatur diſperſionem electam Ponticam. *Millius* denique nove, quoad meminì, fœminam aliquam, & ſpeciatim Petri *uxorem*, indicari cenſet, ad locum, *tanquam fidei ſimul ſuſceptæ, vitæ, laborumque ſociam, quæ Babylone Ægyptiaca tunc, cum hæc ſcriberentur, egerit.* Notari heic primum velim, *Millium*, cum hæc ſcriberet, *Babylonis* nomen proprie accepiſſe. In Prolegomenis enim, ceu modo monuimus, de urbe *Roma* accipit. Quicquid hujus erit, idem ſententiæ huic ipſe videtur diffiſus. Mox enim hæc ſubjicit: *Si dicas, illud,* ἡ ἐν Βαβυλῶνι *denotare potius fœminam aliquam, quæ fixam ſedem habuerit* Babylone; *nihil equidem repugno. Eſto* ἡ ἐν Βαβυλῶνι, *ſive uxor Petri, ſive etiam opulenta quædam ac illuſtri loco nata fœmina apud Babylonios, quæ Apoſtolum hoſpitio exceperit: certe nihil hoc loco de Eccleſia Babyloniorum. W. Wall* in Notis Criticis pag. 357. de femina Chriſtiana potius generatim, quam de uxore Petri, interpretatur. Ἐκλεκτὸς, inquit, *apud Petrum* Chriſtianum *indicat; & ſic* συνεκλεκτὸς Chriſtianiſmi ſocium, *ſignificabit. In ſalutatione ſua cap.* I. 2. *eosdem appellat* ἐκλεκτὺς, *i. e.* Chriſtianos. *Eadem phraſi jam in fine epiſtolæ utitur, talem* συνεκλεκτὴν *eos ſalutare teſtatus.* S. Johannes *in epiſtola ſecunda ſimiliter habet:* ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, *feminæ Chriſtianæ.* Circumſpectis probe rationibus omnibus, non poſſum non in eorum ire ſententiam, qui vel διασποράν, vel ἐκκλησίαν intelligi volunt. Cum enim Chriſtiani alias ἐκλεκτοὶ & συγκληρονόμοι & συγκοινωνοὶ appellentur, nihil obſtat, quo minus eccleſiam aliquam συνεκλεκτὴν, reſpectu alterius Eccleſiæ, appellari cenſeamus. Neque video, unam aliquam perſonam συνεκλεκτὴν, commode appellari poſſe, quando ad integrum cœtum, hinc inde diſperſum ſcribitur. Rectius ſane hæc appellatio itidem ad cætum aliquem referetur. *Millius* quidem cauſatur, Judæos, ſuppreſſa voce ἐκκλησία, intellecturos non fuiſſe, quid ſibi velit Apoſtolus per τὴν ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτήν. At vocem aliquam ſubintelligendam eſſe, facile illi perſpicere poterant, nec minus videre, cœtum aliquem intelligendum eſſe. Propius id cogitationi

tationi ſuggeri, quam feminæ alicujus ſingularis mentionem, communis fere Interpretum, qui ita cenſuerunt, conſenſus evincit. Quod ſi porro vel uxorem Petri, vel feminam aliam intelligere velimus, præſtrui id debet, quod alterutra illarum Chriſtianis, per tot provincias diſperſis, cognita fuerit. Sine hoc enim ſalutatio, ejus nomine facta, obſcuriſſima manſiſſet. Credine vero poteſt, famam alterutrius ad eos ita perveniſſe, ut intelligere poſſent, quamnam innueret Apoſtolus? Si conjecturis heic opus eſſet, mallem utique Συνεκλεκτῆς nomen pro nomine proprio habere, quo ſenſu nonnulli τῆς ἐκλεκτῆς nomen in epiſtola *Johannis* ſecunda acceperunt. Ex communiori interim ſententia ſalutatio hæc, in fine epiſtolæ facta, ſalutationi Petrinæ in limine ejus egregie reſpondet. Scilicet ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ ſalutem impertitur τοῖς ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις τῆς διασπορᾶς. Confer *Jacobum Nyloe* loc. cit. pag. 82. in notis.

Omiſeram fere monere Lectorem, quod *Joannes Lightfootus* in Operibus Anglicanis T. II. Parte II. p. 1141 - 1147. ſingulari concione comma hoc illuſtrarit, hoc conſilio, ut oſtenderet, per *Babylonem* non *Romam*, ubi nunquam fuiſſe Petrum exiſtimat, ſed *Babylonem*, Aſſyriæ vel regionem, vel urbem, per συνεκλεκτὴν vero cœtum fidelium, Chriſto ibidem collectum, intelligendum eſſe. Vocem ἐκκλησίας idem propterea non additam fuiſſe cenſet, quod eam vox συνεκλεκτὴ ipſa cuique ſuggerere facile potuerit.

καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου) Per *Marcum* hunc Evangeliſtam intelligi non dubito.

Verſ. 14. *Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης*) Pauci codd. pro extrema voce legunt *ἁγίῳ*, procul dubio ex Pauli locis *Rom.* XVI. 16. 1 *Cor.* XVI. 20. 2 *Cor.* XIII. 12. & 1 *Theſſalon.* V. 16. Vide, quæ ad primum ex his locis ſcripſimus. *Ferrarius* de epiſtolis Eccleſiaſticis antiquis pag. 177. exiſtimat, *ſalutationem per oſculum ſanctum*, ſeu amoris, eam eſſe, quæ conjuncta fuerit cum voto: *gratia Domini noſtri JESV Chriſti tecum ſit.*

PRO-

PROLEGOMENA IN EPISTOLAM S. PET. POSTERIOREM.

POſteriorem hanc epiſtolam a S. Petro ſcriptam eſſe, præter inſcriptionem credere jubent verba cap. III. 1. Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοὶ, δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιστολήν. Apoſtoli eſſe evincit comma 14. capitis primi: καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν. Nec minus III. 2. καὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς. Cum vero *Euſebius* III. 3. Hiſt. Eccleſ. ſcribat: τὴν φερομένην Πέτρου δευτέραν οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήφαμεν. Ὅμως δὲ πολλοῖς χρήσιμος φανεῖσα μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη γραφῶν; fuerunt, qui eam Apoſtolo ſuppoſitam crederent. Inter hos ſunt *Scaliger* in Scaligeranis II. pag. 22. *Salmaſius* de Epiſcopis & Presbyteris pag. 14. *Grotius* in hanc epiſtolam, & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pag. 903. Ab altera parte γνησιότητα ejus vindicarunt ex noſtratibus *Calovius*, *J. H. Majus* in Examine Hiſtor. Criticæ Simonianæ pag. 211. &c. ex Reformatis *Jacobus Baſnagius* in Hiſtoria Eccleſiaſtica gallice edita Tomo I. lib. VIII. cap. 3. & *Campeg. Vitringa* Obſſ. Sacrar. lib. IV. cap. 9. ex *Anglis* ſpeciatim *Hammondus*, *Cavius* in Vita Petri Sect. X. *Thomas Smithus* in Miſcellaneis Tomo II. pag. 179. ſqq. inprimis contra *Grotium*, *Joannes Millius* in Prolegomenis §. 213. ſeqq. *Thomas Scherlockius* in diſſertatione ſingulari, quæ exſtat in calce libri ejus Anglicani, quem de uſu & ſcopo prophetiarum in diverſis mundi ætatibus ſcripſit, Londini 1726. 8. ſecundum editi, & *Leonhardus Tvvells* in Examine Critico Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Parte II. pag. 88. ſqq. Ex Pontificiis denique *Huetius* in Demonſtratione Evangelica pag. 41. *Richardus Simon* Tomo I. Hiſtor. Criticæ Novi Teſtamenti cap. 17. pag. 197. & *Claudius Fraſſenius* in Diſquiſitionibus Biblicis pag. 741.

Cum *Tvvelſium* modo laudatum in hoc argumento diligentiſſime verſatum videam, operæ pretium duco, vindicias, editori Novi Teſtamenti Græco-Anglicani oppoſitas, Latine exhibere. Dixerat ille: *quod ad γνησιότητα epiſtolæ hujus attinet, probe obſervandum eſt, nullum ex duobus Seculis prioribus Scriptorem ad eam provocaſſe.* Reſpondet *Tvvelſius* pag. 88. ſeqq. *Paulo ante* (nempe ubi epiſtolam S. Jacobi germanam eſſe oſtenderat) *oſtendi, obſervationem hanc parvi eſſe momenti, ſi reſpicias eos, quorum ſcripta ætatem tulerunt. Præter eos duo illa ætate ſcripſerunt, de quibus nihil dixi*, Irenæus *nempe &* Clemens Alexandrinus. *Cum vero prior eorum occidentalis Eccleſiæ fuerit Epiſcopus, ſilentii ejus ratio repetenda ex illo præjudicio fuerit, quo* Latini *doctores in hanc epiſtolam occupati fuerunt.* Clemens *vero*

adeo frequenter libros ſuos Eccleſiaſticos, *imo &* Apocryphos, *adfert, ut ratio, cur hanc non allegat, alia reddi non poſſit, quam quod occaſione eam excitandi fuerit deſtitutus. Eundem vero cognitam habuiſſe hanc epiſtolam, ex illis intelligitur, quæ* Euſebius *de Hypotypoſibus ejus tradit, nec minus ex alluſione ad* II. 2. *his verbis facta*: τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας ἐμποδίζοντες. *Vide* Cohortat. ad Gentes pag. 83. edit. Oxon.

Primum, quod epiſtolæ huic teſtimonium opponit, Euſebio *debetur* Hiſt. Eccleſ. III. 3. *ſcribenti*: οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήφαμεν, *quæ verba noſter ita convertit:* traditione veterum accepimus, eam nunquam ut particulam N. T. agnitam fuiſſe. *Addere vero debebat:* ab Eccleſia univerſali. *Hoc enim* Euſebius *voce* ἐνδιάθηκος *indicat, quæ non idem eſt, quod* canonicus, *in quantum opponitur* apocrypho, *aut libro ſimpliciter* ſpurio; *ſed de iis libris adhibetur, qui utut ab* aliquot *Eccleſiis* ſint recepti, *ab* aliis *tamen* in dubium ſint vocati, *& vel prorſus non, vel tantum ut libri* Eccleſiaſtici *lecti fuerint.*

Proximum, quo Annotator, in fraudem hujus epiſtolæ abutitur, teſtimonium Origenis eſt, apud Euſebium lib. VI. 25. Id vero Anglice ita exprimit: Petrus —— *unam tantum epiſtolam, quæ ejus eſſe exiſtimatur, reliquit.: pone vero etiam alteram ejus eſſe: utrum enim ejus ſit, an minus dubitatur* &c. (Annotator ſcribit, hæc Origenis verba exſtare in Philocalia ejus; ſed fallitur. In errorem vero hunc inductus eſt ex eo, quod *Valeſius* in prima verba capitis XXV. Euſebii, ubi is *Origenis* de numero V. T. ex commentario ejus in Pſalm. I. recitat, commentans, ait, locum integrum exſtare cap. III. Philocaliæ, eo ſcilicet ſenſu, quod verba illa, quorum initium eſt: οὐκ ἀγνοητέον, ibidem legantur. Atque hæc ut exſtant cap. 3. Philocaliæ; ita ibidem nihil amplius legitur. Noſter vero, opinatus, Valeſium de integro illo Euſebii capite loqui, præceps & falſo affirmavit, *Origenis* de Petri epiſtola teſtimonium etiam in Philocalia ejus occurrere.) Hæc vero viri interpretatio falſa eſt. Vox enim ὁμολογουμένη, h. l. idem ſignificat, quod ἐνδιάθηκος antea, & *Origenes* id tantum teſtatur, quod Petrus unam reliquerit epiſtolam, ab omnibus agnitam: quod ipſum & Latina *Valeſii* interpretatio exprimit. Quando vero porro ait, ἔστω δὲ καὶ δευτέραν, id quidem de nuda conceſſione accipi non poteſt, ceu interpres noſter innuit, qui præterea callide his verbis eam notam addit, ex qua colligas, *Originem* plura in ſequentibus de hac conceſſione commentari, cum tamen vere in his acquieſcat. Verba itaque Origenis nudam conceſſionem adeo non inferunt, ut potius ſententiam ejus & judicium exprimant, epiſtolam hanc ſecundam Petro ſimiliter eſſe vindicandam. Quando enim addit: ἀμφιβάλλεται γάρ, non a ſe, ſed ab aliis γνησιότητα ejus in dubium vocari, ſubindicat. Eadem ratione eodem loco, poſtquam adfirmaverat, Joannem ſcripſiſſe epiſtolam, addit: ἔστω δὲ καὶ δευτέραν καὶ τρί-

τὴν,

τὴν, ἐπεὶ ὐ πάντες φασὶ γνησίους εἶναι ταύτας h. e. *largire vero, etiam ſecundam & tertiam epiſtolam ejus eſſe: neque enim omnes eas genuinas eſſe exiſtimant.* Itaque *Origenes*, quem noſter partium ſtudio adfert, teſtem potius, quam adverſarium epiſtolæ hujus agit. Sed de hoc momento mox amplius conſtabit.

Poſt hæc obſervat Noſter, librum de Antichriſto, qui ſub *Hippolyti* nomine circumfertur, quique poſteriorem hanc epiſtolam frequenter excitat, ſpurium eſſe. Quis vero id negat, aut quis auctoritati libri illius γνησιότητα epiſtolæ hujus ſuperſtruit? Enimvero adverſarius noſter paſſim victoria ludicra delectatur.

Pergit Noſter ita: Didymus, Seculo IV. exeunte an. 392. fatis functus, (vir, Socratis judicio, variæ & omnigenæ doctrinæ) in commentario ſuo ſuper poſteriorem epiſtolam ita: *Non eſt ignorandum, præſentem epiſtolam eſſe falſatam, quæ licet publicetur, non tamen in canone eſt.* Heic vero tenendum eſt, ad rem noſtram non pertinere, quo tempore obierit *Didymus*, ſed potius, quo ſcripſerit & claruerit. Mox vero apparebit, qua de cauſa is Scriptoris hujus ætatem tam ſingulari ratione definiverit. Interim incertum admodum eſt, an Didymus hanc epiſtolam ſuppoſitam cenſuerit. *Quando enim* falſatam *appellat, veriſimile eſt, nihil aliud eum indicare voluiſſe, quam quod* Euſebius *per νοθεύεται aut ἀντιλέγεται exprimit, hoc ſcilicet, quod non ab omnibus Petro ſit adſcripta; quemadmodum illud*: non eſt in canone, *id innuit, quod non* úniverſe *ab Eccleſia* in canonem ſit recepta. Falſatam eſſe *ſecundum Gloſſarium idem interdum eſt, quod* falſam dici. Vide *Dufrenii* Gloſſarium mediæ & infimæ latinitatis. Quod porro Didymus minime omnium adfirmare voluerit, ſecundam Petri epiſtolam a nulla Eccleſia, ſpeciatimque Alexandrina, in qua & ipſe erat, in canonem receptam eſſe, ex eo manifeſtum evadit, quod id quidem non ex vero teſtari potuerit. *Athanaſius* enim, indicem librorum ſacrorum, qui ab Eccleſia Alexandrina ante *Didymum* recepti erant, texens, epiſtolam hanc inter eos, qui ſenſu ſtrictiſſimo Canonici haberentur, numerat. Verbo dicam: *Didymus* nihil habebat, quod hujus epiſtolæ γνησιότητι opponeret, ſi exceperis præjudicatas Eccleſiarum quarundam ſpecialium opiniones, quæ tamen adverſus alias aliquot epiſtolas Catholicas, quibus idem nihil tale objicit, pugnant. Veriquoque ſimile eſt, eum de hac Petri epiſtola ita judicaturum fuiſſe, niſi ipſi doctrina de novo cœlo & de nova terra, quæ capite III. continetur, diſplicuiſſet. Interim Annotator teſtimonio hoc porro utitur, ut probet, Canones Concilii Laodiceni, ſaltem illorum LX. in quo epiſtola hæc commemoratur, confictos eſſe. Ita enim argumentatur: *Concilium Laodicenum quod an. 365. habitum creditur, in canone ultimo, ſecundam hanc epiſtolam S. Petro adſcribit, & inter libros Canonicos Novi Teſtamenti numerat; Didymus vero, qui an. 392. obiit, in canone eam*

eam fuiſſe inficiatur: itaque concilium hoc, vel penitus, vel ſaltem quod ad canonem ejus LX., *eſt ſuppoſitum.* Ad hæc reſpondeo, primum quidem, quod *Didymus*, quamvis an. 392. fatis functus, Enarrationes ſuas ſcribere ante potuerit, quam Concilium Laodicenum canonicam epiſtolæ hujus auctoritatem firmaret. Eo enim tempore annum agebat LVI. magnaque jam per aliquod tempus auctoritate in Eccleſia valuerat. Quocunque igitur ſenſu epiſtolam hanc in canonem receptam eſſe negaverit, non tamen exiſtimandus eſt vel ſententiæ Concilii Laodiceni de hac epiſtola contradixiſſe, vel Concilium hoc aut totum, aut ex parte, confictum tradidiſſe. Hoc vero probe perſpiciens adverſarius tempus potius, quo obiit *Didymus*, quam id, quo ut Scriptor floruit, commemorandum cenſuit, lectori perſuaſurus, ut crederet, *Didymum*, qui XXVII. annis poſt habitum illud Concilium vixerit, enarrationes illas ſuas eo temporis intervallo exaraſſe. Ponamus porro, illud *Didymi* teſtimonium anno 365. poſterius eſſe, ne ſic quidem LX. canoni Concilii Laodiceni, qui epiſtolam hanc Canonicam eſſe declarat, contradiceret, aut illum ſuppoſitum eſſe evinceret. *Didymus* enim, quod modo oſtendi, nihil aliud indicat, quam quod epiſtola hæc ſua, qua ſcribebat, ætate, ab univerſa Eccleſia in canonem non fuerit recepta. Hoc vero cum prævia illa Patrum Laodicenorum declaratione, in gratiam epiſtolæ hujus facta, non pugnat. Concilium enim ibi coactum Provinciale tantum erat, non Oecumenicum, aut ad Eccleſiam Catholicam univerſam ſpectans. Eccleſia quoque Alexandrina, ad quam Didymus pertinebat, Laodicenæ Synodi partem non conſtituebat. Quando itaque Didymus affirmat, ſecundam Petri epiſtolam in canone non fuiſſe, id fraudi non eſt LX. canoni Concilii Laodiceni, aut γνησιότητι ejus quicquam derogat, ſive phraſi hac ſua canonem Eccleſiæ late patentis, ſive illum Concilii particularis, Alexandrinam Eccleſiam obligantis, ſive hujus Eccleſiæ canonem particularem reſpiciat.

Hactenus *Twelſius* adſeruit γνησιότητα epiſtolæ hujus adverſus exceptionem a Didymo ſumtam, qui in ſequentibus usque ad pag. 100. auctoritatem canonis LX. Concilii Laodiceni ab aliis, ei objectis, vindicat. Hæc vero ego, utpote longiora, data opera omitto, & ad ea pergo, quæ ad præſentem cauſam ſpectant. Annotator noſter novum ab *Hieronymo* argumentum pro ſua ſententia petit, ita de utraque Petri epiſtola in literis ad Hedibiam ſcribente: *Stylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum* —— *ſecunda a plerisque ejus eſſe negatur propter ſtyli cum priore diſſonantiam.* (vide *Catalogum* voce *Petrus.*) Ad hæc *Twelſius* ita pag. 101.

Annotator h. l. unum teſtimonium Anglice repræſentavit, quod tamen ex duobus Hieronymi locis Latinis, qui in diverſis Patris hujus ſcriptis exſtant, petitum eſt. Prior illorum inprimis huc facit, quia propriam *Hie-*

Hieronymi de epiſtola hac ejusque Auctore ſententiam exhibet. Illum vero adverſarius decurtavit, probe gnarus, eum ſibi maxime adverſari. Hieronymus loc. cit. de utraque epiſtola ait: *ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant.* In his vero non acquieſcit, multo minus epiſtolam ſecundam hujus diſparitatis cauſa ſpuriam eſſe largitur; imo vero ſtatim de ea ita loqui pergit, ut appareat, Petrum nihilominus utriusque eſſe Auctorem. Statim enim addit: *ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum Interpretibus.* Hieronymus itaque ratum eſſe volebat, Petrum utriusque epiſtolæ, quæ nomen ejus refert, eſſe Auctorem, ſtyli vero differentiam ex eo natam, quod duos diverſos adhibuerit, qui mentem ſuam Græca lingua expreſſerint. Jam vero Annotator hanc Hieronymi ſententiam lectoribus occultam eſſe voluit, & vulgaria tantum præjudicia, quibus alii adverſus hanc epiſtolam capti erant, addit, ab Hieronymo in Catalogo Scriptorum recitata, in quo tamen ſententias, de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſua ætate receptas, hiſtorici inſtar, judicio ſuo vel raro vel nunquam interpoſito, enarrare conſuevit. Summatim dicam: prior locorum, ex Hieronymo allatorum, Hieronymi judicium pro epiſtola Petri ſecunda exhibet, ſicut in poſteriore ad dubium, ex ſtyli diverſitate natum, reſpondet. Et vel ſic Noſter, probe hæc ſciens, unum ex utroque loco teſtimonium conſarcinavit, quaſi uterque auctoritati epiſtolæ hujus adverſaretur. Quod interim ad differentiam ſtyli utriusque epiſtolæ ſpectat, eam *Millius* quidem negari non poſſe cenſet; alii vero non minus, quam ipſe, idonei judices, penitus inficiantur. Inter hos *Elliſius Dupin*, vir & doctrina & judicio valens, in Hiſtoria Canonis Scripturæ Vol. III. cap. 2. affirmat, in utraque epiſtola eandem efficaciam & brevitatem, eandem quoque dictionis & ſententiarum ſtructuram obſervari.

Statim poſt *Hieronymi* ætatem, epiſtola hæc pro Canonica univerſim habebatur. Annotator ita pluribus, quibus eam impugnaret, teſtimoniis deſtitutus, in veneranda illa Concilia invehitur, quæ libri dubii auctoritatem adſtruxerunt. Idem quoque communem, quæ poſtea ſequebatur, epiſtolæ adprobationem ingraveſcenti temporum caligini, & ſæculi Monachalis cœcitati acceptam refert. Conciliorum decreta, tanquam meris fraudibus, ad inſtar Tridentini illius, ſuperſtructa, repræſentat, Patresque veteres, qui illis interfuerunt, pro arbitrio pronunciaſſe criminatur. Perſuaſiſſimum equidem mihi habeo, Auctorem, cujus verbis hac occaſione utar, non præclara admodum critici ſui acuminis documenta hac in parte dediſſe. Omnia enim ex liberiori imaginatione profecta ſunt, & de acerbitate teſtantur, quam in Concilia IV. & V. Sæculi, quæ controverſiæ de auctoritate epiſtolæ Petrinæ ſecundæ finem impoſuerunt, exſerendam cenſuit. Abſit itaque, ut omnia inſulſæ hujus ſectionis capita perſequar. Id unum monebo, Criticum noſtrum in veritatem injurium eſſe, quando opinatur,

 Monachos

Monachos eos fuiſſe, qui auctoritatem epiſtolæ hujus controverſæ adſtruxerint. Id enim acceptum potius ferendum eſt Conciliis, quæ conſtabant Epiſcopis, qui non ex Monachorum ordinibus, ſed virorum Eccleſiaſticorum cœtu, in hanc dignitatem evehi ſolebant. Monachi vero illius ætatis, hoc nomine proprie appellati, Laici erant, qui ſingulari cuidam diſciplinæ adſtricti, & Epiſcoporum in ſingulis diœceſibus arbitrio ſubjecti, vitam una agebant ab Eccleſiæ adminiſtratione & cura penitus ſejuncti.

Vt vero calumnia illa, per quam epiſtola hæc ea ætate, quæ literarum luce & Critici acuminis vi ſe commendavit, prorſus rejecta eſſe dicitur, abſtergatur, lectorque intelligat, quam præclara & antiqua pro γνησιότητι ejus teſtimonia ab Annotatore ſilentio prætermiſſa ſint, indicem eorum Scriptorum ſubjiciam, qui eam intra IV. priora Sæcula ut ſcriptum Canonicum excitarunt. Primum quidem Judas Apoſtolus ipſam hanc epiſtolam præ oculis habuit, atque hinc varia in eam, quæ nomen ejus præfert, quæque in canonem Novi Teſtamenti recepta eſt, derivavit. Mox vero oſtendam, epiſtolam hanc Judæ omnino eſſe, ut proinde uſus epiſtolæ hujus ſolus auctoritatem epiſtolæ canonicam extra dubium collocet. Ponamus vero nunc, illam Judæ epiſtolam non ante A. C. 130. exſtitiſſe, quæ *Grotii* conjectura eſt, vel ſic tamen teſtimonium tam antiquum, pro epiſtola tanquam θεοπνεύςῳ latum, dubiis ſequentium Seculorum recte opponitur. In fine ejusdem Sæculi *Clemens Alexandrinus* eam, ut Petri Apoſtoli epiſtolam, adfert, quod argumento eſt, illam ea ætate non ſub alterius nomine cognitam fuiſſe. *Origenes* Sæculo III. varios ejus locos in commentariis ſuis excitat. Vide *Millii* Prolegomena §. 214. Speciatim in homilia VII. ſuper Joſuæ librum duas Petro epiſtolas tribuit. Eodem tempore *Firmilianus*, Epiſcopus in Cappadocia Cæſarienſis, Origeni valde amicus, in epiſtola ad Cyprianum, ad locum aliquem poſterioris epiſtolæ omnino alludit, quod & *Novatianus* eodem Sæculo medio fecit. Sæculo IV. ab innumeris Scriptoribus, per varias orbis Chriſtiani partes diſperſis, allegatur. In Palæſtina quidem a *Cyrillo* Seniore; in Cypri inſula, ab *Epiphanio*; in Syria, ab *Ephræmo*; Alexandriæ, ab *Athanaſio* & *Macario*; in Africa, ab *Auguſtino*; in Gallia, ab *Hilario*; in Italia ab *Ambroſio*, *Philaſtrio* & *Rufino*; Romæ ab *Hilario* Diacono, & frequentiſſime ab *Hieronymo*. Num quid igitur partium ſtudium magis prodit, quam id quidem, quod Annotator noſter, de auctoritate epiſtolæ hujus Petrinæ ex traditione diſputans, omnia hæc eaque illuſtria cœtus Chriſtiani lumina ſilentio abſcondidit, ejusque auctoritatem Canonicam tenebris ſequentium ſæculorum, & arbitrario Monachorum judicio acceptam tulit?

Recipit ſe denique Noſter, epiſtolam hanc impugnaturus, ad recentiores quosdam, quos Triumviros appellat, *Grotium* puta, *Salmaſium* & *Scali-*

Scaligerum. Cave tamen, credas, eorum ſingulos cauſam ejus pari ratione juvare. *Grotius* enim, qui in Critica Sacra reliquis illis multum præſtabat, canonicam epiſtolæ hujus auctoritatem non inficiatur, quamvis eadem opera ex internis quibusdam indiciis ſuſpicetur, eam poſt excidium Hieroſolymorum, atque adeo poſt Petri, Apoſtoli, mortem eſſe exaratam. Quæ quidem res *Grotii* nomine indigna eſt. Multi enim in hac epiſtola loci ſunt, qui Petrum Auctorem ejus omnino probant; eos vero omnes interpolatos credere velle, difficilius & durius eſt, quam illa eſt difficultas, quæ *Grotii* opinioni occaſionem fecit. Contra Grotium lege *Hammondum* & *Whitbium* in præfationibus, quas ſuis in hanc epiſtolam commentariis præmiſerunt; ut & *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti Parte I. cap. 17. Sed, ut ad inſtitutum revertar, Noſter ait, Grotium, Salmaſium & Scaligerum Triumviros tantum fuiſſe, Patres vero Duumviros. Acumen in hac dictione procul dubio latet; ſed illud me non ſatis adſequi libenter profiteor. Id vero mihi habeo perſuaſiſſimum, ab eo, qui recentiores, quamvis magnæ auctoritatis, viros veteribus in ejusmodi cauſa, quæ ex traditione & teſtimoniis ultimæ antiquitatis pendet, opponat, res maxime disparatas ſecum invicem comparari. Veteres cum veteribus comparare debebat: ſic enim discrimen, quod primo intuitu inter illos ſe offert, pro partibus epiſtolæ controverſæ pugnare intellexiſſet. Poſtea recentiores, qui ab utraque ſtant parte, comparare inter ſe potuiſſet, ut perſpiceret, cauſam hanc ita eſſe comparatam, ut tres quidem negent, S. Petrum epiſtolæ hujus eſſe Auctorem; ab altera vero parte ſaltem trecenti eam Petri eſſe profiteantur.

Hactenus *Twelſius*, qui inter cetera recte provocavit ad *Judæ* epiſtolam, tanquam ad illam Petri poſteriorem omnino reſpicientem. Hoc argumento alios plerosque, & inter hos *Calovium* quoque noſtrum, uſos eſſe video. Contra *Grotium* enim, qui *Simeonem*, Hieroſolymitanum Epiſcopum, auctorem ejus ſuſpicatur, diſputans in Prolegomenis ſuper hanc epiſtolam, ita infit: *Hæc* (epiſtola Judæ) *veluti compendium eſt epiſtolæ Petrinæ, & præcipue capitis II. Quis autem credat, Judam voluiſſe Scriptorem non θεόπνευστον in compendium redigere, aut Spiritum Sanctum id egiſſe, ut per Apoſtolum ea, quæ non ſunt Apoſtolica, repeterentur?*

Quod ad ſtyli differentiam, per quam altera ab altera, ratione Scriptoris, omnino diſtinguenda ſit, attinet, pauci fuerunt, qui cum *Hieronymo* eam a diverſis Scriptoribus, ſeu amanuenſibus, quibus Apoſtolus uſus ſit, repetierunt. Neque hanc ſententiam, a veterum nemine, quem quidem ſciam, approbatam, admitti poſſe exiſtimo, iis, quæ *Calovius* loc. cit. urget, argumentis adductus. Rectius itaque alii hanc dictionis diſparitatem cum *Eſtio, Dupinio*, cujus locus ſupra allatus eſt, & *Th. Smitho* negant. Si qua tamen admitti debeat, rectius ea ab argumento ipſo, vel a diverſo

ſcriptionis tempore derivabitur. *Baſnagius* Tomo I. Hiſtor. Eccleſ. p. 425. in hanc ſententiam non inſcite ſequentia obſervat, quæ ex Gallico Latine converſa dabo: *Cur vero non potius dicimus, S. Petrum, cum hanc epiſtolam ſcriberet, ætate admodum provectum fuiſſe? Morti erat proximus, Spiritus vero Sanctus, qui homines agit, nec ſtylum eorum nec characterem mutat; imo vero ad temperamentum eorum & ætatem ſe accommodat.* Id vero, ſalva θεοπνευςία, fieri poſſe, ab iis oſtenſum eſt, qui de Scriptorum Sacrorum temperamentis commentati ſunt, ut taceam, alioquin rationem reddi non poſſe, cur ipſi illi Scriptores Sacri a ſe invicem, quod ad dicendi rationem, differant.

Ad *eosdem*, quibus prior illa inſcripta eſt, & hanc pertinere, ex eo dubitari non poteſt, quod cap. III. v. 1. ad priorem ita provocat, ut eandem illis inſcriptam fuiſſe teſtetur. Quemadmodum autem prior illa non minus ad Ex-Gentiles, quam ad Ex-Judæos, data eſt, quod ad cap. I. v. 1. oſtendimus; ita idem de hac pronunciandum putamus. Confer in eandem ſententiam *Lud. Cappellum* in Appendice ad Hiſtor. Apoſtolic. pag. 44. cujus argumentum, ex cap. I. v. 1. hujus epiſtolæ petitum, *Jo. Braunium* in Selectis Sacris p. 159. infregiſſe non exiſtimo.

De *tempore* ſcriptionis nihil liquet, niſi quod proxime ante ſuprema Apoſtoli fata exarata appareat ex cap. I. 14. *Εἰδὼς ὅτι ταχίνη ἐςιν ἡ ἀπόθεσις τῦ σκηνώματός μυ.* Singularis eſt *Iſaaci Nevvtoni*, Equitis Aurati, ſententia, quam in limine Obſervationum ſuarum in Apocalypſin an. 1733. editarum, attulit, contendens, utramque Petri epiſtolam poſt Apocalypſin exaratam eſſe, atque poſteriorem commentarium perpetuum in illum Revelationum librum exhibere. De hoc capite infra in Prolegomenis ad Apocalypſin dicturi ſumus.

In *ſcopum* & conſilium ſcriptæ hujus epiſtolæ data opera inquiſivit *Campeg. Vitringa* in diſſertatione *de argumento epiſtolarum Petri poſterioris & Judæ Catholicarum*, quæ exſtat in libro IV. Obſervationum ejus Sacrarum cap. IX. hinc autem nuper, non ſine acceſſione quadam, quæ in *Addendis* occurrit, in Theſauro Novo Diſputationum Amſtelodami, laudatiſſima *Haſai* & *Ikenii* opera, edito, recuſa eſt pag. 982. ſeqq. Illius judicio epiſtola hæc *Petri*, & *Judæ* illa, oppoſita eſt ſententiis quibusdam Pſeudo-Prophetarum, vel Pſeudo-didaſcalorum ex Gnoſticis, quibus Chriſtianorum animos illa ætate irretire conabantur. Harum duas potiſſimum fuiſſe ait. Alteram quidem, *quod immune habuerint omne exercitium voluptatum carnalium, ſcortationes, adulteria, inceſtus, & ſi qua alia impuritatum nomina dentur:* alteram, *quod Magiſtratibus Gentilibus obedientiam præſtandam eſſe negaverint.* Vtramque ait recitari cap. II. v. 10. *Μάλιςα δὲ ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμῦ πορευομένυς, καὶ κυριότητας καταφρονῦντας, τολμηταὶ, αὐθάδεις,*

δεις, δόξας ὐ τρέμυσι βλασφημεῖν. De priore illa tum ex aliis partibus orationis Petri v. c. v. 13. 14. 18. 28. & Judæ v. 7. 8. 16. 18. tum ex comparationibus, quæ a Petro & Juda in vitiis illorum deſcribendis adhibentur, ait liquere, & hujusmodi eſſe exemplum incolarum primi mundi a Petro v. 8. adductum: nec non Sodomæorum & Gomorrhæorum, qui carnem ſectati ſint peregrinam; ut Judas ait v. 7. Iſraëlitarum denique, qui ſe per Bileamum Pſeudo-Prophetam ad congreſſus voluptatum illicitos abduci permiſerint ſecundum *Numeror* XXV. 2. 3. Mihi quidem hoc modo inſtitutum Apoſtoli arctioribus limitibus conſtringi videtur, quam ipſa ejus verba permittant. Epiſtolam enim eo comparatam fuiſſe, ut ad tenendam, quam nacti erant, *fidei doctrinam*, eandemque *vitæ ſanctitate* probandam, excitarentur, patet ex v. 5. capitis I. *καὶ αὐτὸ τῦτο δὲ σπυδὴν πᾶσαν παρειςενέγκαντες ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίςει ἡμῶν* (cujus præſtantiam v. 3. repræſentaverat) *τὴν ἀρετὴν, ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν γνῶσιν κ. τ. λ.* De his duobus capitibus v. 12. ita ait: *Διὸ ὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν περὶ τύτων, καίπερ εἰδότας, καὶ ἐςηριγμένυς ἐν τῇ παρύσῃ ἀληθείᾳ.* Quemadmodum vero utrumque horum Apoſtolus etiam in priore epiſtola inculcaverat; ita idem, quod in illa, in hac quoque, agere ſe profitetur cap. III. 1. *Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοὶ, δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιςολὴν, ἐν αἷς διεγείρω ὑμῶν ἐν ὑπομνήσει εἰλικρινῆ διάνοιαν.* Porro impuras illas, quibus vir doctus epiſtolam hanc oppoſitam putat, ſententias, in vitam ſanctiorem injurias, non tam eo jam tempore invaluiſſe, quam inpoſterum metuendas fuiſſe liquet ex capite II. 1. *ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι.* Denique Apoſtolus v. 10. *μάλιςα δὲ κ. τ. λ.* non tam innuit, quid præcipue in hac epiſtola agat, quam *τὺς ἀδίκυς* v. 9. commemoratos, quod ad ſpecialia flagitiorum momenta, fuſius deſcribit, initio facto ab impuris libidinibus, & Magiſtratuum contemtu, quibus deinceps amplus vitiorum aliorum index ſubjicitur.

Quod ad *commentatores* ſpectat, unum hoc moneo, exſtare inter *Thomæ Smithi*, Angli, viri doctiſſimi, Miſcellanea, *Londini* 1690. 8vo edita, commentarium in hanc epiſtolam pag. 177-318. ad quem in ſequentibus paſſim provocabo.

CAP. I.

Verſ. 1. Συμεὼν) Ita plerique *codices*; nonnulli tamen Σίμων, qua ratione Petri, Apoſtoli, nomen alias perpetuo in N. F. ſcribitur. Altera tamen illa ſcribendi ratio, ubi de tribu Simeonis, vel aliis, hujus nominis conſortibus, ſermo eſt, in N. T. locum habet, v. c. *Apocal.* VII. 7. *Luc.* III. 30. II. 25. & *Actor.* XIII. 1. Vtrumque Hebraico שמעון reſpondet, quamvis Σίμων illud cum Græcæ linguæ rationibus magis conveniat, quod recte monuit *Grotius*.

Πέτρος δȣ̃λος καὶ Απόςολος Ιησȣ̃ Χριςȣ̃) Mirum eſt, *Grotio* illud *Petri & Apoſtoli* nomen poſtliminio inſertum h. l. videri potuiſſe, ſine ullius codicis exemplo. Fruſtra quoque idem ſperavit, fore, ut aliquis antiquiora aliquando exemplaria, quæ hanc conjecturam firment, inveniat. Tale enim adhuc nemini occurrit, atque adeo conjectura ejus omni tibicine deſtituitur, qua *Simeonem*, qui poſt Jacobi obitum Epiſcopum Hieroſolymis egerit, & poſt Hieroſolymorum excidium usque ad Trajani tempora vitam produxerit, epiſtolæ hujus auctorem eſſe tradidit. Vide contra hæc *Richardum Simonem* Tomo I. Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti p. 197. ſeq. *Th. Smithum* loc. cit. & *Millium* ad loc. *Smithus* ſpeciatim pag. 187. verbis ejus, quibus eos, qui *ſpectabiliorem & vendibiliorem epiſtolam hanc reddere voluerint*, voces illas adjeciſſe contendit, hæc ſubjungit: *Quæ verba illi excidiſſe dolet pigetque, cujus fama longe melius conſultum fuiſſet ab operis poſthumi editoribus, ſi ejusmodi conjecturas, primo cogitationum æſtu e fœcundo cerebro extruſas, in lucem prodire non ſiviſſent.*

τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχȣ̃σι πίςιν) *qui æque pretioſam nobiſcum fidem ſortiti ſunt*, ut *Eraſmus Schmidius*, qui recte obſervat, vocem ἡμῖν regi ab ἴσος. Vox illa familiaris eſt *Luciano*, morientium æqualitatem monſtraturo, quod obſervavit *Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 401. Hic quidem Apoſtolus ſuam ceterorumque Apoſtolorum fidem cum illa aliorum, in Chriſtum credentium, ita comparat, ut hanc æque præſtantem, & Deo æque æſtimatam, quam illam, eſſe adſeveret, non habito ſcilicet aliorum chariſmatum, quibus Apoſtoli valebant, reſpectu. Vocis hujus vim ſingulari diſſertatione ediſſeruit *Joannes Henricus Michaëlis*, vir doctiſſimus, quam ἰσοτιμίαν πίςεως, ſive *Æquale fidei pretium* inſcripſit, Halæ 1722. Probat autem ἰσοτιμίαν fidei: 1) ex fidei cauſis, 2) ex conſtitutione ejus materiali, 3) ex notabili fidei relatione ad Chriſtum, 4) ex fidei conſequentibus, & 5) ex fine fidei ultimo. *Joſephus* Antiquitat. Judaic. XII. pag. 398. b. de Seleuco Nicanore, qui Judæis jus civitatis in urbe Antiochena dederat, ita: ἐν αὐτῇ τῇ μητροπόλει Αντιοχείᾳ πολιτείας αὐ-

τȣ̀ς

τῆς ἠξίωσε, καὶ τοῖς ἐνοικισθεῖσιν ἰσοτίμως ἀπέδειξε Μακεδόσι, καὶ Ἕλλησι. Confer *J. B. Ottii* Annotationes in Joſephum, Tomo II. editionis Haverkampianæ p. 317. Hanc phraſin non minus ad Ex-Gentiles, quam Ex-Judæos, quadrare modo in Prolegomenis eſt admonitum.

ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ) *per juſtitiam Dei noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti.* Heic Jeſus Chriſtus non tantum Servatoris, ſed & Dei, nomine appellatur; ſicut infra cap. III. 18. ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, Dominus & Servator vocatur. Confer ad *Tit.* II. 13. Hoc notandum eſt contra eos, qui h. l. Dei nomen ad Patrem, Servatoris autem ad Jeſum Chriſtum, retulerunt; quod & ab Editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani factum eſſe video. Sermo enim heic eſt de juſtitia a Chriſto, ut θεανθρώπῳ, nobis parta, quæ fide apprehenditur.

Verſ. 2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη ἐν ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ) Lege *Sebaſtianum Schmidium* de Imagine Dei p. 285.

Verſ. 3. Ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης κ. τ. λ.) Spectat huc B. *Joannis Senſtii* diſſertatio de beatitudine nunc & tunc, an ſpecie differant? Roſtochii 1708. Comma hoc una cum duobus ſequentibus, ratione ſtructuræ & ſignificationis vocum quarundam, Interpretibus negotium creavit, effecitque, ut in diverſa abirent. Lege *Michaëlis Mauduit*, Presbyteri Oratorii, diſſertationem ſingularem, quam Tomo II. Analyſeos epiſtolarum Apoſtolicarum p. 687. ſeqq. ſubjecit. Nos ſigillatim iſta perſequemur. Primo loco heic tenendum eſt, ab his verbis, ὡς πάντα ἡμῖν κ. τ. λ. ipſam Petri epiſtolam incipere, atque adeo particulæ ὡς hunc ſenſum eſſe: *quandoquidem*, vel, *quoniam nobis divina ejus potentia omnia donavit.* Sic recte B. *Lutherus*: Nachdem. Particulam ὡς hac notione a Scriptoribus adhiberi, idoneis locis evicit eruditiſſimus *Joannes Alberti* pag. 459. Ita *Æſchines* Dial. III. Sect. 13. Populus eſt res ingrata —— ὡς ἂν συνηρανισμένον ἐκ σύγκλυδος ὄχλου, *quoniam collecta eſt ex adventitia turba*: & *Ælianus* Var. Hiſtor. XII. 57. Οἱ δὲ, ὡς ᾤοντο Ἀλέξανδρον τεθνάναι, πολλὰ καὶ βλάσφημα εἰς αὐτὸν ἀπερρίπτουν. *Quidam vero quoniam Alexandrum defunctum putabant, multa acerba in eum convicia conjiciebant*: &, quod maxime huc accommodatum eſt, IV. 12. ὡς ἂν μίσθωμα τοῦ Ἡρακλειώτου λαμβάνοντος. Porro vox δεδωρημένης non paſſivo, ſed activo ſenſu, ſicut mox etiam δεδώρηται, accipienda eſt: alioquin enim nihil eſſet, a quo vox πάντα penderet. Paſſivam autem verborum formam non raro active adhiberi, ut *Eraſmus Schmidius* recte ad h. l. monuit; ita alii exemplis probarunt. Vide B. *J. H. Majum* libro IV. ObſervationumSacrarum pag. 154. ſeq. &, quos ille citat, *Gravium* ad Lucianum Tomo I. pag. 995. & *Vechnerum* libro I. Hellenolexias cap. 8. *Majus* hunc *Polyæni* locum

Digitized by Google

locum adfert ex lib. II. cap. 11. *Καρχηδόνιοι γνωρίζοντες τὰ οἰκεῖα σκάφη προσπλέοντας αὐτοὺς τῷ λιμένι τῶν Συρακουσίων οὐκ ἐκωλύθησαν.* *Carthaginenſes, navigia ſua agnoſcentes, adnavigantes eos in Syracuſanorum portum non impedierunt.* Heic ἐκωλύθησαν pro ἐκώλυσαν poſitum eſſe, nemo negaverit.

διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς) Cod. *Alexandr.* pro ultimis verbis legit, *ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ*, quam lectionem a *Vulg.* etiam & *Syro* expreſſam, veriorem judicat *Thom. Smithius* pag. 193. ideo, quod quamvis altera illa eundem fundat ſenſum, hæc tamen rem magis exſerte exprimat. Præſtat vero in communiore lectione acquieſcere, inprimis cum mox ſequatur v. 4. *δι᾽ ὧν*, ſcilicet *δόξης καὶ ἀρετῆς*. *Beza* hæc ita vertit: *qui vocavit nos ad gloriam & virtutem*; minus recte, cum *διὰ*, genitivo junctum, nunquam per *ad* exponi poſſit, & male huc *Rom.* VI. 4. advocetur. Vide, quæ contra eum dixerunt *Vitringa* lib. I. Obſervationum cap. XVIII. pag. 219. ed. primæ. *Svicerus* Tom. I. pag. 706. *Hombergius* in Parergis pag. 363. & *Jo. Alberti* pag. 460. Senſus omnino eſt: *qui vocavit nos per gloriam ſuam & virtutem.* Dubium vero eſt, quid per *ἀρετὴν* intelligatur, utrum *virtus*, per quam ſe *benignum*, *ſapientem* & *potentem* hominibus in vocationis ſalutaris negotio exhibet Deus, an ſpeciatim *potentia*, quæ alias in eodem argumento ſolet prædicari? Ita *Epheſ.* II. 19. agnoſci vult Paulus, *τί τὸ ὑπερβάλλον. μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ.* *Potentiam* hanc ſpeciatim indicari multi ſtatuunt. Vide *Vitringam*, *Hombergium*, *Albertium* ll. cc. tum vero *Lambertum Bos* in Exercitatt. pag. 281. & *Joſ. Mede* in Fragmentis ſacris Tom. X. Opuſculorum a Crenio editorum pag. 247. Illi phraſin totam ita convertunt: *per glorioſam ſuam potentiam*, vel, *glorioſe & potenter.* Oſtendunt quoque, externis ſcriptoribus non ſolum *ἀρετὴν* de *potentia* dici, ſed ab iisdem *δόξαν καὶ ἀρετὴν* conjungi. Ita *Plutarchus* de vitioſo pudore pag. 535. *Πῶς οὐ παρίσταται δεινὸν εἶναι τὸ τῆς ἰδίας δόξης καὶ ἀρετῆς ἀφειδεῖν, ἵνα τὸ τοῦ δεῖνος βαλάντιον βαρύτερον γένηται: Qui non videtur flagitium, propriam gloriam ac virtutem prodigere, ut gravior fiat alterius crumena?* Similiter *S. Marcus* XIII. 26. Chriſtum ait venturum *μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης*, ubi vox *δύναμις* reſpondere videtur voci *ἀρετὴ* cum *δόξῃ* h. l. conjunctæ. Non nego, hanc expoſitionem egregiam ſpeciem habere; neque tamen prior illa illi eſt poſtponenda, per quam complexus quidam attributorum Dei in negotio vocationis ad ſalutem concurrentium ſignificari exiſtimatur. Huc pertinet, quod *Petrus* 1 ep. II. 9. ait: *ὅπως ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς.* Ibi vides non *ἀρετὴν* in ſingulari, ſed *ἀρετὰς* in plurium numero adhiberi, atque adeo plura virtutis divinæ in vocationis cauſa momenta indicari, qualia in eo manifeſta eſſe nemo negaverit. Per *ἀρετὴν* potentiam ſpeciatim indi-

cari

cari non puto, cum τῆς θείας δυνάμεως in eodem hoc commate facta ſit mentio. Porro dubito, an phraſis, διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς per hendiadyn exponi tuto de *glorioſa virtute* poſſit, cum Apoſtolus v. 4. non ſcribat δι' ἧς, ſed δι' ὧν, adeoque innuat, ſe de duobus capitibus heic loqui.

Verſ. 4. Δι' ὧν τὰ μέγιςα ἡμῖν καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται) *per quas maxima nobis & pretioſa promiſſa donavit.* Τὸ δι' ὧν, omnino pertinet ad antecedentem gloriam & virtutem, quemadmodum mox διὰ τούτων ſpectat ad ἐπαγγέλματα. Id non obſervarunt, qui in contextu ſcripſerunt δι' ὅν, quos *Caſtellio* præceps ſecutus eſt. De illuſtri hujus commatis argumento lege *Sebaſtianum Schmidium* in egregio libro de Imagine Dei pag. 289. & *B. Spenerum* in Reſponſis Theologic. German. Parte I. pag. 140. A Socinianorum ſtrophis locum vindicat *G. G. Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Socinifmi Altorfini pag. 672. & *Theodorus le Blanc* in Principes contra les Sociniens, Tom. II. pag. 189.

ἵνα διὰ τούτων γένησθε τῆς θείας κοινωνοὶ φύσεως) De communione hac divinæ naturæ ſingularibus diſſertationibus commentati ſunt *Michaël Waltherus* & *Joannes Andreas Quenſtedius* Wittebergæ, hic quidem an. 1681. ille an. 1689. poſtea vero *Joannes Conradus Klemmius*, Theologus Tubingenſis, Tubingæ 1708. Vide Nova Literaria Germaniæ an. 1708. pag. 468. Patrum cogitata leges apud *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tomo V. lib. II. cap. 9. & lib. IV. cap. 14. Eorum nonnullos parum caute, Myſticos vero Scriptores multo incautius in hoc argumento verſatos eſſe conſtat, de quo rectiora noſtrates tradunt, ubi de unione myſtica commentantur. Lege ſpeciatim *Scherzerum* ad Breviarium Hulſemanni cap. II. theſ. 26. Philoſophos paganos ſimili loquendi ratione uſos eſſe, apparet ex locis illis, quos *Gatakerus* in Cinno pag. 65. *Joannes Clericus* in Arte Critica Parte II. Sect. I. cap. 3. §. 6. & *Petrus Needhamus*, Anglus, ad Hieroclis commentarium in Aurea Carmina pag. 361. adducunt. Adde *Zentgravium* in Specimine antiquitatum moralium Diſſert. I. §. 15. & *Tobiæ Eckhardi* Technic. Sacr. p. 152. Cave autem, putes, κοινωνίαν hanc, de qua Petrus, non conditionis, aut originis eſſe longe nobilioris, quam quæ paganis illis in mentem venire potuerit. Nec magis credo, Apoſtolum ad phraſin aliquam Cabbaliſticam reſpexiſſe, quod fere ſuſpicatur *Ludovicus Cappellus* in Exercitat. ad locum Soharis pag. 262. quem locum recitavit *Amelius* Tomo II. der Erörterung p. 838.

ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς) Codices tres habent ἐπιθυμίας καὶ φθορᾶς, quæ ex ſciolo aliquo ingenio nata ſunt, ideo, quod ἐν κόσμῳ antecedit. Apoſtolus cupiditatem, tanquam inſtrumentum corruptionis hominum in mundo, adfert, ſicut Paulus *Epheſ.* IV. 22. ἄνθρωπον, ait, φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης.

Verſ. 5. Καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες ἐπιχορηγήσατε κ. τ. λ.) *etiam vos ſecundum*, vel *propter*, *hoc ipſum omne ſtudium conferentes ſuppeditate* &c. Pendet hoc comma, tanquam ἀπόδοσις, a comm. 3. tanquam προτάσει, hoc ſenſu: *quandoquidem divina potentia nobis donavit* &c. *etiam vos* &c. *Alexandr.* habet καὶ αὐτοὶ δὲ σπουδὴν, ſine τοῦτο, quæ lectio, a *Vulg.* expreſſa, placet quoque *Thomæ Smitho* pag. 198. qui per *membranas Ægyptias*, quas appellat, ipſum illum codicem *Alexandr.* intelligit. Mihi non dubium eſt, lectionem noſtram, tantum non communem, rectam eſſe. Eadem enim loquendi ratione, αὐτὸ τοῦτο Paulus frequenter utitur. Vide v. c. 2 *Corinth.* V. 5. VII. 11. *Galat.* II. 10. *Epheſ.* VI. 18. & 22. & *Coloſſ.* IV. 8. Neque opus erat, ut vox αὐτοὶ exprimeretur, quæ in participio παρεισενέγκαντες, & in admonitione ipſa, ἐπιχορηγήσατε, jam lateat. Obſcurum vero heic eſt, a quo illud, αὐτὸ τοῦτο pendeat. *Oecumenius* habet εἰς αὐτὸ τοῦτο. Alii τὸ εἰς in verbo παρεισενέγκαντες jam exſtare, atque ad voces illas referri debere, contendunt, inter quos eſt *Eraſmus Schmidius* ad h. l. & *Joannes Alberti.* Alii denique διὰ ſubintelligi volunt, ut *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 342. Alii κατὰ, ut *Hombergius* pag. 364. & *Schætgenius* ad *Lambertum Bos* de Ellipſi Gr. L. pag. 341. Particulam εἰς in voce παρεισενέγκαντες huc referri poſſe non crediderim. In aliis enim ejusmodi verbis id fieri non memini. Ita *Paulus* Rom. V. 20. νόμος δὲ παρεισῆλθεν, *Galat.* II. 4. οἵτινες παρεισῆλθον. *Petrus* infra II. 1. παρεισάξουσιν αἱρέσεις. In his locis omnibus τὸ εἰς verbo ſuo ita relinquitur, ut non reſpiciat ad nomen aliquod, quod ab illo pendeat. Malim itaque ſubintelligere vel κατὰ, vel διὰ. Prius illud ſæpe in oratione omitti conſtat ex *Lamberto Bos* de Ellipſi loc. cit. pag. 333. ſpeciatim in phraſi τὰ λοιπὰ, τἄλλα, *quod ad cetera attinet*, & ſic in τὰ δυνατὰ, *pro facultatibus*. Senſus fuerit: *etiam vos ſecundum illud ipſum*, quod nempe de divinæ potentiæ, gloriæ & virtutis in vos ſtudio dixi, *ſtudium omne adhibentes* &c. Ita potentia & gratia divina repræſentaretur inſtar exempli, quod a credentibus imitatione ſit exprimendum. *Petrus* 1 epiſt. I. 15. ſimili adhortatione utitur in his verbis: ἀλλὰ κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε. Si διὰ ſubintellexeris, ſenſus æque commodus naſcetur, nempe hic: *propter hoc ipſum* (quod nempe Deus tam beneficum ſe vobis præſtitit) *vos etiam ſtudium adhibentes* &c. Præpoſitionem vero διὰ ante accuſativum ſæpe ἐλλείπειν, oſtenderunt *Lamb. Bos* de Ellipſi pag. 305. & *Raphelius* ad h. l. ex Xenophonte, lib. I. Cyropædiæ pag. 17. ταῦτ᾽ ἄρα ἐνεώρας μοι, *propterea igitur me intuebaris.*

ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετὴν) *ſubminiſtrate in fide veſtra virtutem.* De verbo ἐπιχορηγεῖν diximus ad 2 *Corinth.* IX. 10. ubi idem eſt, quod *ſuppeditare*, nec alio ſenſu occurrit *Galat.* III. 5. *Coloſſ.* II. 19. & heic infra v. 11. Si *Knatchbullum* ad h. l. audis, reſpexiſſe videtur Apoſtolus ad anti-

antiquum morem ducendi choros, cum ἐπιχορηγεῖν proprie ſignificet *chorum ducere*, in choris vero συνεπλέκοντο ἀλλήλοις, i. e. *invicem complicarentur*, aliique, aliis famulantes vel miniſtrantes, ſe invicem ſuſtinerent. *En vero hic bellum*, ita pergit, *Gratiarum chorum, ubi chorum ducit fides, eique invicem complicatæ famulantur reliquæ Gratiæ, ſeſe mutuo ſuſtinentes.* Cogitata hæc ad rem ipſam ſatis ſunt accommodata; neſcio tamen, an ex ipſius vocis uſu apud Scriptores probanda. Apud eos enim ἐπιχορηγεῖν pro, *chorum ducere*, invenire me non memini. Confer interim Vener. *Valentini Erneſti Læſcheri* Decimas Evangelicas Parte III. pag. 117. Pro, ἐν τῇ πίστει unus Codex legit τῇ πίστει ſine addito ἐν, quod librario illi fortaſſe viſum eſt ſuperfluum, & ad vocem πίστει referendum, ut intelligeretur, *fidei* ſuperaddenda eſſe ea, quæ ſequuntur, nempe ἀρετήν, γνῶσιν &c. Propterea & *Smithus* pag. 198. verti vult ſimpliciter, *fidei veſtræ*. Enimvero per ἐν illud fides inſtar fontis repræſentatur, ex quo ἀρετή, ſeu *virtus* in univerſum, hinc vero reliqua omnia petantur & deriventur. τὸ ἐν idem eſt, quod *per*. Per ἀρετήν heic nonnulli non virtutem, aut virtutis ſtudium in genere, ſed *conſtantiam virilemque animum* intelligi volunt. Inter hos eſt *Smithus* loc. cit. & ex noſtratibus *Zeltnerus* in notis ad verſionem Biblicam pag. 212. Non nego, hanc notionem externis Scriptoribus admodum frequentari. Malim tamen eam tenere, quæ *Philipp.* IV. 8. occurrit: ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετή, καὶ εἴ τις ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθω.

ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν γνῶσιν) Cum de virtutibus heic ſermo ſit, γνῶσιν non de ſcientia theoretica, ſed prudentia & ſapientia, in vitæ uſu probata, accipio, quo ſenſu eandem vocem 1 epiſt. III. 7. adhiberi ſupra oſtendi. Ceterum de ſingulis his capitibus, quæ usque ad v. 7. enumerantur, lege Vener. *Læſcherum* in Decimis Evangelicis Parte I. pag. 118. & *Sebaſtianum Schmidium* de Imagine Dei loc. cit.

Verſ. 8. Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα) Poſtremas duas voces omiſit *Æthiops*, quas ideo *Millius* in Prolegom. ab annotatore aliquo profectas putat. Cum vero manifeſtum ſit, Apoſtolum h. l. vitæ ſanctioris ſtudium vehementer urgere, facile patet, eundem hac voce id indicare voluiſſe, quod opera danda ſit, ut idem majus ſubinde incrementum capiat. Ita Paulus *Philipp.* IV. 17. καρπὸν πλεονάζοντα in Philippenſibus eſſe cupit, & in Theſſalonicenſibus laudat ἀγάπην πλεονάζουσαν 2 epiſt. I. 3.

οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν) Ακαρπον & κενὸν *Plutarchum* de audiendis Poëtis pag. 15. conjunxiſſe: τὸ γλυκὺ τοῦ λόγου καὶ ἄγωγον οὐκ ἄκαρπόν ἐστιν οὐδὲ κενόν, obſervavit *Lambertus Bos* pag. 282. De voce ἄκαρπος diſſerit etiam *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Tomo I. pag. 68. b.

Verſ. 9. Ω γὰρ μὴ πάρεςι ταῦτα, τυφλός ἐςι, μυωπάζων) Verbum μυωπάζειν diligentiſſime expoſuit magnus *Bochartus* in Hierozoico lib. I. c. 4. Tom. I. Operum pag. 31. ſeq. Quatuor ſcilicet ejus ſignificatus ab Interpretibus adhuc ſunt allati. *Vulg.* vertit: *manu tentans;* & ſic B. *Lutherus* plenius *Eraſmus: manu viam tentans.* Alii, ut *Syrus* & *Arabs*, per *cæcutiens*, vel *plane cæcus.* Aliis idem eſt, quod μύωψ, qui proxima tantum videt. Quarta interpretatio eſt eorum, quibus μυωπάζειν idem eſt, quod *oculos claudere, nictare, connivere.* Hanc amplectitur variisque argumentis idoneis adſtruit *Bochartus* loc. cit. Grammatici veteres ita fere accipiunt, ex quibus *Heſychius* & *Suidas* per καμμύειν, i. e. *oculos claudere*, explicant. Idem patet ex origine verbi, cum μυωπάζειν nihil aliud ſit, quam μύειν τὰς ὦπας, *oculos claudere. Itaque τυφλὸς μυωπάζων is dicitur, qui ideo cæcus eſt, quia ſponte claudit oculos, ut ne videat, aut qui videre ſe diſſimulat, quod vel invitus cernit.* Habes ſummam eorum, quæ pro hac interpretatione dixit *Bochartus*, apud quem plura leges, niſi ad manus ſit *Svicerus*, qui Tomo II. pag. 383. ſeq. omnia ejus deſcripſit. Phraſi Apoſtolicæ ſimilis eſt illa *M. Antonini* IV. 29. τυφλὸς, ὁ καταμύων τῷ νοερῷ ὄμματι. Confer *Gatakerum* ad lib. II. 13. & IV. 29. Adde quoque, ſi placet, *Sauberti* Palæſtram p. 318.

λήθην λαβὼν τῦ καθαρισμῦ) Similis fere phraſis eſt *Herodoti*, ab *Æmilio Porto* in Lexico obſervata: λήθην ἐκείνυ ποιεύμενος.

Verſ. 10. Διὸ μᾶλλον, ἀδελφοὶ, κ. τ. λ.) Lege *J. G. Baieri* Analyſin & Vindicias dictorum Scripturæ Sacræ illuſtrium Parte II. pag. 121. ubi & comma ſequens explicatur. Adde *V. E. Laſcheri* Decimas Evangelicas Parte VI. pag. 286.

Verſ. 11 - 18. explicantur ab *Henrico Moro* in Operibus Theolog. Lat. pag. 206.

Verſ. 11. Ουτω γὰρ πλυσίως ἐπιχορηγηθήσεται ὑμῶν ἡ εἴσοδος) De verbo ἐπιχορηγέω lege ſupra ad v. 5. ad quem oculos retuliſſe videtur Apoſtolus, indicaturus, ſi ipſi ἐπιχορηγήσυσι ἐν τῇ πίςει τὴν ἀρετὴν, fore etiam, ut ἐπιχορηγηθῇ ἡ εἴσοδος &c. *Henricum Stephanum* legere maluiſſe ἐπιχορηγηθῇ monet eruditus Auctor Prolegomenorum in accuratiſſimam Novi Teſtamenti editionem pag. 172. Quo loco, aut quibus argumentis adductus id ſuſpicatus fuerit, neſcio, nec intelligo. De voce εἴσοδος lege *Svicerum* Tomo I. pag. 1042.

Verſ. 12. Διὸ ὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν) *Alexandr.* habet διὸ μελλήσω, alius διὸ ὐ μελλήσω. Confer *Joannem Baptiſtam Cotelerium* Tomo I. Patrum Apoſtol. pag. 16. ad epiſtolam Barnabæ. Receptam lectionem probat *Millius* ad loc. at in Prolegomen. §. 1040. ait, phraſin duriorem effeciſſe, ut alii mutarent in ὐ μελλήσω vel ὐκ ἀμελήσω.

Verſ.

Verſ. 13. *ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι*) *Σκήνωμα* h. l. denotat corpus, ſicut *σκῆνος* 2 *Cor.* V. 1. ubi vide quæ ſcripſi.

διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει) *Ὑπόμνησιν* minus eſſe, quam *παράκλησιν* ex *Polybio* pag. 360. *ὑπομνήσεως μόνον, παρακλήσεως δ' οὐ προσδεῖ*, obſervat *Raphelius* pag. 704.

Verſ. 14. *Εἰδὼς, ὅτι ταχίνη ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου*) Ita per *εὐφημισμὸν* obitum imminentem deſcribit Apoſtolus. Confer *Ritmeieri* diſputationem de nomenclaturis mortis emphaticis §. 3.

καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐδήλωσέ μοι) Ex his verbis nata eſſe videtur viſio illa, quam Petro proxime ante mortem a Chriſto oblatam veterum quidam tradiderunt. Vide B. *Ittigii* Selecta Capita Hiſt. Eccleſ. Sec. I. cap. VI. §. 6. Ad Domini noſtri vaticinium *Joh.* XXI. 18. alludi, non inepte ſuſpicatur *Smithus* p. 208. ad h. l.

Verſ. 15. *Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς κατὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι*) *Operam autem dabo, ut ſemper etiam poſt exitum meum poſſitis horum mentionem facere.* Verbum *ἔχειν* heic idem eſt, quod *poſſe*, ut *Matth.* XVIII. 25. *Luc.* VII. 41. & *Marc.* XIV. 8. Vide *Ludovicum Cappellum* in Spicilegio notarum ſuper Novum Teſtamentum pag. 132. ubi eadem opera contra *Vulgatum*, ambigue & barbare hæc interpretantem, diſputat. Recte itaque verſio Gallica *Montenſis* ab illo diſceſſit, cujus vindicias adverſus Malletum lege in continuata illius defenſione pag. 492. ſqq. Oſtendit illa poſt *Eſtium*, *Cajetanum*, & alios ex ipſis Pontificiis, Apoſtolum de literis ſuis loqui, quibus efficere ſtudeat, ut admonitionum ſuarum memoriam etiam poſt obitum ſuum ſibi refricent. Itaque non dicit Petrus, quid ipſe, fatis functus, ſed quid credentes, poſt fata ejus, ſint facturi. Hanc mentem clarius, quamvis præter rem, exprimere conatus eſt librarius aliquis, qui in Codice, a *Millio* allato, ſcripſit *σπουδάσατε δὲ*, quod tamen & *Syrus* expreſſit. De voce *ἔξοδος*, i. e. *obitus*, lege *Ritmeieri* diſputationem de nomenclaturis mortis emphaticis §. 2. ſeqq. *Gatakerum* ad M. Antonin. II. 11. & *Svicerum* Tomo I. pag. 1142. *Μνήμην ποιεῖσθαι* dixit etiam *Polybius* p. 387. & 400. obſervante *Raphelio.*

Verſ. 16. *Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες κ. τ. λ.*) Vide *Joannis Sauberti* Opera poſthuma pag. 288. *Amelium* Tomo I. der Erörterung, pag. 617. ſeqq. Miſcellanea Lipſienſia Tomo VIII. pag. 14 *Jacobum Elsnerum* pag. 411. & *Petrum Zornium* Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 226. ſeqq. ubi de ritibus ſacrarum concionum in ſacris gentium commentatur. *Fabulas arte compoſitas* ſe *conſectatum* eſſe negat Apoſtolus. Eadem fere phraſi utitur Joſephus in Antiquitatum Judaicarum procemio pag. 4. editionis Havercampianæ, ubi Moſen legislatorem confert cum illis paganorum

 his

his omnino verbis: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι νομοθέται τοῖς μύθοις ἐξακολουθήσαντες, τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτημάτων εἰς τοὺς θεοὺς τῷ λόγῳ τὴν αἰσχύνην μετέθησαν καὶ πολλὴν ὑποτίμησιν τοῖς πονηροῖς ἔδωκαν. ὁ δ᾽ ἡμέτερος νομοθέτης ἀκραιφνῆ τὴν ἀρετὴν ἔχοντα τὸν Θεὸν ἀποφήνας ᾠήθη δεῖν τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνης πειρᾶσθαι μεταλαμβάνειν, καὶ τοὺς μὴ ταῦτα φρονοῦντας μηδὲ πιστεύοντας ἀπαραιτήτως ἐκόλασε. Alii namque Legislatores, fabulas ſecuti, pudenda hominum peccata ad Deos verbis transtulerunt, multamque dederunt impiis ſemet excuſandi materiam: at noſter Legislator; oſtenſo, Deum virtutem habere puram & defæcatam, homines ſumma ope niti debere cenſuit, ut de ea participent; in eosque, qui neque ſapiunt hæc, neque credunt, ſevere admodum animadvertit.* Per hos *μύθους* nonnulli *μυθολογούμενα inter Gentiles infinito numero & admirabili arte adinventa de variis Diis, eorumque ortu* &c. intelligi volunt, inter quos eſt *Hermannus von der Hardt*, in præfatione ad Lutheri commentarium in Scripturam Sacram pag. 95. Alii vero eas ſpeciatim, quibus *ἐπιφάνειαι* & *ἐπιδημίαι* deorum efficaces credebantur, & ſaluberrimæ, quæ aut ægris ſalutem, aut adflictis ſolatium, aut laborantibus præſidium adferrent. Ita ſtatuit *Ezechiel Spanhemius* Tomo I. de præſtantia & uſu Numiſmatum pag. 426. *Jacobus Elsnerus* pag. 411. & *Amelius* loc. cit. eo ſcilicet argumento ducti, quod ſtatim *δύναμις* & *παρουσία* Chriſti commemoratur. Alii denique omnes illas fabulas & orationes ſignificari contendunt, quæ vel a Philoſophis, vel ab hæreticis eo tempore circumferebantur. Accipe hanc in rem *Thomæ Smithi* verba pag. 211. commentarii: *Μύθοι*, inquit, *σεσοφισμένοι ſunt fabulæ, & orationes ejusmodi, quibus utuntur Sophiſtæ, ut ſecurius fallant, arte quadam & ſpecie veri & σοφίας, ſive ſapientiæ confictæ & compoſitæ, & eo fine ſubdole elaboratæ, ne fraudulentum iſtud propoſitum, quod latet, deprehenderetur. Ita quidam e Philoſophis, famæ & honori velificantes, abſurda ſua dogmata, quæ quivis vel mediocris ingenii, ſi nude proponerentur, facile rejeciſſet, artificioſis ſubtilitatibus incruſtarunt; ita hæretici, qui γνῶσιν ſeu ſcientiam cœlitus ſibi illapſam præ ſe tulerint, fabulas plane Sophiſticas concinnarunt, novasque revelationes venditantes, diſcipulorum aures verbis affabre confictis demulſerunt* &c. Quando ego recogito, epiſtolam hanc ad Ex-Judæos pariter ac Ex-Gentiles exaratam eſſe, veri mihi fit ſimile, Petrum ad omnes ejusmodi fabulas & *παράδοξα* ſpectaſſe, quæ tum inter Chriſtianos ex præpoſtera vel paganorum Philoſophorum, vel Cabbaliſtarum, genealogias ſuas crepantium, imitatione hauſta, ſpargi cœperant. Ceterum ex hac phraſi *Eliam Benoit* pro plebeja & idiotica ſcribendi ratione Apoſtolorum gratis diſputaſſe, poſt *T. H. Honertum* in diſſertatione de Stylo Novi Teſtamenti Græco pag. 263. oſtendit *Georgius* in Hierocritico Novi Teſtamenti pag. 101. qui inter cetera *Xenophontis* ex libro de Venatione pag. 787. locum affert, quo negat, ſe *σεσοφισμένως λέγειν*, i. e. Sophiſtarum, ſeu Rhetorum more ſcribere. Quemadmodum vero hinc *Xenophonti* plebeja & impura ſcribendi ratio male tribueretur; ita non rectius eadem

ex

ex hac phraſi adſcriberetur Apoſtolo, cui non de dictione, ſed de rebus & argumentis, quæ promulget, ſermonem eſſe vel ex ipſa phraſi, ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν δύναμιν καὶ παρουσίαν, apparet. Voce σοφίζομαι utitur *Ariſtophanes* Νεφέλ. v. 547. de Rebus novis in medium allatis:

Ἀλλ' αἰεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρω (fortaſſe legendum εἰσφέρων, ſicut v. 546. εἰσάγων) σοφίζομαι
Οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας, καὶ πάσας δεξιάς.

B. *Lutherum* recte per kluge Fabeln expreſſiſſe oſtendit *Balthaſar Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 592. Verbi ἐξακολουθεῖν eadem notio eſt, quæ τοῦ παρακολουθεῖν, quod exſtat *Luc.* I. 3. ubi vide, quæ ſcripſimus. In *Joſephi* l. c. codices quidam habent παρακολουθήσαντες.

ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύναμιν καὶ παρουσίαν) Sunt, qui τὴν παρουσίαν Chriſti de imminente tunc temporis Judæis judicio accipiunt cum *Hammondo*, quem ſenſum ſi non neceſſario, ſaltem commode admitti poſſe etiam *Smithus* cenſet pag. 216. Alii futurum Domini adventum ad judicium univerſale indicari putant, inter quos eſt *Coccejus.* Alii denique de adventu Chriſti in carnem jam facto, & altero, qui exſpectatur, ad judicium, Petri verba interpretantur. Malim eos ſequi, qui *de adventu Chriſti in carnem*, operibusque cum illo conjunctis τὴν δύναμιν καὶ παρουσίαν accipiunt. De eo enim Apoſtolus heic exponit, quod aliis prædicavit. Quis vero negaverit, præconii hujus argumentum præcipuum fuiſſe τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ εὐαγγελίου. 2 *Timoth.* I. 10? Quis porro negaverit, cum hoc adventu conjunctam fuiſſe *potentiam*, quam Dominus non ſolum exſeruit διδάσκων, ὡς ἐξουσίαν ἔχων *Matth.* IX. 8? Ad hunc *adventum* ad hanc *potentiam*, opere demonſtratam, reſpicere Apoſtolum ex eo dubitari non poteſt, quod mox ad αὐτοψίαν provocet, quam etiam Johannes 1 ep. I. 1. & I. 14. Evangelii urget. Lege in hanc ſententiam plura apud *Calovium* noſtrum. Perinde vero fuerit, ſive phraſin hanc ſeparatim de potentia & adventu Chriſti, ſive per ἓν διὰ δυοῖν, de *potente adventu*, cum *Grotio* & *Elſnero* interpreteris. Num vero Petrus ſimul ad venditatas a Gentilibus Deorum ſuorum ἐπιφανείας reſpexerit, parum habeo exploratum, facilius id mihi perſuaſurus, ſi eadem ἐπιφανείας voce, quam Gentiles de hoc argumento adhibere ſolent, uſus fuiſſet. Vide interim, quæ de illis ad h. l. erudite attulerunt *Elſnerus* & *Amelius.* Confer & *Joannis Gottlob Nimptſchii* diſſertationem ſingularem de ἐπιφανείαις θεῶν, Lipſiæ 1720. & *Jac. Nyloë* Schriftuurlycke Redevoeringen pag. 163. ſeq.

ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος) Voce ἐπόπται ad ſacra Gentilium, & ſpeciatim Eleuſinia alludi non dubitat *Honertus* l. c. pag. 263. De illa vide, quos adferunt, auctores *Elſnerus* pag. 413. *Amelius*

lius pag. 620. &, qui idem eſt, *Petrus Zornius* Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 236. ſeqq. ubi & pag. 242. per μεγαλειότητα ad *Cabiros* ſeu Deos magnos alludi putat, qui non modo apud Samothracas, ſed & alibi culti fuerint.

Verſ. 17. λαβὼν γὰρ παρὰ Θεῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν) ſc. ἦν, *acceperat enim* &c. Sic *Hebr.* XII. 15. ἐπισκοπῦντες, μή τις ὑςερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τῦ Θεῦ ſcil. ᾖ. Plura ejusmodi exempla, ubi participia verbo auxiliari deſtituuntur, collegit *Knatchbullus* ad *Eph.* IV. 1.

ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεπῦς δόξης) Simili phraſi *Herodotus* libro IV. pag. 282. ἑορτὴν μεγαλοπρεπέα κάρτα, *feſtum magnifico apparatu* celebratum dixit.

Verſ. 18. Καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἠκύσαμεν ἡμεῖς) Vide nos ad *Matth.* XVII. 1. 7.

Verſ. 19. Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον κ. τ. λ.) Comma hoc una cum duobus ſequentibus ſingularibus diſſertationibus expoſuerunt ex noſtratibus *J. B. Carpzovius* de petra fidei, Lipſiæ 1688. in Diſſertatt. ejus Theologic. pag. 760. ſeqq. recuſa, *Gothofredus Cundiſius* in Analyſi Oraculi Sacri, Jenæ 1650. *Joannes Deutſchmannus* de firmitate pariter & fidelitate Scripturæ Sacræ, Wittebergæ 1688. *Iſaacus Fauſtius* in duabus, altera de certitudine & claritate; altera, de perfectione Scripturæ Sacræ, Argentorati 1663. & 1664. *Balthaſar Raithius* de principio Theologiæ, Tubingæ 1656. *Joannes Scharfius* de principio fidei, Wittebergæ 1652. *Sebaſtianus Schmidius* de Scriptura Sacra, ἐξοχικῶς accepta, Argentorati 1664. & 1702. & *Bernhardus Wagnerus* de Illuminatione ſpirituali, ibidem 1706. Alios Theologos noſtrates, qui data opera paſſim huic oraculo lucem affuderunt, copioſe recitat B. *Severinus Lintrupius* in Lineamentis Protheoriæ Theologicæ, ubi h. l. tanquam ſedem articuli de Sacra Scriptura adfert. Ex Philologia ſpeciatim illuſtrare illa inſtituerunt *Hermannus von der Hardt* in præfatione ad nervoſum Lutheri in Scripturam Sacram commentarium, Helmſtadii 1708. 8. & *Joannes Georgius Lakemacherus* Obſervationibus Philologicis Parte II. pag. 166. ſeqq. Adde illis ex Reformatis *Joannem d' Outrein* in *Reden van Vreeze en hope*, Parte I. cap. 4. *Joannem Melchiorem* Tomo II. Operum pag. 668. *Joannem Marckium* in Faſciculo Diſſertationum ad Selectos locos Novi Teſtamenti, Lugduni Batavorum 1727. edito, Exercit. XXV. *Hermannum Alexandrum Roellium* in diſſertatione prævia ad Samuelis Zatmari Nemethi commentarium in Zachariam, & *Gothofredum Jungſtium* in Aphoriſmis Theologicis, Bremæ 1714. Ex Pontificiis huc ſpectat *Auguſt. Calmeti* diſſertatio de librorum Sacrorum inſpiratione, quæ inter Prolegomena ejus & diſſertationes ſacras, Latine converſas & Lucæ editas, exſtat Tom. II. pag. 289. ſeqq.

Verſ.

Verſ. 19. Καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον) Compara ad hoc comma ex Reformatis *Hermannum Witſium* in Miſcellaneis Sacris lib. I. cap. 11. §. 4-10. & ex noſtratibus M. *Chriſtophorum Wolle* de Parentheſi Sacra pag. 49-60. Vocem βεβαιότερον plerique Interpretes per enallagen graduum vertunt *firmiſſimum* cum *Beza*, alii *firmum*, ut *Syrus* & B. *Lutherus* noſter; alii comparativum retinent cum *Eraſmo Schmidio*, inter quos eſt *Thomas Smithus* pag. 224. & *Wollius* de genuina Comparativorum ac Superlativorum Sacræ Scripturæ explanatione, quæ Examini regularum Hermeneuticarum Auguſt. Calmeti ſubjecta eſt, p. 146. ſqq. quamvis idem in illa de Parentheſi commentatione pag. 53. pro ſuperlativo pugnet. Scilicet utraque ſententia præſidiis ſuis non deſtituitur. Pro comparativo ita diſſerit *Smithus* pag. 224. *Licet gloria & majeſtas Chriſti ita nobis Apoſtolis apparuerit clariſſimis biſce cœleſtibus indiciis firmata; tamen ad vaticinia de Chriſto, longe antequam naſceretur, quæ biſce apparitionibus firmiora ſunt, ſaltem reſpectu veſtri, qui ſacra hæc oracula, Deo inſpirante edita, colitis & inconcuſſa fide amplectimini, provocamus. Inde firmamentum fidei noſtræ in Chriſtum, uti in verum Meſſiam, petimus: ab horum auctoritate, cui nemo ex vobis citra crimen pervicaciæ poſſit refragari & obſiſtere, toti pendemus. Reſpectu illorum, ad quos ſcribit Apoſtolus, ſermo propheticus firmior eſt, quia de auctoritate Prophetarum nulla lis apud eos oriebatur. Vocem vero illam cœleſtem, ſolis tribus auditam, tanquam fictam calumniari & rejicere poterant homines immodeſti & perverſæ mentis, cum Prophetarum fidem in dubium vocare nunquam auſuri eſſent.* Mihi quidem illi placent, qui *firmum*, vel *firmiſſimum* ſermonem Prophetarum, h. e. Scriptorum Veteris Teſtamenti dici h. l. arbitrantur, ſine habito ad vocem illam divinam reſpectu. Apoſtolus enim in eo eſt, ut præſidia præconii Apoſtolici de Chriſto, tanquam Domino noſtro enarret. Illa vero tria ſunt. Primum hoc eſt, quod μεγαλειότητα Chriſti *viderint*; alterum, quod teſtimonium ex cœlo divinum *audiverint*; tertium, quod vaticinia de eodem Prophetica, tanquam omni exceptione majora & firmiſſima *legerint*. Cumulare Apoſtolum argumenta ejuſdem generis ex eo patet, quod ſcribit, καὶ ἔχομεν, i. e. *habemus præterea*. Quod ſi ultimum hoc in reſpectu ad vocem Dei auditam *firmius* dicere voluiſſet, ſcripturus, credo, erat: ἔχομεν δέ. Scilicet Apoſtolus non hæc adfert, ut illi, ad quos ſcribebat, intelligerent, quibus præſidiis ipſi inniti deberent, ſed enarrat, quibus argumentis Apoſtoli ipſi de veritate præconii ſui ſint convicti. Ita vero vox divina e cœlo audita eandem omnino fidem apud ipſos habebat, quam vaticinia Prophetarum. De ſe autem & reliquis Apoſtolis loqui hæc Apoſtolum, ex eo etiam apparet, quod ſub finem hujus commatis ſermonem convertit ad eos, ad quos ſcribebat: ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, i. e. *cui* (ſermoni Prophetico) *& vos recte attenditis.* Confer, quæ pro hac ſententia diſputantur ab Anonymo Anglo in *Remarks on ſome books* pag. 52. ſeq. Minime omnium probandus eſt *Michaël Mauduit*

Digitized by Google

in diſſertatione ſingulari, quæ Tomo II. Analyſeos epiſtolarum Apoſtolicarum, pag. 690. ſeqq. legitur, ſermonem propheticum *firmiorem* dici contendens, reſpectu μύθων σεσοφισμένων v. 16. Neque enim credibile eſt, Apoſtolum ſpecioſas ejusmodi ineptias cum oraculis Propheticis etiam hoc modo comparare voluiſſe. Ceterum ex h. l. B. *Albertus Feldenius* Propheticum ſtudium noſtris etiam temporibus gnaviter urgendum eſſe, contendit in Decade I. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis, Obſervat. X. *Iſ. Newtonus* προφητικὸν λόγον de Apocalypſi Joannea, tanquam libro Prophetico nove accipit, de quo infra in Prolegomen. ad Apocalypſin dicemus.

ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες) i. e. *cui merito, recte, præclare animum advertitis*, ut recte interpretatur Cl. *Elsnerus* pag. 414. adducto loco ſimili ex *Actor*. X. 33. & externorum nonnullis. Memini, *Libanium* in epiſtolis ſuis ſæpe eadem phraſi uti.

ὡς λύχνῳ φαίνοντι) Alludi heic ad lucernas ſacras, nocturno tempore accendi ſolitas, & usque ad luciferi ortum ardentes, quibus Judæi inprimis attendere ſolebant, ſuſpicatur B. *Daſſovius* Diſputat I. de Emphaſi Sacrarum vocum pag. 35. ſeqq. Ad lychnuchum, ſive candelabrum illud aureum, quod ſanctum tabernaculi templique ſpatium illuminavit, ſpeciatim reſpici contendit *Joannes Gothofredus Lackemacherus*, Vir doctiſſimus, Parte II. Obſervationum Philologicarum, Obſervat. VI. pag. 166. ſeqq. Per λύχνον itaque non lucernam aliquam vulgarem, ſed candelabrum templi, per αὐχμηρὸν τόπον vero non locum obſcurum quemvis, ſed ſacrum templum intelligit. Lege in eandem ſententiam *Petrum Zornium* ad Hecatæi Abderitæ Eclogas pag. 141. ſeqq. Mihi quidem ſimplicius & convenientius λύχνος de lucerna quavis, locus vero obſcurus de re caliginoſa intelligi videtur. Verbum enim Dei cum lucerna, viam præmonſtrante, paſſim comparatur; v. c. *Pſalm*. CXIX. 105. λύχνος τοῖς ποσί μȣ ὁ νόμος σȣ, καὶ φῶς ταῖς τρίβοις μȣ. Confer *Proverb*. VI. 23. Quod ſi Apoſtolus ad candelabrum ſacrum reſpexiſſet, λυχνίαν, puto, dixiſſet. Illud enim λυχνία perpetuo appellatur a τοῖς LXX. quemadmodum candelæ, illi impoſitæ, vocantur λύχνοι. Vide *Exod*. XXV. 37. XXXV. 13. XXXVII. v. 26. &c.

ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ) *Henricus Stephanus* legi mavult ἀμαυρῷ ſine ullius codicis exemplo.

ἕως ȣ̂ ἡμέρα διαυγάσῃ καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν) Cl. *Lakemacherus* loc. cit. pag. 183. hæc ex Codice Talmud. *Tamid* cap. III. §. 3. ubi quovis mane ante Solis ortum in locum quendam templi editum aſcendiſſe aliquis, & aurora obſervata ברקאי· *illuceſcit*, exclamaſſe traditur, illuſtrans, hunc ſenſum elicit: *Simili modo Prophetarum vaticinia lucebant, donec*

nec Sol oriretur, b.e. vim quandam inſignem in eorum, qui de Chriſti rebus dubitarent, animis exſerebant, aut exſerere ſaltem poterant, donec fulgentior Evangelii lux omni ignorantiæ, erroris aut dubitationis nocti finem imponeret. Alio modo rem inſtituit Cl. *Wolle* de Pareñtheſi Sacra pag. 57. *Ex dictis*, inquit, *elucet, verbum Moſaicum, typicas deſcribens umbras, cum obſcuro loco; verbum autem Propheticum cum lucerna; verbum denique Apoſtolicum cum clariſſima diei comparari luce, particulamque* ἕως *non aliter ac comparative accipiendam eſſe.* Mihi quidem ita videtur. Apoſtolus commendat ſtudium & ſcrutinium ſermonis Prophetici, quoad ille ad Chriſtum ducit 1. *Pet.* I. 10. Hic ſermo comparatur cum lucerna in obſcuro loco lucente. Obſcurior locus in apodoſi ſunt αἱ καρδίαι, ſive corda hominum. Hæc demum recte illuſtrantur, ubi Chriſtus pleniſſime agnoſcitur. Hic eſt ἡμέρα διαυγάζουσα & φωσφόρος ἀνατέλλων. Ita Chriſtus appellatur φῶς ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον. *Joh.* I. 9. Hic eſt, ὁ ἀςὴρ ὁ ἀληθινὸς καὶ ὀρθρινὸς, *Apocalypſ.* XXII. 15. hic ἐπιφάνει, *Epheſ.* V. 15. Id itaque Apoſtolus vult, ut credentes Propheticum illum ſermonem magis magiſque ſcrutentur, quo ad pleniorem Chriſti, tanquam φωτὸς ἀληθινοῦ cognitionem perveniant. Hanc ſupra urſerat cap. I. 8. ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους ὑμᾶς καθίςησιν εἰς τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ ἐπίγνωσιν. Confer in eandem ſententiam *Elsnerum* pag. 414. Non video heic ullum veſtigium comparationis verbi Moſaici, in typicis umbris occupati, cum ſermone Prophetico, nec Prophetici cum Apoſtolico; ſed Propheticum verbum ſimpliciter commendatur, tanquam quo & Apoſtoli ipſi uſi ſint, quod ex orationibus eorum, ad convertendos habitis, patet, & ipſi credentes uti perpetuo debeant. Ex his apparet, fieri vix poſſe, ut verba illa ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν referamus ad phraſin antecedentem, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, quod fieri vult idem *Wollius* loc. cit. pag. 55. ita, ut tota illa ſententia, ὡς λύχνῳ φαίνοντι —— ἀνατείλῃ per parentheſeos notam a reliquis ſeparentur. Frequens in N. F. phraſis eſt προσέχειν τινὶ, v. c. προσέχειν μύθοις, 1. *Timoth.* I. 4. & *Tit.* I. 14. προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, 1. *Timoth.* IV. 13. προσέχειν ταῖς ἀκουσθεῖσι, *Hebr.* II. 1. Nunquam vero, quoad memini legeris illam, προσέχειν ἐν τῇ καρδίᾳ. Neque juvat virum doctum, quod ad προσέχειν intelligenda ſit vox νοῦς, ut per eam intellectus indicetur, καρδίαι vero ad voluntatem referantur. Ut enim hoc admittamus, ſaltem unum hujuſmodi locutionis & ſtructuræ exemplum erat adferendum. Id vero non invenitur *Actor.* XVI. 14. ἧς ὁ Κύριος διήνοιξε τὴν καρδίαν, προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου. Imo vero locus ille potius evincit, καρδίαν in notione *voluntatis* ad προσέχειν non pertinere, ſed illam quidem, nempe voluntatem, ſeu deſiderium, præviam eſſe debere attentioni, ſi quis προσέχειν velit τὸν νοῦν, h. e. intellectum adhibere ad percipienda ea, quæ proponantur. Ut vero inſolens phraſis eſt, προσέχειν τὸν νοῦν ἐν ταῖς καρδίαις, ita nihil obſtat, quo minus ἀνατέλλειν conjungatur cum ἐν ταῖς καρδίαις. Simili phraſi utun-

tur οἱ LXX. *Jeſ.* LVIII. 10. τότε ἀνατελεῖ ἐν τῷ σκότει τὸ φῶς σȣ, & *Pſalm.* XCVI. 12. φῶς ἀνέτειλε τῷ δικαίῳ, καὶ τοῖς ἔθνεσι, & *Malach.* IV. 2. καὶ ἀνατελεῖ ὑμῖν τοῖς φοβȣμένοις τὸ ὄνομα. Præterea ipſa comparatio, qua Apoſtolus heic utitur, requirit, ut exiſtimemus, phoſphorum dici oriri in cordibus. Ante enim ſermonem Propheticum comparaverat cum lucerna in loco obſcuro lucente. Huic loco obſcuro jam opponitur cor a Chriſto tanquam phoſphoro illuſtratum, quod ſcilicet antea loco caliginoſo ſimile fuerat.

Verſ. 20. Τȣ̃το πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι) Cauſam his verbis reddi, cur recte agant, qui attendant literis Propheticis, quod eæ ſint divinæ originis, obſervat *Raphelius*, adducto ſimili *Polybii* loco pag. 300. Eandem phraſin habes infra III. 3.

ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως ȣ̓ γίνεται) προφητεία γραφῆς eſt προφητικὸς λόγος, de quo v. 19. qui heic a ſcriptione appellatur, eo quod non ſolum voce promulgatus,. ſed & in literas relatus eſt. Πᾶσα — ȣ̓ idem eſt, quod *nulla*, ut *Matth.* XXIV. 22. & *Luc.* I. 37. ſine hebraiſmo, quem amolitus eſt externorum auctoritate *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 316.

Phraſis ἰδίας ἐπιλύσεως ȣ̓ γίνεται crucem fixit Interpretibus, de vero ejus h. l. ſenſu ſolicitis. Vide ſingularem de ea *Henrici Pontani* diſputationem, Franequeræ 1700. habitam. Alii vocem ἐπιλύσεως cum alia permutandam cenſuerunt, alii aliam atque aliam eidem notionem tribuerunt. Ex prioribus ſunt, qui legere malint ἐπηλύσεως cum *Grotio*, vel ἐπελέυσεως cum *Heinſio*, eo ſenſu, ut idem ſit, quod *impetu*, ſeu *inſtinctu: non eſt res proprii impetus.* Idem ante *Grotium* ſtatuit *Calvinus*, eamque emendationem admitti poſſe cenſet *Alexander Morus* in Cauſa Dei pag. 28. & in præfatione ad Notas in *Jeſ.* LIII. quamvis utrinque etiam receptæ lectionis expoſitionem, de qua deinceps, adferat. *Curcellæo* eadem lectio cum ſequenti commate magis convenire videtur. Ex noſtratibus Cl. *Lakemacherus* loc. cit. pag. 148. nonnulla pro eadem ornanda adfert, quod ſcilicet error a librario figuras literarum H & I haud adeo diſſimiles, pronunciatione etiam ad ſe invicem accedentes permutante, committi facile potuerit. Cum vero ἐπίλυσις *non inuſitata Græcis vox ſit, mendi ſuſpicionem ceſſare poſſe* idem exiſtimat. Atque ita recte arbitratur. *Ant. Borremanſius* ſimiliter in Dialogo de Poëtis & Prophetis pag. 109. mutationem hanc itidem averſatur, nec minus *Millius* ad loc. Nempe codices omnes, ſi unum exceperis, qui διαλύσεως habet, in hac lectione conſpirant. Confer, quæ contra eandem dixit *J.C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Tom. I. pag. 315. & *Joannes Camero* in Prælect. de Eccleſia pag. 308. Opp. *Hi*, inquit ille, *ſe tuentur auctoritate* Heſychii, *qui* ἐπηλυσίαν *interpretatur* ἐπωδὴν,

incan-

incantationem. *In quo*, ita pergit, *id primum reprehendendum videtur, quod* Heſychius *non* ἐπήλυσιν, *ſed* ἐπηλυσία· *ſic interpretatur. Sed hoc fortaſſe videbitur levius; at illud multo graviſſimum eſt, quod* ἐπηλυσία Heſychio *non eſt* afflatus, *ſed* efficacia, *quæ verba incantatorum ſequitur, nam* ἐπῳδὴν *eſſe* ἐπηλυσίαν *dixit. Denique non eſt credibile*, ἐπηλύσεως h. l. *legendum eſſe, ſiquidem a Magis infamata fuit ea vox. Nam cæteroquin verum eſt, illud Scripturæ*, irruit in me Spiritus Domini, *poſſe fortaſſe exponi*, ἐπῆλθεν ἐπ' ἐμὲ, *vel*, ἐμοὶ, *præſertim cum, quæ nobis ſuggeruntur tacite nullius hominis opera, de iis ſoleamus dicere Latine*, veniſſe nobis in mentem; *hæc eſt* ἐπήλυσις *quædam, Græci vero in hoc genere*, ἐπῆλθέ μοι, *dicunt. Sed quoniam nulla* ἐπηλύσεως *mentio fit in Scriptura, & in nullis neque vetuſtis, neque item recentioribus codicibus vocabuli mentio fit, exſtat vero conſtanter* ἐπιλύσεως *vocabulum, profecto illud retinendum eſt.*

Atque hæc quidem ad vindicandam ἐπιλύσεως vocem ſufficiant. Jam de ſenſu ejus diſpiciendum eſt, quem alii alium faciunt, prout vocem ipſam vel ad *Prophetas*, qui ſcripſerunt, vel ad *Scripturam Propheticam*, vel ad *homines*, ea utentes, referendam cenſuerunt. Tres itaque Interpretum quaſi claſſes conſtituimus.

Prima eorum eſt, qui ad Prophetas referunt. Hi ἐπίλυσιν idem putant eſſe, quod *motum* vel *impulſum*, quo Propheta aliquis adductus fuit, ut linguam ſolveret, & manum ad ſcribendum admoveret, quippe a Petro non αὐτόματος ſed θεόπνευστος fuiſſe dicatur. Hæc eſt ſententia *Jacobi Cappelli* in Obſervationibus ad h. l. & *Joannis Cameronis* loco cit. qui tamen voce hac ad alia atque alia alludi incertus exiſtimat, tandemque copioſius allata his verbis mentem exprimit: *Hæc igitur eſt Petri mens: Prophetæ non a ſe, ſed a Deo miſſi cucurrerunt, nec Scriptura Prophetica inde eſt profecta, quod quis voluntatis ſuæ fuerit interpres, quod non cucurrerit, quod os ſuum ipſe ſolverit*, &c. In easdem partes conceſſit *Antonius Borremanſius* in Dialogo literar. de Poëtis & Prophetis pag. 209. quando ἰδίας ἐπιλύσεως vertit *propriæ miſſionis*, cum is ἐπιλύειν dicatur, qui ſolutos a carceribus in ſtadium aut circum mittit; ſicut & alibi legatur: ἔτρεχον, ἐγὼ δὲ ἐκ ἐπέλυο. Hunc locum oſtendi ſibi voluerat *Philippus Limborchius*, quod conſtat ex ejusdem *Borremanſii* Veſperis Gorinchemenſibus pag. 113. ubi tamen nihil aliud reſpondet, quam, *quovis pignore ſe certare, in Jeremia Propheta inveniri.* Excipit vero *Limborchius* pag. 116. fruſtra & ibi & alibi quæri, & *Cameronem* quidem ad *Jerem.* XXIII. 21. & *Ezech.* XIII. 6. 7. provocaſſe, ubi dicatur: *cucurrerunt & non miſi eos;* at id ſibi non voluiſſe, quod hæc ab Interpretibus ita Græce ſint expreſſa, ſed ex ſuo ingenio ita reddi poſſe, monuiſſe his verbis: *Græce dicas:* ἔτρεχον, καὶ ἐγὼ αὐτὲς ἐκ ἐπέλυσα. Atque hæc recte dixit *Limborchius*: neque dubito, etiam *Alexandrum Morum*, Camerone obiter inſpecto, eo adductum eſſe, ut in præ-

ſatione ad Notas in cap. LII. & LIII. *Jeſaiæ* pag. 2. ſcriberet, phraſin hanc 2. *Regg.* XIII. legi. Cum vero ibi nihil hujusmodi exſtet, crediderim pro *Regum* libro illum *Ezechielis* XIII. caput citare voluiſſe. Alia itaque ratione hanc interpretationem nuper ornare inſtituit *Joannes Gothofredus Lakemacherus*, vir erudite doctus, in Obſervationibus Philologicis Parte II. pag. 185. ſeqq. Is nempe ἐπίλυσιν ex verbo ἐπέρχομαι, vel antiquo ἐπελεύθω, potius quam ex ἐπιλύω, *ſolvo*, *interpretor*, derivandum cenſet. Ita ait ἐπέρχεσθαι eſſe *advenire*, *accedere*, *in mentem venire*, ut in *Ariſtidis* illo: ἐπέρχεταί μοι ἀποφαίνειν, vel ἐλθεῖν ἐπὶ νοῦν apud *Arrianum* pag. 2. de expedit. Alexandr. quemadmodum & Spiritus S. ἐπέρχεσθαι dicatur *Luc.* I. 35. Hinc tandem conficit, Petrum h. l. negare, prophetiam eſſe *acceſſus proprii, aut talem, quæ virtute quadam mentis humanæ propria & naturali proveniat, & ad hominem quaſi accedat.* Quo ipſo putat refelli opinionem magiſtrorum quorundam Judaicorum, qui vaticinia edendi facultatem excitari vel juvari ſaltem exiſtimabant naturali quadam mentis diſpoſitione, ſtudioque & fortunæ muneribus, id quod locis quibusdam allatis probat. Hæc ut erudite diſputari, non nego; ita vereor, ut vox ἐπίλυσις unquam a verbo ἐπέρχομαι vel ἐπελεύθω derivari, atque adeo eadem ſignificatione, qua verbum illud valet, indui poſſit. Quam prope ἔλευσις, ἐπέλευσις, ἐξέλευσις, εἰσέλευσις, προσέλευσις, voces Græcis uſitatæ, ad verbum ἐλεύθω accedunt, & ab illo recte repetuntur, tam prope ἐπίλυσις ad verbum ἐπιλύω accedit, atque inde recte derivatur. Quemadmodum vero ἐπιλύω nunquam idem eſt, quod ἐπέρχομαι, ita, ſi vocem ἐπίλυσις tuearis, *acceſſus* notione accipi non poteſt. Idem tamen *Eraſmum* olim quoque ſtatuiſſe, ex hac ejus annotatione patet: *Græca vox* (ἐπίλυσις) *dicta eſt* a ſolvendo, *quod convenit rebus intricatis; vel ab* adeundo, *quod magis congruit his*, *quæ ſequuntur.* In univerſum autem illi virorum doctorum interpretationi per *miſſionem*, *adventum*, *impetum*, id obſtat, quod v. 21. phraſis ἠνέχθη προφητεία, *perlata eſt prophetia*, id dicit, quod h. l. illi dici volunt. Aliud vero v. 21. dici quam v. 20. ex eo patet, quod v. 21. argumentum adfertur, cui antecedens aſſertio ſit ſuperſtructa. Quod alii ἐπιλύειν de *emiſſione* curſorum ex carceribus olim adhibitum dicunt, id nondum eſſe probatum, contra *Hammondum*, idem adſerentem, *Joannes Clericus* in Annotationibus ad illum ſuis oſtendit, qui tamen non magis recte ἐπίλυσιν de *ſolutione oris* accipit: id enim λύεσθαι non ἐπιλύεσθαι dici, recte monuit *Lambertus Bos* in Exercitatt. pag. 283.

Idem *Boſius*, ad Prophetas quoque ἐπίλυσιν hanc pertinere cenſens, id h. l. dici arbitratur, quod Prophetæ in vaticiniis ſuis, non ſuam mentem aut propriam voluntatem, ſed mentem Dei, voluntatemque divinam, tanquam nuncii Dei, populo ſint interpretati. Quo ipſo, ut recte exiſtimat, ἐπίλυσιν de *interpretatione*, *explicatione* & *ſolutione* ex uſu veterum accipi

accipi debere; ita non ſatis oſtendit, ad Prophetas ipſos hanc *ἐπίλυσιν* eſſe referendam.

Alii, qui claſſem ſecundam conſtituunt, non ad *Prophetas*, ſed ad *Scripturam Propheticam* ἐπίλυσιν hanc pertinere cenſent, diverſa tamen & ipſi via incedentes. Nonnulli enim eorum Petrum exiſtimant id velle, quod *omnis Scripturæ prophetia, omnis promiſſio, a Prophetis in literas relata, non ſit* ἰδίας ἐπιλύσεως, *ſuæ diſſolutionis, ſed indiſſolubilis, immutabilis, quæ nullo modo irrita reddi, aut eventu fruſtrari poſſit, nulli mutationi obnoxia, indubitabilis, inviolabilis.* Verba habes *Hermanni Hardtii* ex præfat. ad nervoſum B. *Lutheri* commentarium in Scripturam Sacram, pag. 27. qui hujus ſententiæ ſuæ indicium jam fecerat in Vindiciis Ephemeridum Generalibus p. 17. Adfinis illi eſt expoſitio D. *Joachimi Langii* in Exegeſi Latina & Germanica epiſtolarum Petri. Senſum enim ait eſſe, *ſcripturam non ſe ipſam diſſolvere, ac deſtruere, ſed, etiamſi diverſis temporibus, & a diverſis viris conſignata ſit, ſibi tamen in omnibus ſuis partibus firmiter conſtare, ita, ut ea niti poſſimus, tanquam fundamento ſolidiſſimo.* Nihil contra hæc dicam, cum hac opera perfunctum eſſe videam B. *Gottlieb Wernsdorfium* in ſingulari diſſertatione *Hardtio* oppoſita & inſcripta: *Nodus in Scirpo* 2. Pet. I. 20. *quæſitus, & ab* H. H. *non ſolutus, ſed nexus*, Vitemberg. 1709. Confer præterea *Relationes Innoxias Theologicas* an. 1709. pag. 552. & *Caſp. Calvarii* Apologiam Anti-Hardtianam Sect. III. pag. 175-183. quæ ejus *Gloriæ Moſis vindicatæ* præmiſſa eſt. Id unum monebo, mirari me, quod viri illi docti nec unum hactenus vel ex Sacris vel ex profanis Scriptoribus locum attulerint, quo conſtet, ἐπιλύειν idem eſſe, quod *deſtruere.* Quæ enim hanc in rem promunt loca, ea ad λύειν vel καταλύειν pertinent. Jam vero a ſignificatione vocis ſimplicis ad compoſitam argumentari non licet, niſi uſus ſcriptorum acceſſerit. Ab altera parte verbum ἐπιλύω *interpretandi* ſeu *explicandi* ſenſu adhibetur *Marc.* IV. 34. Χωρὶς δὲ παραβολῆς ὐκ ἐλάλει αὐτοῖς· κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτῦ ἐπέλυε πάντα. Ibi per ἐπιλύειν omnino expoſitio parabolarum intelligenda eſt, quam *Matth.* XIII. 36. diſcipuli his verbis poſcunt: Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν, i. e. *expone nobis parabolam.* Similis locus non minus clarus exſtat *Act.* XIX. 39. εἰ δέ τι περὶ ἑτέρων ἐπιζητεῖτε, ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἐπιλυθήσεται i. e. *Beza* interprete, *ſi quid autem de rebus aliis requiritis, in legitima concione explicabitur.* Ibi de cauſarum cognitione ſermo eſt, quæ ut non ſine inſtituto περικειμένων examine & inquiſitione inſtituitur, ita, hac facta, rem omnem extricat, explicat & definit. Non video, quicquam contra utrumque locum allatum eſſe, quod ab hac expoſitione abducere nos poſſit. Adde his, quod *Aquila* Hebr. פתר Gen. XL. 8. per ἐπιλυόμενος, & פתרנים per ἐπίλυσιν expreſſit, qua voce & *Symmachus* Hoſ. III. 4. vocem תרפים reddidit. Vide Lexicon Græcum ad Hexapla Origenis in calce Concordantiarum Græcarum

carum Trommii pag. 26. Porro *Geneſ.* XLI. 12. ubi de interpretatione ſomnii a Joſepho facta, *οἱ* LXX. ita: *καὶ διηγησάμεθα αὐτῷ, καὶ συνέκρινεν ἡμῖν.* *codices* quidam addunt: *τὰ ἐνύπνια ἡμῶν, ἀνδρὶ κατὰ τὸ ἐνύπνιον αὐτοῦ ἐπέλυσεν.* Quod ad profanos Scriptores attinet, & eos *ἐπιλύειν* æque ac *ἐπίλυσιν* de explicatione ac declaratione rei obſcuræ v. c. ænigmatis, ſomnii, oraculi, adhibere, idoneis locis evicit *Lambertus Bos* loc. cit. Quamdiu itaque clara & idonea ex Scriptoribus loca non adferuntur, quibus *deſtructionis* vel *diſſolutionis* notio verbo *ἐπιλύειν* & voci *ἐπίλυσις* vindicetur; tamdiu utique in altera illa, teſtibus ſuis munita, ſecure acquieſcimus.

Jacobus Guſſetius, de Scripturæ *interpretatione* ſermonem eſſe cenſens, vocem *ἰδίας* ita accipit, ut *prophetia habere* dicatur *expoſitionem, quæ non ipſam ſolam illuſtret, ſed communem lucem inferat in alias aliquas, ita ut explicatione ſui mutuam ſibi ſolutionem fœnerentur.* Vide ejus commentarios Linguæ Hebr. pag. 702. Hæc vero longius petita, nec ſcopo Apoſtoli reſpondere videntur, ac præterea id præſtruunt, quod de una aliqua prophetia ſeorſim ſumta loquatur Apoſtolus, qui rectius de ſcriptis Prophetarum collective ſumtis, qualia nunc habemus, loqui exiſtimatur, quo ſenſu Paulus 2. *Timoth.* III. 16. *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος.*

Denique *Samuel Werenfelſius* in Sylloge Diſſertationum Theologicarum, Baſileæ 1709. 8vo editarum, pag. 428. verba Petri ita accipit, ac ſi ſcripſiſſet: *προφητεία οὐκ ἔχει τὴν ἑαυτῆς ἐπίλυσιν*, vel, *οὐκ ἐπιλύει ἑαυτήν*, i. e. *non eſt talis ſolutionis, quam ſuppeditat & ſubminiſtrat (plene videlicet & perfecte) prophetia ipſa.* Vel, ut pag. 22. ait, *Mens Petri eſt: Oracula V. T. de Meſſia eſſe quidem inſigne lumen, quondam fidelibus datum, ſed lumen, noctem & tenebras e loco, in quo ſplendet, non penitus diſpellens; quale eſt, cum dies illuceſcit, & lucifer oritur. A ſolis Prophetarum oraculis non majus lumen oriri, nec latius illud ſpargi, quam a lumine lucernæ alicujus, nocti accenſæ.* Expoſitionem hanc ſeriei ſermonis ſatis accommodatam putat *Joannes Clericus* Tomo XXI. Bibliothecæ Selectæ p. 433. ſed majorem veri ſpeciem habituram, ſi ſcriptum fuiſſet: *ἰδίας αὐτῆς ἐπιλύσεως οὐ γίνεται.* Ex inſtituto vero contra eam diſputat *Marckius* in Faſciculo Diſſertationum Philologico-Exegeticarum pag. 771. ſeqq. quem legi velim. Amplexus tamen eam eſt *Adrianus a Cattenburgh*, Profeſſor Theologus inter Arminianos Amſtelodam. in Spicilegio Theologiæ Chriſtianæ Phil. Limborchii pag. 70. *Spiritus Propheticus*, inquit, *non fuit in poteſtate Prophetarum, verum ipſi Prophetæ fuerunt in poteſtate Spiritus. Adeo, ut Prophetæ non tantum vel tam multa toties, vel iis momentis, & (quod probe notandum) tam clare potuerint vaticinari, quoties, quantum, & quomodo ipſi, aut illi, ad quos verba fecerint, deſiderarunt, ſed contentos eos eſſe oportuit eo modo, & ea menſura revelationis, qua Spiritus S. illis & per illos aliis impertiri dignabatur.* Res ſcilicet huc redit,

dit; Scripturam Propheticam obſcuram eſſe, atque adeo luce, aliunde ex ſcriptis N. T. illata, indigere. Idem jam ante in mentem veniſſe video *Knatchbullo* in Animadverſion. ad h. l. Vertit enim: *omnis prophetia Scripturæ non fit propria interpretatione vel ſolutione. Prophetiæ enim*, ita pergit, *plerumque habent ſenſum typicum, myſticum & analogicum.* —— *Itaque videntes γραφὴν non vident ἐπίλυσιν, niſi in quorum cordibus illuxit dies Evangelii.* Ab hac expoſitione non alienum ſe profitetur *Borremanſius* pag. 110 Dialogi citati.

Tertia interpretum claſſis ea eſt, quæ Scripturam Propheticam *ἰδίας ἐπιλύσεως* non eſſe dici putat reſpectu hominum, qui eam legunt & explicare conantur; hoc ſenſu, ut moneat Apoſtolus, cavendum eſſe, ne quis pro arbitrio ſuo, ingeniique ſolertia interpretationem ejus ſuſcipiat. Ita Petri verba accipiunt noſtrates tantum non omnes; ex Reformatis autem plerique, quibus ex Arminianis quoque ſuffragatur *Limborchius* in Theologia Chriſtiana lib. I. cap. II. §. 8. ſeq. Eandem nuper etiam adſtruxit *Marckius* loc. cit. pag. 765. ſeqq. in qua & ego acquieſco. Præſidia enim invenit tum in phraſi ipſa, tum in nexu ſermonis. *Επίλυσιν* enim ex uſu Scriptorum *explicationem* inferre oſtendimus, *ἰδία* vero ea eſt, quæ cuique arrideat. Ita *ἴδιος νοῦς propria ſententia* dicitur Paulo *Rom.* XIV. 5. quam non quidem diſſuadet, ſed cum hoc temperamento, ut *ἕκαστος πληροφορῆται. Ἰδιογνώμονες* Græcis dicuntur, qui pertinaciter placita ſua atque adeo vitioſe tuentur. *Ἰδία* itaque *ἐπίλυσις* eſt, quæ a *θελήματι ἀνθρώπου*, de quo v. 21. proficiſcitur. Huic *φράσεως* proprietati accedit nexus ſermonis. Apoſtolus ad legendam Scripturam Propheticam erat exhortatus. Quid magis in promtu erat, quam ut monitum de ea recte intelligenda adjungeret, atque adeo ab *ἰδιερμηνεία* cavere ſibi juberet? Huc ſpectat illud: *τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες*, i. e. *hoc inprimis exploratum & perſpectum habentes.* Idem evincit ratio v. 21. allata, quod non ex arbitrio hominis profecta ſit Scriptura Prophetica, ſed Spiritus S. nutu & conſilio. Ex hoc enim conſequitur, nec lectorem Scripturæ impetu quaſi quodam naturali in eam vel legendam, vel interpretandam ferri debere, ſed ita potius, ut Spiritus S. ope nixus in hoc negotio verſetur.

Subjicere denique his liceat inſignem locum, quem ex R. *Eliæ*, Karæi, libro אדרת אליהו ſuppeditavit *Jacobus Triglandius* in diſſertatione de Secta Karæorum, quam cum mea *Karæorum Notitia* recudi curavi, pag. 285. allatum, & ad interpretationem Scripturæ recte inſtituendam pertinentem. *Summa*, inquit, *rei eſt, quod omnis expoſitio, cujus veritas eruitur ope ratiocinii, ex uno aliud inferentis, ſi cum dictis Prophetiæ conſpirat, de ea dicemus: noſtrum ſcrutinium eſt verum ſcrutinium; quoniam ejus concluſio conſentit veritati. Suntque velut duæ lampades in duabus manibus noſtris, lucerna legis noſtræ, & lucerna intellectus noſtri. At vero, ſi forte iis (Prophetiæ*

 dictis)

dictis) non conſentiat, tunc dicendum eſt, quod ad fundum & finem hujus examinis penetrare non queamus humana ſagacitate; & (fide) accipiemus, quod dictat Prophetia. Etenim, ſi poſſibile fuiſſet humano intellectui, omnia, quæ intelligi debent, ſecundum omnes vias ſuas & propoſitiones, notitia complecti, Prophetia non fuiſſet opus. Verum jam data eſt Prophetia, ut ſuppleat intelligendorum notitiam, hac parte, qua per lumen intellectus ea attingere nequimus. Locum hunc ideo adduxi, quod in eo phraſes occurrunt, Petrinis ſimiles, quandoquidem ſcripta Veteris Teſtamenti נבואה *Prophetiæ* appellantur, eademque cum *lumine* conferuntur. Recte præterea *Elias* ille ratiocinium non longius vult extendi, quam Scriptura ipſa id patiatur, ut, ſi hæc adverſetur, illud rei indagandæ non ſufficere profiteamur.

Verſ. 21. *Ου γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία κ. τ. λ.*) Hoc comma una cum antecedenti expoſuerunt *Balthaſar Bebelius* diſputat. de Hermeneutica vera & falſa, Argentorati 1676. & D. *Fridericus Ernestus Meis*, Schleuſingæ 1705. Confer *Speneri* Reſponſa Theolog. German. Tomo IV. pag. 44.

ἀλλ' ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν) Vide *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 94. Quomodo Scriptores Sacri *θεοπνευστίας* fuerint convicti, ad h. l. oſtenditur in Berliniſchen Hebopfer Tomo II. pag. 357. ſeqq.

CAPUT II.

VErſ. 1. *Εγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ κ. τ. λ.*) Ad hoc comma lege ex noſtratibus B. *Jonnnis Hülſemanni* diſſertat. de pretioſa redemtione Jeſu Chriſti, Salvatoris, Witteb. 1639. & D. *Georg. Frider. Schræeri* de reprobo Jeſu Chriſti morte redemto, ibid. 1711. nec minus D. *Joannis Balthaſaris Bernholdi* illam de characteribus Pſeudo-Prophetarum in B. Luthero minime obviis, Altorf. 1731. Ex Reformatis extant D. *Joannis Chriſtiani Kirchmeieri* diſputationes duæ de falſis doctoribus Dominum, ipſorum emtorem, negantibus, Marpurgi 1733. quarum ſummam habes in Miſceilaneis Duisburgenſ. Tom. II. pag. 157. ſeqq.

ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι) Ad Gnoſticos heic reſpici, impuras doctrinas tum temporis ſpargentes, & partim vitæ licentiam, partim contemtionem Magiſtratus a Chriſtianis non alienam eſſe ſtatuentes, *Campeg. Vitringa* contendit, de quo in Prolegomenis diximus.

οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας) Vide *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Tomo I. pag. 58. qui tamen hebraiſmum

in

in hac phraſi agnoſcit, quem amolitus eſt *Georgius* in Vindiciis Novi Teſt. pag. 214. Verbum *παρεισάγειν* frequens eſſe *Polybio*, oſtendit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 704.

καὶ τὸν ἀγοράσαντα ἀυτὺς δεσπότην) Contra Reformatos doctores, incredulos etiam a Chriſto redemtos eſſe inficiantes, hunc locum efficaciter urſerunt noſtrates, quam in rem lege laudatam D. *Schræri* diſputationem. Confer etiam Rev. *Coleri* Bibliothecam Theolog. Selectam, germanice editam, Tom. III. pag. 454. ubi oſtendit, quam parum ſe heic expediat *Steph. Vitus* in Vindiciis Apologiæ Synodi Dordracenæ pag. 471. Nec felicius res ceſſit *Conſtant. Lempereur*, qui *τὸν ἀγοράσαντα* exponit, *qui redemiſſet eos, ſcilicet, ſi fidem habuiſſent, ad normam Hebrææ locutionis, quæ ſubjunctivum modum ignorat, exemplique loco eſſe vult* Pſalm. CXXIV. 4. אזי המים שטפונו tum aquæ nos inundaſſent; *vel τὸ ἀυτὺς non referendum putat ad eos, qui pereunt, ſed illos, quibuscum vixerint, quod pateat ex ſequente ἑαυτοῖς cum priore loco non ſit ἑαυτὺς ſed ἀυτὺς* i. e. *quibuscum verſabantur.* Recte vero contra hæc *Eraſmus Vindingius* in *σκέψει φιλολογικῇ ἀμφισβητησίμων* *ἰνων* *Ἑλληνικῶν*, Hafn. 1648. edita §. 13. obſervat, crudum hoc gloſſema confutari ex *Rom.* XIV. 15. & 1. *Cor.* VIII. 11. & Pſalmi locum inconvenienter huc adferri, quod ſenſus illic modum ſubjunctivum requirat, & præterea אזי illius vim inferat; heic vero nihil tale ſit, nec particula ejusmodi exſtet, quæ apud Græcos indicativo alias jungi ſolet, ut ſubjunctivi vim & ſignificationem illi adferat. Ita apud *Demoſthenem* *πρὸς Ἀφοβον· ἔτι δὲ τὸ πρᾶγμα ἂν ἐξελέγξαι ζητῶν, ἐξήτησεν ἄν με τὸν παῖδα τὸν γράφοντα τὰς μαρτυρίας.* Conf. *Matth.* XXIV. 22. & 1. *Cor.* II. 8. Neque ſolidior eſt expoſitio vocis *ἀυτὺς*, cum nulla vox præcedat, ad quam referri poſſit. Addidero his, quod Apoſtolus in hoc capite aliquoties participio aoriſti primi in conſueto ſignificatu utatur, v. c. v. 4. *ταρταρώσας*, v. 5. *ἐπάξας*, & v. 6. præterito *τεθεικώς*. *J. C. Kirchmeierus* diſputat. citata pag. 42. phraſin *ἀγοράσαντα ἀυτὺς* ita refert ad objectum, ut ſignificetur, non quidem, quid beneficii apoſtatæ ab eo acceperint, ſed quid de eo negent, ſenſusque ſit, *eos negare Dominum, qui eos emerit*, h. e, *quod eos emerit*, atque adeo inficiari, Redemtoris gloriam Chriſto eſſe tribuendam, & Redemtionis beneficium, ejusque ſive neceſſitatem ſive plenitudinem, ſive efficaciam e medio tollere. Idem in calce diſputationis exiſtimat, ab Apoſtolo, de futuris temporibus loquente, in *Eccleſiam Anti-Chriſtianam* noſtri temporis hæc dicta eſſe. Non ſunt mihi ad manus illæ viri docti diſputationes, atque adeo ignota interpretationis hujus præſidia, ſine quibus expenſis nihil tuto dixerim.

Verſ. 2. *Καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν ἀυτῶν ταῖς ἀπωλείαις*) Multi *Codices* pro *ἀπωλείαις* legunt *ἀσελγείαις*, quam vocem etiam *Vulgatus, Syrus, Arabs* & *Æthiops* exprimunt, quemadmodum eandem repræſentant editiones *Compluten-*

plutenſis, *Colinæi*, *Stephani*, & recentiſſima *Bengelii.* Eandem lectionem cum *Grotio* ex noſtratibus probat *Calovius*, tanquam probatioribus *codicibus* receptam, & loco parallelo Judæ v. 4. atque infra v. 18. convenientem. Eadem eſt *Thomæ Smithi* in Commentario pag. 237. & Vener. *C. M. Pfaffii* ſententia in Diſſertat. de Variantibus Lectionibus Novi Teſtamenti pag. 212. Contra ea *Millius* noſtram illam tuetur. *Quæ lectio*, inquit, Eſtio *longe probabilior videtur.* Non enim proprie, *inquit*, nec uſitate quis dicitur ſequi alterius perditionem. *Imo vero illa ipſa de cauſa mutatam ſuſpicor lectionem, quam ſequimur, in ἀσελγείας. Dabant novam hanc lectionem in margine, & quidem ex capitis hujus v.* 18. *ſeu potius* 2. Pet. II. 2. *aliqui, quibus haud intellectum, ἀπωλείαις h. l. idem eſſe, quod αἱρέσεσι τῆς ἀπωλείας.* Huic *Millii* judicio non invitus nec præceps ſubſcripſerim. Apoſtolo enim h. l. de αἱρέσεσι, ſeu *erroribus* ſermo eſt, quibus ſtatim opponitur ὁδὸς τῆς ἀληθείας. In ſequentibus vero v. 13. ad caſtigandos *pravos mores* proficiſcitur, inter quos etiam τὰς ἀσελγείας v. 18. numerat. Itaque per ἀπωλείας h. l. indicantur dogmata ut perdita, ita alios perdentia. Non obeſt *Judæ* comma quartum. Cum enim Petrus in hac epiſtola v. 18. & v. 7. τὰς ἀσελγείας commemoret, ad hos æque, quam ad v. 2. reſpexiſſe credi poteſt. Taceo Apoſtolum in tribus his prioribus commatibus præter h. l. ter ἀπώλειαν commemorare.

δι᾽ ὃς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται) Cur religio Chriſtiana ὁδῦ nomine appelletur, dixi ad *Actor.* IX. 2. & alibi. Τῇ ὁδῷ ἀληθείας oppoſita eſt ψευδὴς ὁδὸς, quam *Herodotus* libro. I. pag. 55. appellat, Vide *Raphelium* pag. 658. Quod ad verbum βλασφημεῖσθαι attinet, apud externos in hoc quidem ſignificatu non admodum obvium, *ſubſtantivum* ejus ſimili notione a *Polybio* XI. 4. p. 872. adhibitum eſſe monuit *G. G. Kirchmaierus* in Parallelismo dictionis Novi Fœderis, & Polybii pag. 59. Ille enim πόλεμον dicit πολλῆς ἀδοξίας πλήρη καὶ βλασφημίας, *multæ turpitudinis & infamiæ plenum.* Confer *Iſaacum Caſaubonum* ad Theophraſti Characteres cap. 19.

Verſ. 3. Καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται) *Et per avaritiam confictis ſermonibus vos negotiabuntur.* Ita, cum *Beza*, *Eraſmus Schmidius.* Verbi hujus uſum ex Scriptoribus Eccleſiaſticis exponit *Svicerus* Tomo I. pag. 1101. ſeq. Activa ejus forma cum accuſativo rei, qui heic locum habet, uſus eſt *Polybius* pag. 1357. καὶ πολλὰ δή τινα πρὸς ταύτην τὴν ὑπόθεσιν ἐμπορευόμενος καὶ μεθοδευόμενος ἐκίνει καὶ παρώξυνε τοὺς ὄχλους. *Multa item alia in eam ſententiam proprii lucri cauſa jactans, & ad fallendum comminiſcens, hominum facem commovebat atque concitabat.* Vide *Raphelium. Plinius* de Medicis famæ cupidis lib. XXIX. 1. *Nec dubium eſt, omnes iſtos, famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari.* De πλαστοῖς illis λόγοις ita Anonymus in codice *Coisliniano* XXVI. ταῦτα δὲ οἱ κατ᾽

ἐκείνους

ἐκείνους τοὺς καιροὺς Γνωστικοί, ἤτοι Νασσηνοί, οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Λαμπετιανοὶ καὶ Εὐχῖται ἐκληρώθυν. Attulit hæc Rev. *Albertius* in Append. ad Gloſſar. Sacr. pag. 218.

οἷς τὸ κρῖμα ἔκπαλαι οὐκ ἀργεῖ) *Quibus damnatio jam olim non otiatur.* Vox *ἔκπαλαι* & *ἀπόπαλαι Phrynicho* pag. 20. tanquam minus proba, cum illa *ἐκ παλαιοῦ* permutanda videtur: nec diſſentit *Salmaſius* in Helleniſtica pag. 104. *Ἐκπαλαι* tamen a *Plutarcho* Themiſtocle pag. 127. *Arriano* de Expedit. Alex. lib. I. cap. 9. & aliis, non minus atque *ἐκ παλαιοῦ*, ſcilicet *χρόνου*, adhiberi evicit diligentiſſimus *Joannes Alberti* pag. 463. Confer *A. Blackwalli* Claſſicos Sacros Tomo II. pag. 34. *J. C. Schwartzius*, vir doctiſſimus, in commentatione de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis pag. 69. *Ἐκπαλαι ſpernitur in libris ſacris. Eloquentiæ laudem appetens* Joſephus *non contemſit* Antt. XVI. 8. 4. pag. 808. *ἔκπαλαι μὲν συνεδρεύων αὐτῷ προσέκειτο.* Idem in nota marginali in exemplum affert particulas Græcorum ſimiles, *ἔκτοτε, προπέρυσι, κατάντικρυ*, quarum auctoritatem ſe alibi demonſtraturum pollicetur.

Verſ. 4. *Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, κ. τ. λ.*) Apodoſis hujus commatis quærenda eſt v. 9. De argumento ipſo lege B. *Adami Rechenbergii* diſputationem de *ταρταρώσει* malorum Angelorum, Lipſiæ 1679. recuſam in Theſauro Theolog. Philolog. Novi Teſtamenti p. 789. *Joannem Seldenum* de Diis Syris pag 205. & *Jacobum Windetum* de Vita functorum ſtatu Sect. XIII. Tom. V. Opuſculorum Philolog. a Crenio editorum pag. 199. ſeq. *Windetus* per dæmones illos Titanas Gentilium intelligit, *ὁμόψηφον* nactus *Zachariam Boganum* in epiſtola ad *Edmundum Dickinſonum*, hujus Delphis Phœniciſſantibus ſubjecta. Vide Faſciculum I. Opuſc. Philologic. pag. 223. Ex Patribus de illo Angelorum lapſu & pœna differit *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. III. ubi de Angelis lib. III. c. 2. ſeqq. Adde, ut alios taceam, *Gvilelmi Saldeni* ſingularem exercitationem, quam in Otiis ejus Theologicis lib. III. num. VIII. legis, *Labrune* in Entretiens Hiſtoriques & Critiques, Parte I. pag. 57. ſeqq. & *Amelii* Tomum I. der Erörterung, pag. 97. ſeq. & pag. 523. Mireris merito, quantopere ingenio abuſus ſit *Zach. Webber* ad hæc verba alio, quam quem præ ſe ferunt, ſenſu ex *Balthaſaris Beckeri* ſententia induenda. Vide eum in libro belgico: *Oorſprong, Voort-en Ondergang des Satans*, pag. 192-241.

σειραῖς ζόφου ταρταρώσας) Similem phraſin habes in *Midraſch Ruth* in Sohar Geneſ. fol. 45. col. 178. *Poſtquam* (filii Dei Geneſ. VI. 2.) filios genuerunt, ſumſit eos Deus S. B. & ad montem tenebrarum perduxit, ligavitque eos catenis ferreis, quæ usque ad medium abyſſi magnæ pertingunt. Obſervavit locum doctiſſimus *Schœtgenius* pag. 1050. Horarum Hebr. Adde *Brightii* præfationem ad *Lightfooti* Opera Anglicana, plagula D. fol. 1.

Lucianus in Necyomant. pag. 332. de impiis in tartaro detentis ita: *προσήγοντο πολλοί τινες ἐφεξῆς ἁλύσει μακρᾷ δεδεμένοι, ἐλέγοντο δὲ εἶναι μοιχοὶ, πορνοβοσκοὶ, καὶ τελῶναι, καὶ κόλακες, καὶ συκοφάνται.* Verbum *ταρταρώσας* ex gentilitate deſumſiſſe Apoſtolum monet *Dietericus* Tomo. II. Antiquitatum Biblicarum Novi Teſtamenti pag. 200. Ex Gentilium itaque ſcriptis illud expoſitum vide a *Windeto* loc. citato, *Radulpho Cudwortho* in Syſtemate Intellectuali hujus Univerſi pag. 817. editionis Anglicanæ, (qui per *τάρταρον* aërem inferiorem caliginoſum, ſeu atmoſphæram terræ minus recte intelligit,) *Joanne Clerico* ad *Heſiodi* Theogoniam v. 119. *Lamberto Bos* in Exercitationibus pag. 285. *Joanne Alberto Fabricio* ad Sextum Empiricum lib. III. cap. 24. Pyrrhon. Hypotypoſ. pag. 180. ubi ait, *ὁ δὲ Ζεὺς τὸν Κρόνον κατεταρτάρωσε*, & *Joanne Henrico a Seelen* in Bibliotheca Lubecenſi Vol. VII. pag. 465. De voce *τάρταρος* lege *Clericum* ad Heſiodum v. 841. ſpeciatim vero de origine ejus *Windetum* loc. cit. pag. 87. qui a Chald. דרדר, i. e. *cecidit*, derivat, quam ex Hebr. נטר, *cuſtodiit*, abjecto נ & duplicata ſyllaba poſteriore repetendam potius cenſet *Lamb. Bos* in diſſertatione de Etymologia Græca pag. 42. ſeq.

παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους) Hæc ita verſio Gallica *Montenſis*: *pour être tourmentés & tenus comme en reſerve, jusqu'au jugement.* In hanc verſionem *Malletus* animadverterat, quod patrocinari videretur *Calvino*, exiſtimanti malos dæmonas non niſi poſt extremi judicii diem pœnis ſubjectum iri. Quam iniqua vero & ſiniſtra hæc ſit ſuſpicio, in defenſione illius verſionis continuata oſtenditur pag. 414. ſeqq. Eadem opera ibidem diſſeritur de eo, quod codices quidam pro *τετηρημένους* legunt *κολαζομένους τηρεῖν*. Conſtat alioquin, veterum Eccleſiæ Doctorum permultos, malos genios cruciatibus infernalibus nondum ſubjectos eſſe, exiſtimaſſe. Eorum teſtimonia recitat *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. III. lib. 3. cap. 4. pag. 100. & *Fevardentius* ad Irenæum libro V. cap. 26. pag. 441. teſtatus præterea, ſe hanc ſententiam, quamvis ſingularem nec a Concilio, nec a veterum ullo damnatam legiſſe. Eodem fine eorundem Patrum nonnulli diabolos non in infernum præcipites actos eſſe, ſed in aëre verſari adfirmarunt, plerique tamen alios in infernis detineri, alios autem orbem obire contendunt. Lege *Petavium* loc. cit. & adde *Gvilielmi Scherlockii Practical Diſcourſe concerning future judgment*, Lond. 1692. 8. edit. pag. 164. qui ibidem diabolos in aëre verſari ex *Epheſ.* II. 2. contendit, Petri vero *ταρταρώσας* de dejectione ex ætherea regione in aëream inferiorem, quæ reſpectu ejus tenebricoſa dicatur, exponit. Confer Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1693. pag. 266. ſeq. Nuper etiam varia & nova de hoc argumento dixit *Joannes Reynolds* in libro Anglicano: *Enquiries concerning the State and Oeconomy of the Angelical Worlds*, Londini 1723. 8. Summam libri habes in Bibliotheca Anglicana, gallice edita, Tom. XII. Parte I. p. 223-243. Sed hæc quidem ad Theologorum ſcholas pertinent.

Verſ.

Verſ. 5. Καὶ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο, κ. τ. λ.) Lege *Roberti Gelli* Reliquias, Anglice editas, Tom. II. pag. 788-805. & D. *Dav. Gerdeſii*, Theologi Duisburgenſis, Obſervationes Miſcellaneas ad loca quædam Scripturæ S. hiſtoriam Patriarcharum illuſtrantia, Obſerv. VIII. cujus ſummam habes in Miſcellan. Duisburgenſ. Tom. I. p. 651. ſq.

ἀλλ' ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε) Vox ὄγδοος ab aliis Interpretibus ad perſonam Noachi, cum ſeptem aliis, uxore ſcilicet, tribus filiis, & totidem nuribus ſervati; ab aliis ad prædicatum κήρυκα δικαιοσύνης, tanquam qui *octavus* juſtitiæ præco exſtiterit, refertur. Inter hos ſunt, ut alios tacem, *Heinſius*, *Carolus le Cene* in Projet d' une nouvelle verſion pag. 619. *Joannes Lightfootus* Tom. I. Opp. pag. 3. *Gerdeſius* l. c. & ex noſtratibus *A. H. Franckius* in Obſervationibus ſuper aliquot loca Scripturæ, germanice editis, pag. 181. ſeqq. Illi vero, facto ab origine idololatriæ numerandi initio, *Enoſum*, *Kenanem*, *Mahaleelem*, *Iaredum*, *Henochum*, *Metuſalam & Lamechum* in computum ducunt, quibus tandem octavus ſucceſſerit *Noachus*. Habet utique hæc interpretatio ſpeciem veri non exiguam, quæ præterea indulgentiæ divinæ, non unum ſed plures monitores impiis hominibus largitæ, argumentum exhibeat. Malim tamen in priore illa, & communiore & Luthero quoque, (ſelb achte) vertenti, acquieſcere. Huic interpretationi cum Græcæ linguæ rationibus convenit. Rever. *Raphelius* in Annotatt. *Xenophonteis & Polybianis* aliquot utriusque Scriptoris locos, ad hunc vocum numeralium uſum comprobandum attulit. *Xenophon* Hiſtor. Græc. II. pag. 358. ita: Μετὰ ταῦτα ᾑρέθη πρεσβευτὴν ἐς Λακεδαίμονα αὐτοκράτωρ αὐτὸς. *Poſthac ipſe cum decem aliis, ut Lacedæmonem plena cum poteſtate legatus iret, deligitur.* *Polybius* ſimiliter pag. 589. εἰσπορεύεται τρίτος γενόμενος εἰς τὸν χάρακα, *duobus tantum comitatus vallum intrat tertius.* Firmat hanc interpretationem locus parallelus 1. ep. III. 20. ubi ſeptem illæ perſonæ, divino nutu ſervatæ, itidem commemorantur non ſine indicio rigoris juſtitiæ divinæ, de qua hic ſermo eſt, in refractarios ita probati, ut, ſi octo illos exceperis, reliquis omnibus fuerit pereundum. Porro vocem ὄγδοον ad Noam, reſpectu ad ſeptem illos habito, rectius referri, quam ad κήρυκα δικαιοσύνης, ſtructura verborum credere jubet. Si enim alterum illud Apoſtolus voluiſſet, ſcripturus, puto, erat: ἀλλὰ Νῶε, δικαιοσύνης κήρυκα ὄγδοον. Denique exiſtimaverim, Noam h. l. *præconem juſtitiæ* ideo appellari, quod a Deo excitatus ſit ad homines ſuæ ætatis tum diſertis monitis emendandos. Nihil vero ejusmodi de reliquis illis Patriarchis antediluvianis legimus teſtatum. Cæterum ex hoc Noæ elogio natum videtur κήρυγμα illud Noachi, quod ex lib. I. Oraculorum Sibyllinorum exhibet præſtantiſſimus *Jo. Alb. Fabricius* noſter in Codice Pſeudepigrapho V. T. pag. 230. ſeqq.

Verſ.

Verſ. 6. *Και πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας τεφρώσας*) Sodomæ & Gomorrhæ everſionem ſingularibus diſſertationibus perſecuti ſunt *Joannes Gvilelmus Baierus*, Halæ 1696. *Chriſtophorus Cellarius*, ibidem, & *Georgius Henricus Aſp*, præſide *Alano*, Aboæ 1709. *Vulgo creditur, lacum Aſphaltiten natum eſſe eo tempore, quo Sodoma, Gomorrha, Adama & Zeboim a Deo ſubverſæ ſunt, ita, ut aquis illius lacus tectæ & merſæ fuerint. Verum non videtur ea opinio firmis rationibus niti.* Habes verba *Adriani Relandi*, viri egregii, ex Palæſtina ejus pag. 254. qui deinde ſententiæ ſuæ rationes ex ſilentio Scripturæ Sacræ utriusque Fœderis & externis veterum monimentis reddit, ad hunc etiam locum & parallelum Judæ v. 7. provocans, ubi urbes illæ in cinerem redactæ & ignis pœnam ſuſtinentes, non vero aquis tectæ dicantur. Lege in eandem ſententiam doctiſſimi *Joannis Conradi Schwarzii* MonumentaIngeniorum Tomo III. pag. 263. ſeqq. Arabum teſtimonia deSodomæorum flagitiis,& interitu habes apud *Hottingerum* in Smegmate Orientali c. VIII. pag. 317. ſqq.

ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικώς) Vocem *ὑπόδειγμα*, ut minus probam, cum altera *παράδειγμα* permutari jubet *Phrynichus* pag. 6. Illius vero judicio adverſantur *Polybius* pag. 986. *Xenophon*, *Herodianus* VIII. 8. & *Apollonius Alexandrinus* libro de Syntaxi, quorum locos adferunt *Raphelius* & *Albertius*. Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Tomo II. pag. 224. In voce *τεθεικώς* nullum Bœotiſmi, quem h. l. videri ſibi viſus eſt cum aliis *Angelus Caninius* in Helleniſmo pag. 134. ſed Atticiſmi potius frequentiſſimi veſtigia exſtare oſtendit Cl. *Georgius* in Hierocritico pag. 167.

Verſ. 7. *Καὶ δίκαιον Λὼτ καταπονούμενον*) Vide *Fabricii* noſtri Pſeudepigrapha V. T. pag. 428, ſeq. ubi tum de aliis huc pertinentibus, tum de origine nominis Lothi diſſeritur. Adde Gloſſarium Græc. in Novi Fœd. dictiones quod Rev. *Alberti* induſtriæ debemus, pag 42. Idem hic in Obſervationibus Sacris pag. 464. verbi *καταπονεῖσθαι* efficaciam ex veteribus exponit, inter cetera *Ælianum* Var Hiſt. III. 17. adferens, qui *τὸν ὑπὸ πενίας καταπονούμενον, paupertate adflictum*, commemorat.

ὑπὸ τοῖς τῶν ἀθέσμων) Vocem *ἄθεσμος* explicat *Dietericus* loco citato pag. 53.

ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς) De voce *ἀσέλγεια* vide nos ad *Rom.* XIII. 13. Phraſis hæc hebraizans videtur *Gatakero* de Stylo N. T. cap. 31. cum quo compara in contrariam partem *Pfocbenium* §. 85. minus feliciter heic diſputantem.

Verſ.

Verſ. 8. Βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ, ὁ δίκαιος, ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν) *Videndo enim & audiendo, juſtus ille inter ipſos habitans, indies animam ſuam juſtam iniquis illorum facinoribus excruciabat.* Ita recte hæc *Eraſmum Schmidium* puto convertiſſe, ut βλέμματι καὶ ἀκοῇ non ad ὁ δίκαιος, quaſi Lothus & auribus & oculis juſtum ſeu innoxium ſe probarit, ſed ad, ψυχὴν δικαίαν ἐβασάνιζε referatur, atque adeo oculi & aures inſtar inſtrumenti, per quod ſceleſtorum illorum ἄνομα ἔργα animo Lothi obverſata ſint, commemorentur. Idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus: ἰδὼν γὰρ καὶ ἀκούων —— ἐβασάνιζεν. Similem *Xenophontis* locum ex lib. IV. Hiſtor. Græc. pag. 407. attulit Rever. *Raphelius.* Ὡς ἐνίους καὶ τῶν τυπτομένων, νομίμων δ' ὄντων ἀνθρώπων, ἀδημονῆσαι τὰς ψυχάς, ἰδόντας τὴν ἀσέβειαν: *ut jam nonnulli, tametſi non cæderentur, homines tamen juſti, mirifice animis, impietate hujusmodi conſpecta, perturbarentur.* Idem cum *Beza* recte monet, ſi βλέμματι καὶ ἀκοῇ ad vocem δίκαιος pertineret, ſcribendum potius fuiſſe, ὁ γὰρ βλέμματι καὶ ἀκοῇ δίκαιος. Confer tamen, quæ pro altera illa ſententia dicit Cl. *Alberti* pag. 465. oſtendens, Atticis βλέμμα de *vultu*, ejusque conditione, v. c. μειλίχιον, φαιδρὸν βλέμμα, dici.

ἡμέραν ἐξ ἡμέρας) *indies, quot diebus.* Plenius diceretur, ἐξ ἡμέρας εἰς ἡμέραν, quod commode monet *Schœtgenius* ad *Lambertum Bos* de Ellipſi pag. 311.

ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν) *animam juſtam* (i. e. ſe ipſum) —— *excruciabat.* Pro ἐβασάνιζεν unus Codex habet ἐβασάνιζον, quod præter *Vulg.* etiam *Æth.* expreſſit toti commatis ſtructuræ minus convenienter. Compara *Trilleri* Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments, pag. 306. una cum oppoſitis *Schœnlandii* Vindiciis pag. 282. Ἄνομα illa ſpeciatim dici, quæ fiunt contra verecundiam, quodam *Herodoti* loco lib. I. oſtendit *Raphelius.*

Verſ. 9. Οἶδε Κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι) Sequitur heic apodoſis, reſpiciens ad v. 4. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς κ. τ. λ. hoc ſenſu: Si enim Deus nec Angelis, nec mundo priſtino, nec Sodomæis illis pepercit, ab altera vero parte Lothum ab impiis illis ſalvum præſtitit; idem utique pios omnes ſimiliter a calamitatibus vindicabit, impios vero pœnas luere jubebit. Sic omnia ſibi conſtant, nec ἀνακολούθω, quod nonnulli heic ſtatuunt, locus eſt. Confer in hanc ſententiam *Franckii* Obſervationes & *Gerdeſium* ll. cc. Deeſt itaque heic particula ἀποδοτική, ſicut ſupra I. 5. quod comma omnino ſe inſtar apodoſeos refert ad v. 3. ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ —— δεδωρημένης. Hoc omnino malim, quam quod *Eraſmo Schmidio*, ſolertiſſimo alioquin Interpreti, placuit. Is enim v. 4. τὸ γὰρ ad exemplum τοῦ *quidem* Latinorum παρέλκειν, atque adeo per *ſiquidem*

quidem reddendum, verba vero illa, quæ inde a v. 4. usque ad 10. leguntur, parentheſeos nota a reliquis ſeparanda cenſet, ut denique voces τολμηταὶ, αὐθάδεις &c. orationis ſeriem denuo incipiant, & pertexant. Vt hoc efficiat, idem h. l. τὸ, οἶδε Κύριος ita vertit: *Novit quippe* Dominus. Hoc vero ſupplemento non opus eſt, ſi ita, ut diximus, ſermonis nexum conformemus. Nec rectius *Hombergius* in v. 10. ἀνταπόδοσιν commatis quarti quærit. Manifeſtum enim eſt, τὺς μάλιςα —— πορευομένυς ſpectare ἀμέσως ad τὺς ἀδίκυς, εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένυς, qui v. 9. commemorantur.

κολαζομένυς τηρεῖν) *puniendos ſervare.* Præſens poſitum eſt pro futuro, ut infra III. 11. λυομένων pro λυσομένων vel λυθησομένων. Confer *Schmidium* & *Hombergium*, & nos infra ad III. 11.

Verſ. 10. Μάλιςα δὲ τὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμῦ πορευομένυς κ. τ. λ.) Hoc commate totius epiſtolæ argumentum contineri, eosque ex Gnoſticis doctrinæ Chriſtianæ depravatores caſtigari, qui tunc temporis *vitæ* impuræ *licentiam*, & *Magiſtratuum contemtum* urgere cœperint, exiſtimat *Vitringa*, de quo in Prolegomenis dictum eſt. Phraſin ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, *Judas* v. 7. plenius effert, addita voce ἑτέρας, ex quo recte colligas, ſcortationem & adulterium heic notari. B. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. p. 112. ad venerem maſculam referre mavult, a Paulo *Rom.* I. 26. 27. caſtigatam.

καὶ κυριότητος καταφρονῦντας) *& dominatum deſpicientes. Quandoquidem Romani eo cum maxime tempore, quo epiſtolas ſuas ſcripſerunt Petrus & Judas, imperium in florentiſſimam partem orbis terrarum, & eorum jam aliqui, Tiberius quidem, Cajus, Nero, illud imperium cum ſævitia & impietate ſumma adminiſtraverant, haud dubie ipſi illi Romani Impp. cum Procuratoribus & Præſidibus Provinciarum, ab iis dependentibus, intelligendi ſunt per illas* ἀρχὰς, δόξας, κυριότητας, *Principes potentes & glorioſos, quos Petrus & Judas ab hiſce Pſeudonymis Chriſtianis contemni & vituperari, imo blaſphemari queſti ſunt.* Verba habes *Campeg. Vitringæ* in diſſert. de argumento epiſtolæ Petri poſterioris §. 39. pag. 988. Theſauri Diſputationum Novi.

τολμηταὶ, αὐθάδεις, δόξας ὐ τρέμυσι βλασφημῦντες) Cl. *Wolle* in Commentat. de eo, an N. T. ſit Auctor claſſicus, pag. 60. ita hæc interpungenda putat, ut exclamandi ſignis muniantur: *homines audaces! ſibi placentes! convicіantes imperia non exhorreſcunt.* Idem viſum eſt Celeb. *J. C. Schwarzio* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis, pag. 121. Malim ego ad voces τολμηταὶ & αὐθάδεις ſubintelligere vel εἰσὶ, vel ὄντες. *Thomas Smithus* p. 254. neceſſario putat præfigendum οἱ, niſi dicere velis, quod idem addit, *majeſtatem divini eloquii ſpernere leges Grammaticæ.* Abſit vero,

ro, ut majeſtatem illam Soloeciſmi ſuſpicione deturpemus! De voce αὐθάδης dixi ad *Tit.* I. 7. Extremam phraſin *Vulg.* ita convertit: *Sectas non metuunt introducere. Eraſmus* vero monuit in antiquis Codicibus MStis verbum *introducere* fruſtra quæri. Per δόξας itaque Interpres *opiniones* intellexit, minus convenienter, cum per ſe pateat, δόξας & κυριότητα ſibi invicem συνωνύμως reſpondere. Idem firmatur ex v. 8. *Judæ.* Itaque non erat, cur *Emſerus* in B. *Lutherum*, qui Græcum contextum expreſſit, inveheretur. Vide *Raithii* Vindicias p. 594.

Verſ. 11. Ὅπου ἄγγελοι ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες, οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν) *Cum tamen ipſi Angeli, licet robore & potentia majores exiſtant, non ferant adverſus eas* (dignitates) *coram Domino blaſphemum judicium.* Ita recte puto vertiſſe *Eraſmum Schmidium*, ut ſcilicet Angeli ipſi a judicio ſiniſtro & iniquo, adverſus Magiſtratus ferendo, cavere ſibi ſignificentur. Confer pro hac interpretatione *H. B. Starckium* in Notis Selectis ad loca difficiliora Novi Teſtamenti pag. 157. & B. *Georgium Nitſchium* in Myſta in pulpito ſimplice pag. 240. Atque illa quidem cum plurium & probatiorum codicum lectione egregie conſpirat. Qui enim exiſtimant, Apoſtolum hic loqui de judicio contra *ſe ipſos a Domino* lato, quod non *ferant*, illi vertunt, ac ſi in Græco legeretur καθ' ἑαυτῶν, quod tamen in uno *Stephani* tantum occurrit, quamvis a *Vulgato* & *Arabe* ſit expreſſum. Similiter pro παρὰ Κυρίῳ, *apud Dominum*, quatuor tantum Codices habent παρὰ Κυρίου. *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments, pag. 267. ſeq. ex parte recte heic ſentit, ex parte vero recte notatur a *Schœnlandio* in Vindiciis pag. 235. ſeq. & *Joanne Ehrenfried Pfeiffero* in Diſquiſitione eidem oppoſita pag. 9. & 41. Temere egit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, quando, duorum codicum & aliquot verſionum exemplo, voces παρὰ Κυρίῳ prorſus omiſit, & pro κατ' αὐτῶν ſcripſit καθ' αὐτῶν, recte ideo notatus a *Leonardo Tvvells* in Examine Critico Novi Teſtamenti Parte I. pag. 43. Ab illa tamen lectione καθ' αὐτῶν non alienus videtur *Hombergius*, quam ab altera parte averſatur *Thomas Smithus* pag. 256. commentarii. Ceterum ſunt, qui per τὰς δόξας, ad quas, τὸ, κατ' αὐτὰς reſpicit, non *magiſtratus*, ſed divina attributa, omniſcientiam, omnipræſentiam, omnipotentiam &c. intelligunt. Inter hos eſt *Oecumenius*, cujus ſententiam ediſſerit & amplectitur *Joannes Marckius* in Exercitationibus Miſcellaneis pag. 364. Hoc poſito in præſenti commate hominibus, τὴν κυριότητα καὶ δόξας βλασφημοῦσι, opponi putat angelos, ſapientia & dignitate homuncionibus præcellentes, nec vulgares quidem, ſed, qui majores, ſeu excellentiores ſint robore aliis omnibus, & vel ſic non ferant judicium blaſphemum, i. e. divino judicio, aut glorioſis ejus perfectionibus quicquam detrahant.

Digitized by Google

Verſ. 12. Οὗτοι δὲ ὡς ἄλογα ζῶα) *Animantia muta* heic intelligit *Bochartus* in Hierozoico lib. I. cap. 2. atque hoc nomine pecora a Scriptoribus frequenter appellari oſtendit. Sic v. 16. ὑποζύγιον ἄφωνον.

γεγεννημένα) Deeſt in duobus *codd.* & *Vulg.* ideoque ex ſcholio marginali natum videtur *Eraſmo*, ut ſcilicet explicaretur vox φυσικά. Recte autem his adverſatur *Whitby* p. 79. Examinis.

ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες) i. e. per ellipſin Græcam, ἐν ἐκείνοις, ἃ ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες, ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, *dum blaſphemias evomunt de iis, quæ ignorant, in perditione ſui ipſorum interibunt.* Sic *Eraſmus Schmidius.* Ita Judas v. 10. Οὗτοι δὲ ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι, βλασφημοῦσι· ὅσα δὲ φυσικῶς, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα, ἐπίστανται, ἐν τούτοις φθείρονται. Phraſin, ἐν οἷς non retulerim ad βλασφημοῦντας, cum non dicatur βλασφημεῖν ἐν τινὶ, ſed βλασφημεῖν τι vel τινα, ſed ad καταφθαρήσονται, hoc ſenſu, *propter*, vel, *per ea, quæ ignorantes blaſphemant, ſe ipſos perdentes interibunt.* Solet autem Petrus τὸ ἐν in ſimili ſignificatu frequenter adhibere, imo etiam geminare. Sic cap. I. 4. ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς. Nec inconcinna quidem eſt *Hombergii* obſervatio, ſtatuentis, ἐν φθορᾷ καταφθαρῆναι idem eſſe, quod Hebræi alias dicunt, *morte mori.* Sed ſi hoc tantum voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus potius erat φθορᾷ καταφθαρήσονται. Ita οἱ LXX. *Jeſ.* XXIV. 3. φθορᾷ φθαρήσεται & φθορᾷ καταφθαρήσῃ Exod. XVIII. 18.

Verſ. 18. Κομιούμενοι μισθὸν ἀδικίας) De verbo κομίζεσθαι dixi ad 1 epiſt. I. 9. Μισθὸς ἀδικίας eſt μισθὸς ἄδικος. Vide *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti pag. 213. Hebraice diceres, שכר שקר, quod *Grotio* eſt obſervatum.

ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν) Phraſin, ἐν ἡμέρᾳ alii per *quotidie*, & plerique quidem, præeunte *Oecumenio*, convertunt, ut idem ſit, quod καθ᾽ ἡμέραν; alii per *interdiu*, ut pejores dicantur illis, qui alias noctu potius epulentur, 1 *Theſſalon.* V. 7. ut *Leonhardus Twells* in Examine Critico Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Parte I. pag. 106. alii *ad breve tempus*, ut *Grotius*, non refragante *Calovio*. Atque idem voluiſſe videtur B. *Lutherus*, quando interpretatur das zeitliche Wolleben. Ita *M. Antoninus* VI. 30. longe alium hujus vitæ fructum ſectari jubet his verbis: αἰδοῦ θεούς, σῶζε ἀνθρώπους. βραχὺς ὁ βίος. εἷς καρπὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς διάθεσις ὁσία, καὶ πράξεις κοινωνικαί.

σπίλοι καὶ μῶμοι) *labes & maculæ.* Vide Bibliothecam Lubecenſem Tomo VII. pag. 647. & *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Tomo II. pag. 178.

ἐντρυ-

ἐντρυφῶντες) *Beza* vertit, *ſe oblectantes*; *Eraſmus Schmidius* vero *ludibrio vos habentes.* Poſteriorem hanc notionem amplectitur Cl. *Elsnerus* pag. 416. variis veterum locis adductis, ubi *ἐντρυφᾷν*, *inſultare*, *illudere*, & *contumelia adficere* ſignificat. Ita *Lucianus* Dialog. marin. pag. 221. *illa contumelia erat, qua vos faciebatis, cum adorari volebatis, καὶ ἐλευθέροις ἀνδράσιν ἐντρυφῶντες, liberisque hominibus inſultabatis.* Idem obſervat, *ἐντρυφᾷν* & *ἐνυβρίζειν*, *illudere* & *contumelia afficere* illos ſpeciatim dici, qui ad ſtupra ſollicitant, allatis *Geneſ.* XXXIX. 17. & XXXIV. 31. quod & Latini imitentur. Eos itaque *ἐντρυφῶντας ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν*, h. l. dici putat, qui dolis & artibus venereis circumventas *contumelia adficere*, & *illudere* pudicitiæ earum conentur. Prætulerim equidem priorem *ſe oblectandi* notionem. Eam invenio apud *τὰς* LXX. ubi verbum Hebr. התענג interpretantur v. c. *Jeſ.* LV. 3. in bono ſenſu: *καὶ ἐντρυφήσει ἐν ἀγαθοῖς ἡ ψυχὴ ὑμῶν*, & in ſequiore *Jeſ.* LVII. 4. *ἐν τίνι ἐνετρυφήσατε.* Iidem vocem *ἐντρύφημα* ad exprimendam Hebr. שעשועים, id eſt, *delicias*, adhibent, *Eccleſ.* II. 8. & בן שעשועים appellant *παιδίον ἐντρυφῶν* *Jerem.* XXXI. v. 20. Altera illa notio locum tueri poterat, ſi Apoſtolus ſcripſiſſet, *ἐντρυφῶντες ὑμῖν ἐν ταῖς ἀπάταις.* Cum vero vero h. l. legatur, *ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις*, *res* potius illa, qua ſe *oblectent*, quam perſonæ, quibus *illudant*, indicari videtur. Quod ſi interpunctio, quam *Eraſmus Schmidius* h. l. adhibet, locum habere poſſet, vox *ὑμῖν* ad *ἐντρυφῶντες* pertineret. Ita enim is verba diſtinxit: *ἐντρυφῶντες, ἐν ταῖς ἀγάπαις αὐτῶν συνευωχούμενοι, ὑμῖν; & in conventiculis ſuis convivantes, vos ludibrio habentes.* At durum utique videtur, *τὸ ὑμῖν* ſeparare a voce *συνευωχούμενοι*, cui non ſolum proxime juncta eſt ab Apoſtolo, ſed quæ etiam *τὸ ὑμῖν* per præpoſitionem *σὺν* ſibi omnino vindicat. Scilicet, quod Apoſtolus heic dicit *συνευωχεῖσθαι ὑμῖν*, id *Ariſtophanes* in Pluto Act. II. Sc. V. v. 615. *εὐωχεῖσθαι μετὰ παιδῶν* dixit: *Εγωγ᾽ ἂν ἐθέλω πλυτῶν εὐωχεῖσθαι μετὰ παιδῶν.*

ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν) Recte hæc proxime cum antecedenti *ἐντρυφῶντες* conjungi modo oſtendi, ut ſenſus ſit, homines hos *egregie ſibi placere fraudibus & dolis ſuis*, quibus ad libidines ſuas provehendas utantur, ubi cum aliis conviventur. Multi ſunt, qui pro *ἀπάταις* legere malint *ἀγάπαις.* Inter hos ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* *ἀγάπαις* in contextum recepit, meliorem autem cenſuerunt Vener. *C. M. Pfaffius* de Variantibus Lectionibus Novi Teſtamenti pag. 164. & in Originibus Juris Eccleſiaſtici pag. 68. *Petrus Zornius* de Philoſophiſmis Novi Teſtamenti pag. 19. & Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 655. & *Tobias Eckhardus* in Notis Philologicis ad Novum Teſtamentum ex Ariſtophanis Pluto pag. 57. Ex Anglis idem ſentiunt *Thomas Smithus* in Commentar. ad h. l. pag. 259. *Henricus Hammondus*, & *Willhelmus Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 362. Ex Reformatis *Campeg. Vitringa* in diſſertatione de argu-

 mento

mento epiſtolarum Petri poſterioris & Judæ pag. 987. Theſauri Diſputationum Novi, *Hombergius* in Parergis pag. 366. Cl. *Joannes Alberti* in Obſervationibus pag. 466. &, quod idem teſtatur, *Lambertus Bos.* Atque hæc ſententia non exiguam veri ſpeciem habet. Innititur enim tum codice *Alexandrino*, *Barberin.* & *Veleſ.* lectionibus, tum *Vulgati* & *Æthiopis* verſionibus, &, quod plurimum valet, remque omnem illis conficere viſum eſt, loco *Judæ* parallelo v. 12. Nihilominus tamen cauſæ ſunt, cur alii calculum ſuum adjicere noluerint. Inter hos noſtratium ſunt plerique omnes, ex quibus legi velim *Calovium*, *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tomo I. pag. 71. & *H. B. Starckium* in Notis Selectis ad loca difficiliora Novi Teſtamenti pag. 158. Ex Anglis *Millius* contra lectionem receptam nihil dicit, imo potius allato Græco quodam ſcholio firmare eam videtur. Idem facit doctiſſimus *Jacobus Elsnerus,* cujus verba accipe: *Pro vulgari*, inquit, *lectione melior ſtat codicum numerus*, *catena itidem* MS. *a* Millio *in locis parallelis allata.* Alexandrinus, *qui hic legit ἀπάταις*, *in* Judæ *contra epiſtola* v. 12. *habet ἀπάταις*, *ubi alii ἀγάπαις*: *quamobrem etiam Petro vindicandum vocabulum cenſent*, *adeo ut parum in eo codice ſit præſidii.* Judæ *locus aut non eſt parallelus, aut iisdem fundamentis recipiet ἀπάταις.* *Librarii ſubſtituere ſolent notiora*, *ἀγάπη autem in ſequentibus temporibus notius vocabulum erat*, *cum συνευωχέμενος præſertim conjunctum*, *quam ἀπάταις.* *Denique adjectum αὐτῶν*, *quod omnes Codices præferunt*, *legendum ſuadet ἀπάταις*, *non ἀγάπαις.* *Quæ enim*, *quæſo*, *ſermonis inſolentia*, illi ſuis agapis convivantur vobiscum? Idem poſtea *τὰς ἀπάτας* de dolis & fraudibus accipit, quibus homines illi inter convivia δελεάζειν (vide v. 13.) *pellicere* ad turpes amores conſueverint, quo ſenſu *ἀπατᾷν* occurrat apud τὺς LXX. *Exod.* XXII. v. 16. & *Jud.* XIV. 15.

Quod ad me attinet, Petrum *ἐν ἀπάταις* ſcripſiſſe non dubito. Nec fortaſſe fallar, ſi dixero, eundem Apoſtolum ad *ἀγάπας* illas, quas Judas commemorat, alluſiſſe, & data opera *ἀπάτας* appellaſſe, tanquam in quas illi quidem *ἀγάπας* converterint. Ita Paulus, *περιτομὴν* Judæorum riſurus, *τὴν κατατομὴν* appellat *Philipp.* III. 2. Simile quid indicare videtur *Oecumenius* ad h. l. his verbis: *ἀλλὰ καὶ συννευόμενοί* (malim *συνευωχέμενοί*) *Φησιν ὑμῖν, ἐ δι' ἀγάπην, καὶ τὸ μεταλαμβάνειν ἀλῶν τῦτο ποιῦσιν, ἀλλὰ διὰ τὸ καιρὸν εὑρίσκειν τῦτον ἐπιτήδειον τῆς πρὸς γυναῖκας ἀπάτης· ἔτοι γὰρ ὀφθαλμὺς ἔχοντες ἐδὲν ἄλλο βλέπυσιν ἢ μοιχαλίδας.* *Illi enim convivantes*, *inquit*, *una vobiscum*, *non ex dilectione*, *aut*, *quod ſalis*, *ut ajunt*, *participent*, *hoc faciunt*, *ſed ut tempus hoc aptum inveniant deceptioni apud mulieres.* *Hi enim quum oculos habeant*, *nihil aliud intuentur*, *quam adulteras.* &c. Vides heic *ἀγάπην* & *ἀπάτην* ita ab *Oecumenio* conjungi, ut ſimul indicet, convivia illa, quæ ad *ἀγάπην* firmandam erant inſtituta, & propterea *ἀγάπαι* appellabantur, ab impudicis illis hominibus in *ἀπάτην* converſa fuiſſe. Vides

quoque,

quoque, Anonymum illum Catenæ MS. Collegii Oxonienſis Novi auctorem, a *Millio* allatum, ſua fortaſſe debere *Oecumenio*, cujus ipſa fere verba ibidem legis. In eandem ſententiam *Feſſelius* Tomo I. Adverſariorum Sacrorum pag. 71. *Sed videtur pulchra potius & elegans vocum alluſio, qua ſignificatur, Pſeudo-Chriſtianos tum temporis ἀγάπαις, h. e.* fraternis illis conviviis *πρὸς ἀπάτας, h. e.* ad fraudes & deceptiones *abuſos fuiſſe.* Conf. Rev. *Zeltneri* gloſſam ad h. l. & Acta Eruditor. Lipſienſ. Tom. IX. Supplementorum pag. 18. ubi commode monetur, utramque lectionem, ἀγάπας & ἀπάτας ex illa *Oecumenii* obſervatione concurrere videri. Similiter *J. C. Dietericus* in Antiquitatt. Biblic. Nov. Teſt. Tom. I. pag. 19. *Similiter*, inquit, *D. Petrus* 2 ep. II. 13. *notat maculas epulantium ἐν ταῖς ἀγάπαις, ſi quidem Pſeudo-Apoſtoli τὰς ἀγάπας εἰς τὰς ἀπάτας mutarant, prout conſtanter legunt Græci codd. Vnde Pſeudo-Apoſtolorum & Hæreticorum ἀγάπαι probe diſcriminandæ ſunt a vere Chriſtianorum ἀγάπαις.*

B. *Lutherus* vertit, **ſie prangen von euren Allmoſen**, *eleemoſynis veſtris ſuperbiunt;* Vulgati ſcilicet illud, *in conviviis ſuis*, ſecutus, habito ſimul reſpectu ad morem in agapis receptum, ex quo ſymbolæ colligebantur, quæ ad ſublevandam pauperum inopiam adhiberentur. Non crediderim, B. *Luthero* codicem ejusmodi inſpectum fuiſſe, in quo ἀγάπαις legeretur, quæ *Sauberti* conjectura eſt in præfat. ad Var. Lect. Evangelii S. Matthæi pag. 36. Confer M. *Petri Adolphi Boyſen* diſſertat. de Codice Gr. N. T. & conſilio, quo uſus eſt B. Lutherus in conficienda interpretatione Germanica pag. 31.

συνευωχούμενοι ὑμῖν) convivantes, epulantes vobiſcum. Verbo εὐωχεῖσθαι *Xenophon* in Memorabil. Socratis lib. III. extremo, & κατευωχεῖσθαι *Herodotus* lib. I. extremo utuntur, obſervante *Raphelio. Ariſtophanes* l. c. dixit εὐωχεῖσθαι μετὰ παίδων, de quo loco confer Cl. *Eckardi* Obſervatt. ex *Pluto* ejus collectas pag. 57. Verſio Gall. *Montenſis* ita hæc reddiderat: *ils s'emportent en des excés de bouche, dans les feſtins de charité, qu'ils font avec vous.* Eam contra *Malletum* tuetur ejusdem verſionis *Defenſio* gallice edita pag. 313. ſeqq. allata nube interpretum, qui τὸ συνευωχεῖσθαι eadem ratione acceperint.

Verſ. 14. ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος) *Alex.* habet μοιχαλίας, alius μοιχείας. Prius hic mavult *Grotius*, quod etiam legiſſe videtur *Vulg.* per *adulterii* convertens. Sed nihil neceſſe eſt, ut a recepta lectione recedamus; modo ita vertamus: *oculos habentes plenos adulteræ.* Hæc enim perpetua vocis μοιχαλὶς notio eſt apud τοὺς LXX. & in N. F. v. c. *Matth.* XII. 39. XVI. 4. *Marc.* VIII. 38. *Rom.* VII. 3. & *Jac.* IV. 4. ſive illa adjectivi, ſive ſubſtantivi loco habeatur. Eadem vero loco huic accommodata eſt, inprimis ſi numerum ſingularem pro plurali, quod ſæpe fit, poſitum

poſitum exiſtimes. Ita accepit olim *Oecumenius*, Petri verba ſic παραφράζων: οὗτοι γὰρ ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐδὲν ἄλλο βλέπουσιν ἢ μοιχαλίδας. Nec aliter *Eraſmus Schmidius* in notis ad h. l. *plenos adulteræ*, i. e. *oculis nihil magis aut gratius recipientes, quam ſpeciem adulteræ;* & *Gatakerus* de Stylo N. T. cap. XII. pag. 137. *Poteſt,* inquit, *energiæ amplius aliquid voci μοιχαλίδος hic ſubeſſe, ut ſubſtantive potius ſumatur, &* adulteram *deſignet, quam in oculis (quod proverbio dici conſuevit,) ferre jugiter perhibeantur.* Eandem expoſitionem pluribus ornavit doctiſſimus *Heumannus* in Pœcile Tomo I. lib. III. pag. 416. ſeqq. Similiter anonymus Auctor Admonitionum ad futuros N. T. editores, quæ exſtant in Actis Erudit. Lipſienſ. an. 1729. p. 15. *Maluerunt*, inquit, μοιχείας. *Sed ita dictum Petri vim & gratiam omnem perdidiſſet. Adulteris enim non adulterium, ſed* adultera *ſemper verſatur ante oculos.* Neque vero ignota eſt hæc loquendi ratio utriusque linguæ ſcriptoribus. Ex Græcis exempla habes apud *Gatakerum* ad Antoninum III. 2. *Lamb. Bos* pag. 286. & *Elsnerum* pag. 418. ex Latinis apud *Heumannum* l. c. *Achilles Tatius* p. 168. ὀφθαλμὸν πελάγους γεμισθέντα dixit, & *Moſchus* Idyll. β. v. 18. de Europa:

Εζομένη δ' ἐπὶ δηρὸν ἀκὴν ἔχεν, ἀμφοτέρας δὲ
Εισέτι πεπταμένοισιν ἐν ὄμμασιν εἶχε γυναῖκας.

Plato in Convivio pag. 324. οὐ δήπου με οὕτω θεάτρου μεστὸν ἡγῇ. *Non me ita theatri plenum putas.* Itaque non opus eſt, ut μοιχαλὶς pro *adjectivo* h. l. habeamus, quamvis alias ea notione occurrat. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 706. & *Georgii* Vindicias pag. 245. Nec neceſſe eſt, ut per *adulterium* cum *Lamb. Bos* l. c. vertamus, quamvis negare nolim, oculos æque *adulterii* plenos dici poſſe, quam homines maleferiati dicuntur μεστοὶ eſſe φθόνου, & φόνου *Rom.* I. 29. & lingva μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου *Jacob.* III. 8.

ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας) *a peccatis non ceſſantes.* Codd. pauci habent ἀκαταπαύστου, quod & *Colin.* in ſua edit. exhibet, & *Vulgat.* per *inceſſabilis delicti,* expreſſit, quamvis *Eſtius* teſtetur, in antiquis ejus codd. legi *inceſſabiles. Caſtalio* eandem lectionem ſecutus eſt, non repugnante *Rich. Simone* in Hiſt. Critica verſionum N. T. pag. 284. rectiorem quoque cenſuit *Lamb. Bos* pag. 288. *Veterim ego*, inquit, inſedabilis peccati, *i. e. intemperantis libidinis: nam per ἁμαρτίαν, quam jungit Auctor cum voce μοιχαλίδος, intelligit* impudicitiam. *Notavit* Caſaubonus *ad* Luc. VII. *generale illud ἁμαρτάνειν, ſæpe reſtringi ad particulare* impudicitiæ *vitium. Jam ἀκατάπαυστον non tantum eſt* indeſinens; *verum etiam id*, quod coerceri, refrenari, *&* ſedari nequit: *unde Gloſſæ veteres ἀκατάπαυστος quoque reddunt* inſedabilis. *Diodor. Sicul.* lib. XI. pag. 227. τὴν ὁρμὴν τῶν Συρακουσίων ἀκατάπαυστον. Alia vocis ἀκατάπαυστος exempla adfert *Elsnerus.* Non inter-

cedo

cedo, quo minus ἁμαρτία h. l. ſpeciatim de *impudicitia* accipiatur, quam in rem vide quæ dixi in Vol. I. *Curarum* pag. 889. Malim in recepta lectione ἀκαταπαύςυς ἁμαρτίας acquieſcere. Ἀκατάπαυςος ἁμαρτίας idem eſt, qui ὁ πέπαυται τῆς ἁμαρτίας, quæ phraſis Petrina eſt 1. epiſt. IV. 1. Altera illa lectio & interpretatio, *Th. Smitho* quoque pag. 262. probata, præſtruere videtur, vocem μοιχαλίδος in notione *adulterii*, quod ſic amplius deſcribatur, accipiendam eſſe. Id vero aliter habere modo oſtendimus. Lectio ἀκαταπαύςυ ἁμαρτίας ex eo nata videtur, quod ſciolus aliquis, non ſtatim intelligens, vocem ἁμαρτίας in gignendi caſu huic voci jungi poſſe, ut objectum inferat, a quo homines illi ſibi non caveant, ſtructuræ melius ſe conſulere putavit, ſi ἀκαταπαύςυ inſtar nominis adjectivi reſcriberet. Video a *Millio* pro hac lectione adferri etiam *Oecumenium*, minus, ut videtur, recte. Ille enim ſic habet: Οὗτοι γὰρ ὀφθαλμὺς ἔχοντες, ὐδὲν ἄλλο βλέπυσιν ἢ μοιχαλίδας. καὶ ἐν τῦτω ἀκαταπαύςως ἁμαρτάνοντες, ὡς κατάρας τέκνα, ψυχὰς δελεάζυσιν. *Et in hoc inceſſanter peccantes, tanquam homines exſecrabiles, animas inſtabiles ineſcant.* Credisne, illud ἀκαταπαύςως ἁμαρτάνοντες propius ad oculos, *continuo peccantes*, quam ad *inſedabile peccatum* referri? Taceo, ibidem in contextu legi ἀκαταπαύςυς.

δελεάζοντες ψυχὰς ἀςηρίκτυς) De verbo δελεάζειν diximus ad *Jac.* I. 14. Confer nunc veterum loca ab *Elsnero* & *Albertio* allata. *Heſychius* ita: δελεάζει, ἐξαπατᾷ. Δελεαζόμενος, παγιδευόμενος. Δέλεαρ, ἀπάτη, δόλος. Δελεασθεὶς, ἀπατηθείς. Eadem voce, *ineſcandi* ſenſu, bis uti *Philonem* pag. 38. monuit *Albertius* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 125.

καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίαις ἔχοντες) Pro πλεονεξίαις codd. aliqui habent πλεονεξίας, quam vocem etiam in edit. *Rob. Stephani* prima expreſſam legis, approbante *Millio* in Prolegom. §. 984. Vertit enim: *habentes* cor avaritiæ, *ſive animum avarum, eumque res alienas acquirendi artibus aſſidue exercitatum. Neque enim*, ita pergit, πλεονεξίας *a* γεγυμνασμένην *regi volo, id quod Grammatices lex haud permiſerit, ſed a voce* καρδίαν. Hujus exemplo adductus editor N. T. Græco - Anglicani eandem lectionem in contextum recepit. *Grotius* quoque illam præfert, & *cor avaritiæ peritum* dici exiſtimat. Eruditus auctor Prolegomenorum in accuratiſſimam N. T. editionem pag. 172. teſtatur, eundem *Grotium* pro γεγυμνασμένην legere malle γεμισμένην i. e. *refertam.* Ubi hujus conjecturæ indicium fecerit, fruſtra quæro: ſaltem ex notis ejus & verſione id colligere non licet, quamvis alioquin γεγεμισμένην ad πλεονεξίας magis accommodatum videri poſſit. Interim nec vocem alteram gignendi caſum averſari monuit *Stephanus* in Theſauro Tomo I. pag. 888. Cum genitivo enim γεγυμνασμένος conſtrui probat ex *Philoſtrato*, γεγυμνασμένος πολλῶν πολέμων, & γεγυμνασμένος τῆς θαλάττης. *Quæ conſtructio*, ita pergit, *cum rara ſit, habetur tamen*

men & apud Petrum 2. *epiſt.* II. καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες. *Hanc enim lectionem*, (*non alteram* πλεονεξίαις) *invenimus in plurimis vett. codd. quos Regia Bibliotheca nobis ſuppeditaverat.* Nihil quod ad ſenſum intereſt, quam lectionem ſequaris. Malim interim communiorem illam πλεονεξίαις, tanquam in plurium numero efficaciæ cauſa poſitam. Sic *Marc.* VII. 22. πλεονεξίαι, πονηρίαι &c. Nec dubium eſt, γυμνάζεσθαι cum ablativo caſu a Græcis conjungi. *Iſocrates* ad Demonicum pag. 4. ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα τοῖς πόνοις ἐγύμναζε, τῇ δὲ ψυχῇ τοὺς κινδύνους ὑπέμενε. *Hier. Wolfius* pag. 80. ad illum locum obſervat, variam eſſe verbi ſtructuram, atque adeo dici, nunc γεγυμνασμένος τὴν ἕξιν πρός τι, nunc γυμνάζεσθαι ἐπ' αὐτῶν τῶν ἔργων, nunc, ut apud *Xenophontem*, τὸ σῶμα γυμνασέον ἐν τοῖς πόνοις καὶ ἱδρῶτι. Ex his intelligitur, *Millium* præter rationem vocem πλεονεξίας, ſi eam etiam præferamus, a voce γεγυμνασμένην ſeparaſſe. Diſputari heic præterea poterat, an non vox πλεονεξίαι in plurium numero poſita, h. l. omne aviditatis genus, & ſpeciatim immoderatam libidinem denotet. Vide, quæ de hoc vocis ſignificatu diximus in Vol. III. *Curarum* pag. 105. 117. & 354. Ita quidem poſt *Hammondum* ſentit *Thomas Smithus* p. 263.

Verſ. 15. καταλιπόντες τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν κ. τ. λ.) Vide huc *Jo. Lightfooti* Opera Anglicana Tom. II. Part. II. pag. 1179-1184. *Surenhuſii* Βίβλος καταλλαγῆς pag. 691. ſeqq. itemque *Vitringæ* diſſertationem aliquoties allatam Tom. II. Theſauri Novi Diſputatt. pag. 986.

ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαάμ) *Præcipua comparationis vis*, audis *Vitringam* l. c. in eo *ſita eſt, quod, ſicuti Balaam Propheta auctor fuit Moabitis, ut Iſraëlitas ad* commercium prohibitarum libidinum, *& per libidines ad idololatriam, pellicerent, & hoc medio in eos derivarent graviſſima Dei judicia; ſic falſi hi Doctores, patrandarum libidinum carnalium licentiam facientes credentibus, ad avaritiam ſuam ad Bileami exemplum ſatiandam, pariter in Eccleſiam provocarint iram Dei, &, quæ iram ſequi ſolent, caſtigationes ſeveras. Id vero præcipuum eſſe, quod huic ſubeſt comparationi, intelligimus ex Apocalypſi Joannis* II. 14. In eandem cauſam provocat ad *Numer.* XXV. 18. De *Balaamo* hoc lege, ſis, *Bartoloccium* in Bibliotheca Rabbinica Tom. I. pag. 655. ſeq. *Andr. Maſium* in Joſuam XIII. 22. *Paul. Fagium* ad Onkeloſi Chaldaicam Paraphraſin, *Num.* XXIV. 4. *Hottingerum* pag. 575. Theſauri Philolog. *Pet. Jurieu* in Hiſtoria Dogmatum & Cultuum cap. V. & *Joannem Albertum Fabricium* in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti pag. 808. ſeqq. ubi inprimis de διδαχῇ ejus exponitur.

τοῦ Βοσόρ) *Codex* quidam habet ἐκ Βοσὸρ, & ſic *Vulg.* alius τοῦ Βεὼρ, & ſic *Syrus*. Lectio τοῦ Βεὼρ nata eſt ex τοῖς LXX. qui ita Hebr. בעור *Numer.* XXXI. 7. exprimunt. Sunt, qui putent, Apoſtolum ad locum aliquem

בשור.

בשור, vel בצר, unde oriundus is fuerit, alluſiſſe. Sed illis ſe opponunt *Druſius* in commentario priore ad Voces Hebr. pag. 24. & *Grotius* ad h. l. qui ad nomen פתורה, locum Meſopotamiæ, ubi Bileamus habitaſſe *Numer.* XXII. 5. traditur, reſpici exiſtimat. Recte vero *Vitringa* pag. 987. obſervat, locutionem Græcam, Βαλαὰμ τῦ Βοσὸρ, eo nos ducere, ut cogitemus, Βοσὸρ heic potius eſſe nomen Parentis Bileami, quam loci, in quo is habitarit, cum inprimis conſtet, Bileamum in ſacris familiarius a Parente deſcribi, & parentem ejus nomine affinis ſoni בעור gaviſum eſſe. *Vitringa* itaque Hebr. בעור a Petro per Βοσὸρ potius, quam Βεὼρ expreſſum putat, ideo, quod ע, apud veteres adſpirationis fortiſſimæ nota, ſæpe in ſibilantem tranſierit, quemadmodum ex ἅλς, latinum *ſal*, ex ἑπτὰ *ſeptem* ſint nata, & *Jacobus Perizonius* ad Sanctii Minervam lib. IV. pag. 599. τὸ σὺν ex Hebr. עם, *ſalio* vero ex עלה derivet. Non contemnenda eſt hæc obſervatio, quamvis illi id obverti poſſit, quod οἱ LXX. τὸ ע in nominibus propriis nunquam per σ expreſſerint, alibi vero alia atque alia ratione literæ hujus vim repræſentarint. Vide doctiſſimi *Bernardi Montefalconii* diſſertationem præviam ad Lexicon Hebr. & Gr. Hexaplis Origenianis accommodatum, Tomo II. Hexaplorum illorum pag. 396. ſeq. Interim hæc de appellationis Petrinæ origine conjectura reliquis omnibus hactenus eſt præferenda. Præter hæc *Vitringa* ſuſpicatur, Apoſtolum hanc vocis בעור pronunciationem per Βοσὸρ ideo elegiſſe, ut ad vocem בשר, i. e. *carnem*, alluderet, ſubindicaturus, Bileamum, ſuadendo voluptatum carnalium uſum, merito filium Βοσὸρ, h. e. בשר, *carnis* appellari. Ejuſmodi alluſiones plures ait in Petrinis epiſtolis occurrere, atque eo etiam pertinere phraſin μισθὸν ἀδικίας, quæ per paronomaſiam, obſervante *Grotio*, referat Hebraicam שכר שקר. Poteras huc quoque referre vocem ἀπάταις v. 13. per quam ad vocem ſoni adfinis ἀγάπαις reſpici, in ſuperioribus monuimus. Eandem *Vitringæ* obſervationem ſuam, ni fallor, fecit *Surenbuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 692. *Hicce Bileam*, inquit, *apud Moſen* loc. cit. *vocatur filius* τῦ בעור Beor, *ſed apud Petrum filius* בשר Boſor, *i. e.* carnis, *ſive Baſar*, (*Judæi enim more Syriaco* Kametz, *ut* cholem *pronunciare ſolent*) *cum eſſet vir carnalis, concupiſcentiæ deditus. Etenim malas res malis nominibus inſignire, literis inter ſe transpoſitis, non ſolum veteribus Hebræorum profanis, verum etiam Sacris Scriptoribus in more poſitum fuiſſe, conſtat ex theſi noſtra XXV. de modis interpretandi Scripturas Sacras.* Hanc τῦ *kametz* per o inſtar *cholem* efferendi rationem olim quoque, ut hodienum inter Judæos, receptam fuiſſe probare poſſis exemplis a *Montefalconio* loc. cit. pag. 398. ex fragmentis Hexaplorum allatis. Quod enim in Hebræo eſt מקור, *makor*, *Gen.* XXXVI. v. 24. id illi reddunt μακώρ, & quod 1. *Regg.* XVII. 1. eſt דמים, *damim*, hoc illi exprimunt per δομμίν. Judæos porro nomina tum propria tum appellativa, levi mutatione facta, in ſiniſtrum ſenſum convertere conſuevisſe alibi probavi, idque vel ex ſcriptis eorum Anti-Chriſtianis liquet. Con-

ſer interim B. *Schudtii* Delicias Hebræo-Philologicas pag. 115. Non exigua itaque veri ſpecie & elegantia hæc *Vitringæ* conjectura, a *Petro Zornio* etiam Tomo I. Opuſculorum Sacrorum p. 346. approbata, ſe commendat. Mihi tamen ſufficere videntur illi, quæ de diverſa τῦ ע pronunciatione obſervata ſunt. His adde, quod veteres τὸ *ſcheva* Hebræorum initiale per *o* expreſſerint. Hinc enim Græci pro שְׁלֹמֹה habent Σολομών. Ex quo ſatis apparet, quomodo ex בעור natum ſit Βοσόρ. *Lightfootus* loc. cit. p. 1180. τὸ Βοσὸρ repetit ex Chaldaiſmo, in quo τὸ *Sin* frequenter in *Ajin* & *Ajin* viciſſim in *Sin* convertatur. *Smithus* quidem in Commentario p. 266. ſuſpicatur, in contextu Græco fortaſſe legendum τῦ Βεὼρ, cum ejusmodi variationes absque læſa Scripturæ Sacræ, quæ ex minutiis Genealogicis aut Chronologicis non pendeat, auctoritate admitti poſſint. Ut vero taceam, unum alterumve codicem tantum legere Βεὼρ, patet ubique, τὸ Βοσὸρ per librarios non facile ex Βεὼρ ſcribi potuiſſe, niſi id ante oculos habuerint.

ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν) Vide ſupra ad v. 13. In hiſtoria Moſaica relatum non legimus, Bileamum præmia, a Balaco per legatos miſſa, accepiſſe. Hinc *Grotius* conficit, traditionem Scripturæ ſilentium ſuppleviſſe. Recte vero *Surenhuſius* monet, nec h. l. dici, quod Bileamus præmium illud acceperit, ſed quod ejus ſtudio ductus fuerit; id vero lucri ſtudium ex eo patere, quod Rex Moabitarum dona ejusmodi ad Bileamum vix fuiſſet miſſurus, niſi avaritiam ejus perſpectam habuiſſet. Compara *Iſaacidæ* commentarium ad *Num.* XXII. 18. & ad limen *Num.* XXV. & XXXI. v. 16. ex *Siphre* & *Sanhedrin.* Adde Rev. *Oederi* Syntagma Obſervationum Sacrarum p. 74. ſeqq. ubi avaritiam Bileami ſatis ait apparere, & junge illi *Bibliothecam Theologicam Selectam*, germanice editam, Tomo IV. p. 353.

Verſ. 16. Ελεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας, κ. τ. λ.) *Vulg.* vertit: *correptionem vero habuit ſuæ veſaniæ*, quaſi legiſſet παροινίας, vel παρανοίας. Nihil vero mutandum eſt, cum heic agatur de peccato Bileami, & divinæ legis transgreſſione, ſicut in fine commatis hujus παραφρονία ejus caſtigatur. Ita recte judicat *Smithus* pag. 267. *Tindallus*, Anglus, in impio libro, quem *Chriſtianity as old as Creation* inſcripſit, Parte I. p. 254. ſeqq. Bileami cauſam agere ſuſtinuit, recte ideo caſtigatus ad D. *Waterlandio* in *Scriptura vindicata*, Parte II. p. 42. ſqq.

ὑποζύγιον ἄφωνον) Vide huc magni *Bocharti* Opera Tom. I. lib. II. c. 14. p. 191. ſqq. qui p. 197. nonnulla Mythologorum, idem de beſtiarum loquela teſtantium, loca promit.

ἐν ἀνθρώπυ φονῇ φθεγξάμενον) *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, lib. II. pag. 126. *τέῳ τρόπῳ ἂν πελειὰς ἀνθρωπίνῃ φωνῇ φθέγξαιτο; quomodo*

do columba humana voce loqueretur ? Philo p. 36. ἀνθρωπίνην φωνὴν προΐεσθαι dixit : v. *Muſeum Bremenſe* Vol. I. p. 126. *Joſephus* Antiquitat. Judaic. IV. 6. κατὰ βούλησιν Θεοῦ ἀνθρωπίνην λαβοῦσα ἡ ὄνος κατεμέμφετο τὸν Βαλαάμ.

ἐκώλυσε) *Grotium* heic malle ἐκόλασε Auctor Prolegomenorum in accuratiſſimam Novi Teſtamenti editionem p. 172. non allato, quo id profeſſus ſit, loco, monuit. Quæ hujus conjecturæ ratio ſit, non intelligo. Verbum κωλύω eodem, quo h. l. exſtat, ſenſu Scriptoribus N. T. frequentiſſimum eſt, qui ab altera parte κολάζειν ignorant.

τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν) παραφροσύνην aliquot *codices* habent, idque mavult *Grotius*, quemadmodum etiam *Stephanus* illius alterius exemplum ſe deſiderare teſtatur.

Verſ. 17. Οὗτοί εἰσι πηγαὶ ἄνυδροι, νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι) *Codices* aliquot habent πηγαὶ ἄνυδροι καὶ ὁμίχλαι, *fontes aqua carentes & nebulæ.* Hanc lectionem præfert *Millius* in Prolegom. §. 985. alteram vero illam *Judæ* v. 12. ubi νεφέλαι ἄνυδροι, eſſe opinatur. Imo in contextum recepit editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Præſtat credere illud ὁμίχλαι natum eſſe ex explicatione, quam τὸ νεφέλαι ex *Judæ* epiſtola huc eſſe relatum. Sic οἱ LXX. νεφέλην & ὁμίχλην conjungunt *Joël.* II. 2. & *Zephan.* I. 16. ἡμέρα νεφέλης καὶ ὁμίχλης.

εἰς αἰῶνα τετήρηται) Cum duo priores voces a codicibus aliquot abſint, eas quoque ex epiſtola Judæ v. 13. huc relatas opinatur *Millius.* At conſtat, eundem Apoſtolum interdum phraſes prorſus easdem, interdum nonnihil mutatas, adhibere. Itaque ex ejusmodi comparatione nihil certi in gratiam codd. colligi poteſt.

Verſ. 18. Ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγγόμενοι, κ.τ.λ.) Lege *Jo. Henr. Urſini* Analecta Parte I. pag. 136. & *Gatakeri* Adverſaria pag. 15.

δελεάζουσιν) Vide ad v. 14.

ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς) Phraſin hanc ab Ebraiſmo vindicare conatur Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti p. 80.

ἐν ἀσελγείαις) *Millius* habet ſimpliciter ἀσελγείαις ſine ἐν, quod citra omnem MSS. fidem ait inſeri. Ideo etiam τὸ ἐν omiſit editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & *Bengelius.* Quod quidam habent ἀσελγείας in genitivo, id non puto probandum, quamvis *Th. Smitho* pag. 270. cum *Vulg.* arrideat.

τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας) *Codices* aliquot pro ὄντως habent ὀλίγως, alii vero ὀλίγον. Prius illud expreſſerunt *Colinæus* & recens editor Novi Teſta-

 menti

menti Græco-Anglicani: poſterius vero Complutenſes & *Plantinus* in Bibliis Regiis. Communiorem illam recte præfert *Jacobus Cappellus* in Obſervationibus ad h. l. *Pertinet enim id*, inquit, *ad corruptores illos tanto magis damnandos, quod optimos quosque corrumpere nituntur adeoque corrumpunt aliquando, non quidem, ut prorſus ſubvertant, ſed, ut ad tempus avertant etiam electos, quos etiam omnino perderent, ſiquidem id eſſet poſſibile.* Matth. XXIV. 24. Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico ad Novum Teſtamentum ex ſimilitudine literarum vocis ὄντως, vel etiam ex phantaſia librarii, vocem ἀσελγείαις memoria tenentis, repetit. Vox ὀλίγως utique rarior eſt, apud Scriptores quoscunque, τὸ ὄντως vero Sacris Novi Fœderis Auctoribus non infrequens. Vide v. c. *Joh.* VIII. 36. 1. *Corinth.* XIV. 25. 1. *Timoth.* V. 3. & 5. & 16. Quis ille ſit, qui pro ὄντως ἀποφυγόντας ex ingenio reſtituerit οἰνοφλυγοῦντας, teſte Auctore Prolegomenorum ad accuratiſſimam Novi Teſtamenti editionem pag. 172. non dixerim, tantum abeſt, ut rationes conjecturæ inſolentioris perſpiciam. Neque enim heic intelligi poſſunt homines vel *ebrietati*, vel aliis vitiis dediti. Hi enim, tanquam in vitiis hærentes, non poſſunt dici δελεάζεσθαι, vel ineſcari. Hoc autem in eos cadit, qui ab illis alieni veritati & virtuti ſtudent. Idem patet ex phraſi proxime ſequente: τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους. Hæc enim ἀμέσως pendet a participio ἀποφυγόντας, hoc ſenſu, *quod revera effugerint eos, qui in errore verſantur.* Oſtendit hoc *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, quod etiam ex v. 20. manifeſtum evadit: εἰ γὰρ ἀποφυγόντες τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου. Hæc enim phraſis idem vult, quod antea dictum erat, niſi quod μιάσματα τοῦ κόσμου in abſtracto poſitum ſit pro concreto, τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους.

Verſ. 19. Ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐπαγγελλόμενοι) Hunc libertatis prætextum *Vitringa* in diſſertatione aliquoties citata pag. 988. Theſauri Diſputationum Novi fundamentum ait fuiſſe, cui Pſeudo-Doctores prava ſua dogmata de vitæ licentia & obſequio Magiſtratui denegando ſuperſtruxerint. Id vero Paulus τὴν ἐλευθερίαν convertere εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ dicit.

αὐτοὶ δοῦλοι ὑπάρχοντες τῆς φθορᾶς) Phraſes δοῦλον εἶναί τινος, δεδουλῶσθαί τινι & δουλεύειν de eo adhiberi, qui rei alicui vel adfectui, ut domino ſervus, ſubjectus ſit, ex Scriptoribus oſtendit optimus *Albertius* p. 468. Confer *Curas* noſtras ad *Rom.* VI. 16. & alias.

ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται) *Xenophon* Orat. de Ageſilao pag. 526. ἀλλὰ μὴν καὶ ὅσαι γε ἡδοναὶ πολλῶν κρατοῦσιν ἀνθρώπων, ποίας οἶδέ τις Ἀγησίλαον ἡττηθέντα; *Ceterum a quanam earum voluptatum, quibus multi ſuccumbunt homines, Ageſilaum quis ſuperatum vidit?* Rationem hujus phraſeos idoneam reddit *Thomas Smithus* pag. 271. *Eadem enim eſt ratio ſervitutis animi ac corporis, quæ jure belli ac gentium, quo victor in mancipium*

Digitized by Google

cipium plenam habet poteſtatem, *introducitur*. Confer *Raphelii* Annotationes Herodoteas.

Verſ. 20. Ει γὰρ ἀποφυγόντες τὰ μιάσματα τȣ̃ κόσμȣ) *Codd.* tres habent οἱ, atque hanc veram lectionem credit eſſe *Grotius* vi ſequentium. Sed id non admodum perſpicio, cum ſtructura vocum ſit convenientiſſima: εἰ γὰρ —— ἡττῶνται, γέγονεν αὐτοῖς· durior vero, ſi legas: οἱ γὰρ ἀποφυγόντες —— γέγονεν αὐτοῖς. *Demoſthenes*, ſimiliter dixit, δι᾽ ὧν ἀποφεύξονται τὴν νόσον Orat. de Corona pag. 347. & *Herodotus* lib. II. pag. 146. ἀποφυγὼν τὴν πάθην τῶν ὀφθαλμῶν. Vide *Raphelium* & *Albertium*.

Γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων) Similis eſt phraſis *Salluſtii* de Diis cap. IV. μὴ τῶν ἐσχάτων γενέσθαι τι χεῖρον.

Verſ. 21. Κρεῖττον γὰρ ἦν αὐτοῖς, μὴ ἐπεγνωκέναι τὴν ὁδὸν τῆς δικαιοσύνης κ. τ. λ.) Vide *J. H. Urſini* Adverſaria Sacra pag. 50. ſeqq.

ἢ ἐπιγνȣ̃σιν ἐπιστρέψαι) *Codd.* pauci habent εἰς τὰ ὀπίσω ἐπιστρέψαι, & pro ultimo verbo nonnulli ἀνακάμψαι. Voces, εἰς τὰ ὀπίσω, ex ſcholio marginali natas crediderim ad exemplum phraſium ſimilium *Marc.* XIII. 16. *Luc.* XVII. 31. & *Joh.* XX. 14. Has ſcilicet voces argumentum ipſum cuique ſuggerit, nec neceſſe eſt, ut diſerte addantur verbo ἐπιστρέψαι, vel hoc etiam in ἀποστρέψαι mutetur, quæ *Thom. Smithi* ſententia eſt pag. 273. commentarii. Ita verbum ἐπιστρέψωσι *Marc.* IV. 12. ſimpliciter adhibetur, ſine commemoratione objecti, quod ex ſerie ſermonis ſatis liquet.

Verſ. 22. Κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα) Vide *Proverb.* XXVI. 11. cum quo h. l. comparant *Surenhuſius* in Βίβλω καταλλαγῆς pag. 693. & *Franc. Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 392. De voce ἐξέραμα, non admodum obvia, lege *Wolfburgii* Obſervationes Sacras pag. 205. *Gatakerum* in Adverſariis Miſcellaneis pag. 410. *Bochartum* in Hierozoico Tom. I. Opp. pag. 672. & *Colomeſium* in Obſervatt. Sacris pag. 101. qui de eadem *Robertum Creyghtonum* in Prælectionibus ſuis in Ariſtophanem, luce digniſſimis, commentatum eſſe teſtatur.

Ὗς λȣσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρȣ) *A. Blackwall* in Claſſicis ſacris Part. II. pag. 101. juſtum & nobilem verſum jambicum, ſi una ſyllaba καὶ vel ὡς initio ejus jungatur, ſiſti heic obſervat. Idem & de hoc & de priori proverbio monuerat *Gatakerus* loco modo citato. Vide de hoc adagio *Bochartum* l. c. pag. 705. Simile eſt Cratetis illud apud *Apoſtolium* Adagio 1910. Ὗς ἐν βορβόρῳ ἐλυσπᾶται. Confer *Zehnerum* in Adagiis pag. 240. *Andr. Schottum* in Adagialibus N. T. pag. 147. & *Jo. Vorſtium* in Adagiis N. T. cap. IV. qui ad finem ejus vocem ἐπιστρέψασα ex priori illo proverbio repetendam eſſe recte poſt *Bochartum* monuit. Judæorum Magiſtros hominem, priſtina peccata repetentem, *ad ſordes ſuas reverti* frequenter dicere

cere obſervavit doctiſſimus *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1051. Addo his locum diſertum *Maimonidæ* ex *Jeſode battora* cap. V. Sect. 7. *Si quis poterit animam ſuam eripere & effugere e manu Regis, & non facit* היה הוא ככלב.שב על קיאו *ille eſt inſtar canis, revertentis ad vomitum ſuum.* Utrumque proverbium, ut nec hoc omittam, conjunxit *Horatius* l. ep. 2. 26.

Vixiſſet canis impurus, vel amica luto ſus.

CAPUT III.

Verſ. 1. Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοὶ, δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιστολὴν) Ex commemoratione poſterioris hujus epiſtolæ recte confici, ipſam illam æque ac priorem a Petro exaratam eſſe, in Prolegomenis monui. Hujus argumenti vim ut eluderet *Grotius*, novam ab his verbis epiſtolam *Simeonis* Epiſcopi, quem Scriptorem putavit, incipere dixit, quæ ſecunda dicatur reſpectu illius, quæ duobus capitibus ſuperioribus contineatur. Hoc vero, ut alia taceam, vel ideo admitti nequit, quod hoc modo ſuperiori illi clauſula, huic vero ſalutandi formula deſit, cujus rei exemplum & in Apoſtolicis, & in Apoſtolicorum virorum illius ætatis epiſtolis, fruſtra quæſiveris.

ἐν αἷς διεγείρω) ἐν αἷς, ſcil. ταύτῃ τῇ δευτέρᾳ καὶ τῇ πρώτῃ *poſteriore hac & ſuperiore* epiſtolis *excito*. Nihil itaque ſolœci heic obſerves. Confer *Oſtermanni* Poſitiones textum N.T. Græcum concernentes Diſput. II. §. 11. *Stolbergium* de Solœciſmis N. T. cap.XI. p. 7. ſeq. *Colomeſ.* Obſervatt. Sacr. pag. 170. & *Georgii* Hierocriticon N. T. pag. 56. *Stolbergius* & *Georgius* varia veterum dicta adferunt, in quibus relativum ſequens ab antecedente nomine, ſive genere, ſive numero, differat. Sic *Appianus* de Bello Punico: ταῦτα μὲν ἐν τριάκοντα ἡμέραις, ἀφ᾽ οὗ ἂν εἰρήνη κριθῇ. Ubi poſt ἐξ οὗ neceſſe eſt ſubintelligas χρόνου, ſicut h. l. ἐπιστολαῖς. Plura ejuſmodi habes apud *Gatakerum* ad M. Antoninum II. 4. cujus phraſis noſtræ prorſus eſt ſimilis: Μέμνησο, ἐκ πόσου ταῦτα ἀναβάλῃ, καὶ ὁποσάκις προθεσμίαν λαβὼν παρὰ τῶν θεῶν οὐ χρᾷ αὐταῖς. *Memento, quamdiu iſta diſtuleris, & opportunitates, a Diis oblatas neglexeris.* Ad hæc ita *Gatakerus*: Nihil adeſt, inquit *Xylander*, ad quod illud αὐταῖς referri poſſit. *Itaque mutila eſſe ſuſpicatur iſta: ſed immerito. Adeſt enim, ad quod referatur,* προθεσμία *collective ſumta: eſtque tranſitio a numero ad numerum haud infrequens.* Vide ibi plura. Sive igitur de utraque epiſtola heic ſermonem eſſe dicas, ſive a ſingulari ad pluralem tranſitum fieri per σύνθεσιν dicas, erit, quod phraſin hanc ab omni ſolœciſmi ſuſpicione liberet.

ὑμῶν

ὑμῶν ἐν ὑπομνήσει τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν) *per commonitionem veſtram ſinceram mentem.* Voces εἰλικρινὴς & εἰλικρίνεια diligenter exponuntur a Rever. *Chriſtophoro Henrico Zeibichio*, Theologo Wittebergenſi, in Programmate ſingulari de Theologo ad ſplendorem Solis judicato, Wittebergæ 1732. 4to.

Verſ. 2. Μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων ὑπὸ τῶν ἁγίων Προφητῶν, καὶ τῆς τῶν Αποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς, τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος) Tranſpoſitæ in hoc commate voces quædam ſunt, quarum ordinem ut argumentum, de quo ſermo eſt, ſuppeditat, ita *Eraſmus Schmidius* in verſione ſua recte expreſſit : *Vt memores ſitis verborum, quæ prædicta ſunt a ſanctis Prophetis, & mandati noſtri, qui ſumus Apoſtoli Domini & Servatoris.* Ita ſcilicet in verbis ipſis, prout a pluribus & melioribus *Codicibus* exhibentur, nihil mutatur, & ſenſus commodus naſcitur. Neque alienum ab hac verborum expoſitione ſe profitetur *Thomas Smithus* pag. 279. commentarii, quamvis ibidem pag. 278. ſuſpicetur , periocham hanc fortaſſe ita legi debere, ut τῆς loco ſuo reſtituatur hoc modo : μνησθῆναι τῶν π. ῥ. ὑπὸ τ. ἁ. π. ἡμῶν, καὶ τῆς ἐντολῆς τοῦ Κυρίου κ. Σ. atque adeo tria diſtincta hujus verſiculi membra exſtent, quibus admoneantur credentes, ut memores ſint eorum, quæ Prophetæ prænunciaverint, quæ Petrus ceterique Apoſtoli, quæ denique Chriſtus ipſe præceperit. Atque hoc mandatum Chriſti putat exſtare *Matth.* XXIV. 4. *Videte, ne quis vos ſeducat* &c. & v. 11. *multi Pſeudoprophetæ exorientur, ac ſeducent multos.* Præſtat vero in priore illa interpretatione acquieſcere, ut voces, τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ad vocem Αποστόλων referantur, cum Apoſtoli ſe non ſimpliciter Apoſtolos, ſed *Apoſtolos* Jeſu Chriſti appellare ſoleant, v. c. 1. *Pet.* I. 1. & 2. *Pet.* I. 1. &c. *Apoſtoli* quoque & *Prophetæ* ita conjungi ſoleant, ut Jeſus Chriſtus utrinque *lapis angularis* dicatur. Sic *Epheſ.* II. 20. ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Αποστόλων καὶ Προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ιησοῦ Χριστοῦ. Atque hæc ipſa verba efficiunt, ut credam, Petrum h. l. voces, τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ideo ultimo loco poſuiſſe, ut illæ tum ad Prophetas tum ad Apoſtolos referri, atque adeo utrique, Prophetæ æque ac Apoſtoli, Jeſu Chriſti eſſe intelligi poſſint. Itaque non eſt, cur nuperam *Sam. Battierii* conjecturam, in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 195. prolatam, amplectamur. Is enim verba ultima legi vult : καὶ τῆς τοῦ Αποστόλου ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος, ut ſic Salvator noſter Petro dicatur ὁ ἀπόστολος ἡμῶν, quemadmodum *Hebr.* III. 1. ὁ ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν appellatur. Recte utique *Theodor. Haſæus*, vir de his & aliis literis, dum viveret, meritiſſimus, in notis ibidem contra hæc diſputavit, quibus evertendis *Judæ* locus parallelus v. 17. ſufficit : ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοί, μνήσθητε τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν Αποστόλων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. Hic ſane iidem Apoſtoli dicuntur eſſe Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Vocem ἡμῶν poſt ἀποςόλων infarctam cenſuit *Grotius*, quæ ſcilicet inprimis obſtabat, quo minus Petro epiſtola hæc adjudicaretur. Eam vero habent codd. omnes, ſi a paucis aliquot codd. qui ὑμῶν legunt, diſceſſeris. Illud vero ὑμῶν ex eo natum eſt, quod convenientius alicui videbatur, ſi reſpectu eorum, ad quos ſcribebat Apoſtolus, ἀποςόλων ὑμῶν, quam reſpectu ſui & reliquorum, ἀποςόλων ἡμῶν ſcriberet. At idem non recogitavit, aut ὑμῶν illud prorſus eſſe omittendum, aut incommode illi jungi τῦ Κυρίυ καὶ Σωτῆρος. Nonne enim inconcinnum foret, ſi dixeris τῆς ἐντολῆς τῶν Αποςόλων ὑμῶν τῦ Κυρίυ καὶ Σωτῆρος?

Verſ. 3 — 7. Pericopen hanc epiſtolicam illuſtravit *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 199.

Verſ. 3. Τῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτυ τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται) ἐπ' ἐσχάτυ ſc. μέρυς τῶν ἡμερῶν *ultimis diebus*. Ellipſin hanc non recogitantes librarii quidam ſcripſerunt, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, quæ phraſis in N. F. alias frequentior eſt. Pro ἐμπαῖκται *codd.* quidam habent ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται, quam lectionem etiam *Vulg. Syrus*, *Arabs* & *Æth.* expreſſerunt, probantibus *Eſtio*, *Th. Smitho*, *Millio*, & ex noſtratibus ***C. M. Pfaffio*** in Diſſertat. de variantibus lectionibus N. T. pag. 165. *Millius* putat, ἐν ἐμπαιγμονῇ excidiſſe, tum propter Græcæ vocis utriusque ſyllabas initiales ſimiles, tum quod apud *Judam* deſint. Ita ad *locum*; at in Prolegomenis §. 925. voces ἐν ἐμπαιγμονῇ tantum germanas, alteram vero illam ἐμπαῖκται ex *Juda* epiſtola huc relatam cenſet. Recte puto *Millium* ſtatuiſſe, alterutram phraſin eſſe ſuperfluam, cum idem utraque dicat. Hinc vero conſequitur, ἐμπαῖκται ab Apoſtolo ſcriptum rectius cenſeri, quam ἐν ἐμπαιγμονῇ, cum alteram illam plures codd. & *Judas* quoque habeant. Conf. B. *Raithii* Vindicias verſionis Biblicæ pag. 595.

κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι) Simili phraſi *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, pag. 646. de Homero cœco dicit: ἐπορεύετο κατὰ φωνὴν ἴινα αἰγῶν νεμομένων, *ſequebatur vocem caprarum, quæ ibi paſcebantur.* Sicut vero heic verbum πορεύεσθαι proprie uſurpatur, ita idem a Scriptoribus ſenſu morali, ut h. l. adhiberi oſtendit *Georgius* in Vindiciis Nov. Teſtam. pag. 129.

Verſ. 4. Καὶ λέγοντες, πῦ ἐςιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρυσίας αὐτῦ κ. τ. λ.) Adventum hunc Domini de adventu ad Judicium extremum Interpretes tantum non omnes recte acceperunt. Pauci quidam aliter ſentiunt, iique inter Anglos potiſſimum. Ex his enim *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 609. *Joannes Lightfootus* in Chronico Temporum pag. 116. *Henricus Hammondus* ad h. l. *Joannes Owenus* in Theologumenis lib. III. cap. 1. §. 2. ſq. *Th. Smithus* pag. 282. *Gvilelmus Caveus* in Vita Petri cap. X. §. 6. de judicio, Judæis tum temporis imminenti, ſermonem eſſe contendunt. *Smithus*

thus, qui libenter *Hammondum* ſequitur, ita: *Certum ergo fixumque eſto, S. Petrum phraſi, ἐπ' ἐσχάτυ τῶν ἡμερῶν velle tempus illud, quo finis cultui Judaico imponendus eſſet, inſtare, & excidium illud, quo increduli Judæi perituri eſſent, etiam imminere, novumque Meſſiæ regnum per univerſum terrarum orbem incipere diffundi: neque incongruum erit, ut credamus, omnia, quæ ſequuntur, ad idem propoſitum referri oportere.* Eandem ſententiam pingere & ornare adgreſſus eſt *Samuel Werenfelſius* in diſput. Theolog. de adventu Domini ad h. l. Baſil. 1701. 4. Vide *Joannis Jacobi Scheuchzeri* Nova Literaria Helvetica an. 1703. pag. 117. Abolitionem is Eccleſiæ & Reip. Judaicæ ſtatumque Eccleſiæ N. T. inſecutum ſignificari cenſet, quæ ut a Domino prædicta ſint, ita, facta urbis Hieroſol. expugnatione & templo combuſto acciderint. Hoc fine in ſequentibus cœlum & terram de Eccleſia Judaica, quæ igne perierit, combuſta urbe & deſtructo templo; elementa vero de ceremoniis Judaicis; ultimos porro dies de tempore mox futuro, adventum Domini de die excidii Judæorum, novum vero cœlum & novam terram de temporibus N. T. regno Chriſti, & propagatione doctrinæ ejus interpretatur. Non eſt cur in his expendendis moremur. Recte *Joannes Clericus* in Annotatt. ad Hammondum h. l. monuit, *eum ad hoc caput, in torquenda Scriptura, ſemet ipſum ſuperaſſe, ne in eo inveniret rerum omnium finem*; atque ea porro attulit, quæ παρερμηνεία huic omnem veri ſpeciem adimunt. Confer præterea, quæ ex Anglis præter *Henricum Morum* in Oper. Theologicis Latinis pag. 205. ſqq *Thomas Burnetus* in Theoria telluris lib. III. cap. 11. & in Archæologia Philoſoph. eo dixit, ut vaticinium hoc de adventu Chriſti extremo accipi debere conſtaret. Adde nos infra ad v. 10.

Nec majore veri ſpecie ſe commendant illa, quæ *B. P. Karlius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 488. ſeqq. attulit. Ejus enim judicio adventus hic Chriſti *ad novam regni ipſius in Eccleſia faciem, quam ſub tubicinio ſeptimo* Apocal. XI. 15. ſeqq. *futuram exſpectemus*, referendus fuerit. Noſtratium Theologorum ſententiam adſtructam lege a D. *Joanne Weinmanno* in diſſ. contra empæctas promiſſionis adventus CHriſti ultimi, Altorf. *1656.* & ab *Amelio* Tom. II. der Erörterung pag. 791.

ἀφ' ἧς γὰρ) ſcil. ἡμέρας, plane ut Latini, *ex quo*, ſcilic. tempore. Vocem ἡμέρα ſæpe in ſermone deſiderari oſtendit *Lambert. Bos* de Ellipſi pag. 77. edit. Schœtgenianæ: conf. ibidem pag. 251. *Wokenius* l. c. τὸ ἧς a voce παρυσία pendere exiſtimat, quaſi homines illi hoc ſibi voluerint: *non datur alius adventus Chriſti futurus, quam quo unicuique tempore mortis advenit, ad animam in cœlum deferendam. Nam poſt eam apparitionem gratioſam, qua unicuique patrum ſua gratia apparuit, & moribundo ita ſubvenit, ut bene mori potuerit, nulla alia apparitio, nullus alius adventus notari potuit, vel ſaltem aliquod ſignum ejuſdem, ſed omnia manſerunt in ſtatu priſtino, ut itaque nul-*

lus alius adventus exſpectari poſſit. Non puto, τὸν μακαρίτην in hæc cogitata incidere potuiſſe, niſi ab ellipſibus, omni Scriptorum generi familiaribus, animum penitus alienum habuiſſet.

ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως) ſcilicet ὡς, *omnia ita permanent, ut ab initio creaturæ.* Vide *Lamb. Bos* lib. cit. pag. 365. ibique *Schœtgenium.*

Verſ. 5. λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, κ. τ. λ.) Comma hoc una cum ſequenti exponit *Sebaſtianus Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori pag. 95. ſeqq. Ex Philoſophia naturali lucem illis adfundere inſtituerunt præter *Thomam Burnetum*, non ſine delectu habito legendum, in Archæologia Philoſophica lib. II. cap. 3. pag. 466. ſeq. *Bernardus Nieuwentyt* in libro Belgico elegantiſſimo, quo contemplationem naturæ ad Summi Numinis gloriam retulit, cap. XX. §. 9. ſeqq. & *Joannes Jacobus Schillingius,* Profeſſor Duisburgenſis, in Miſcellaneis Duisburgenſibus, Tom. II. Faſcic. I. pag. 61. ſeqq. Prima commatis hujus phraſis recte ab *Eraſmo Schmidio* ita converſa eſt: *illud enim volentes hoc neſciunt*; nec aliter a *Beza*: *illud enim ſponte ipſos latet.* Verbum θέλω enim a Scriptoribus ita paſſim adhibetur, ut ſtudium atque contentionem inferat. Vide, quæ ſcripſimus ad *Coloſſ.* II. 18. & adde heic *Raphelium* in Annotationibus Polybianis. *Oecumenius* diſerte: ἐθελοντὶ μύουσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν. Senſus eſt: præfracte nolunt admittere, quod ſcire poterant & debebant. Nolim igitur cum *Hombergio* pag. 366. Parergorum ita interpretari: *eos, qui hoc volunt, dicunt*, quod nempe dixerat, v. 4. Non video, quomodo hæc cum ſequentibus cohæreant. Nihilominus tamen eadem fere ratione verba hæc accepit *Paulus Bauldry*, & interpunctionem quoque mutavit hoc modo: λανθάνει γὰρ αὐτοὺς, τοῦτο θέλοντας, (ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος, καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ) δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο. Verborum porro ordinem & nexum ita inſtruit, ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus: λανθάνει γὰρ αὐτοὺς (ἐμπαῖκτας nempe ἐλευσομένους) αὐτὸ τοῦτο θελῆσαι ἐκείνους, δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ἀπώλετο κατακλυσθεὶς, ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, κ. τ. λ. Latine dixeris: *Eos enim*, (irriſores venturos) *latet, hoc homines illos voluiſſe*, vel innuiſſe; nempe: *cœli jam olim exſtiterunt per Dei ſermonem* &c. (hoc ſcilicet dictum eſt veterum empæctarum) *per quos*, ſeu quorum occaſione, *prior mundus diluvio periit*, &c. Lege epiſtolam ejus Bibliothecæ Novorum librorum an. 1699. pag. 384. ſeq. inſertam. Vides heic verba illa, ὅτι οὐρανοὶ —— τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ a *Bauldrio* a ſermone Apoſtoli diſtingui, & empæctis illis tribui. Id vero per phraſin antecedentem, λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλ. fieri non poteſt. Ea enim rationem, indicio particulæ γὰρ, reddit, cur empæctæ illi venturi in impia ejusmodi cogitata ſint prolapſuri, nempe ideo, quod præfracte ſcire aut credere nolint, veterem illum mundum periiſſe, atque adeo & præſentem illum perire poſſe & eſſe periturum. Itaque empæctæ illi venturi non comparantur

cum

cum veteribus illis ante diluvium, idem ſentientibus, quorum nec mentio heic facta erat. Proinde gratis inſeritur vox ἐκείνους, ut ad illam referri poſſit τὸ δι᾽ ὧν, quod ad proxime antecedentia referri debere mox oſtendemus. Porro verbum λανθάνει requirit, ut illud, quod ſequitur, nempe, ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, id eſſe cenſeamus, quod empæctæ præfracte ignorent. Eadem phraſi mox utitur Petrus v. 18. Ἓν δὲ τοῦτο μὴ λανθανέτω ὑμᾶς, ἀγαπητοὶ, ὅτι μία ἡμέρα κ. τ. λ. Vides omnino, poſt μὴ λανθανέτω, ſequi id, quod ignorare non debebant, idque per particulam ὅτι indicari. Taceo denique, hoc modo verborum trajectionem præter idoneam rationem invehi.

καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι᾽ ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ) His inter cetera verbis uſus eſt *Thomas Burnetus* loc. citato, ut evinceret, aliam terræ ante diluvium faciem & conditionem fuiſſe, quam quæ hodie in oculos incurrat. Conſtat vero hanc ejus hypotheſin a *Keillio*, *Whiſtono*, *Leydeckero*, aliis, ſatis eſſe confutatam. Accipe interim verba ejus ex pag. 467. Archæologiæ Philoſoph. *Negant*, inquit, *adverſarii*, (contra quos ſcilicet Petrus diſputabat) *ullum futurum eſſe mundi naturalis excidium aut mutationem. In eam fidem adducti, quod nullam hactenus viderint, aut audiverint, in natura inconſtantiam aut mutationem, ab antiquiſſimorum Patrum temporibus, ab extrema hominum memoria, ab ipſo rerum initio. Quid his reponit Apoſtolus? Ait eos libenter oblivìſci primævi naturæ ſtatus, ſive antiquorum cœli & terræ, quæ ex aqua & per aquam conſtituta*, eam ob cauſam, *ſive propter illam conſtitutionem in aquarum diluvio perierunt. Hodierni autem cœli & terræ, inquit, aliter conſtituti, igne perituri ſunt.* Intelligis procul dubio, lector, *Burnetum* ſententiæ ſuæ pondus inprimis collocare in particulis δι᾽ ὧν, quaſi illæ ad conditionem terræ priſtinam & diverſam omnino reſpiciant. At vide, quæ mox dicentur.

Jam videndum eſt, quid ſibi phraſis ipſa velit. *Eraſmus Schmidius* vertit: *terram ex aqua & inter aquas exſtitiſſe*, non quidem, quod in notis monet, *materialiter*, ſed *localiter*, eductis ſcilicet in altum montibus, & magnis paſſim cavitatibus in terra factis, in quas aquæ tanquam in alveos recederent; quemadmodum eædem aquæ partes terræ ſiccas interfluunt. *Andreas Dounæus* ad Chryſoſtomum Tomo VIII. editionis Savilianæ p. 283. ita phraſin accipit, ut pars terræ latere in aqua, pars exſtare dicatur, quo ſenſu vocem διὰ *Chryſoſtomus* homilia XXXII. in 1 epiſt. ad Corinth. adhibuit, mentionem faciens τοῦ σώματος τοῦ διὰ πασῶν συνεσταμένου τῶν ἐκκλησιῶν. Amplectitur hanc interpretationem præſtantiſſimus *Fabricius* noſter ad *Sextum Empiricum* libro IX. pag. 594. his verbis: *Aqua ut levior ſupernatare debebat; ſed propter neceſſarium illarum uſum undæ terris ita admixtæ, ut non minus γῆν τὸ ὕδωρ φέρῃ, quemadmodum ait* Jarchas Judas *apud* Philoſtratum III. 11. *quam terra aquas, atque ut* S. Petrus *Apoſtolus 2. epiſt.* III. 5.

γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι᾽ ὕδατος συνεστῶσα, h. e. ut verba illa rectiſſime interpretatur Andreas Dounæus &c. *Schillingius* modo laudatus pag. *66.* Tomi II. Miſcellan. Duisburgenſ. phraſin ἐξ ὕδατος eadem ratione accipit, alteram vero δι᾽ ὕδατος, aquam, ut *cauſam inſtrumentalem*, ſeu *efficientem*, indicare putat, hoc fere ſenſu, quod terra *per aquam*, ſeu *ab aqua* conſiſtentiam ſuam, i. e. firmitatem, ſoliditatem, partiumque cohæſionem, atque totam adeo formam ſuam vel maxime ſit conſecuta. *Quis enim*, ita pergit, *neſcit, terram arefactam nimis, atque in extima hinc ſuperficie male cohærentem dehiſcere, rimas agere, & in pulverem collabi tenuiſſimum, eandem vero irrigatam reſtituto humore tenaciter iterum agglutinari compingique? Nieuwentytius* loc. cit. pag. 394. editionis Belgicæ tertiæ, non ſolum illud διὰ, ſed & τὸ ἐκ eadem ſignificatione accipit, ut utrinque *materia*, *ex qua* & cauſa terræ materialis indicetur. Eam in cauſam ad deſtillationes Chymicas provocat, quarum ope aqua in terram adeo firmam & ſolidam convertatur, ut in aquam denuo converti non poſſit. *Robertum Boylium* hoc experiundo didiciſſe teſtatur *Iſaacus Newton* in Opticis pag. 319. ſicut de *R. Hoockio* idem traditur in Actis Eruditorum Lipſienſ. an. 1707. pag. 154. Sed vide, quæ contra ejusmodi experimenta excipit *Schillingius* loc. cit. pag. *63.* Quantum veteres Philoſophi aquæ in rerum origine tribuerint, eamque omnium principium crediderint, ex Hiſtoria Philoſophica conſtat. Vide, quæ eam in rem dixi olim ad *Origenis* Philoſophumena cap. I. pag. 22. ubi Pſeud-Origenes ita de *Thalete*: Οὗτος ἔφη ἀρχὴν τοῦ παντὸς εἶναι καὶ τέλος τὸ ὕδωρ· ἐκ γὰρ αὐτοῦ τὰ πάντα συνίστασθαι πηγνυμένου, καὶ πάλιν διανιεμένου, ἐπιφέρεσθαί τε αὐτῷ τὰ πάντα. *Hic aquam univerſi initium & finem ſtatuit: conſtare namque ex hac denſata vel rurſus extenuata; & in ea*, vel ſuper illam *ferri omnia*. Ex *Senecæ* quoque Natur. Quæſt. III. 13. teſtimonio *Thales* dixit, *terrarum orbem aqua ſuſtineri, & vehi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare tum, cum dicitur tremere.* Senſum verborum Petri optime mihi expreſſiſſe videtur *Thomas Smithus* pag. 291. *Hic plane*, inquit, *mihi videtur Apoſtolus reſpexiſſe ad rudem indigeſtamque terræ molem, aquis ſubmerſam & coopertam, antequam ipſa fieret arida, —— —— & antequam aquæ, quæ ipſius ſuperficiei incubuerunt, in excavatos canales, tanquam in tot conceptacula, juſſu Sapientiſſimi Conditoris confluxiſſent* &c. Γῆ ἐξ ὕδατος, *tanquam ab operimento, quo tegebatur, ſeſe attollens emerſit & apparuit, prius inconſpicua; non ex aqua tanquam ex principio materiali conſtituta —— —— δι᾽ ὕδατος eſt ἐν ὕδατι*, in aqua: *tellus enim omni ex parte circumcirca aquis cingitur.*

τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ) Similiter Thales apud *Origenem* loc. cit. ſtatim commemorat ἀρχηγὸν τῆς γενέσεως, eumque ait εἶναι Θεὸν τὸν μήτε ἀρχὴν μήτε τελευτὴν ἔχοντα. Quemadmodum *Cicero* Thaletem *aquam* ait *dixiſſe initium rerum, Deum autem mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret.* Compara

para *Cudworthi* Syſtema Intellectuale hujus Vniverſi lib. I. cap. I. §. 22. & cap. III. §. 20.

Verſ. 6. *Δι᾽ ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο*) In lectione *δι᾽ ὧν codices* omnes conſentiunt, unus vero *Arabs* ita eas reddit, ac ſi legiſſet *δι᾽ ὅ*. Noſtrum illud plerique cum *Grotio*, *Eraſmo Schmidio*, & *Beza* vertunt: *quamobrem;* eo ſenſu, quod, quia terra & aqua ita ex aqua & inter aquam conſtituta ſit Dei verbo, eodem quoque Dei verbo aqua obruta fuerit tempore diluvii. Senſum arbitror ſatis eſſe concinnum, qui tamen non velificatur ſententiæ *Burneti* ante recitatæ, quaſi priſtina illa & diverſa a præſente terræ ſeu orbis habitabilis conſtitutio inſtar cauſæ diluvii repræſentetur. Cauſa enim diluvii refertur potius ad verbum ſeu voluntatem Numinis, a qua, ut creatio terræ, ita & interitus ejus pependerit. Nihilominus tamen *τὸ, δι᾽ ὧν, per quæ* interpretari malim, non quidem, ut ad vocem *ὕδωρ* tantum reſpectus habeatur (nam ſtatim ſequitur vox *ὕδατι*, & præterea Syntheſis aliqua vel tranſitus a numero ſingulari ad pluralem ſine urgente cauſa inveheretur,) ſed ut ad cœlum & terram, ex aqua & per aquam conſiſtentem, reſpiciatur. Ita ut ſentiam, communior phraſeos *δι᾽ ὧν* ſignificatus efficit, per quem cauſam mediam ſeu inſtrumentalem infert. Ita ſupra I. 4. *δι᾽ ὧν* (ſcilicet *δόξης καὶ ἀρετῆς*) *τὰ μέγιστα ἡμῖν καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται*, & mox v. 12. hujus capitis, *δι᾽ ἣν* nempe *παρουσίαν*, *per quem*, vel *propter quem adventum*, vel *cujus efficacia*, ut *Eraſmus Schmidius* reddit. Senſus itaque fuerit, *cælorum* illorum & ipſius *telluris*, aquam largiter ſuppeditantium, adminiculo factum eſſe, ut *mundus*, ſeu homines illius ætatis maleferiati perirent. Hæc expoſitio reſpondet penitus narrationi de diluvio Moſaico *Geneſ.* VII. 11. ubi ad inundationem illam procreandam omnes abyſſi magnæ fontes, & cœli cataractæ apertæ dicuntur. Recte in hanc ſententiam *Thomas Smithus* pag. 295. ita: *Per hæc duo, cælum & terram, h. e. nubibus ex continuis vaporibus conſtipatis, unde ingens ſuppetebat pluviæ, in terram cum impetu & vi procelloſa effundendæ, copia, tandem liquefactis, cataractisque cœli effractis, deinde erumpente ex interioribus terræ meatibus ſpecubusque aquarum colluvie, &, ut Moſaicis verbis utar*, omnibus abyſſi magnæ fontibus ruptis, *terra, univerſis incolis, exceptis octo, delectis cooperiebatur.* Si hoc ſenſu Apoſtoli verba accipias, ſimul apparet, S. Petrum empæctarum illorum vanam perſuaſionem efficaciter retudiſſe, oſtendentem, ipſum illud cœlum, & ipſam illam terram, quam illi tam firmam ſolidamq; eſſe opinabantur, ut nihil unquam mutationis extimeſcendum ſit, arma ſuppeditaſſe Divino Numini, quibus terræ incolas penitus profligaret. Idem video ſtatuiſſe *Joannem Harduinum* in Operibus Selectis pag. 520. *Per* cœlos *&* terram, *quæ dixi, inquit* (Petrus) *cælis æque ac terra ad diluvium aquam ſubminiſtrantibus*, mundus, *h. e. univerſus orbis habitabilis periit.* —— —— *Eo autem verbo*, per quæ, *neceſſe eſt deſignari ea, quæ antea proxime dixit, præter aquam, quam ipſa ſuppeditaſſe dicuntur ad diluvium, cum dicit Apoſtolus:*

lus : per quæ illa tunc mundus aqua inundatus periit. Nec aliter olim *Oecumenius* ad h. l. Δι' ὧν διὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, τοῖς μὲν τὸ ὕδωρ ἐπικλυσάσης, τῶν οὐρανῶν δὲ τοὺς καταῤῥάκτας αὐτῶν ἐπαφέντων, τουτέστιν, ὡς ἐν καταῤῥάκταις κατεπειγόντων τὸ ὕδωρ. Quæ ad hoc comma illuſtrandum ex Scientia Naturali peti poſſunt, ea attulit nuper Cl. *J. J. Schillingius* in Miſcell. Duisburgenſ. Tom. II. pag. 528. ſeqq.

Verſ. 7. Οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ) Verbum θησαυρίζεσθαι i. e. *congeri* & *congeſtum ſervari* etiam de re exitio ſuo deſtinata æque uſurpari poteſt, quam alias de rebus tum utilibus tum noxiis adhibetur. Vide, quæ ſcripſimus ad *Rom.* II. 5.

πυρὶ τηρούμενοι) Mundum omnem igne aliquando periturum *Heraclitus* quoque dixit, teſte *Diogene Laërtio* lib. IX. 7. ἕνα εἶναι τὸν κόσμον γεννᾶσθαί τε αὐτὸν ἐκ πυρὸς, καὶ πάλιν ἐκπυροῦσθαι κατά τινας περιόδους ἐναλλὰξ τὸν σύμπαντα αἰῶνα. Idem Stoicorum dogma fuiſſe oſtendit *Lipſius* de Phyſiolog. Stoic. lib. II. cap. 22. 23. & *Jacobus Thomaſius* de Exuſtione mundi Stoica. Adde, quæ ſcripſi ad Origenis Philoſophumena pag. 146. Nec deſunt aliorum ex paganis hanc in rem teſtimonia, quæ leges apud *Dougtæum* in Analectis Sacris Novi Teſtamenti, Excurſu CI. pag. 151. Judæos quoque, mundo interitum ab igne imminere, tradidiſſe ex *Mechilta* fol. 37. & *Jalkut Rubeni* fol. 32. 2. oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1052.

Verſ. 8. ὅτι μία ἡμέρα παρὰ Κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη) Ex Pſalmo XC. 4. hæc adferri Interpretes obſervarunt, ad quem alludi tantum putat *Franciſcus Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 355. Quod ad ſententiam ipſam attinet, *Zoſimus* Hiſtor. pag. 445. ſimiliter dixit : πᾶς γὰρ χρόνος τῷ θείῳ βραχὺς, ἀεί τε ὄντι καὶ ἐσομένῳ. *Nam omne tempus Deo breve eſt, qui ſemper & exiſtit, & erit.* Idem vero ante dixerat de vaticinio aliquo, quod, interjectis aliquot ſæculis, tandem eventu erat confirmatum. Judæi alias diſtinguunt inter dies divinos & humanos, atque diem divinum mille annis definiunt. Vide *Schœtgenium* loco citato.

Verſ. 9. Οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας) *Non tardat Dominus promiſſum*, ut recte *Beza* & *Schmidius*. Neque enim vox ἐπαγγελίας ad Κύριος ſed ad βραδύνει referendum eſt : hoc enim etiam tranſitive ſumi patet ex *Jeſ.* XLVI. 13. Vide *Feſſelii* Adverſar. Sacr. Tom. I. pag. 22. Cum vero paternus caſus heic ſequatur τῆς ἐπαγγελίας, ubi accuſativus potius requiritur, ſenſus intranſitivus, *moratur*, retineri poteſt, & ante vocem ἐπαγγελίας ſubintelligi ἕνεκα, quod recte monuit *Camerarius*. Eam vero præpoſitionem ſæpe ante gignendi caſum deeſſe abunde evicit *Lamb. Bos* de

de Ellipſi Gr. L. pag. 327. Sic *Lucianus* in Philoſpeude pag. 327. τίνος ἀγαθȣ̃ τȣ̃το ποιȣ̃σιν; ſcil. ἕνεκα. *Cujus boni gratia hoc faciunt?* Ita non opus eſt, ut cum *Ludovico Cappello* in Spicilegio notarum ad h. l. μετάπτωσιν ſeu mutationem caſuum hic factam ſuſpicemur, vel Syntaxin Græcam a Scriptoribus Sacris non adeo accurate obſervari dicamus. Hoc fine *Thomas Smithus* quoque pag. 303. τὴν ἐπαγγελίαν reponendum eſſe ſuſpicatur, vel dicendum, Apoſtolos, cœleſtia myſteria tractantes, ad ejusmodi regulas Grammaticales non adſtringi.

ἀλλὰ μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς) Ex hoc verbo Rev. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 213. colligit, Apoſtolum h. l. id non velle, ut quæ *cito* Deus *ventura* prædixiſſet per Prophetas, nos ita accipiamus, quaſi poſt mille vel bis & amplius bis mille annos ſint futura; ſed de die extremo, quem Deus nusquam *cito*, ſed *ſubito*, h. e. cum minime exſpectatur, venturum prædixerat, non ſtatuendum eſſe, in Deo aliquam eſſe cunctationem, imo vero μακροθυμίαν reputandam, quod non feſtinanter ad judicium veniat. Opponi his poteſt, quod Dominus noſter *Apoc.* XXII. 12. & 20. de adventu hoc ſuo loquens, dicit: ἔρχομαι ταχὺ, quodque Apoſtolus βραδυτῆτα ſive *moram* a Deo, in implendo promiſſo, talem amoliatur, quæ cum vitio aliquo ex hominum opinione conjuncta videri poterat. Id, inquam, vitium amolitur ex eo, quod longum, ut hominibus videtur, tempus, apud Deum breve ſit, & Deus præterea a judicio ſuo, quod citius agere poterat, longanimitatem ſuam teſtaturus, abſtineat.

Verſ. 10. Ἥξει δὲ ἡ ἡμέρα Κυρίȣ ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ) Voces, ἐν νυκτὶ deſunt in *Codd.* aliquot & verſionibus, quas propterea ex 1 *Theſſ.* V. 2. *Zegerus* & *Eſtius* huc relatas exiſtimant, quemadmodum *Colin.* & recens editor N. T. Græco-Anglicani in contextu omiſerunt. Cum vero Dominus noſter *Matth.* XXIV. 43. de ſuo judicis adventu loquens, κλέπτȣ faciat mentionem, fures autem noctu opprimere ſecuros ſoleant, non apparet ratio, cur Apoſtolum h. l. eadem phraſi æque ac Paulum l. c. uſum eſſe dubitemus. Recte *Thomas Smithus* pag. 305. *Mundo, profunda ſecuritate ſopito, fatalis illa hora ſuperveniet inſtar furis, qui intempeſta & ſilenti nocte in domos, quas expilaturus eſt, ſine ſtrepitu ſolet irrepere.* Confer de locutione hac proverbiali *Andream Schottum* in Adagialibus Novi Teſtamenti, & *Svicerum* Tomo II. pag. 110.

Ἡμέραν ſive *diem* hunc Angli illi, quos ad v. 4. appellavimus, de die, Reipublicæ Judaicæ fatali, accipiunt. Iis nuper etiam acceſſit *Joannes Honertus*, Theologus nunc Leidenſis, in Diſputat. Theologica de Die Dominico, Trajecti 1733. habita, pag. 27. Recte vero contra hanc ſententiam olim diſputavit *Vitringa* lib. IV. Obſervationum Sacrarum cap. 16. & nuper ex noſtratibus, *Joan. Herman. Benner*, Profeſſor nunc Gieſſenſis meri-

Digitized by Google

tiſſimus, in Diſſertat. de exuſtione mundi ſuprema ad Petri ſententiam conformata, Gieſſæ 1733. in qua commata 10. 11. & 12. erudite explicantur. Conf. Acta Academica an. 1734. pag. 50. ſeq. Ex Anglis ipſis *Hammondo* ſe gnaviter oppoſuit *Joannes Raius* in diſſertat. de diſſolutione mundi & futura conflagratione, quæ tertia eſt in *three Phyſico-Theological diſcourſes*, Londin. 1713. 8. editis. Conf. Acta Eruditor. Lipſienſ. Tom. VI. Supplementor. pag. 70. ſeqq. Adde eadem an. 1693. pag. 15. ſqq. ubi idem *Raji* liber Lond. 1692. 8. ſub alio titulo editus, enarratur.

ϛοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται) Per ϛοιχεῖα corpora mundi totalia, Solem cum planetis fixiſque ſideribus intelligi recte cenſuit, variiſque argumentis adſtruxit B. *Joannes Gvilelmus Baierus* in diſſertat. de Elementis mundi, Altorfii 1711. habita, pag. 7. ſeqq. Rationes hæ ſunt. Inter cœlum ac terram, quæ procul dubio mundi partes integrantes ſeu corpora totalia ſunt, elementa hæc medio loco ponuntur; eadem a cœlo, ſtricte ſumto, terraque diſtinguuntur, & eorum diſſolutio ſeorſim heic & v. 12. memoratur: terra denique & ejus opera aut partes componentes ſeparatim dicuntur comburenda. Vocem porro ϛοιχεῖα de cœleſtibus corporibus adhiberi patet ex iis, quæ *Hammondus* & *Clericus* ad h. l. tum vero *Menagius* ad Diogenem Laertium VI. §. 102. attulerunt. Contra ea, qui elementa vulgo ita dicta, aërem, aquam & terram h. l. ſignificari contenderunt, eos quidem magnis ſe difficultatibus immittere idem *Bayerus* pag. 9. ex iis oſtendit, quæ *Sebaſtianus Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori pag. 398. ſeq. in hanc rem ita eſt commentatus, ut profiteretur, *ſe, niſi Interpretum conſenſum veneraretur, alia præcipua ſupra terram corpora, quæ reliquorum cauſa ſimul ſint, intelligere malle.* Eadem quæ *Bayeri*, ſententia eſt *Smithi* pag. 305. qui commode obſervat, ſtellas tum fixas, tum erratiles, Græcis ϛοιχεῖα ὀράνια appellari, homines vero illos ϛοιχειωματικούς, qui τελέσματα, ſive imagunculas cognatas, ac ejusdem figuræ cum quibusdam ſignis cœleſtibus, ad depellenda mala concinnaverint. Compara, quæ in eandem cauſam dixit *Bennerus* §. 5. laudatæ diſſertationis, & pag. 23. diſputationis alterius de majeſtate Chriſti divina, quam B. *Rambachio* præſide Gieſſæ 1732. habuit.

καὶ γῆ, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαήσεται) Conflagrationis hujus modum ut tuto ignoramus, ita ab ea indaganda ſecurius abſtinemus. Vide tamen, quæ huc attulit *Rajus* libro laudato, & *Bennerus*. Hic ſpeciatim eam profecturam putat ab impetu quodam vehementiore, qui æſtum rapidiſſimum ſit comitaturus, unde mutatio fatalis huic univerſo contingat. Convenire enim putat, ut modus condendi conformandique naturam cum ratione deſtruendi componatur, & ex utroque ſapientia conditoris effulgeat, qui poſſit iisdem inſtrumentis ad evertendam operis ſui formam uti, quibus ad ſtabiliendam fuerat inſtructus.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 11. Τέτων ὖν πάντων λυομένων) *Cum igitur hæc omnia ſint diſſolvenda.* Participium enim *præſentis* temporis poſitum eſt pro illo *futuri* λυσομένων, vel λυθησομένων, ut cap. II. 9. κολαζομένες, & mox v. 12. ὐρανοὶ λυθήσονται. Hæc vero participiorum enallage non Hebræis tantum, ſed & Græcis Scriptoribus recepta eſt, quorum locos habes apud *Georgium* in Hierocritico Novi Teſtamenti pag. 65. Sic *Thucydides* VI. §. 83. καὶ νῦν τῆς ἡμετέρας ἀσφαλείας ἕνεκα καὶ ἐνθάδε παρόντες, ὁρῶμεν καὶ ὑμῖν ταῦτα ξυμφέροντα. *Et nunc nos, cum noſtræ incolumitatis cauſa huc venerimus, hæc etiam ipſa nobis profutura videmus.* Eodem verbo λυομένων uſus eſt *Seneca* epiſt. LXXI. ubi de futura rerum omnium mutatione loquitur. *Quicquid eſt, non erit, nec peribit, ſed* reſolvetur. Sed eo ſenſu, ut non interitus rerum abſolutus, ſed mutatio tantum earum ſignificetur, qua de re mox dicemus ad verſ. 13.

ποταπὲς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ ἐυσεβείαις) Pluralis numerus pro ſingulari ἀναστροφῇ καὶ ἐυσεβείᾳ h. l. occurrit, non nuda Hebraiſmi imitatione, ſed Scriptorum quoque exemplo. Vide *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti pag. 229. Neque tamen efficacia caret hæc loquendi ratio, ſed omne ſanctæ converſationis genus & omnia pietatis officia denotat. Quantum vero momentum ad pietatis ſtudium urgendum in memoria extremi judicii ſitum ſit, præter alios oſtendit *Joannes Rajus* in calce diſſertationis, quam ad v. 10. laudavi.

Verſ. 12. Προσδοκῶντας καὶ σπέυδοντας τὴν παρεσίαν τῆς τῦ Θεῦ ἡμέρας) *Exſpectantes & precibus accelerare facientes adventum;* ita *Eraſmus Schmidius*: *exſpectantes & properantes ad adventum*; ſic *Beza*, quaſi ſubintelligendum eſſet ἐις. Sed eo non opus eſt, cum verbum σπέυδειν non tantum neutraliter, ſed etiam active adhibeatur. Oſtenderunt id *Eraſmus Schmidius*, diligentius autem *Raphelius* in Annotationibus Polybianis & Herodóteis, & *A. Blackvvallus* in Claſſicis Sacris Tomo II. pag. 180. ſeq. *Herodotus* lib. I. p. 95. τὸν γάμον τοι τῦτον ἔσπευσα, *has nuptias tibi acceleravi.* Ex illius loci occaſione *Æmilus Portus* in Lexico ſuo alios ejuſdem adfert, nempe: παῦσαι σπέυδων τὰ σπέυδεις, ξυνὸν πᾶσιν ἀγαθὸν σπέυδειν. *Thucydides* VI. pag. 373. editionis Hudſonianæ: ἐι μὴ μανθάνετε κακὰ σπέυδοντες, *niſi animadvertitis vos rem pernicioſam adfectare.* Idem vero verbum, ſive neutraliter, ſive active ſumatur, ſingulare ſtudium animique contentionem denotare obſervavit *Joannes Theodorus Grævius* in Lectionibus Heſiodeis ad Ασπίδα v. 364. *Tacito* quoque dici *feſtinare cædes, cruces, ignes, patibula*, Annal. XIV. 33. 4. & alias, monuit idem *Raphelius.* Senſus itaque fuerit: *exſpectantes & vehementer expetentes.* Notari heic velim, τὴν τῦ Θεῦ ἡμέραν extremi & univerſalis judicii diem appellari eodem modo, quo Paulus *Actor.* XVII. 31. ait: διότι ἔστησεν (ὁ Θεὸς) ἡμέραν ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκεμένην ἐν δικαιοσύνῃ, ἐν ἀνδρὶ, ᾧ ὥρισε. Qui quidem locus recte & efficaciter

opponi

opponi poteſt illis, qui de die, Judæis fatali, etiam hoc comma interpretantur.

δι' ἣν) Has voces alii ad *ἡμέραν*, *in qua*, alii ad *παρουσίαν*, *per quam*, ſeu cujus vi & efficacia id omne ſit eventurum, referunt. Vterque ſenſus ſatis eſt commodus, poſterior tamen ad phraſin Græcam magis accommodatus. Vide huc *Schmidium*, & adde *Blackwallum* loc. cit. pag. 181. Poſterior in exemplum adfert *Joh.* VI. 57. *κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα*, item *Platonem* lib. III. de Legib. p. 196. *Thucydid.* p. 187. & *Ariſtophan.* *ἐκκλησιαζ.* v. 599. Adde, quæ ſcripſimus ad *Joh.* VI. 57.

καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τήκεται) *Codices* quidam habent *τακήσεται*, quod etiam *Vulgatus*, *Syrus*, *Arabs* & *Æthiops* expreſſerunt, ſenſui convenienter. Interim nihil eſt mutandum. Patet enim, Apoſtolum in duobus his commatibus, data opera, nunc præſenti *λυομένων* & *τήκεται*, nunc futuro *λυθήσονται* de ea re uti, quæ tam certo futura erat, ac ſi jam fieret. Itaque non erat, cur editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani *τὸ*, *τακήσεται* in contextum reciperet, quamvis idem etiam in *Complutenſ.* exſtet. Eadem phraſis apud *τοὺς* LXX. exſtat *Jeſ.* XXXIV. 4. & verbo Hebr. נמקו reſpondet. *Καὶ τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις, καὶ ἑλιγήσεται ὡς βιβλίον ὁ οὐρανός.*

Verſ. 13. *Καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν κ. τ. λ.*) Comma hoc *Joannes Lightfootus* in Tomo II. Operum Anglican. pag. 1071-1079. ita interpretatur, ut per novos cœlos & novam terram intelligat œconomiam Evangelicam Novi Teſtamenti, oppoſitam œconomiæ Veteris Teſtamenti Judaicæ, atque adeo *juſtitiam* de illa accipiat, quæ per Chriſtum parta ſit, & credentibus in eam conferatur. Sicut vero hæc expoſitio præſtruit, in antecedentibus quoque de abolitione Reipublicæ & œconomiæ Judaicæ ſermonem eſſe, quod alios recte negare ſupra oſtendimus; ita eam etiam hoc loco admitti non poſſe manifeſtum eſt. Memini quoque, *Joſ. Hulletum* in Notis ſuis ad quædam Scripturæ loca Vol. II. pag. 167. ſeqq. ad hæc verba commentari, ita quidem, ut non de nova quadam œconomia ſermonem eſſe cenſeat, ſed de illo rerum ſtatu, qui poſt reſurrectionem & extremum judicium ſit futurus. Hoc fine idem hic ait indicari, quod Petrus *Actor.* III. 21. dicat: *ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν ὁ θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ' αἰῶνος.*

Conſtat alias, nonnullos veteris & recentioris memoriæ interpretes *cœlos novos* & *novam terram* eo accipere, ut rerum orbem non penitus abolitum, ſed in melius mutatum iri contenderent. Pro poſteriore ſententia plerique Patrum militant. Eorum locos adferunt *Gerhardus Joannes Voſſius* in Theſibus Theologicis Diſputat. XVIII. Tomo VI. Operum pag. 422. ſeqq.

ſeqq. & ex eo *Svicerus* Tomo II. pag. 151. *Fridericus Spanhemius* in Dubiis Evangelicis Parte III. Dub. 32. *Fevardentius* ad Irenæum IV. 6. pag. 279. editionis Grabii, & *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo II. lib. I. c. 12. de ſex dierum opificio. Ex noſtratibus eadem Patrum teſtimonia collegit *Adamus Rechenbergius* in diſſertatione de ſana in Theologia curioſitate §. 13. ſeqq. & diligentius *Gothofredus Olearius* in Obſervationibus ad Matth. XIX. v. 28. qui eadem opera oſtendit, ſententiam hanc doctoribus Seculi III. & IV. potiſſimum receptam fuiſſe, nonnullis vero, qui pro eadem adferri ſoleant, non adprobatam. Ex Anglis eam adoptarunt permulti, inter quos eminent *Thomas Burnetus* & *Joannes Rajus*, hic quidem in diſſertatione aliquoties allata, ille vero in Theoria Telluris ſacra lib. III. cap. 7. pag. 204. & lib. IV. cap. 1. ſeqq. ubi ſententiam ſuam primum dictis Scripturæ Sacræ, hinc Patrum, tum vero Judæorum & Gentilium teſtimoniis adſtruere conatur. Fuit tamen inter Anglos *Joannes Prideaux*, Epiſcopus Vigornienſis, qui eam in Faſciculo controverſiarum Theologicarum cap. VII. qu. VII. confutandam ſumſit. Ex Reformatis plerique eandem tuentur, ex quibus nominare ſuffecerit *Samuelem Mareſium* in Examine Theologico quatuor inſignium quæſtionum, quod ſingularem diſſertationem laudato modo *Pridavio* oppoſitam exhibet, *G. J. Voſſium* & *Fridericum Spanhemium* locis citatis. Nec inter noſtrates deſunt quibus eadem vel certa, vel probabilis viſa eſt. Eos attulit *Olearius* loco citato. Non negaverim, pro utraque ſententia non contemnenda dici poſſe; priorem tamen illam emphaticis aliquot Scripturæ de interitu mundi dictis magis convenire exiſtimo, atque adeo in illa B. Gerhardi noſtri ἐπικρίσει acquieſco, quam in Loc. Theol. de Conſummatione Seculi §. 38. ita conſormavit: *Proinde ſententiam de ſubſtantiali mundi φθορᾷ, ſeu interitu non defendimus, ut fidei articulum, ad ſalutem ſcitu & creditu ſimpliciter neceſſarium; ſed eum emphaticis Scripturæ dictis, quæ de fine mundi loquuntur, magis conformem eſſe dicimus.* Pro hac ſententia vide, quæ *Rechenbergius* & *Olearius* diſputationibus laudatis, & *Sebaſtianus Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori pag. 393. ſeqq. dixerunt. Cabbaliſtarum ex Judæis ſuffragia non multum moramur, quos Stoicorum hac in parte exemplum ſecutos eſſe non inepte ſuſpicatur *Jacobus Thomaſius* de Stoica mundi exuſtione Diſſertat. XVIII. pag. 240. Vide interim, quæ ex illorum ſcriptis adfert *Menaſſe ben Iſraël* lib. III. de Reſurrect. cap. 4. & *Hoornbekius* de convertendis Judæis lib. VIII. cap. 6.

ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ) Judæi in *Chagiga* fol. 12. 2. ſeptem cœlos commemorantes, in ſeptimo צדק ומשפט, *juſtitiam & judicium* habitare ex Pſalm. LXXXIX. 15. tradunt. Vide *Schœtgenium* p. 1050.

Verſ. 14-16. exponuntur a B. *Franzio* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 333. ſeqq.

Verſ. 14. Διὸ, ἀγαπητοὶ, ταῦτα προσδοκῶντες σπουδάσατε ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῷ εὑρεθῆναι ἐν εἰρήνῃ) Pro ἀμώμητοι *Alex.* & pauci alii *codices* habent ἄμωμοι, atque hoc mavult *Smithus* pag. 309. ideo, quod ſic antitheſis ad σπίλοι καὶ μῶμοι II. 13. ad quos heic reſpiciatur, melius & planius appareat. *Millius* contra hæc ἄμωμοι putat eſſe interpretamentum vocis ἀμώμητος, quam & *Heſychius* per ἄμωμος & ἄψογος explicet. Paulus voce ἀμώμητος itidem utitur *Philipp.* II. 15. frequentius vero altera illa, quam & *Judas* v. 24. adhibet ἀμώμους ἐν ἀγαλλιάσει.

Verſ. 15. Καὶ τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε, κ. τ. λ.) Vide *Roberti Gelli* Reliquias, Anglice editas, Tomo II. pag. 806-809. *Fridericum Spanhemium* in diſſertatione de Auctore epiſtolæ ad Hebræos Sect. I. cap. 2. Tomo II. Operum pag. 176. & cap. III. pag. 183. & *A. H. Franckium* in Annotationibus ſuper aliquot loca Scripturæ vernaculis pag. 105. ſeqq.

καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Παῦλος ἔγραψεν ὑμῖν) Verba ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς ad conciliandam epiſtolæ huic, tanquam Petrinæ, auctoritatem inſerta eſſe *Grotius* ſuſpicatur contra communem codicum omnium conſenſum: quod merito mireris.

ἔγραψεν ὑμῖν) Hac phraſi illam Pauli ad *Hebræos* epiſtolam indicari plerique adfirmant ideo, quod illa ad Ex-Judæos ſcripta ſit, ad quos Petri utraque etiam ſpectet. Pro hac ſententia pugnat inprimis *Spanhemius* l. c. & *Joan. Ens* in Biblioth. Sacra p. 53. ſeq. ut de noſtratibus non dicam. Ab altera vero parte eam in dubium vocat *Joſ. Halletus* in Diſſertat. de auctore epiſtolæ ad Hebræos, quam in calce Voluminis III. harum Curarum exhibui. Vide ibi pag. 822. Negat is, epiſtolas Petri ad Ex-Judæos exaratas eſſe, atque adeo contendit, Petrum epiſtolam illam ad Hebræos non credi poſſe reſpexiſſe, niſi probatum ante fuerit, eam a Paulo vere ſcriptam eſſe, cum in variis Pauli epiſtolis ad *Romanos*, *Epheſios* &c. Ex-Gentiles, exaratis, talia exſtent, ad quæ Petrus h. l. digitum intendiſſe dici poſſit. De hac ſententia ita habendum eſt. Supra in Prolegomenis ad priorem Petri epiſtolam oſtendiſſe mihi videor, utramque S. Petri non præciſe ad Ex-Judæos ſcriptam eſſe, ſed & ad Ex-Gentiles, qui una cum illis per varias orbis provincias erant diſperſi. Ex eo tamen non perit argumentum, quod pro epiſtola ad Hebræos Paulo vindicanda repetitur. Nam & illi Hebræi, ad quos Paulus ſcripſit, hinc inde erant diſperſi, & tum inter gentiles, tum inter Ex-Gentiles verſabantur. Ad eam itaque epiſtolam Petrus h. l. reſpicere credi potius poteſt, quam ad alias, vel *Romanis*, vel *Galatis* &c. ſpeciatim inſcriptam. Illæ enim ad cœtum aliquem ſingularem, non vero, ut illa ad Hebræos, & Petri utraque ad cœtum aliquem Chriſtianorum hinc inde diſperſum, ſunt exaratæ. Modo itaque conſtet, Paulum ea in epiſto-

la

Digitized by Google

la ad *Hebræos* ſcripſiſſe, de quibus Petrus heic egit, probabilius fuerit, Petrum illam ad Hebræos, quam Pauli alias, ſpectaſſe. Inquirendum itaque eſt, de quo momento S. Petrus h. l. exponat, & num quid ejusmodi in illa ad Hebræos epiſtola occurrat. Quod ad prius attinet, ex dictis manifeſtum eſt, Petrum de judicio extremo præcipere, & credentes adhortari, ut certiſſima ejus exſpectatione adducti vitæ ſanctiori ſtudeant. Διὸ ταῦτα, inquit, προσδοκῶντες, σπουδάσατε ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῷ εὑρεθῆναι ἐν εἰρήνῃ. De hoc momento loqui Petrum ex noſtratibus, adhibita verborum ſerie, oſtendit *Franzius* l. c. De eodem vero Paulum quoque in epiſtola ad Hebræos cap. X. v. 19. & ſeqq. exponere, idque ad inculcandum ſanctitatis ſtudium adhibere, evicit *Spanhemius* l. c. pag. 283. Duo ille adhortationis Petrinæ capita conſtituit, quorum alterum ad *ſanctimoniam*, alterum ad *exſpectationem diei Domini*, qui patientiæ Domini ſibi ſalutaris index ſit, pertineat. Vtrumque vero in ep. ad *Hebr.* l. c. contineri his verbis docet. *Eadem ibi*, inquit, *eſt hortatio, & quos Petrus vult eſſe ἀσπίλους καὶ ἀμωμήτους, Paulus eosdem Hebræos eſſe ἀληθινοὺς ſeu καθαροὺς τῇ καρδίᾳ, præterea ἐρραντισμένους τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, i. e. ἀμωμήτους καὶ ἀσπίλους, ab omni macula & labe defæcatos; meminiſſe tandem, ſe λελουμένους τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, ſeu καθαρίζοντι, adeoque ad puritatem & innocentiam obſtringi v. 22. 23. Quæ ipſa cum alibi paſſim, tum cap. XII. & XIII. ſpecialius & prolixius exſequitur. Idem utriusque ſcopus, Hebræos roborare in fide & pietate, a ſeductione, lapſu & mundi inquinamentis præſtare immunes. Eadem motiva, non tardaturum Dominum, appropinquare illius adventum, nec aliter, quam pro ipſorum ſalute prorogari, Hebr. X. 25. 37. 2 Pet. III. 9. 10. 11. 12. 13. Poſterius vero membrum Petrinæ hortationis, ſcilicet, conſtanter noviſſimam illam Diem exſpectent, nec morari Deum, ſed ipſorum & electorum omnium bono patientia nonnihil uti arbitrentur, exponit idem Auctor Epiſtolæ ad Hebr. X. 36. 36. & cap. VI. 12. ſeqq. Vtrobique eadem commonefactio ad προσδοκίαν, ſive μακροθυμίαν, & quidem circa adventum Domini non ita protrahendum. Idem etiam ſcopus, Hebræos erigere ſpe retributionis & beati illius adventus, eorumque animos contra diffidentiam defectionemque præmunire.* Addiderim his, quod Paulus in eodem capite X. v. 23. urgeat fidem & firmitatem promiſſionis divinæ: Κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ (πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος.) Ad illam vero promiſſionem etiam Petrus provocat III. 13. καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν. Quando porro Petrus v. 16. ait, Paulum de iisdem rebus etiam in aliis ſuis epiſtolis loqui, novum hinc naſcitur argumentum, eundem ad illam de *judicio extremo* tractationem reſpicere. Hanc enim frequenter urget Paulus, v. c. 1 *Cor.* XV. 22. 2 *Cor.* V. 10. *Epheſ.* VI. 8. *Philip.* III. 10. 20. 21. *Coloſſ.* III. 1. & 24. 1 *Theſſalonic.* IV. 14-18. V. 1. ſeqq. 2 *Theſſal.* I. 6. ſqq. & 2 ep. II. 1. ſeqq. 1 *Timoth.* VI. 14. & *Tit.* II. 12. Ex his puto apparere, Petrum illam Pauli ad Hebræos epiſtolam reſpicere, quando eum de eo, quod ipſe ex-

ponebat

ponebat, argumento ait in epiſtola ſua quadam iisdem cœtibus, ad quos ipſe ſcribebat, per orbem diſperſis, commentari. Novi quidem, eſſe quendam inter noſtrates, qui Petrum ad *Rom.* IX. 22. reſpicere putet ideo, quod ibidem μακροθυμίας Dei diſerta fiat mentio, & in eo quidem capite, quo δυσνόητα quædam deprehendantur. Reſponderim vero, Paulum l. c. μακροθυμίας quidem meminiſſe, ſed in longe alio argumento, quam de quo Petrus h. l. exponit, qui tamen Paulum περὶ τούτων, *de iisdem*, quæ Petrus tunc urgebat, agere teſtatur. Δυσνόητα vero illa non ad unum Apoſtoli locum, aut epiſtolam, imo nec ad epiſtolas ipſas, ſed ad argumenta potius ab eo tractata (ἐν οἷς) pertinent.

Verſ. 16. *Ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων*) Quomodo Paulus in omnibus ſuis epiſtolis doctrinam de exſpectando Domini ad judicium adventu præcipiat, eoque ad vitæ ſanctioris ſtudium inculcandum utatur, modo oſtendimus. Itaque nec *Millium* probem, in Prolegomenis §. *6.* opinantem, Petrum ad 1 *Theſſalon.* V. 2. ſeqq. oculos intendiſſe, in qua Paulus de adventu Domini eadem, ex parte, loquendi ratione præcipiat.

ἐν οἷς ἐστι δυσνόητα τινα) *Codices* aliquot legunt *ἐν αἷς*, quaſi de ἐπιστολαῖς Pauli ſermo ſit. Eam lectionem ſenſus maxime exigere videtur *Thomæ Smitho* pag. 314. de ea propterea non dubitanti, quod Apoſtolus ſtatim addat, homines indoctos idem *in reliqua ſcripta*, quod ſcilicet in epiſtolas Pauli, tentare. Enimvero de Paulinis epiſtolis hic agi nemo negaverit: detorſio vero ſicut non ad epiſtolas, ſed ad δυσνόητα illa per relativum ἃ refertur; ita nihil obſtat, quo minus δυσνόητα ad argumenta potius, quam ad epiſtolas, ſpectare exiſtimemus. Rectius vero illi agunt, qui τὸ, ἐν οἷς, ad proxime antecedens, περὶ τούτων referunt, hoc ſenſu, quod in argumentis a Paulo tractatis quædam intellectui minus ſint obvia. Tale vero omnino eſt illud ipſum, quod ad judicium extremum ejusque περικείμενα, a Paulo expoſita, ſpectat. Vide hanc in rem *Franzium* & *Franckium* l. c. ut & *Hermannum von der Hardt* in Vindiciis Ephemeridum Generalibus pag. 71. *Jacobus Cappellus* in Obſervatt. ad Nov. Teſtam. pag. 153. Petrum putat reſpexiſſe ad *Hebr.* V. 11. ubi Paulus, de Melchiſedeco loquens, ait: περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, καὶ δυσερμήνευτος λέγειν, ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς. Id certum eſt, non epiſtolas Pauli obſcuritatis per ſe argui, ſed argumenta quædam altioris indaginis eſſe moneri. Confer hanc in rem B. *Bernhardi von Sanden* Diſſertat. Exegetico-Elencticam contra Pontificios de δυσνοήτοις Pauli, obſcuritatem Scripturæ Sacræ hinc arguentes, Regiomonti 1711. Similiter Darius Hyſtaſpis in epiſt. ad Heraclitum, quæ exſtat apud Laërtium lib. IX. §. 13. inquit: *καταβέβλησαι λόγον περὶ φύσιος δυσνόητόν τε καὶ δυσεξήγητον*: *librum de natura ſcripſiſti obſcurum & explicatu difficilem.* Vide *Lamb. Bos* pag. 298.

ἅ

ἅ εἰ ἀμαθεῖς καὶ ἀςήρικτοι ςρεβλῦσι) Verbo *ςρεβλῦν* utitur *Ariſtophanes* Pluto Act. IV. Sc. 3. v. 876. ubi ſervus *ἐπὶ τῦ τροχῦ ςρεβλύμενος*, *ad rotam torquendus*, dicitur. Conf. *Svidam* voce *τροχισθεῖσα*. & adde Cl. *Tob. Eckhardi* Notas in N. T. ex Ariſtophanis Pluto pag. 84. Vocem *ἀμαθὴς* diligenter exponit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. qui per *indoctum* vertit, quamvis non neget, *indocilem* etiam hac voce Græcis notari. Atque hoc malim cum B. *Luthero*, qui vertit ungelehrig. Confer *Limborchii* Inſtitutt. Theologic. pag. 24. Commode quoque utraque notio conjungi poteſt, ut homines denotentur, qui ad interpretanda ſacra oracula imparati accedunt, & ad rem propoſitam minime attendunt, leviculisque ingeniis freti judicio & intellectu ſano deſtituuntur. Habes verba *Th. Smithi* pag. 315.

πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν) *ſuo ipſorum exitio*. Hoc exitium de æterno illo a plerisque accipitur; *Joannes Marckius* vero de *dogmate exitiali* metonymice interpretari mavult, ad quod adſtruendum & defendendum Scripturæ mala expoſitione torqueantur. Vide ejus Exercitatt. Miſcellan. pag. 367. Similiter Petrum ait ſupra II. 2. dicere: *καὶ πολλοὶ ἐξακολυθήσυσιν αὐτῶν ταῖς ἀπωλείαις* i. e. *dogmata exitialia ſequentur*. Præſtat, ſi quid video, *ἀπώλειαν* de *exitio*, quod homines illi ſibi ipſis conſciſcant, accipere, quemadmodum ſupra II. 1. iidem, qui *αἱρέσεις ἀπωλείας* invehant, dicuntur *ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν*, quod non niſi de pœna promerita intelligi poteſt.

Verſ. 17. *Ὑμεῖς ὖν* —— —— *φυλάσσεσθε, ἵνα μὴ τῇ τῶν ἀθέσμων πλάνῃ συναπαχθέντες*) Similiter profani Scriptores *συνεκφέρεσθαι* & *συμπαραφέρεσθαι* dicunt eos, qui torrente quaſi quodam abripi ſe patiuntur. Vide locos eorum apud *Elsnerum* & *Albertium*.

ἐκπέσητε τῦ ἰδίυ ςηριγμῦ) *excidatis*, vel, *expellamini e præſidio veſtro*. Vide *Elsnerum*, qui inter ceteros *Plutarchi* in Gracchis locum pag. 834. affert, dicentis *ἐκπεσεῖν καὶ ςέρεσθαι τῆς πρὸς τὸν δῆμον εὐνοίας*. Confer *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 660.

Verſ. 18. *εἰς ἡμέραν αἰῶνος*) i. e. *εἰς ἡμέραν αἰώνιον*, *in æternum*, quod Petrus alias 1 ep. I. 23. & 25. & ſupra II. 17. *εἰς αἰῶνα* dicit.

Digitized by Google

PROLEGOMENA IN I. S. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM.

DE S. JOANNIS, Apoſtoli & Evangeliſtæ, vita ſatisque dicere h. l. nihil attinet, cum ea, quæ huc ſpectant, *Friderici Adolphi Lampii*, Theologi quondam Vltrajectini & Bremenſis, ſolers induſtria in Prolegomenis ad Evangelium ejus occuparit. Summam eorum in Prolegomenis ad Evangelium S. Joannis attulimus. Ab eo vero primam hanc epiſtolam profectam eſſe omnis tradidit antiquitas, teſte *Euſebio* Hiſt. Eccleſ. III. 24. *Τῶν δὲ Ιωάννου συγγραμμάτων πρὸς τῷ Εὐαγγελίῳ καὶ ἡ προτέρα τῶν ἐπιστολῶν παρά τε τοῖς νῦν καὶ τοῖς ἔτ' ἀρχαίοις ἀναμφίλεκτος ὡμολόγηται. Porro inter Joannis ſcripta, præter Evangelium, prior quoque epiſtola, tum a recentioribus tum ab antiquis omnibus citra controverſiam admittitur.* Similiter *Chryſoſtomus* apud *Cotelerium* Tom. III. Monumentor. Eccleſ. Gr. pag. 148. *τὴν μέντοι πρώτην ἐπιστολὴν ἅπαντες εἶναι Ιωάννου συμφώνως ἀπεφήναντο. Primam tamen epiſtolam Joannis eſſe, omnes una voce profeſſi ſunt.* Ex recentioribus non memini, eam a quoquam in dubium vocatam eſſe, niſi a *Scaligero*, ſi fides habenda eſt Scaligeranis Secundis pag. 72. Præter illum antiquitatis, ſi hæreticos aliquot exceperis, conſenſum, Joanni eam vindicant tum dictionis in Evangelio, cujus etiam initio comma epiſtolæ primum ex parte reſpondet, obſervatæ conformitas, tum argumenti, quod utrinque ad divinam Chriſti Majeſtatem iisdem fere phraſibus vindicandam, & ad amorem mutuum, quem Dominus noſter in Evangelio Joannis urget, inculcandum refertur, quod poſterius *Auguſtino* jam obſervatum eſt Tract. VII. in hanc epiſtolam.

Inter *Catholicas*, h. e. tales, quæ ad fideles in univerſum omnes, non autem ad particularem aliquem cœtum ſpectant, eam numerari conſtat. Judæos tamen Apoſtolus maxime reſpexiſſe videtur *Joanni Braunio* in Selectis Sacris lib. I. cap. 14. pag. 160. Huc refert verba cap. II. 2. ubi Chriſtum *expiationem pro peccatis noſtris*, i. e. Judæorum, & *pro totius mundi*, i. e. Gentilium dici exiſtimat; quemadmodum ibidem v. 13. per *Patres*, illos *Judæorum Seniores*, qui Chriſtum Hieroſolymis viderint, indicari opinatur. Talia tamen hæc eſſe non puto, quæ conjecturam hanc veriſimilem reddant. Fortaſſe autem veri reddetur ſimilior ex eo, quod ad illos ſcribit Apoſtolus, qui doctrinam Chriſti ab initio audiverant, II. 7. Hoc enim de Judæis potius, quam de Gentilibus, ad quos, interjectis aliquot annis, præconium Evangelii perlatum data opera eſſe conſtet, dici poſſe, nemo negaverit. Sunt ex veteribus, qui *Parthis* eam in veteribus libris inſcribi teſtantur. Inter hos eſt *Auguſtinus* Quæſt. Evangelic. II. 19. & alii a *Fabri-*

cio

cio noſtro in Biblioth. Græc. lib. IV. pag. 143. & *F. A. Lampio* in Prolegomenis ad Evangelium Joannis pag. 48. & pag. 105. allati. Illis nunc addes *Caſſiodori* Complexiones, ab Ill. *Scipione Maffejo* Florent. 1721. 8. primum editas. Ibi enim pag. 118. *epiſtola ad Parthos* diſerte appellatur, quod ab eodem Divin. Lect. cap. 14. fieri videas. Accipe ad hæc *Maffeji* verba ex pag. 250. *Cur ſic inſcribatur, ex ipſa non eſt eruere : verum ſic antiquitus inſcriptam oſtendunt præter D. Auguſtinum ad ep. Johannis & in Qvv. Evangel. etiam Vener. Cardin. Thomaſii codices, in quibus*: Incipiunt Capitula S. Joannis ad Parthos. *In Prologo quodam, Bedæ adſcripto, apud Gvil. Cave* pag. 404. Multi Scriptorum Eccleſiaſticorum, in quibus eſt S. Athanaſius, primam ejus epiſtolam ſcriptam ad Parthos eſſe teſtantur. *Grotius* quidem poſt *Gvil. Eſtium* per *Parthos* illos *Judæos*, qui tunc temporis ſub Parthorum imperio in locis trans Euphratem, ut Neardeæ, Niſibi, & aliis in locis vixerint, intelligi vult. Neque tamen hæc conjectura veriſimilis viſa eſt *Lampio* l. c. pag. 105. qui & pag. 48. quorundam de Evangelio, Parthis a Joanne prædicato, traditionem in dubium vocat. *Whiſtonus* in Prolegomenis commentarii ſui in hanc epiſtolam Chriſtianis Aſiæ Minoris inſcriptam ſtatuit.

De *tempore* ſcriptæ hujus epiſtolæ nihil certi vel ex antiquitatis teſtimoniis, vel ex epiſtolæ viſceribus conficias. Hinc natæ ſunt diverſæ ſententiæ, quas *Lampii* verbis ex Prolegomen. in Evangelium S. Joannis pag. 106. enarrabo. *Multi*, inquit, *in ultima ſenectute poſt reditum e Patmo ab Evangeliſta eſſe exaratam tradunt.* Ambroſ. *in Pſ.* XXXVI. *ait* Joannem jam ſenem ſcribere cœpiſſe Evangelium & epiſtolas. *Ita multis etiam recentioribus videtur, qui ad an.* XCVIII. *aut* XCIX. *referunt*, v. c. Baronius, Ottius, Baſnagius & Dupinius *Prolegom. lib.* II. *cap.* 2. §. 11. *Alii paulo ante exilium in Patmo circa an.* XCI. & XCII. *illam ordinant, ut* Millius, Clericus & Kettnerus *in hiſtoria dicti Joannei* 1 epiſt. V. 7. *Potiſſima horum, tam ſero eam ordinantium, hypotheſis eſt, quod contra Gnoſticos jam invaleſcentes conſignatam putant.* ——— ——— *Alii maturius aut brevi ante, aut ſaltem circa excidium Hieroſolymitanum ſcriptam eſſe exiſtimant*, (*ut* Grotius & Hammondus,) *qui nobis maxime ad veriſimilitudinem accedere videntur. Probabile enim eſt per ἐσχάτην ὥραν intelligi tempus judicii divini in Judæos* cap. II. 18. *ejusdemque conſummationem ſpectare verba cap.* II. 8. Tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet. *Unde etiam per* mundum tranſeuntem cum ſuis cupiditatibus *ad idem excidium Reipublicæ Judaicæ reſpicere Evangeliſta potuit. Accedit, quod ad fratres ſcribat*, qui præceptum a principio audiverant, *cap.* II. 7. *per quod intelligi debet principium prædicationis Evangelicæ, a quo igitur non nimium removeri debent illi, quos Apoſtolus alloquitur.* Hactenus *Lampius.* Qui ab eo adferuntur loci, tanquam ad excidium Hieroſolymitanum tunc imminens ſpectantes, eos alio ſpectare infra ſuis

Digitized by Google

locis oſtendemus. Itaque nihil hactenus exſtat, quod probet, epiſtolam hanc vel ante vel circa excidium illud exaratam eſſe. Quod ad alteram rationem attinet, nullus eorum, qui Joannis Evangeliſtæ ætate ad Chriſti cognitionem adducti ſunt, ab originibus Evangelii nimium removebitur, ſive illi ante, ſive poſt excidium Hieroſolymitanum eo pervenerint. Omnes enim ſub originibus ejus eam adepti cenſeri debent, quippe quibus Joannes, ut *αὐτόπτης* earum teſtis & præco, adfuerit. *Gviliel. Whiſtonus* in Prolegomenis commentarii ſui Anglicani in tres S. Joannis epiſtolas, Londini 1719. 8. editi, epiſtolam hanc an. 82. vel 83. adeoque pluſculis annis poſt illud ſcriptam eſſe exiſtimat. Evangelio tamen poſteriorem cenſet, atque hanc ſententiam ex *Irenæo* III. 19. pag. 241. & 243. adſtruere conatur. Confer *Memoires Literaires de la Grande Brétagne* Tom. I. pag. 245. *Irenæus* priori loco col. 1. verſu 10. adfert *Joh.* XX. 31. atque comma illud a Joanne ſcriptum ait, cum *provideret has blaſphemas regulas, qui dividunt Dominum, quantum ex ipſis attinet, ex altera & altera ſubſtantia dicentis eum factum.* Deinde idem v. 19. recitat epiſtolæ primæ II. 18—22.

Epiſtolam hanc ab altera parte ante Evangelium ſcriptam eſſe exiſtimat *Artemonius*, i. e. *Sam. Crellius*, in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto Parte II. cap. 15. pag. 359. quippe quod ad illuſtrationem initii hujus epiſtolæ relatum ſit. *Cerinthus*, inquit, *pervertebat ſenſum epiſtolæ Joannis, prius, quam Evangelium edita, eamque in Apoſtoli abſentia ad Anti-Chriſtianam ſuam hæreſin cogebat. Ab ejus ergo perverſis explicationibus ac detorſionibus eam initio ſui Evangelii liberare voluit.* ——— ——— *Nam* Irenæus *teſtis eſt lib.* III. *cap.* 11. *Joannem Evangelium ſuum oppoſuiſſe Cerintho, inter alia ſtatuenti, ἀρχὴν ſeu Principium eſſe Monogenem ſeu Vnigentium Dei filium; & Verbum Filium hujus Vnigenti. At unde, quæſo,* Cerinthus*, antequam* Joannes *ſuum Evangelium edidiſſet, arripuit anſam, in iſta controverſia vocem λόγος de perſona mere ſpirituali intelligendi, vocem* Vnigenitus, *vocem etiam ἀρχὴ uſurpandi, & eam de quadam perſona exponendi, niſi ex Joannis epiſtola peſſime detorta, & ad ſuum Anti-Chriſtianum ſyſtema & hypotheſin coacta?* Idem cap. XVIII. pag. 371. ſeqq. oſtendere conatur, quomodo Cerinthus epiſtolam primam Joannis perverterit, aut pervertere potuerit. Equidem nondum video, illo, quod *Artemonius* adfert, argumento conſtare, epiſtolam hanc ante Evangelium Joannis exaratam eſſe. Nonne enim Cerinthus, Judæus quippe, voces illas & phraſes ex ſermonibus Joannis Apoſtolicis, nonne etiam ex ſcriptis Judaicis, in quibus v. c. מימרא דיי frequens erat, haurire & pravo ſenſu induere potuit? Nec perſpicio præterea, Joannem clarius in Evangelii ſui limine de perſona *τοῦ λόγου* loqui, quam quidem in initio epiſtolæ hujus factum ſit. Imo vero in ipſa hac epiſtola clarius contra hæreticos illius ætatis diſſerit, quam in hiſtoria Evangelica. Ibi enim doctrinam de Chriſti perſona puram tradit, non com-

me-

memoratis diſſentientium erroribus; heic vero II. 18. diſſentientes *Anti-Chriſti* appellantur, errorque ipſorum palmarius v. 22. & 23. enarratur. Conf. IV. 1. ſeqq. Quod ſi igitur conjecturis indulgere libuerit, illa utique foret veri ſimilior, quæ hanc epiſtolam Evangelio poſteriorem eſſe, & ad firmanda illa, quæ in hoc tradita erant, pertinere contendit. Ponamus denique, Cerinthum ex ſcriptis Joannis Apoſtoli voces illas ἀρχὴ, μονογενὴς, λόγος deſumſiſſe & detorſiſſe, nonne illud ex Evangelio ejus æque ac ex epiſtola fieri poterat. Vtrinque enim eædem, & in Evangelio quidem ſæpius occurrunt. Ex Miſcellan. Duisbergenſibus Tom. II. pag. 361. intelligo, Cl. *Venemam*, Theologum Franequeranum an. 1734. ſingulari diſſertatione de tempore conſcriptæ primæ epiſtolæ Joannis contra Artemonium commentatum eſſe. Eam nondum conſpexi. Quod ſi Cl. *Theod. Sigfrid. Bayerum* audias, epiſtolam hanc eodem, quo Evangelium, tempore ſcriptam, atque huic dedicationis inſtar præmiſſam eſſe credes. Is enim in diſſertat. de elegantia manuum eruditarum, quæ in Rev. *Michaelis Lilienthalii* Selectis Hiſtor. & Literariis continuatis exſtat, pag. 297. ait, *ſe multis ſibi & graviſſimis argumentis perſuaſiſſe, epiſtolam Joannis primam dedicationem Evangelii, deinde vero ſeparatam & ſolo loco repoſitam fuiſſe, ab iis, qui Evangelia conjunctim, nulla epiſtola intercedente, exſtare voluerint.* Nullam, cur ita ſentiat vir doctus, rationem attulit. Conjecturam itaque hanc ex initio epiſtolæ natam putem, in quo v. 3. Joannes ait: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν. Hæc enim verba videri poſſint ſpectare Evangelium illud, quippe quo præconium hoc continetur. Cum vero eadem verba non minus ad ipſius hujus epiſtolæ argumentum quadrent, veteres quoque eam, ut epiſtolam, ab Evangelio diſtinguant, conjecturæ huic ſuffragari nolim. Longior præterea eſt, quam ut credere poſſimus, dedicationis loco ſcriptam eſſe. Alia utique ratione S. Lucas Evangelium ſuum & Actus Apoſtolicos Theophilo dedicavit.

Scopus epiſtolæ ad duo præcipue capita recte refertur. Horum alterum veram de *Chriſto*, ϑεανϑρώπῳ, doctrinam; alterum admonitionem ad amorem & ſanctitatem, doctrinæ illi convenientem, complectitur. Vtrumque momentum oppoſitum eſt falſis illius ætatis doctoribus, quales erant Cerinthus, Simoniani, Carpocratiani, Gnoſtici. *Illi enim docebant, Jeſum non fuiſſe Chriſtum, & filium, neque eum vere in carne veniſſe, ſed putative tantum: ſanctitatem & bona opera non neceſſaria eſſe ad ſalutem conſequendam* &c. Vide huc *Millium* in Prolegomenis §. 148. & *Whiſtonum* in Prolegomenis ad commentarios in epiſtolas Joannis, & ex his *Memoires Literaires* Tom. I. pag. 246. ſeq. *Lampius* quidem in Prolegom. ad Evangelium Joannis pag. 106. præcipuum Apoſtoli ſcopum eſſe ait, officia fidelibus præſcribere, quæ ad communionem eorum cum Deo confirmandam ac gaudium conſummandum ſpectabant, errorum vero noxiorum etiam mentionem

Digitized by Google

feciſſe, quod fuga illorum maxime huc faciat. Scilicet idem negat, Evangelium Joannis Cerintho potiſſimum ejusque erroribus oppoſitum eſſe, quod tamen non ita pridem ſolide eviciſſe mihi videtur Rev. *Oederus* libello ſingulari de Scopo Evangelii S. Joannis, Frf. 1732. 8.

De *ſtilo* Apoſtoli præclare judicavit olim *Dionyſ. Alexandr.* apud *Euſebium* Hiſtor. Eccleſ. VII. 25. de Evangelio & epiſtolis ejus ita differens: *τὰ μὲν γὰρ ἐ μόνον ἀπταίςως κατὰ τὴν Ἑλλήνων φωνὴν, ἀλλὰ καὶ λογιώτατα ταῖς λέξεσι, τοῖς συλλογισμοῖς, ταῖς συντάξεσι τῆς ἑρμηνείας γέγραπται· πολλȣ̃ γε δεῖ βάρβαρόν τινα φθόγγον, ἢ σολοικισμὸν, ἢ ὅλως ἰδιωτισμὸν ἐν αὐτοῖς εὑρεθῆναι. Illa non modo Græcam linguam non offendunt, ſed verbis etiam, argumentis, & tota elocutione ſapientiſſima ſunt, tantum abeſt, ut barbarum quicquam, aut ſolæcum, aut omnino proprium ibi reperiatur.* Plura in dictionis Joanneæ laudem lege apud Celeb. *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis pag. 52. ſeq. Phraſes nonnullas, quæ Joanni vel propriæ, vel præ ceteris Scriptoribus Sacris familiares ſunt, diligenter collegit B. *Glaſſius* in Philologia Sacra lib. I. Tract. IV. Sect. III. pag. 240. Hæc eo faciunt, ut appareat, quantopere ſcripta, quæ ſub ejus nomine exſtant, ſibi invicem reſpondeant. Prioris hujus epiſtolæ ſynopſin habes in Vener. *Val. Ern. Læſcheri* Decimis Evangelic. Dec. IV. pag. 21. ſeqq. De Interpretibus leges *Schwindelium* in Bibliotheca Paſtorali.

CAPUT I.

Verſ. 1. *Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς*) Phraſin hanc de principio præconii Evangelici cum Socinianis accipit *Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 347. & 382. æque ut *Joan.* I. 1. Hæc vero *ψευδερμηνεία* jam ſatis a *Calovio* noſtrate & *Lampio* ad Joannis Evangelium eſt profligata. *Artemonius* præterea pag. 382. Joannem putat per *τὸ ἐν ἀρχῇ*, quod eſt in Evangelio, explicaſſe *τὸ ἀπ' ἀρχῆς*, quod h. l. exſtat, ut hoc modo contra Cerinthum oſtenderet, ſe in epiſtola hac, quam Cerinthum in ſenſum alienum detorſiſſe opinatur, non de *Principio*, tanquam de perſona quadam, a qua aliquid propagari aut generari potuerit, verum de tempore, in quo *λόγος* apparuerit inter homines, ſcripſiſſe. Idem vero *Artemonius* p. 347. ex eo, quod *τὸ, ἀπ' ἀρχῆς* h. l. principium Evangelici temporis ſignificet, conficit, *τὸ ἐν ἀρχῇ* idem indicare in limine Evangelii. Ex quo apparet, eum non admodum ſibi conſtare. Nunquam vero probaverit, *ἀπ' ἀρχῆς* & *ἐν ἀρχῇ* diverſa eſſe, aut prius illud explicare poſterius. Recte *Grotius* idem utroque ſignificari adfirmat, provocans ad *Matth.* XIX. 4. 8. Idem olim *Nonno*, Metaphraſtæ Evangelii Græco, viſum eſt. Hic enim *τὸ ἐν ἀρχῇ* Joan. I. 2. per *ἀπ' ἀρχῆς* reddidit:

ὅτος

—— —— —— —— ὄντος ἀπ' ἀρχῆς
Αἰενάῳ συνέλαμπε θεῷ.

Jacobus Altingius quidem Tom. V. Operum pag. 352., inter Epiſtolas, inter utramque hanc locutionem diſcrimen aliquod ſtatuit, ſed alio utique ſenſu & fine, quam quem *Artemonius* ſpectavit. *Etenim* ἀπ' ἀρχῆς, inquit, *diabolus peccat* 1 Joh. III. 8. *qui idem* ἀπ' ἀρχῆς *eſt homicida. Scilicet Filius Dei eſt* λόγος, ὃς ἦν ἐν ἀρχῇ: *nam, antequam erat principium, erat ipſe, utpote æternus Deus cum Patre & Spiritu S. Non tamen fuit ab æterno* λόγος τῆς ζωῆς, *ejus nempe vitæ, quæ per Evangelium patefacta eſt, & cujus ipſe in prima Evangelii revelatione princeps conſtitutus eſt. Hæc enim vita gratiæ eſt, cujus initium lapſu, adeoque & integritate naturæ ſerius eſt. Omnia per* λόγον *facta ſunt, & quidem valde bona: ſed principio durante (quod ſextidui eſt, ut recte Hebræi,* מבראשית *&* משׁשת ימי ראשית *pro æquipollentibus habent) & diabolus peccavit, & homicida factus eſt homine ſeducto. Auxit igitur Deus principium creationis, quod ſextiduum non excedit, Gen.* I. *ſed operum ſuorum externorum die uno i. e. ſeptimo (qui itidem principii eſt, cum Moſes principium deſcribens ſeptimum diem eidem annumeret, ac ſic demum natales rerum omnium indicatos oſtendat* II. 1. 2. 3. 4. *quo natalem dedit operibus gratiæ, & per promiſſionem* τὸν λόγον *Filium ſuum æternum conſtituit* λόγον τῆς ζωῆς, *qui vitam amiſſam, necato mortis Domino Satana, peccatoribus mortuis reſtitueret, quæ promiſſio eſt* ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιὰ, ὃ λόγος ὃν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς, *Joan.* II. 7. &c. *Vnde liquet* τὸ ἀπ' ἀρχῆς *alio venire ſignificatu, quam* τὸ ἐν ἀρχῇ, *& plus dicere* λόγον τῆς ζωῆς, *quam* λόγον *ſimpliciter.* Hæc *Altingius* ſubtilius, meo judicio, quam verius pronunciavit. Si qua inter utramque φράσιν differentia ſtatuenda, aut potius ratio, cur alteram cum altera Joannes permutarit, adferenda videatur, magis idoneam reddi non poſſe exiſtimem, quam quæ *Bezæ* in mentem venit. *Joannem* ait ἀπ' ἀρχῆς heic ſcribere, *quod de Chriſto quidem ut Deo loquatur, non tamen ſimpliciter, ſed ut carne induto, perinde ac ſi diceret, Chriſtum illum viſibilem & palpabilem non tunc cæpiſſe exiſtere, cum videretur & palparetur; ſed ſemper præterea exſtitiſſe, nempe ſecundum Deitatem, cujus reſpectu jam tum erat, cum res omnes creatæ principium exiſtentiæ reciperent: ideoque naturam duplicem ſic commodius quoque ſignificari, quam ſi dixiſſet:* ὃς ἦν ἐν ἀρχῇ, ὃν ἑωράκαμεν. Ex noſtratibus quidem Cl. *Schætgenius* in Horis Hebr. pag. 1053. h. l. *initium miniſterii Chriſti* intelligi mavult, idque tum ſequentia oſtendere putat, tum loca parallela *Joan.* XVI. 4. & infra II. 7. Enimvero loca illa ita comparata ſunt, ut περικείμενα ſatis oſtendant, quis ſenſus ſit phraſeos, ἀπ' ἀρχῆς. Ex eo vero non conſequitur, eandem notionem etiam h. l. obtinere. Rectius Joannes hac una phraſi: ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ea expreſſiſſe creditur, quæ in limine Evangelii per aliquot commata copioſius ex-

exponit. Sequentibus vero verbis ea proponit h. l. uberius, quæ in cap. I. Evangelii v. 14. ſummatim & paucis indicat.

Sunt qui ellipſin hic ſtatuant, ita explendam: *quod erat ab initio*, hoc ipſum eſt &c. Vide *Jacobum Cappellum* in Obſervationibus ad h. l. pag. 311. Ea vero non opus eſt, modo comma ſecundum per παρενθέσεως notam a reliquis ſepares, quod & in editis plerisque fieri video. Clarum enim eſt, Apoſtolum comm. 3. filum dictionis reſumere, repetitis iisdem commatis primi phraſibus: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν. Exemplum ſimile habes 1 *Cor.* VIII. 1. περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων & v. 4. περὶ τῆς βρώσεως οὖν τῶν εἰδωλοθύτων.

Quod *Joannes*, de λόγῳ τῆς ζωῆς loquens, non ſcripſit, ὅς ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς, ὃν ἀκηκόαμεν &c. ſed, ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς &c. *tantum abeſt, ut σολοικισμὸς ſit, ut potius majeſtatem quandam divinam, & quiddam ultra naturæ modum ſapiat. Neque enim Evangeliſta h. l. de* λόγῳ *ſimpliciter, & in ſua Deitate tantum conſiderato, ſeu in Abſtracto loquitur; ſed de* λόγῳ *incarnato, qui videri* &c. *potuit in concreto. Ideo neutro genere Apoſtolo & Evangeliſtæ, imo ipſi Spiritui S., cujus inſtinctu Joannes hæc* θεόπνευστα *ſcripſit, uti placuit. Cujus rei rationem a Spiritu Sancto, Linguarum largitore & ſanctificatore, rigide exigere velle, & per regulas anguſtæ noſtræ Grammaticæ rejicere, aut barbarici vel ſolœci accuſare velle,* προπετὲς *nimis imo* ἄθεον *foret.* Ita recte *Er. Schmidius* h. l. apud quem plura in eandem leges ſententiam.

ὃ ἀκηκόαμεν) Joannem Baptiſtam hic reſpici, *a quo de Chriſto teſtimonia & prædicationem prius audierit, quam Chriſtum ipſum videret & contemplatus eſſet, ac manibus contrectaſſet* (Joannes Evangeliſta) opinatur *Artemonius* l. c. pag. 395. Hoc autem non ſine vi, verbis illata, fieri non facile quisquam negaverit. Quæ enim ratio eſt, cur τὸ *audire* ad præconium a Joanne Baptiſta factum, referre velimus, cum ſequentia *videre, contemplari* & *manibus palpare* ad Chriſtum ipſum omnino pertineant, quod nec *Artemonius* ipſe inficiatur? Porro cauſa in promtu eſt, cur Apoſtolus h. l. τὸ *audire* reliquis verbis, *videre, contemplari* & *palpare* præponat. Apoſtoli enim prius *audiverant* Dominum, quam viderant, contemplati erant & palpaverant, h. e. familiarius inſtar diſcipulorum cum Domino verſati erant. Taceo, comm. 3. inverſo ordine dici: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ubi omnino neceſſe eſt, ut *videre* & *audire* eodem ſenſu de Chriſto ipſo, tanquam λόγῳ ζωῆς incarnato, accipiamus.

ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς) Hebraiſmum h. l. videre ſibi viſi ſunt nonnulli, quem nube veterum Scriptorum diſpellunt *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 105. & *Joannes Henricus Majus*, filius, in commentatione de Pleonaſmis N. F. pag. 34.

ὃ ἐθε-

ὁ ἐθεασάμεθα) Plerique interpretes per hoc verbum amplius aliquid, quam per antecedens ἑωράκαμεν, h. e. talem intuitum indicari putant, qui cum *attentione* ſingulari, vel *admiratione*, vel *voluptate* fuerit conjunctus. Ita inter ceteros *A. Blackwallus* in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 152. vertit: *quod attente cum gaudio & admiratione conſpeximus.* Hoc ſenſu verbum monet occurrere apud *Xenophontem* Cyropæd. pag. 467. & *Homerum* Il. ή. v. 444. θηεῦντο μέγα ἔργον, quod Scholiaſtes per ἐθαύμαζον, *Barneſius* autem Latine per, *intente ſpectabant*, exponunt. Et recte quidem ita judicari exiſtimo, loco *Joannis* parallelo Evang. I. 14. adductus, ubi ita: καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτȣ̃, δόξαν ὡς μονογενȣ̃ς παρὰ πατρός. Quo illuſtrior erat λόγȣ incarnati majeſtas, hoc intentius & jucundius utique Apoſtolorum oculi in eam contemplandam vertebantur. Conf. *Lampii* comment. ad h.l. pag. 371. *Herodotus* quidem lib. II. pag. 166. utrumque verbum in eadem verborum ſerie & de eodem argumento itidem conjungit: τὰ μὲν μετέωρα τῶν οἰκημάτων αὐτοί τε ὡρέομεν διεξιόντες, καὶ αὐτοὶ θεησάμενοι λέγομεν, *ſuperiora quidem domicilia ipſi videbamus pertranſeuntes, & ipſi contemplati enarramus*; ſed nihil obſtat, quo minus verbum poſterius contemplationem quandam curatiorem domiciliorum labyrinthi, de quibus ibi ſermo eſt, inferre cenſeamus. Confer tamen Rever. *Raphelium* in Annotationibus Herodoteis pag. 661. ubi h. l. adfert ad firmandam *Sebaſtiani Schmidii*, interpretis egregii, ſententiam, qui pro ſynonymis hæc habet hoc ſenſu: quod vidimus oculis, quod, inquam, ita vidimus, ut etiam manus noſtræ contrectaverint.

καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν) De verbo hoc lege nos ad *Luc.* XXIV. 39. & *Actor.* XVII. 27. Verba ſenſuum communiter a Græcis cum gignendi, ſæpe vero etiam cum accuſandi caſu jungi oſtendit Cl. *Georgius* in Hierocritico pag. 83. ſeq.

περὶ τȣ̃ λόγȣ τῆς ζωῆς) Vide nos ad *Joan.* I. 1. Ibi v. 4. ſimiliter dicitur ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Λόγον ζωῆς amplius aliquid, quam λόγον ſimpliciter, inferre modo vidimus tradentem *Altingium.*

Ceterum compara ad hoc comma *Dionyſ. Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. I. lib. VII. c. 6. §. 7. & Tom. V. ubi de Incarnatione lib. III. c. 6. ex noſtratibus autem D. *Joach. Langii* diſſertat. de myſterio λόγȣ ὑποςατικȣ̃, Halæ 1711. & B. *Jo. Quiſtorpii* aliam de fidei Chriſtianæ fundamento, Roſtoch. 1641.

Verſ. 2. Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη κ. τ. λ.) Vid. *Petavii* Dogmata Tom. II. lib. II. c. 12. §. 14.

ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα) Mireris merito, *Artemonium* loc. cit. pag. 93. hanc phraſin ita accipere potuiſſe, ut ſignificet, Dominum noſtrum ante, quam Evangelium prædicaret, in cœlum raptum, atque hinc localiter iterum

rum delatum in terras fuiſſe. Non magis vero hanc phraſin, quam ceteras, quas huc torquet, id ſibi velle ſolide evicit Vener. *Joannes Laurentius Moſhemius* in ſingulari diſſertatione de raptu Chriſti in cœlum contra Socinianos, & ſpeciatim *Sam. Crellium.*

Verſ. 3. & 4. ὃ ἑωράκαμεν, κ. τ. λ.) Lege *Joannis Cothmanni* diſput. de prædicationis Evangelicæ emolumento, Roſtoch. 1644. & *Vorſtii* Diſſertatt. Sacr. I. pag. 98.

Verſ. 4. Καὶ ταῦτα γράφομεν ὑμῖν, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη) Gaudium hoc *Artemonius* pag. 93. eo refert, quod Chriſtus ea, quam diximus, ratione apud Patrem fuerit ante, quam hominibus præconio ſuo manifeſtaretur. *Inde enim*, inquit, *quia jam tunc cœlo fuerat receptus, evidenter patebat, eum adeo integrum vitæ totius anteactæ omnisque peccati purum, adeo innocentem fuiſſe, ut vita noſtra æterna & ſecundus ille Adamus, mundi per primum damnati & corrupti Servator & reparator eſſe potuerit.* Quæſiverim merito, num *Enochi*, quod ad corpus & animam, aut *Pauli* Apoſtoli, quod ad animam, in cœlum raptus efficere poſſit, ut idem de utroque affirmet? Patet utique, Joannem per *gaudium plenum* ad κοινωνίαν illam cum Chriſto reſpicere, de qua certos illos reddiderat v. 3. Hanc ſecum communionem Dominus noſter diſcipulis pollicitus, & ad eandem tenendam cohortatus XV. 5. ſeqq. Evangelii, v. 11. ait: ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν μείνῃ, καὶ ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ. Tandem heic, qua Apoſtolus utitur, φράσιν, & in eodem argumento adhibitam vides. Pro ὑμῶν tres codd. habent ἡμῶν, quod & *Vulg. Arabs* & *Æthiops*, nec non B. *Lutherus* exprimunt, *Bœclerus* autem in edit. ſua *Argentorat.* exhibuit. Firmari hæc lectio videtur commate 12. epiſtolæ ſecundæ, ubi eadem phraſis exſtat: ἵνα ἡ χαρὰ ἡμῶν ᾖ πεπληρωμένη. Neque tamen locus ille noſtro prorſus eſt παράλληλος, quandoquidem Apoſtolus ibi profitetur, ſe nunc pauca ſcribere, cum plura poſſet, qui malit præſens illos alloqui, ut gaudium ſuum perfectum evadat. Taceo, & ibi alios codd. habere ὑμῶν. Atque hoc ipſum h. l. malim, cum v. 3. ὑμῖν & ὑμεῖς, v. 4. autem proxime ante ὑμῖν occurrat, ac communio porro illa cum Chriſto fons & origo gaudii in Chriſtianos, ad quos ſcribebat Apoſtolus, magis eſſe potuerit, quam in Apoſtolis, de eadem mutuo gaudentibus.

Verſ. 5. Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ ἐπαγγελία) *Codd.* multi habent ſimplex ἀγγελία, quæ vox infra III. 11. exſtat, unde huc relatam eſſe ſuſpicatur *Millius.* Senſum vocis ἀγγελία exprimunt *Vulg. Arabs* & *Æth.* nec minus B. *Lutherus. Henricus Stephanus* mavult ἀπαγγελία. Ex Latinis Interpretibus alii per *promiſſionem*, ut *Eraſmus Schmidius*, alii per *nuncium*, ut *Beza* vertunt. Vox ἐπαγγελία in N. F. nusquam, ſi recte memini, *nuncii*, ſed ſemper *promiſſionis* ſignificatu adhibetur, quem & ſecum fert infra II. 25.

καὶ

καὶ αὐτη ἐϛὶν ἡ ἐπαγγελία, ἣν αὐτὸς ἐπηγγείλατο ἡμῖν ζωὴν αἰώνιον. Itaque exiſtimem, Apoſtolum h. l. non de nudo nuncio aut præconio loqui, ſed de eo doctrinæ momento, cujus uſus & fructus a Domino ſuis ſit promiſſus. Hanc promiſſionem Apoſtolus ſe ait accepiſſe a Domino, nunc vero ipſis nunciare. Si dicamus, Apoſtolum reſpicere ad verba Domini *Joan.* XV. 35. ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ Φῶς μεθ' ὑμῶν ἐϛὶ. περιπατεῖτε, ἕως τὸ Φῶς ἔχετε, & v. 36. ἕως τὸ Φῶς ἔχετε, πιϛεύετε εἰς τὸ Φῶς, ἵνα υἱοὶ Φωτὸς γένησθε: patebit, his verbis non tantum doctrinam adhortantem, ſed & promiſſionem contineri, fore ſcilicet, ut & ipſi, adhortationi huic audientes, filii lucis atque adeo communionis cum Chriſto, & vitæ æternæ participes evadant. Conf. VIII. 12. & IX. 5. Itaque abſit, ut h. l. quicquam mutemus. Neque vero neceſſe eſt, ut interpunctionem mutemus, quod vult *Artemonius* l. c. in notis. *Cum vero*, inquit, *promiſſio non poſſit ad ſequentia commode referri*, *Deus enim jam eſt lux*, *& non demum lux fore promittitur*, *hinc potius punctum poſt* ἀπ' αὐτοῦ ab eo v. 4. *ponendum*, *ut promiſſio ad ſuperiora*, *ad communionem cum Patre & Filio*, *v.* 3. *memoratam*, *referatur*, *& ſenſus ſit:* Et hæc *utique* eſt promiſſio, quam audivimus ab eo (Filio) *Joan.* XIV. 23. *quod nempe habituri ſimus communionem cum Patre*, *& cum eo.* Et *in hunc finem* annunciamus vobis, quod Deus ſit lux *& ſanctitas perfectiſſima*, & nullæ ſint in eo tenebræ; *ut ſi cum eo velimus habere communionem*, *a via tenebroſa abſtineamus.* Enimvero verbum ἀναγγέλλομεν non magis ſeparari poteſt a phraſi, ἣν ἀκηκόαμεν ἀπ' αὐτοῦ, quam v. 3. verbum ἀπαγγέλλομεν ab antecedentibus: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ſejungi debet. Quemadmodum enim ibi id, quod viderat & audiverat Apoſtolus, renunciare aliis dicitur; ita ἐπαγγελίαν, quam heic audiiſſe ſe a Domino ait, annunciare quoque aliis exiſtimandus eſt, eo ſcilicet ſenſu, ut, qui Dominum tanquam lucem agnoſcere & conſtanter tenere ſtudeat, idem vi promiſſi ejus, *Joan.* XV. 35. facti, ſperare poſſit, ſe filium lucis futurum.

Vocem καὶ per Hebraiſmum hic idem eſſe, quod *igitur*, *Beza* adfirmat. At Scriptores quoque externos τὸ καὶ eodem ſenſu adhibere oſtenſum eſt Vol. I. *Curarum* pag. 497. & 1151. Confer Clar. *Georgii* Vindicias N. T. pag. 166. ſeq. Taceo, alias quoque eſſe particulæ καὶ ſignificationes, quæ non minus locum hic tueri poſſint.

ὅτι ὁ Θεὸς Φῶς ἐϛι) Vide quæ ſupra ſcripſimus ad *Jac.* I. 17. Adde *Seb. Schmidii* diſput. de Filiis lucis, §. 14. 15. quæ exſtat in Appendice ad Form. Concord. pag. 225.

Verſ. 6. καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν) Vide *Suicerum* Tomo I. p. 188.

Verſ. 7. *Εὰν δὲ ἐν τῷ φωτὶ περιπατῶμεν*) Ad daduchos, in myſteriis Eleuſiniis obambulantes, & præ aliis in luce verſantes, heic alludi exiſtimat *Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tomo I. pag. 173. rectius autem *Chriſtianus Bruningius* in Compendio Antiquitatum e ſacris profanarum pag. 171. phraſin repetit ex ſimili Jeſaiæ II. 5. נלכה באור יהוה, *ambulemus in luce Domini.* Scilicet frequentiſſime in V. T. lux de veritate & ſanctitate dicitur, & Deo ipſi tribuitur; ex quo fit, ut illi in luce verſari dicantur, qui utriusque ſunt ſtudioſi.

κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἀλλήλων) *Curcellæus* pro *ἀλλήλων* alicubi *αὐτοῦ* legi monuit, cujus tamen lectionis veſtigium nusquam invenit *Millius.* Si *Artemonium* loc. cit. pag. 376. audis, vox *αὐτοῦ* Cerinthianis debetur, qui Patrem ſeu Principium *τοῦ λόγου* hic intellexerint. Adeo ille facilis eſt ad amplectenda omnia, quæ *ὑπόθεσιν* ſuam ornare poſſint, per quam Cerinthum hanc Joannis epiſtolam pervertiſſe aut pervertere potuiſſe opinatur. Ceterum de mutua Chriſtianorum communione vide, quæ diſſerit *Vitringa* lib. V. Obſervationum Sacrarum cap. VII. p. 96. ſqq.

καὶ τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας) Heic voces *τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* omittit *Æthiops*, quæ ideo additititiæ videntur *Millio* in Prolegom. *Artemonius* loc. cit. pag. 376. omiſſionem illam acceptam iterum fert *Cerintho*, conjectura, neſcio qua, ductus. Germanas has voces eſſe ex verborum Apoſtolicorum ſerie apparet. Dixerat ille verſ. 3. *κοινωνία ἡ ἡμετέρα μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Idem v. 6. Deum Patrem vocaverat *lucem, in qua non ſint tenebræ.* Jam v. 7. oſtendit fundamentum communionis cum Patre, nempe ſanguinem Jeſu Chriſti, *filii ejus*, nos mundantem.

De ſanguine illo Chriſti nos mundante, quoque ſenſu hic *καθαρισμὸς* a peccatis dicatur, noſtrates variis diſſertationibus præceperunt. Inter hos ſunt *Joannes Guilelmus Baierus* de juſtificationis & renovationis nexu & diſcrimine, Jenæ 1693. *Fridericus Bechmannus*, ibidem 1674. *Chriſtianus Colbius*, Regiomont. 1657. *Gothofredus Cundiſius* de panacea officinæ ſacræ, Jenæ 1644. *Joannes Deutſchmannus*, Wittebergæ 1693. *Joannes Hæpfnerus* de ſanguine Chriſti *ἱλαστικῷ*, Lipſiæ 1621. *Andreas Hoierus* in pia & biblica meditatione aurei hujus dicti, Gedani 1623. *Joannes Major*, Jenæ 1623. & 1714. item Lipſiæ 1703. *Joannes Georgius Neumannus* de emundatione ſanguinis Chriſti juſtifica, Wittebergæ 1703. *Joannes Olearius* de emundatione ab omni peccato, Lipſiæ 1683. *Joannes Steuberus* de paſſione Chriſti, Marpurgi 1603. *Juſtus Weſſelus Rumpæus*, Suſati 1711. *Godofredus Wegnerus*, Regiomont. 1705. & *Joannes Weinmannus*, Altorf. 1640. 4to. Adde his *Orthodoxi Symbolophili* commentationem vernaculam eruditam de diſceſſione D. Joannis Philippi Pfeiferi a libris Symbolicis pag. 157. ſqq. qua oſtendit, locum

hunc

Digitized by Google

hunc recte adhiberi ad probandum, Deum in juſtificatione per ſanguinem Chriſti omnia hominum peccata, ſive craſſiora illa, ſive ignorantiæ ſint, tollere & remittere. Ex *Anglis* conferri poteſt *Stephanus Charnock* Tom. II. Operum pag. 1183-1211. Contra *Socinianos* locum egregium vindicatum vide in *G. G. Zeltneri* Crypto-Sociniſmo Altorfino pag. 612. 917. & 979. ſeq. Contra eos *Grotius* rectiſſime in Defenſione fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti cap. X. Tom. III. Operum pag. 337. ita diſputaverat: *Neque* 1. Joh. I. 7. ubi eſt: ſanguis Chriſti *καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, exponere licet*: mundos nos eſſe declarat. *Repugnat enim manifeſte & verborum proprietas, & perpetuus Scripturæ uſus in hoc argumento. Immunditiæ nomine ſignificari paſſim reatum fatetur* Socinus. *Hinc καθαρίζειν & ἁγιάζειν eſt eum reatum tollere, ſive efficere remiſſionem, ut ipſe Scriptor ad Hebræos exponit vocem καθαρίζειν* IX. 22. *Chriſtus per ſe ipſum fecit hunc καθαρισμὸν Hebr.* I. 3. *Chriſtus καθαρίζει conſcientiam ab operibus mortuis*, Hebr. IX. 14. *h. e. ipſo* Socino (lib. II. cap. 15.) *interprete, a reatu & pæna, pænæque timore conſcientiam liberat.* ----- ----- *In epiſtola* Joannis *omnino abſurdum eſt, καθαρίζειν de declaratione mundationis, non de ipſa mundatione interpretari, cum paulo poſt jungatur ἀφιέναι, & καθαρίζειν* v. 9. *Argumentatur Apoſtolus a conjunctis: Si in luce ambuletis, habetis mundationem h. e. remiſſionem per ſanguinem Chriſti, quia nemini in luce ambulanti imputantur peccata.* Vellem, ut in hac ſententia perſtitiſſet vir magnus, nec contra hæc in notis ad h. l. ſcripſiſſet: *Vult enim dicere: oſtendit, qui talis eſt, ſe vere repurgatum Chriſti ſanguine, i. e. fide ea, quam in nobis operatur Chriſti paſſio.* Contra hanc gloſſam lege *Calovium* noſtrum in Bibliis Illuſtratis.

Verſ. 8. & 9. illuſtrantur & vindicantur a *Joanne Guilielmo Baiero* in Analyſi & Vindiciis dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Parte II. p. 86.

Verſ. 8. Ἐὰν εἴπωμεν, ὅτι ἁμαρτίαν ὐκ ἔχομεν) Hominem aliquem, hoc ſtolide jactantem, ex *Bava kama* fol. 80. 1. & *Temura* fol. 15. 2. affert *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 1054.

Verſ. 9. Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν κ. τ. λ.) Vide D. *Franciſci Alberti Æpini* diſputationem ad h. l. Roſtochii 1722. & B. *Franciſci Julii Lütkenii* Conciones Miſcellan. pag. 327. Pœnitentiæ robur ſimili phraſi declarant Judæi *Tanchuma* fol. 71. apud *Schœtgenium* p. 1054.

πιςός ἐςι καὶ δίκαιος) Vocem δίκαιος *Grotius* & alii nonnulli per *bonum & lenem* interpretantur, ut Deus hinc *veracitate* ſua, hinc *lenitate*, ad peccata nobis remittenda in Chriſto adduci dicatur. Ita ex noſtratibus quoque *Eraſmus Schmidius*, niſi, quod idem monet, δίκαιον hic idem eſſe

Ii 3 malis,

malis, quod *juſtitiam* nobis *conferentem.* Nec aliter Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis. *Vitringa* de Synagoga lib. III. Part. I. cap. 12. pag. 792. de hoc ſignificatu ita certus eſt, ut in hanc ſententiam ſcribat: *Quicquid ad hunc locum dicant Commentatores, clarum mihi eſt, illam vocabuli* JUSTITIÆ *interpretationem huic loco omnium optime convenire*, (nempe ut *æquitatem* inferat) *quam ſupra* (pag. 788.) *ſatis late explicavi, & ſubjunctis exemplis confirmavi. DEUS quidem peccatori credenti & reſipiſcenti peccata remittit*, jure & juſte *propter Chriſti Domini obedientiam; attamen juſtitiæ DEI, qua a nobis conſideratur ut virtus gloriam ſuam proſequendi per vindicias peccati in ipſo quoque Chriſto Domino, ut peccatoris ſponſore, non eſt in cauſis impulſivis, quas vocant, peccatum condonandi, at* ſumma DEI æquitas, *ut ſic loquar, demonſtrata in benigniſſima peccatoris gubernatione; quam nunc DEUS* æquitatem *absque ullo ſuæ gloriæ detrimento juſtiſſime exercet poſt Chriſti Domini paſſiones & obedientiam.* Jam negari quidem non poteſt, voces צריק & צרקה in Veteri Fœdere, δίκαιος autem & δικαιοσύνη in Novo *æquitatis* & *benignitatis* interdum notionem habere (vide nos ad *Matth.* I. 19.) nec inficiari licet, eundem ſignificatum etiam h. l. admitti poſſe; nihilominus tamen communiorem *juſtitiæ* acceptionem tenere cum Interpretibus noſtratibus, tantum non omnibus, malim, adductus inprimis oraculo Pauli *Rom.* III. 25. 26. ubi nos vide. In eandem ſententiam lege *Hermannum Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. pag. 399. ſeq. *Quapropter*, inquit, *bene obſervandum eſt, nihil decedere juſtitiæ Dei vindicativæ, ſed hanc ſimul valide demonſtrari in media ipſius gratia Rom.* III. 26. *quando peccata remittit reſipiſcentibus & credentibus, quoniam cenſentur eſſe in Chriſto per fidem, ejusque perfectæ juſtitiæ participes.* Putaverim equidem, illam DEI juſtitiam in remittendis homini peccatis ex eo inprimis æſtimari debere, quod DEUS homini, ad Chriſti meritum, tanquam alienum, provocanti, parcit, reatumque & pœnam omnem, ſine præſtita ulla ſatisfactione, remittit.

CAPUT II.

Verſ. 1. Τεκνία μου —— καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον) παράκλητος *advocatum* denotat: vide *Curas* has ad *Job.* XIV. 16. & adde ad h. l. *Elsneri* Obſervatt. inter cetera monentis, vocem פרקליטא Hebræis quoque receptam eſſe. Idem affert *Philonis* locum libro III. de Vita Moſis pag. 673. quo Pontificem, λογείῳ inſtructum, ſupplicaſſe ait Deo, τῷ λόγῳ ut paracleto uſum. Αναγκαῖον γὰρ ἦν, ita pergit, τὸν ἱερωμένον τῷ τοῦ κόσμου πατρὶ παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ πρός τε ἀμνηστείαν ἁμαρτημάτων, καὶ χορηγίαν ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. *Neceſſe enim erat, ut ſacra facturus patri hujus mundi advo-*

advocatum adhiberet perfectiſſimæ virtutis filium, ad impetrandam peccatorum veniam bonorumque abundantiam. Confer Cl. *Schœtgenii* diſſ. de Hieroſolyma cœleſti cap. III. ubi de *Synedrio cœleſti* ex mente Judæorum, recuſam in Horis Hebraic. pag. 1228. Quo vero ſenſu Chriſtus paracletus, quo nomine alias & Spiritus S. venit, appelletur, quave ratione advocatum ſe credentium præſtet, noſtrates ſingularibus diſſertationibus ad h. l. oſtenderunt. Hi ſunt *Meno Hannekenius* Tomo VIII. Diſpp. Gieſſenſium Diſp. IX. *Jacobus Henningius* de interceſſione Chriſti glorioſa, Gryphisvvald. 1693. *Joannes Andreas Hochſtetterus*, Tubingæ 1681. *Chriſtianus Matthiæ*, Norimbergæ 1618. *Joannes Olearius* in diſputatt. 4. de Advocatione Jeſu Chriſti, Lipſiæ 1688. & *Henricus Opitius*, Kilonii 1702. Ex Anglis inſpicere licuerit *Henr. Morum* in Operibus Latinis pag. 237. & *Stephan. Charnock* Tomo II. Operum Anglice editorum pag. 1109—1144. Ex Reformatis Doctoribus *Joan. Rudolphum Wetſteinium* de JESU CHriſto advocato & propitiatione noſtra.

Advocatum hunc δίκαιον hic dici arbitrantur, vel, qui ipſe *juſtus* ſit, vel, qui *lenis* & *bonus* ſit, quæ *Grotii* eſt ſententia, vel, qui *juſtificet* alios, h. e. juſtitia ſua peccata tegat, aboleat, expungat. Poſtrema hæc expoſitio eſt *Stephani le Moyne* in Diſſertatione Theologica ad Jerem. XXIII. 6. pag. 192. ſeq. *Nam ſicut*, inquit Joh. VI. ἄρτος ζῶν panis vivens *eſt panis* ζωοποιῶν *vivificans*, *ſic* advocatus juſtus *eſt advocatus juſtificans*. Ita vero Chriſtum ait appellari in oppoſitione ad *Moſen*, qui pro populo interceſſerit, ſed populi peccata amovere non potuerit: ad *Sacerdotem Summum*, qui, licet in Sanctuario intercederet pro populo, ſæpe Dei juſtam indignationem placare non poterat: ad iſtos *interceſſores*, de quibus *Jeſ.* XLIII. 27-29. Alludi præterea putat ad *Jeſ.* LIII. 11. ubi *ſervus juſtus juſtificaturus multos* dicitur. Hæc non inepte ita dicuntur, & admitti poſſunt, modo non excludatur primarius ille vocis ſignificatus, ſecundum quem Chriſtus ipſe *juſtus* dicitur tum ratione eſſentiæ, tum ratione vitæ & morum, quæ ſanctitas commemorari ſolet, a Sacris Scriptoribus, quando ut Sacerdos noſter repræſentatur, v.c. *Hebr.* VII. 27. & 1 *Petr.* III. 18. Hæc ipſius Chriſti juſtitia certos nos facit, interceſſionem ejus pro nobis apud Patrem valere, cui ab altera parte accedit ἱλασμὸς, ſeu *propitiatio* noſtri ab illo juſtiſſimo facta, de qua verſ. 2.

Verſ. 2. Καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κ. τ. λ.) Vide huc diſſertationem *Pauli Antonii* de ἱλασμῷ dolentibus conſcientiis conſtituto, Halæ 1698. *Abrahami Calovii* de propitiatione pro peccatis, & *Pauli Hæpneri* de propitiatione Chriſti pro peccatis totius mundi, Lipſiæ 1676. Ex Reformatis lege *Jo. Hoornbeckii* Diſputatt. Miſcell. lib. III. p. 391. Contra Socinianos vocem ἱλασμὸς rectiſſime urget *Grotius* in Defenſione fidei Catholicæ

tholicæ de Satisfactione Chriſti Tomo III. Operum p. 323. Adde Rev. *Zeltneri* Crypto-Socinismum Altorfin. p. 1051. ſq.

ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ) Per *κόσμȣ* gentiles, qui *Judæis* opponantur, intelligit *Cyrillus* libro XI. in Joh. cap. 19. & nonnulli ex Doctoribus Reformatis, nominatim *Jacobus Altingius* in Operum Tomo V. pag. 143. Heptade V. diſſertat. V. *Chriſtus*, inquit, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, Judæorum, *quos inter Joannes ipſe fuit numerandus*, & *eſt quoque pro peccatis* mundi, *ad quem Joannes referri nequibat*, *b. e. gentium*, & *quidem* totius mundi, *ut nulla ejus natio a Chriſti beneficio excluſa ſit.* At Theologi noſtrates pridem oſtenderunt, per *κόσμον* non nationes & gentes, ſed *homines omnes* & *ſingulos* intelligendos eſſe, tanquam ad quos meritum, ex perpeſſione & morte Chriſti natum, ratione conſilii divini pertineat. Vide *Calovii* diſſertationem modo laudatam. *Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmat. p. 1131. recte adfirmat, noſtrum hoc *Joannis effatum rem omnem conficere*, *nec ullam admittere exceptionem.*

Verſ. 3. ſqq. *Καὶ ἐν τȣ́τῳ γινώσκομεν, κ. τ. λ.*) Comma hoc una cum ſequentibus aliquot exponit *Joannes Olearius* in orthodoxa explicatione aphoriſmi Joannei, Lipſ. 1690. Adde *Joſephi Mede* Opp. Anglican. p. 303. Conſtat, noſtra inprimis ætate de vera Dei rerumque ſacrarum notitia diſputatum, & a nonnullis adſertum eſſe, nullam talem *veram* eſſe, niſi quæ cum effectu ſpirituali in ſubjecto ſit conjuncta. Hanc vero ſententiam illi inter cetera oraculo huic Joanneo ſuperſtruunt. Precario id fieri oſtendit B. *Joannes Fechtius* ſingulari diſſertatione, quam Diſputationi cuidam Halenſi oppoſuit de Notitia CHriſti cum obſervatione mandatorum ipſius conjuncta ad Joannis 1. ep. II. 3. 4. Prodiit illa primum Roſtochii 1710. recuſa ibid. 1719.

Verſ. 6. *Ο λέγων ἐν αὐτῷ μένειν, ὀφείλει, καθὼς ἐκεῖνος περιεπάτησε*) Pronomina *αὐτὸς* & *ἐκεῖνος* ad Chriſtum ſpectant, quemadmodum in hac epiſtola etiam alias v. c. in hoc capite v. 12. 27. 28. & III. 3. 5. 7. 16. fieri conſuevit. Monuit id doctiſſimus *Elsnerus*, atque hac occaſione obſervavit, eodem modo in V. T. הוא interdum *Deum κατ' ἐξοχὴν* ſignificare, quam in rem videri jubet *Gatakerum* de ſtilo N. T. cap. 3. & *Lampium* Exercit. VIII. in Pſ. XLV. pag. 408. Græcos vero paſſim nunc *Socratem*, nunc *Pythagoram*, nunc alios viros vel doctrina, vel virtute illuſtres, *αὐτȣ̀ς* aut *ἐκείνȣς* appellaſſe. De hoc uſu vocis הוא lege etiam *Bæſekium* in Disquiſitione Philologica I. ad *Geneſ.* III. 15. pag. 52. & elegantiſſimum *Joannem Albertium* in Periculo Critico pag. 2. inter cetera ex *Petri Vallenſis* Itinerario Part. I. pag. 32. monentem, hodieque apud Turcos, Dervisios, religioſorum quoddam genus, in ſacris ſuis alta ſæpe voce repetere *Hu*, eoque Deum innuere. Pythagoræ diſcipulos, doctorem ſuum commemoraturos,

Digitized by Google

turos, illud *αὐτὸς ἔφα*, adhibuiſſe conſtat, quamvis id alii Pythagoræ ipſi ferant acceptum. Vide *Menagium* ad Laërtium VIII. 46. Adde *Kuhnium* pag. 534. Αὐτὸς alias idem eſt quod δεσπότης. Lege *Caſaubonum* ad Theophraſti Characteres περὶ κολακείας, & *Kuſterum* ad Ariſtoph. Nubes. v. 195. & 219. item *Julian. Garnerium* ad Baſilii Opera Tom. III. pag. 101. b. Civem quoque Athenienſem αὐτὸν appellatum eſſe, oſtendit *Ezech. Spanhemius* ad Ariſtophanis Nubes v. 219.

Verſ. 7. Ἀδελφοὶ) *Codd.* aliqui, & cum illis verſiones nonnullæ, habent ἀγαπητοὶ, qua compellatione etiam alias in hac epiſtola utitur Apoſtolus. Prior illa lectio recte heic tenetur, ideo, quod v. 9. 10. & 11. vox ἀδελφὸς ter occurrit, quando Joannes in inculcando mutuo amore occupatur. Itaque vix dubitandum eſt, eundem hoc etiam loco eam vocem adhibuiſſe de commendando amore fraterno cogitantem. Similiter III. 13. legis ἀδελφοί μου.

οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν) Vocem ἐντολὴ proprio ſenſu h. l. puto accipiendam, ut *præceptum* inferat. Innuitur enim illud, quod ad *amorem* mutuum ſpectat, quod patet ex v. 9. ſeqq.

ἀλλ' ἐντολὴν παλαιὰν, ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς) Voces ἀπ' ἀρχῆς deſunt heic in uno *Copto*, ideo procul dubio, quod ſuperfluæ viderentur Interpreti, cum in calce hujus commatis iterum occurrant. Atque hoc poſteriore loco easdem plures codd. & verſiones quoque omittunt. Hinc factum eſt, ut eas Editor N. T. Græco-Anglic. priore loco in contextu, addita παρενθέσεως nota, exhiberet. Germanam utrinque φράσιν eſſe non dubito, quæ priori loco omitti non poſſit, quia alioquin cauſa non daretur, cur præceptum hoc *vetus* appelletur; poſteriori vero loco repetatur ἐξεργασίας cauſa, quæ Apoſtolo familiaris eſt, quemadmodum poſterior phraſis tota priorem illam aliis fere verbis tantum exhibet. Interim ratio fortaſſe aliqua reddi poſſit, cur ἔχειν & ἀκούειν ἀπ' ἀρχῆς ſibi invicem ſubjungantur. Prius enim ad illos ſpectaverit, qui ex Judæis ad Chriſtum erant converſi. Illi enim jam ante præceptum hoc de amore mutuo ex lege Moſis & Prophetis cognitum *habebant*. Poſterius reſpiciet Ex-Gentiles, qui idem inter prima Evangelicæ doctrinæ præcepta acceperant. Ceterum τὸ, ἀπ' ἀρχῆς de initiis doctrinæ Evangelicæ capi debere, recte monuit *Henricus Dodwellus* ad opera Poſthuma *Jo. Pearſonii*, p. 223. Id vero non efficit, ut phraſin eandem ἀπ' ἀρχῆς eodem ſignificatu 1 *Joan.* I. 1. accipiendam cenſeamus, quod contendit *Artemonius* p. 348. Talia enim ſunt prædicata, qualia permittuntur a ſuis ſubjectis. Jam vero h. l. de ἐντολῇ ſermo eſt, quæ certo quodam tempore, ex περικειμένοις æſtimando, recepta & audita ſit; in Evangelio vero de λόγῳ, qui exſtiterit ἀπ' ἀρχῆς, vel ἐν ἀρχῇ h. e. eo jam fuerit tempore, quo omnia fiebant, ita, ut ipſe λόγος ea eſſe fecerit, adeoque

ante

ante omnia h. e. ab æterno exſtiterit. Quod ad phraſin, *ἐντολὴ παλαιὰ* attinet, ſimilem illi ex *Synopſi Sohar* pag. 94. n. 51. attulit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraic. pag. 1056. *Via illa, in qua vadunt juſti, quamvis ſit antiqua, nova tamen dicitur in amorem juſtorum.*

Verſ. 8. *πάλιν ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν*) *πάλιν Eraſmus Schmidius* vertit *juxta, Beza* autem *e contrario.* Vertere etiam poteras: *imo vero.* De hoc vocis uſu non infrequente diximus Vol. II. harum *Curarum* pag. 665. 750. & 767. Cave, putes, Apoſtolum ſibi contradicere, qui diverſo reſpectu idem de amore præceptum & *vetus* & *novum* appellare omnino poterat. Accipe, quæ *Jac. Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Judæo, Domini noſtri præceptum de amore mutuo *Joan.* XIII. 34. *novum* appellantis, dictum cavillanti, oppoſuit Part. I. c. 45. pag. 333. *Vetus eſt*, inquit, *quatenus illud in Oeconomia veteri Lex docebat. Novum vero tum gradu, quia exigitur ad exemplar, a Chriſto, pro nobis moriente, exhibitum, tum motivis in nova luce expoſitis, tum amplitudine, quia extenditur ad omnes promiſcue gentes diligendas.* Confer dicta ad *Joan.* XIII. 34.

ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ) Το ὅ reſpicit ſequens *ἀληθὲς*, quod ſcriptoribus frequentiſſimum eſt. Vide, quæ ſcripſimus Vol. III. harum Curarum pag. 301.

ὅτι ἡ σκοτία παράγεται) *Lampius* in Prolegom. ad commentarium ſuper Evangelium Joannis pag. 106. phraſin hanc refert ad judicium divinum in Judæos, per excidium Hieroſolymorum & exilium gentis Judaicæ mox conſummandum. Sed non video, quomodo imminens illud Judæorum ſupplicium argumentum eſſe poſſit, quo Apoſtolus ad inculcandum & urgendum amorem mutuum uti voluerit. Tenebræ omnino inferunt priſtinam & Judæorum & Gentilium conditionem, per quam non ſolum *erroribus*, ſed & *vitiis* ita erant immerſi, ut *υἱοὶ σκότους* appellari potuerint. Hæ vero tenebræ jam *luce* Evangelii *vera* diſpellebantur; erant etiam, qui illa luce fruebantur. Hos itaque fas erat, in illa luce perſiſtere & ambulare, idque inter cetera amore in ſe mutuo teſtari. Hanc Apoſtoli mentem, hunc ſcopum eſſe, evincunt proxime ſequentia, nec minus verba Pauli *Rom.* XIII. 12. *Ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν· ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός.* Vides utique, Paulum eodem argumento uti ad ſtudium virtutis generatim commendandum, quo heic utitur ad urgendum amorem mutuum. Pro *παράγεται H. Stephanus* legi mavult *παράγει*, quod exſtat 1 *Cor.* VII. 31. Cum vero eadem verbi forma paulo poſt v. 17. occurrat, & utroque in loco nulla legendi varietas in codd. obſervetur, recte in hac lectione acquieſcimus. Neque puto paſſivam verbi formam eſſe, quam *Stephanus* idem in *Theſauro* ſibi perſuadet; ſed *neutram*, quam *activa* ſignificatum frequenter habere conſtat.

Verſ.

Verſ. 10. *καὶ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ ὐκ ἔςιν*) Offendiculum hoc vel referri poteſt ad alios, qui offendantur, vel ad hominem ipſum, qui eo prohiberi ſe a recto tramite tenendo patiatur. Vterque ſenſus ſatis eſt commodus: malim tamen poſteriorem, qui etiam Rev. *Zeltnero* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam ſe probavit. Apoſtolus ait, eum qui in amore mutuo perſeveret, atque adeo in luce Evangelicæ doctrinæ perſiſtat, omnia, quæ illi objici poſſint, impedimenta facile perſpecturum, atque adeo ſibi ab illis cauturum eſſe. Hanc ejus mentem eſſe, comma 11. evincit, ubi is, qui odit fratrem, in tenebris verſari, &, quo vadat, neſcire, atque adeo facile offendi & prolabi dicitur.

Verſ. 12. γράφω ὑμῖν, *τεκνία*) Vocem *τεκνία* generali ſignificatu h. l. acceperim, ut Chriſtiani quivis, cujuscunque *ætatis* ſint, indicentur, eo conſilio, ut intelligant, ſe omnes remiſſionis peccatorum factos eſſe participes. Illi enim v. 15. in tres claſſes diſtinguuntur, nempe *patrum*, *juvenum* & *infantum*, *παιδίων*. Sic etiam alibi Apoſtolus credentes generatim *τεκνία* appellat, v. c. ſupra v. 1. & III. 7. 18. &c. Itaque nec cum *codd.* paucis pro *τεκνία* legendum fuerit *παιδία*, quo vox v. 13. ſine ulla codicum varietate occurrit. Cave etiam, putes, *τεκνία* & *παιδία* eſſe *συνώνυμα*. Prius illud generale eſt, & ad quosvis credentes, tanquam *τέκνα Θεῦ*, (quæ affectus cauſa *τεκνία* vocantur,) pertinet: poſterius vero credentes, ætate teneros, indicat. Hæc perpetua vocis *παιδίον* in N. T. acceptio eſt, (ut nempe *infantes* aut *pueros* ſignificet) ſi excipias *Jo* XXI. 5. & infra v. 28. hujus capitis. Vtrinque vero vox *παιδίον* per blandam aliquam compellationem adhibetur, quod recte ad v. 18. monuit *Grotius*.

ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι) De forma & ſenſu verbi *ἀφέωνται* diximus ad *Matth.* IX. 2.

διὰ τὸ ὄνομα αὐτῦ, ſcilicet Χριςῦ) Hujus enim mentio diſerta fit v. 1. ad quem ſequentia omnia referuntur. Rectiſſime itaque hunc locum contra *Socinum* pro adſtruenda Chriſti pro nobis ſatisfactione *Grotius* urget l. c. Tomo III. Operum p. 322. cum propter Chriſtum peccata dicantur remiſſa.

Verſ. 13. γράφω ὑμῖν, *πατέρες*) Per *Patres* h. l. *Seniores* inter Judæos, qui Chriſtum in carne viderint, eumque Hieroſolymis & in Judæa verſantem conſpexerint, intelligit *Braunius* in Selectis Sacris pag. 161. Adſtipulantur *Amelius* in der Erörterung, Tom. I. pag. 430. & *Schœtgenius* in Horis Hebraicis. Cum vero epiſtola hæc non ad Ex-Judæos Hieroſolymitanos, ſed ad credentes quosvis, ſive ex Judæis, ſive ex paganis fuerint, ſit exarata, nec dubium ſit, alios ex iis provecta jam ætate, alios adoleſcentes, alios pueros ad Chriſti cognitionem adductos eſſe, præſtat *Patrum* appella-

pellationem de illis, qui maturiorem ætatem habuerunt, ſive Chriſtum viderint, ſive minus, accipere.

γράφω ὑμῖν, νεανίσκοι) *Juvenum* nomine recte virilis quoque ætatis homines intelligas, quemadmodum eos, qui modo *Patrum* nomine ſunt appellati, non de *viris* ſpeciatim, ſed & *ſenibus* accipere fas eſt. Viros vero, h. e. ætate maturiores, *νεανίσκους* appellatos eſſe ex eo patet, quod milites hoc nomine *Joh.* XIV. 51. inſigniuntur. Inter hos enim non juvenes ſolum, ſed & adultiores cooptatos eſſe conſtat. Hos Apoſtolus ait, *νενικηκέναι τὸν πονηρὸν*, non ſine alluſione quadam ad vocem *νεανίσκους* facta, quippe quæ priori illi ratione ſoni adfinis eſt, & vires vegetas infert.

γράφω ὑμῖν παιδία) *Codices* quidam h. l. habent *ἔγραψα*, quod etiam *Syrus* & *Æthiops* exprimunt. Atque id mavult D. *Joachimus Langius* in Commentario Latino ad hanc epiſtolam, ita quidem, ut initium commatis 14. ab his verbis fieri debere cenſeat. Rationem ita ſentiendi hanc adfert, quod ab his verbis incipit trium præcedentium membrorum repetitio, quandoquidem v. 12. per *τεκνία* denotentur *παιδία*, quæ v. 13. appellantur. Cumque in repetitione reliquorum duorum membrorum itidem legatur *ἔγραψα*, eandem lectionem etiam h. l. putat præferendam. Admitti hæc poterant, modo conſtaret, per *τεκνία* v. 12. *παιδία*, quæ v. 13. appellantur, indicari. Jam vero ſatis mihi oſtendiſſe videor, per *τεκνία* credentes, ad quos ſcribebat Apoſtolus, generatim indicari. Accedit ad hæc, quod, hoc poſito, conſtat, Joannem non mutare ætatum ordinem. Ex illis enim *τεκνίοις* primum *ſeniores*, deinde *juvenes*, denique *pueros* compellat. Hoc præſtructo fieri non poteſt, ut pro *γράφω ὑμῖν παιδία* legamus *ἔγραψα ὑ. π.* Nihil enim fuerit in antecedentibus, quod ad *παιδία* ſpeciatim ſcripſerit, cum illud, quod v. 12. legitur, ad omnes ſpectet. Porro ipſa repetitio oſtendit, Apoſtolum initium ejus non facere a *τεκνίοις*, v. 12. tanquam *παιδίοις*, ſed a *πατράσι*. Si enim ad *τεκνία* v. 12. reſpexiſſet, ſcribere debuiſſet: *ἔγραψα ὑμῖν παιδία, ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι.* Jam vero ſcripſit: *γράφω ὑμῖν παιδία, ὅτι ἐγνώκατε τὸν πατέρα*, adeoque aliud adfert prædicatum, quam quod v. 12. exſtat. E contra duo illa membra, quæ ad *Patres* & *juvenes* v. 13. referuntur, eadem ratione repetuntur v. 14. Itaque manifeſtum eſt, ea, quæ v. 12. ad *τεκνία* dicuntur, ad univerſos, non autem ad *παιδία*, ſeu pueros, pertinere. Exceperis forte, hac ratione tertium membrum, quod *παιδία* ſpectat, prorſus omitti. Et ita res omnino habet, cujus rationem mox ad v. 14. reddemus. Itaque, ut finem dicendi faciam, ipſa illa lectio *ἔγραψα* ex eo nata videtur, quod nonnulli prave exiſtimaverint, tria illa membra v. 13. ex hodierna eaque vera interpunctione conjuncta, v. 14. repeti debere.

ὅτι ἐγνώκατε τὸν πατέρα) Lege & mirare, qua ratione *Artemonius* pag. 346. ex eo, quod hic *filiolis*, ſeu infantibus cognitio Patris, Patribus autem cognitio Jeſu Chriſti tribuitur, efficere conetur, per τὸ, ἀπ' ἀρχῆς Evangelii principium intelligi debere. Acumen ejus fateor me non ſatis adſequi, ſive ingenii vitio hoc tribuendum ſit, ſive dicta ejus non ſatis cohæreant, nec ſcopum feriant. Itaque ab illis expendendis abſtineo. Id quidem perſpicuum mihi eſt, *Patribus*, tanquam ætate provectioribus, cognitionem ejus, qui ante omnem *ætatem* fuit; *juvenibus*, tanquam vegetis & robuſtioribus victoriam de hoſte peſſimo; *filiolis* autem cognitionem Patris, tanquam qui primum omnium Parentes ſuos familiariter ſibi cognitos habere ſoleant, adſignari. Tantum abeſt, ut ex mente Apoſtoli cognitio Patris cognitione Jeſu Chriſti facilior exiſtimari debeat, eaque propterea *filiolis* tribuatur, quæ *Artemonii* l. c. opinio eſt.

Verſ. 14. Ἔγραψα ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς) Deſunt hæc in duobus *codicibus* & *Vulgato* quoque, fortaſſe ex incuria librariorum, qui ex priori hoc ἔγραψα ad alterum, quod mox ſequitur, incaute oculos converterunt. Si enim hanc ſententiam pro ſuperflua habuiſſent, quod *Millius* ſuſpicatur, probabile ſit, eosdem ſimiliter ſequentem fuiſſe omiſſuros, quæ tamen in ipſis illis codicibus exſtat. Audacior eſt conjectura *W. Wallii*, in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 370. exiſtimantis, repetitionem harum ſententiarum, totiusque adeo commatis, ex varietate lectionum natam eſſe, quæ primum ad marginem ſcripta ſit, inde vero, ſuccedente tempore, in contextum irrepſerit. Certe, ſi hæc repetitionis cauſa fuiſſet, fieri non poterat, quin aliquot ſaltem codices comma 14. penitus omitterent. Jam vero omnes & libri & verſiones in hoc conſentiunt, ſi excipias duos illos & *Vulg.* in quibus ipſis tamen ea tantum, quam modo dixi, ſententia deſideratur. Taceo, poſtremam ſententiam: ἔγραψα ὑμῖν, νεανίσκοι, ὅτι ἰσχυροί ἐστε, καὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καὶ νενικήκατε τὸν πονηρὸν, non nude ſuperiora repetere, ſed ea potius, additis victoriæ reportatæ cauſis, & illuſtrare & firmare. Hoc ipſum argumento eſt, totum illud comma æque ac prius ab Apoſtolo eſſe profectum. Neque vero obſcurum eſt, cur Apoſtolus hæc denuo inculcare voluerit. Id enim omne eo pertinet, ut intelligerent, neceſſe eſſe, ut hujus cognitionis ſuæ & victoriæ jam reportatæ perpetuo meminerint, aptiores hoc modo futuri ad curam & amorem rerum ſæcularium eo conſtantius a ſe amoliendum. Id enim commate proxime ſequenti urgetur. Alias cauſas recitat *Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 595. ſeqq. Videndum nunc eſt, cur in hoc commate παιδίων non fiat iterum mentio, ſicut πατέρων & νεανίσκων. B. *Calovius* noſter hanc reddit rationem, quod ſub νεανίσκων nomine etiam παιδία comprehendantur, & eadem opera innuatur, omnia illa prædicata, quæ de ſingulis, nempe *Patribus*, *juvenibus* & *parvulis* ſigillatim attulerat

 Apo-

Apoſtolus, ad omnes generatim pertinere, nec uni tantum eorum generi propria eſſe. Fortaſſe etiam dici poterat, *parvulorum* mentionem ideo heic omiſſam eſſe, quod ad illos proxime ſequens admonitio de amore rerum ſæcularium, ad quam inculcandam antecedentia illa inprimis referebantur, non adeo pertineret, cum illi cupiditatibus ejusmodi non æque ac provectiores & adultiores ducantur. Ita v. c. Dominus noſter *Matth.* XVIII. 2. diſcipulis ſuis *παιδίον* repræſentat, cujus exemplum in fugiendo vanæ gloriæ ſtudio imitando exprimere debeant.

Verſ. 16. *Οτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τῦ βίυ*) Tria hæc ſtudiorum genera, quibus homines ſæculares inprimis indulgent, interpretes recte de *voluptatibus, divitiis*, & nominis *gloria* accipiunt. Eadem vero tanquam palmaria, & inprimis cavenda externi quoque Scriptores commemorant. Ita *Lucianus* in Hermotimo pag. 502. *ὐ γὰρ ὔτε χρυσίον ἔτι, ὔτε ἡδονὰς, ὔτε δόξας ὁρῶσιν, ὡς διαφέρεσθαι περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ πάλαι τῆς πόλεως ἐξεληλάκασιν αὐτὰ, ὐχ ἀναγκαῖα ἡγησάμενοι ξυμπολιτέυεσθαι. Neque enim aurum, neque voluptates, neque honores ſpectant, ut de ipſis contendant; verum jam olim hæc rati non neceſſaria ad civilem ſocietatem, urbe expulerunt.* Obſervavit locum *Lambertus Bos* in Exercitationibus pag. 289. qui & ſimilem illi in Reviviſcent. pag. 417. videre jubet. Alia ejusmodi ex profanis adferunt *Grotius* ad h. l. *Jo. Alb. Fabricius* ad Sextum Empiricum pag. 317. & *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 752. *Trinum* hoc *mundi numen*, quod *Joannes Baptiſta Mantuanus* ſcite appellat, etiam in aliis Scripturæ locis notari, v. c. *Matth.* IV. 3. *Marc.* IV. 19. *Philipp.* III. 9. & *Deuteronom.* XVII. 16. 17. monuit doctiſſimus *Heumannus* in Poecile Tom. I. pag. 326. Compara præterea *Jacobi Thomaſii* diſſertationem de tribus vitiis cardinalibus, quæ exſtat Tomo IV. Obſervationum Hallenſium, Obſervat. V. & *Buddei* Theologiam Moralem Parte I. cap. I. Sect. IV. §. 40. ſeqq. Judæi quoque tria potiſſimum vitia, nempe *zelum, concupiſcentiam* & *ambitionem* hominem e mundo educere ajunt in *Pirke Avoth* IV. 21. quod obſervatum eſt *Schœtgenio.* Conſtat alias, *ſeptem* vitia palmaria ab aliis voce *Saligia*, i. e. *Superbiam, avaritiam, luxuriam, iram, gulam, invidiam*, & *acediam* deſignari, de quibus idem *Thomaſius* loc. cit. *Quatuor* video numerari a *Tito Boſtrenſi* lib. I. contra Manichæos pag. 34. Codicis MS. quem Bibliotheca Hamburgenſis publica ex legato Holſteiniano ſervat. *Τέσσαρα* ait eſſe *ἰιδη τῆς κακίας, ἀφροσύνην, ἀκολασίαν, δειλίαν*, & *ἀδικίαν.*

καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν) *Avaritiam* hac phraſi indicari præ ceteris diligenter oſtendit *Oſiander* ad Grotium de Juro Belli & Pacis p. 1160. Confer *Vitringa* Obſervationes Sacras libro III. cap. VI. pag. 106. *Jacobus Guſſetius* in Commentar. Linguæ Hebr. rad. חמר pag. 264. alludi putat ad *Geneſ.*

Geneſ. III. 7. כי תאוה הוא לעינים, (quem locum etiam *Schœtgenius* huc adfert) ideoque eam objective ſumendam cenſet, ut non tam cupiditas ipſa, quam objectum oculorum cupidorum indicetur, inprimis cum Joannes illam in mundo collocet, non vero in homine, eamque cum mundo tranſire dicat; & hominem ſibi ab ea cavere jubeat. Malim tamen de cupiditate ipſa, qua homo in objecta illa fertur, accipere. Cupiditatem enim Apoſtolus a DEO eſſe negat: idem vero non dixeris de rebus, in quas homo pravo & nimio amore fertur. Hæ enim originem ſuam Deo, rerum omnium conditori, debent; quemadmodum ab altera parte inſanum earum ſtudium *mundo*, i. e. *corruptioni originali*, per quam totus in maligno eſſe dicitur V. 19., pravisque aliorum exemplis debetur. Neque obſtat, quod mundus hic interiturus dicatur cum concupiſcentia ejus. Quamvis enim interitus ille etiam ad objecta concupiſcentiæ ſeu irritamenta malorum pertineat, tanquam ſuo tempore peritura, idem tamen (interitus) etiam ad hominem, ea concupiſcentem, refertur, ideo, ut a ſtudio illo hoc diligentius caveat. Id patet ex eo, quod Apoſtolus addit: *ὁ δὲ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, μένει εἰς τὸν αἰῶνα.* Ibi ſtudium voluntatis divinæ perficiendæ omnino opponitur pravo illi rerum ſæcularium ſtudio, tanquam ita comparato, ut hominem illi deditum aliquando deſerat, & hiantem deludat. Rectius itaque idem *Guſſetius* pag. 924. b. in Addendis *ἐπιθυμίαν τοῦ κόσμου*, de qua mox v. 17. ita exponit: *Hi affectus, poſtquam tempore ſibi conceſſo luxuriarint, interibunt.*

καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου) *& faſtus vitæ*, ut *Beza* & *Eraſmus Schmidius* convertunt, quorum poſterior in notis vocem ſpeciatim de vana & inani jactatione virium ſuarum, allato *Jac.* IV. 16., interpretatur, conſentientem *Seb. Schmidium* nactus. Horum veſtigiis ex parte inſiſtens Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 346. ſuſpicatus erat, vitium illud heic notari, quod *Jac.* IV. 16. caſtigetur, *cum quis vitam, cujus nequaquam penes ipſum eſt poteſtas, in longinquum tempus ſibi promittit.* Idem vero in Annotatt. *Polybianis* pag. 709. B. *Lutheri* verſionem **hoffärtiges Leben**, i. e. *ſuperbam vitam*, præfert, ſed ita, ut non tam *ambitio*, *gloria* & *faſtus*, quam *magnificus ſplendidusque apparatus & cultus vitæ* indicetur. Ita ait *Polybium* lib. VI. cap. 55. pag. 694. dicere *τοὺς βίους γίνεσθαι πολυτελεστέρους*, *luxum in mores irrepere*, vel, *vitæ rationem fieri ſumtuoſiorem*; & mox ſubjungere: *πρὸς δὲ τούτοις ἡ περὶ τοὺς βίους ἀλαζονεία.* Hic vero *ἀλαζονείαν* ait inferre luxum omnis generis, non in cultu ſolum, in veſtibus, domibus, villis, famulitio, ſupellectile & aliis; ſed etiam in victu tum quotidiano, tum quo in conviviis ſeſe oſtentant homines, ſplendoris cupidi. Idem alios *Polybii* in eandem ſententiam locos recitat. Eadem fere ratione phraſin hanc accepiſſe video *Joannem Andream Rothium* in commentatione vernacula, quam **Unterricht von der Chriſtlichen Freyheit in Kleidern und Schmuck** inſcripſit, & Lipſ.

Lipſ. 1713. 12. edidit. Ibi enim pag. 52. ἀλαζονείαν τȣ̃ βίȣ per *oſtentationem facultatum* ſuarum interpretatur, atque adeo vocem βί☉ de opibus & vitæ ſubſidiis accipit, quibus aliquis ad luxum faſtumque abutatur. Mihi quidem vox βί☉ vitæ rationem, qualis in hoc mundo agi a plerisque ſolet, indicare videtur, quo ſenſu *Lucas* VIII. 14. ἡδονὰς τȣ̃ βίȣ, appellat, quemadmodum ἀλαζονεία omnia illa complectitur, quæ faſtum animi vel juvant, vel produnt, ſive jam dignitates ſecteris, ſive divitias epulis oſtentes, ſive luxui in veſtibus indulgeas. *Cyrillus Alexandrinus* Homilia Paſchali XXVII. pag 315. ἀλαζονείαν, inquit, τȣ̃ βίȣ φησι τὴν τῶν ἀξιωμάτων ὑπεροχὴν καὶ τὸ ἠρμένον ὑψȣ̃ κατάγε τιμὴν καὶ δόξαν, *vitæ ſuperbiam vocat dignitatum eminentiam, & elationem ob honorem & gloriam.* Ἀλαζὼν ſcilicet hominem *arrogantem* ſeque jactantem denotat. Hinc *Heſychius* explicat per ὑπερήφαν☉, Paulus autem *Rom.* I. 30. ὑπερηφάνȣς & ἀλαζόνας proxime jungit, ſicut *Polybius* pag. 529. ſe nonnulla ait recitaſſe χάριν τῆς ἀλαζονείας τῶν ὑπερηφανέντων ἑαυτȣ̃ς, idemque p. 1234. *Polyaratum* ἀλαζωνικώτερον καὶ κενόδοξον, *hominem ad oſtentationem & inanis gloriæ ſtudium comparatum* appellat. *J. C. Dietericus* in Antiquitat. Biblicis Novi Teſtamenti pag. 76. ἀλαζονείαν ſtudium earum rerum notare cenſet, quæ in hac vita ſplendidiſſima videntur. Idem tres veteres jambos adfert, ita habentes:

> Ἀλαζονείαν ὄγκον οἶδα καρδίας
> Τῦφον δ' ἄναψιν, ἣν ἐγείρει κȣφότης
> Ὑπερήφαν☉ δ' ἔμοιγε καὶ φαντασίας.

Commemorare denique liceat, Anglum Anonymum in *treatiſe of the three evils of the laſt time*, Lond. 1711. 8. edito, ſtatuere, Deum *bellum, peſtem* & *famem* ultimis mundi temporibus pœnæ loco tribus illis vitiis eſſe immiſſurum. Vide *Acta Erud. Lipſ.* Tom. V. Supplem. pag. 453.

Verſ. 17. Καὶ ὁ κόσμ☉ παράγεται) De verbo παράγεται lege ſupra ad v. 8. Sententiam eandem Paulus exprimit 1 *Corinth.* VII. 31. ubi vide, quæ ſcripſimus. *M. Antoninus* mundum ſimiliter cum *flumine* comparat, ἐφ' ȣ̃ ςῆναι ȣ̓κ ἔξεςιν, *in quo conſiſtere non datur*, & ſubjungit: τί ἄν τις τȣ́των τῶν παραθεόντων ἐκτιμήσειεν; *quorum quis horum ſic præterlabentium quicquam in pretio habeat?* Adde eundem II. 17. IV. 43. & V. 23. nec omitte ſimilia veterum apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 753. Phraſi hac Joannem ad excidium Reipublicæ Judaicæ, tunc imminens, reſpexiſſe *Lampius* in Prolegomenis ad Evangelium Joannis ſuſpicatur pag. 106. ſine ulla tamen, ſi quid video, veri ſpecie. Eodem enim ſenſu vox κόσμ☉ ſumenda h. l. eſt, quo accipitur v. 15. μὴ ἀγαπᾶτε τὸν κόσμον. Quis vero ibi œconomiam Judaicam intellexerit, aut exiſtimaverit, Joannem adhortari illius ætatis Chriſtianos, ne Judaiſmo, a quo diſceſſerant, capi ſe iterum patiantur? Omitto alia.

καὶ

Digitized by Google

καὶ ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ) Similiter R. *Schemuel ben David* in libro: חסר שמואל fol. 7. 1. impios introducit profitentes, ſe ſecutos eſſe concupiſcentiam cordis ſui, בכל תאוות עולם הזה, *in omni cupiditate hujus mundi.* Vide *Schœtgenium.*

Verſ. 18. *παιδία*) Vox hæc h. l. ut & *Job.* XXI. 5. idem valet, quod *τεκνία*, *filioli*, & affectus tenerrimi indicium eſt, cum alias ſemper ad ætatem puerilem referatur, quod ad v. 13. monuimus. Confer *Kirchmaierum* de Parallelifmo dictionis N. T. & Polybii p. 59.

ἐσχάτη ὥρα ἐστὶ) *ultimum tempus eſt.* *Ὥραν* Græcis idem, quod *tempus definitum* eſſe, oſtendimus ad *Rom.* XIII. 1. Hoc vero cum nunc longius nunc brevius ſit, ex *περικειμένοις* judicandum eſt, quale a Scriptoribus indicetur. Heic quidem non breve aliquod intervallum, ſed periodum longiorem, quæ reſpectu aliarum antecedentium *ultima* dicatur, indicari plerique Interpretes ex argumento, de quo agitur, recte exiſtimant. Hebræi appellant אחרית הימים *dies poſteros*, de qua phraſi ſingulari olim diſſertatione commentatus, oſtendi, eam a Judæis frequenter de temporibus Meſſiæ eorumque decurſu uſurpari. Illa vero tempora ultima appellant, reſpectu habito ad illa, quæ *ante legem* & *ſub lege* acta fuerunt. Aliam rationem, cur Joannes periodum hanc, Antichriſto infamem, ultimam appellet, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica reddit Vener. *V. E. Læſcherus* in Decimis Evangelicis Parte IV. pag. 16. In omnia alia abeunt, qui hac phraſi excidium Hieroſolymitanum & interitum œconomiæ Judaicæ indicari volunt. Inter hos ſunt *Grotius* & *Hammondus* ad h. l. tum vero *Lightfootus* in Harmonia Novi Teſtamenti Tom. I. Operum Anglicanorum pag. 276. & 297. & *Lampius* in Prolegomenis ad Evangelium S. Joannis pag. 106. Nec aliter *Joſephus Medus* in Operibus Anglicanis pag. 663. *Per ἐσχάτην*, inquit, *ὥραν*, *nihil aliud puto indicari, quam imminentem tunc finem LXX. hebdomadum Danielis, ſimul vero cum eo proximum Reipublicæ Judaicæ interitum: & nonne ipſa hæc epiſtola hebdomade illa Danielis ultima ſcripta merito credetur, ſub cujus initium* Jeſus Ananiæ, *teſte* Joſepho, lib. VII. *de Bello Judaic. lugubri voce clamabat:* væ Hieroſolymis & templo? Ab his vero ex Anglis ipſis recte ex parte diſceſſit *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 580. contra *Grotium* & *Medum* ita diſputans: *Cum vero ἐσχάτη ὥρα nihil aliud ſit, quam καιρὸς ἔσχατος (nam* עת *indifferenter redditur ὥρα & καιρὸς) cumque quartum apud Danielem regnum ultimum ſit; tempus etiam illius regni ſignificari poteſt per ἐσχάτην ὥραν. Unde illud* S. Joannis 1. ep. II. 18. *hujusmodi ſenſum, ſuppoſito, prædictionem modo aliquantulum elliptico formatam eſſe, habere poteſt, nempe, quod tempus ultimum in quatuor Regnorum Kalendario* Danielis, *h. e. regnum ultimum tunc labebatur, quod eſt Romanum, durante quo cornu parvulum, quod hic appellatur* Antichriſtus, *in ſcenam erat aſcenſurum. Hic eſt ὁ ἀντίχριστος, inquit ille*, inſi-

 gnis

gnis ille Anti-Chriſtus, *quem ex* Daniele *accepiſtis venturum eſſe*, *verum illius adventus* majori temporis ſpatio diſtat. *Ut igitur ea loquar*, *quæ propius ad vos ſpectent*, *etiam nunc multi* Antichriſti *cœperunt eſſe*, *quos non* Daniel *quidem*, *ſed ipſe Servator venturos prædixit*, *unde* rurſus *intelligimus*, horam ultimam *eſſe*, *non autem quatuor regnorum Danielis*, *ſed Reipublicæ Judaicæ*, *quemadmodum prædixit Dominus*. *Vel brevius ſic*: Filioli, ultima hora eſt, *h. e. quatuor regnorum ultimum*, Romanum *ſcilicet*, &, *quemadmodum audiviſtis*, inſignem *illum* Antichriſtum *tunc venturum eſſe*, *videlicet*, *in ultima hora*; *ita & nunc in ultima hora Politiæ* Judaicæ *multi ſane ſunt* Anti-Chriſti. *Unde certo colligere poſſumus*, *ultimam illius eſſe horam*, *multis iſtis* Antichriſtis *ſecundum prædictionem*, *hanc horam ultimam comitantibus*, *quemadmodum unus ille* inſignis Antichriſtus illam *demum eſt concomitaturus*. Deſcribenda hæc putavi, tanquam talia, quæ non inſcite oſtendant, quo ſenſu, ſi quidem id tempus ſcriptæ hujus epiſtolæ pateretur, *ultimum* illud *tempus* hinc de imminente Judæorum exitio, hinc de futura aliquando Eccleſiæ per Antichriſtum illum magnum corruptione accipi poſſit. Alterum ſcilicet alterius typus erat futurus. Illuſtrari hæc poſſunt exemplo vaticinii duplicis, quod Dominus noſter Matth. XXIV. conjunxit, primum de excidio Hieroſolymorum, & fine Politiæ Judaicæ, deinde vero de fine totius mundi præcipiens. Parum ab his abit Corollarium, quod inter cetera ſubjectum video B. *Joannis Fechtii* Hiſtoriæ Caini & Abelis, Roſtoch. 1704. diſputationis loco editæ. Ibi enim phraſis ita explicatur: Filioli mei, *Judæi*, *quos ab amore hujus mundi variis argumentis dehortatus ſum*, *nunc aliud addo*, extrema hora eſt. *Imminet πανολεθρία Reipublicæ Judaicæ*, *quam devaſtabunt Romani*. *Audiſtis ex Pauli epiſtolis*, quod ſub finem mundi Anti-Chriſtus *magnus* venturus ſit. *Et nunc quoque* Antichriſti multi facti ſunt, *quod pariter indicio vobis eſſe debet*, *veſtræ Reipublicæ finem in propinquo eſſe*. In eandem fere, quam *Medus* expoſuit, ſententiam verba hæc interpretatur *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 371. Accipe nonnulla ejus ex Anglico Latine converſa: Εσχάτη ὥρα, inquit, *non ſolum ultimam mundi ætatem*, *Meſſiæ ſcilicet illam*, *quæ alias* μέλλων αἰών, & Hebr. I. 1. ἐσχάταις ἡμέραις *appellantur*, *ſed & corruptionem ejus in pejus denotat*, & *quemadmodum de Antichriſto*, *tanquam ultimis temporibus venturo*, *vaticinia exſtant*, *jam initia Antichriſtianiſmi conſpiciuntur*, *ſicut* Paulus *pronunciavit*: myſterium iniquitatis jam operatur. *Sicut vero Paulus his verbis non indicavit*, *apoſtaſiam illam magnam jam exſtare*, *ſub cujus finem* dies ille *erat exſpectandus*, *ſed tantum quædam ejus* præludia *obſervari*; *ita* S. Joannes, *dicens*, multi jam ſunt Antichriſti, *non ſignificat*, *Antichriſtum illum magnum jam adveniſſe*, *ſed ejus* prodromos *potius ejusdem ſcilicet conditionis & inſtituti*, *quod inſignis ille aliquando ſit probaturus*. Idem in ſequentibus *Grotii* & *Hammondi* ſententiam confutat. Neque illa admitti poteſt, cum & phraſi ipſi ἐσχάτη ἡμέρα ex uſu Scripturæ non reſpondeat,

&

& præterea illud præſtruat, epiſtolam hanc Joannis ante excidium Hieroſolymitanum exaratam eſſe. Id vero ut ex epiſtola ipſa adhuc probari non potuit, ita veterum traditioni adverſatur, quæ epiſtolam hanc a Joanne ſene admodum ſcriptam eſſe contendit. *Lampius* ipſe, quamvis eandem ſententiam tueatur, l. c. tamen candide in notis p. 106. profitetur, argumenta a *Grotio* & *Hammondo* allata, rem non conficere. Nos vero oſtendimus, nec ea, quæ *Lampius* pro illa ex cap. hoc II. v. 7. 8. & 17. attulit, majori robore eſſe inſtructa.

Non ita pridem Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1057. rectiſſime monuit, ἐσχάτην ὥραν nec de ultimis Reip. Judaicæ temporibus, quia templum tunc jam vaſtatum erat; nec de fine mundi, qui nondum adſit, intelligi poſſe. Vereor tamen, ut ſuam ſententiam multis probet vir doctus, per quam ἐσχάτην ὥραν, *periculoſa, peſſima* & *abjectiſſima* tempora, qualia tunc fuerint, indicari eo modo cenſet, quo alias *ultima* & *extrema* pati homines dicantur. Non exiſtimem, illam vocis ἔσχατος, inprimis ſi de *tempore* dicatur, ſignificatum ullo ex Novo Fœdere vel Scriptoribus aliis exemplo adſtrui poſſe. Ἐσχάτη ὥρα non alia eſt, quam ἐσχάται ἡμέραι 2. *Timoth.* III. 1. *Hebr.* I. 2. *Jac.* V. 3. vel καιρὸς ἔσχατος 1. *Pet.* I. 5. aut ἔσχατοι χρόνοι, ib. v. 20. &c. *Periculoſa* aut *peſſima tempora* Paulus 2. *Tim.* III. 1. χαλεποὺς καιροὺς appellat, qui ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται, quo ipſo ἐσχάται ἡμέραι a καιροῖς χαλεποῖς tanquam *continens* a *contento* clare diſtinguuntur.

καὶ καθὼς ἠκούσατε, ὅτι ὁ Ἀντίχριστος ἔρχεται) ὅτι deeſt in *Alexandr.* uno, *nec male*, judice *Grotio*. Male vero id omitti recte ſtatuit *Whitbius*. Scilicet *Grotius* ita ſtatuit in gratiam ὑποθέσεως ſuæ de Antichriſto mox venturo, quæ non ita probabilis videri poterat, ſi τὸ ὅτι interjiceretur, tanquam index, fore aliquando, ut Anti-Chriſtus, jam prædictus, exiſtat. Longior forem, ſi diverſas de Antichriſto ſententias enarrare aggrederer. Opera hac perfuncti ſunt illi, qui Inſtitutiones Theologiæ Dogmaticæ ſcripſerunt, quibus addi velim Vener. *Laſcherum* & *B. P. Karlium* locis mox citandis, ubi inſolentior quædam ſententia confutatur. Hæc vero eſt *Hermanni Hardtii*, Profeſſoris Helmſtadienſis. Hic enim diſſertatione quadam gallice an. 1706. 8. edita, & *l'Antichriſt* inſcripta probare inſtituit, per Antichriſtum heic, ut & infra cap. IV. itemque 2. *Theſſalon.* II. 2. ſqq. commemoratum, *nationem Judaicam* ſignificari. Cave, putes, ſententiam hanc prorſus novam eſſe. Eandem enim jam amplexus erat *Lightfootus* in Harmonia N. T. Tom. I. Opp. Anglican. pag. 297. Verba Pauli 2. *Theſſal.* II. 8. interpretaturus: *Verum eſt*, inquit, *hic indicari Romanum* (Antichriſtum) *ſicut* Chaldæus (Paraphraſta, *Jeſ.* XI. 4.) *&* *Theologi Proteſtantes*, *præeunte Joanne in Apocalypſi*, *interpretantur*: *ſed primo tamen loco & ſenſu primario*

 natio

Digitized by Google

natio Judaica *intelligenda eſt*, *quæ ſe* Antichriſtum *probavit æque ac* Roma *unquam*, *imo etiam ante Romam* &c. *Sicut Judæi & Romani ſocias operas in cæde Chriſti collocarunt; ita in* Antichriſti *negotio heic junguntur*, *quamvis Judæi primo loco ſignificentur. Vide* v.7. *ubi Apoſtolus ait*, myſterium iniquitatis jam operari, *eo nempe tempore*, *quo epiſtolam hanc ſcribebat; quod non niſi de gente Judaica commode accipi poteſt. Eadem vero ratione negotium hoc iterum iterumque explicatur* 1. Joan. II. 18. & IV. 3. *item* 2. Joan. v. 7. Hoc tamen inter *Lightfooti* & *Hardtii* ſententiam diſcrimen intercedit, quod ille Judæos quaſi prodromos Antichriſti venturi ſiſtit, hic vero in Judæis ſimpliciter acquieſcit. Hanc vero ejus opinionem data opera repulerunt Vener. *Val. Ern. Læſcherus* in Exercitat. Theolog. qua *recens portentum exegeticum*, *Antichriſtum eſſe nationem Judaicam*, *examinatur* Vitemberg. 1707. & *B. P. Karlius* in Obſervat. de Antichriſto non Judaico, quaſi jam dudum cum Republica Judæorum abolito, quæ exſtat in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 799. *Læſcherus* quod ad hunc Joannis locum §. 27. ita recte diſputat: *Repugnat hominis invento primo tempus ſcriptæ hujus epiſtolæ, quæ communi Patrum conſenſu, conſentientibus etiam temporum rationibus, poſt excidium Hieroſolymit. & diſperſionem Judæorum confecta publicataque eſt, nulloque adeo pacto de iis, quæ ante cataſtrophen illam geſta ſunt, tanquam de futuris diſſerere poſſet; deinde Joannis ipſius verba, qui* v. 19. *de illis, quos Antichriſti nomine inſignitos voluit, ita loquitur:* fuerunt ex nobis. *Quis vero Chriſtianorum, nedum Apoſtolorum, diceret, Judæos, Chriſtiani nominis hoſtes deploratiſſimos, ex ſuis fuiſſe. Hæc* ἀποτόμως *adeo hoc ſomnium refellunt, ut a prolixiori examine ſuperſedere poſſimus.* Unum eſt, quod addam. *Vidalius* in libro gallico, quem *l'Egliſe Romaine pleinement convaincuë d'Antichriſtianiſme* inſcripſit, oſtendit, ſi verba Apoſtoli de Judæis, tanquam Antichriſti præcurſoribus, accipiantur, vel ſic tamen Antichriſtum aliquem inſignem, tanquam olim venturum, promitti exiſtimandum eſſe. Interim ex dictis patet, non opus eſſe, ut illud diſſentientibus largiamur.

καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν) Quinam illi ſint Antichriſti plures illius ætatis, diſputatur ab Interpretibus. Alii enim cum *Joſepho Medo* pag. 664. Operum Pſeudo-Prophetas intelligunt, qui Chriſto ſe tanquam vero Meſſiæ oppoſuerint, *unctionem*, i. e. mandatum, cœlitus ſibi ad docendos homines factum, jactantes, quales Dominus noſter apud Matthæum venturos prædixerit. Hos vero intelligi non poſſe comma ſequens indicat, quo ex Chriſtianorum eos numero antea fuiſſe ſignificatur. Neque video, quomodo hæc conciliari ſatis poſſint cum iis, quæ ipſe *Medus* ibidem p.900. in *Fragmentis Sacris* tradit. Ibi enim hæc Joannis verba, aliaque iis ſimilia explicaturus, ait, eum loqui de Simone Mago, Archihæretico, & diſcipulis *Menandro*, *Saturnino*, *Cerintho* &c. allatis in hanc cauſam veterum Scriptorum teſtimoniis. Et rectius utique illi agunt, qui & hos modo memoratos,

Digitized by Google

ratos, & alios, quorum in epiſtolis, ſpeciatim Paulinis, paſſim fit mentio, volunt intelligi. *Simonem* quidem *Magum* & *Nicolaitas*, quales nulli fuerint, male huc advocari *Campeg. Vitringa* libro I. Obſervationum Sacrarum cap. II. pag. 130. & lib. IV. cap. IX. §. 5. exiſtimat; neque tamen negat, *Simonem* aliquem alium, Gnoſticæ Theologiæ auctorem, ejusque diſcipulum *Menandrum* extitiſſe, ad quos, eisque ſimiles *Docetas*, Joannis verba referri poſſint. Vide eum lib. V. Obſervationum Sacrarum cap. XII. multis verbis hanc cauſam perorantem. Lege præterea ad hoc comma totum *Joannis Marckii* Exercitationes Exegeticas p. 788. ſqq.

Verſ. 19. Ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, ἀλλ' ὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, κ. τ. λ.) Vide *Jo. Winckelmanni* Diſputat. Tomo VI. Gieſſenſium p. 89. ſeqq. & *Vitringam* loco modo citato p. 155. qui recte hinc conficit, de *Chriſtianis impoſtoribus*, non de *Judæis* heic loqui Apoſtolum.

Verſ. 20. Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τῦ ἁγίυ, καὶ οἴδατε πάντα) Explicarunt hæc ex noſtratibus diſputationibus ſingularibus *Fridem. Bechmannus* de unctione Chriſti ſpirituali, Jenæ 1694. *Joannes Franciſcus Buddeus* de unctione ſacra Novi Teſtamenti, ibidem 1729. *A. C. Heumannus* in Programmate, quod recuſum eſt in *Bibliotheca Bremenſi* Claſſ. IV. pag. 991. ſeq. *J. G. Neumannus* in diſſertatione de unctione omnia docente contra ψευδερμηνείαν *Barclaji*, Witteberg. 1694. edit. & ibid. 1703. & 1718. recuſa, item in Programmatibus Academicis pag. 192. de unctione fanatica & vere Chriſtiana; *Ægidius Strauchius* de ſpirituali fidelium unctione, Gedani 1672. & 1688. & *Fridericus Weiſe* in Programmate de unctione. Abuſum dicti hujus fanaticum, qui in contemtum miniſterii ſacri, & in oſtentationem luminis cujusdam extraordinarii vergit, præter *Neumannum*, caſtigavit & amolitus eſt *Valentinus Erneſtus Læſcherus* in Decimis Evangelicis, Decade II. pag. 27. ſeqq. Ex Pontificiis, ſed cum delectu, legi poterit *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo I. lib. IX. cap. VI. §. 12. & Tomo V. lib. XI. cap. VIII. 1.

Particulam καὶ in limine hujus commatis *adverſative*, quam *copulative*, accipere malim, ut vere Chriſtiani opponantur illis, qui modo alio deflexiſſe dicebantur. *Vos vero* &c. Hanc vero τῦ καὶ notionem interdum eſſe paſſim in his *Curis* oſtendi. Adde Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti pag. 165. Quod ad χρίσμα attinet, aliena ſunt, quæ habet *Jacobus Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 34. *Veriſimile magis, Joannem huc* (nempe ad oleum, quo athletæ ante certamen ungi & corroborari ſolebant) *alluſiſſe, cum de lucta & certamine cum Antichriſtis & ſeductoribus*, 1. epiſt. II. 19. & 26. *agens proximo utrobique commate unctionis meminit, qua corroborandi in hoc certamine, quaſi ſpirituales athletæ.* Idem vult *Samuel Tennulius* ad Frontini Strategem. I. 2. pag. 20. ſeq. & ex parte *Alexander Morus*, de quo

 mox

mox ad v. 27. Nulla heic luctæ mentio fit, multo minus ad eam ſubeundam cohortatio. Tota dicendi ratio ex antiquitate Hebræorum & phraſibus Scriptorum utriusque Fœderis illuſtranda eſt, quod diligenter in diſſertatione B. *Buddei* modo allegata præſtitum video. Interim optime illi agere videntur, qui per χρίσμα Spiritum Sanctum cum donis gratiæ ab eodem communicatis intelligunt. Hic enim *unguentum* diſerte vocatur *Pſalm.* XLV. 8. eoque unctus dicitur *Chriſtus* Luc. IV. 18. & *Actor.* X. 38. Hunc credentes ἔχειν ἀπὸ τȣ̃ ἁγίȣ habere h. e. accepiſſe & poſſidere a *Sancto* dicuntur, per quem Chriſtus ex *Dan.* IX. 24. & *Luc.* I. 35. intelligendus eſt, qui illum promeruerit *Joh.* XV. 26. & in corda credentium a Patre mittat. Neque mirum videri cuiquam debet, ſic nomen appellativum & quaſi abſtractum pro concreto poni. Id enim Scriptoribus utriusque linguæ frequens eſt. Ita *Virgil. certamen* pro *certatore* dixit. Vide *Joannis Schulzii* Florum Sparſionem pag. 129. ſeq. & quos ille citat, *Lucam Fruterium* Veroſimil. II. 13. *Salmaſium* ad Lampridii Heliogabal. cap. 25. & *Gronovium* in Livium XXVI. 51. Nihil refert, ſive per *unguentum*, quod *Grotius* & *Schœtgenius* malunt, ſive per *unctionem*, quod plurimi faciunt, convertas. Utramque enim notionem, quamvis priorem illam primario, infert. Græci Interpretes *Exod.* XXV. 6. & XXIX. 7. itemque alias, promiſcue nunc ἔλαιον χρίσεως, nunc ἔλαιον χρίσματος dicunt, atque adeo χρίσιν, quæ proprie *unctionem* denotat, & χρίσμα eodem loco habent. Taceo, Spiritum Sanctum, ubi inſtar *unguenti* eſt, *unctionem* ipſam i. e. communicationem donorum gratiæ ſecum ferre.

καὶ οἴδατε πάντα) *Scitis omnia*, quæ ut homines a Spiritu Sancto uncti doctique ſcire tum ad ſalutem, tum ad cavendos illos ſeductorum & Antichriſtorum errores, ſcire debetis. Ad falſos enim illos doctores, cujuscunque generis fuerint, heic reſpici exiſtimem, qui ſublimia quædam ἄτερ γραφῆς jactare, & aliorum prudenti ſimplicitati illudere ſolebant. Celeb. *Heumannus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 992. ſeqq. hac phraſi calumnias tum paganorum, tum *Gnoſticorum* notari & refelli exiſtimat. Gentiles enim, teſte *Minutio Felice*, in Octavio cap. V. 4. & XII. 7. Chriſtianos vocarunt *ſtudiorum rudes*, *literarum profanos*, *expertes artium*, *indoctos*, *impolitos*, *agreſtes*, *ne ad civilia quidem intelligenda*, *nedum ad diſſerenda divina*, *idoneos*. *Gnoſtici* autem a γνώσει, ſeu ſcientia appellati, indice *Tertulliano*, de Præſcript. adv. hæreticos cap. 23. ipſorum *Apoſtolorum ignorantiam ſugillare* auſi ſunt.

Verſ. 21. καὶ ὅτι πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας ȣ̓κ ἔστι) i. e. noſtis nullum mendacium eſſe ex veritate. πᾶν ȣ̓ idem eſt, quod ȣ̓δὲν, non Hebraica tantum, ſed Græca etiam dicendi ratione, Scriptoribus familiari. Vide Cl. *Georgii* Vindicias pag. 315. De re ipſa lege D. *Haſerungii*, Theologi Witte-

Wittebergenſis, programma, Wittebergæ 1715. editum, & in *Gabrielis Terne* Sylloge Programmatum p. 802. ſqq. recuſum.

Verſ. 22. *Τις ἐςιν ὁ ψέυςης, ἐι μὴ ὁ ἀρνὄμενος, ὅτι Ιησὄς ὄκ ἔςιν ὁ Χριςὸς*) Atticos verbis negantibus eleganter ſuperaddere negandi particulam, quæ & h. l. adeſt, ut idem ſit, quod *ἀρνὄμενος εἶναι*, oſtendit Cl. *Alberti* pag. 470. Obſervationum. Sic *Lucian.* Dial. Mort. pag. 293. *ὄκ ἂν ἔξαρνος γένοιο, μὴ ὄκ ἐμὸς ὑιὸς εἶναι*, *non inficiaberis, te filium meum eſſe.* Confer, quos idem allegat, *Lambertum Bos* Exercitation. ad *Hebr.* XII. 19. & *Jac. Perizonium* ad Ælian. Var. Hiſt. p. 287.

ὄτός ἐςιν Αντίχριςος) Cl. *Alberti* l. c. *ἀντίχριςον* non ſolum eum dici, qui *ἐναντίος* ſit *τῷ Χριςῷ*, ſed &, qui ſe *ἀντὶ Χριςὄ*, *Chriſti vice* gerat, obſervaverat, allato loco *Ariſtophanis* ex Equitib. Act. III. Sc. 1. pag. 332. *ἐγὼ γὰρ ἀντὶ λέοντος ἐιμί σοι*, cui ſtatim populus reſpondet: *καὶ πῶς μ' ἐλελήθεις, Αντιλέων γεγενημένος.* Hunc vero locum huc parum quadrare admonitum erat in Tomo IX. Supplementorum Actorum Eruditor. Lipſienſ. pag. 18. Ad hæc vir doctus reſpondet in calce præfationis ad Periculum Criticum. Adde eadem Supplementa pag. 373. *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 581. itidem talem heic impoſtorem ſignificari exiſtimat, qui non nude neget, *Jeſum eſſe Chriſtum*, h. e. magnum illum *Regem*, *Sacerdotem*, ac *Prophetam*, a Deo miſſum, ſed qui præterea ſe ipſum Chriſtum faciat, vel in ejus locum ſe ingerat. Hoc ſenſu ait dici poſſe, *Barcochab* innui, quem *Grotius* vult; modo non negetur, ſimilem aliquem ſimul ſignificari, qui inpoſterum Eccleſiam Chriſtianam ſit turbaturus. Non facile hoc admiſeris, ſi memineris, de illis hominibus ſermonem eſſe, qui a Chriſtianis diſceſſerant. Neceſſe potius eſt eos intelligi, qui tunc temporis ejusmodi doctrinas invehebant, quæ tum in perſonam Chriſti *θεανθρώπȣ*, tum in officium ejus mediatorium erant injuriæ. Id ab Interpretibus tantum non omnibus oſtenſum eſt. Confer *Amelii* Erörterung, Parte I p. 354. Quomodo hodienum Pontificii dici poſſint negare, *Jeſum eſſe Chriſtum*, Vener. *V. E. Læſcherus* in Decadibus Evangelicis, Decade IV. pag. 369. oſtendit.

Verſ. 23. *Πᾶς ὁ ἀρνὄμενος τὸν ὑιὸν, ὀυδὲ τὸν Πατέρα ἔχει*) His verbis codices pluſculi, verſiones quoque, & Patres nonnulli ſubjungunt ſequentia: *ὁ ὁμολογῶν τὸν ὑιὸν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει.* Vide *Joannis Morini* Exercitationes Biblicas pag. 39. & *Millium* ad loc. *Eſtius* quidem ea ex Græcis codicibus excidiſſe putat ob *ὁμοιοτέλευτον* ſententiæ utriusque, quod efficere potuit, ut librarii oſcitantis oculus in poſterius *ἔχει* converteretur. Idem ex noſtratibus perſuaſum ſibi habet *C. M. Pfaffius* in Diſſertatione de variantibus lectionibus Novi Teſtamenti. Alii tamen rectius pro interpretamento habent. Inter hos eſt *Millius* in Prolegom. §. 708. ad ejusmodi probanda

&

Digitized by Google

& recipienda alias proclivior. Nec *Whitbius* in Examine pag. 80. diſſentit, ſuſpicatus additamentum hoc ex *Joh.* VIII. 19. natum eſſe: ἐι ἐμὲ ἤδειτε, καὶ τὸν πατέρα μȣ ἤδειτε ἄν.

Verſ. 24. Ὑμεῖς ȣ̓͂ν, ὃ ἠκȣ́σατε ἀπ᾽ ἀρχῆς, ἐν ὑμῖν μενέτω) De ſtructura vocis ὑμεῖς vide mox ad v. 27.

Verſ. 25. τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον) Phraſis ſolœca videtur *Leonardo Twelſio* in Vindiciis Apocalypſeos pag. 115. cum reſpectu phraſeos antecedentis, καὶ ἄυτη ἐςὶν ἡ ἐπαγγελία, ſcribi debuiſſet: ζωὴ αἰώνιος. At recte jam monuit *Grotius*, phraſin hanc ſimilem eſſe illi: *Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt.* Hujusmodi vero plures in Scriptoribus utriusque linguæ exſtare paſſim in his *Curis* oſtendimus. Lege præterea de hoc commate *Seb. Schmidii* Collegium Biblicum pag. 409.

Verſ. 27. Καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα, ὃ ἐλάβετε ἀπ᾽ ἀυτȣ͂, ἐν ὑμῖν μένει) Cave & heic de Solœciſmo cogites, quem vox ὑμεῖς ob ſequens mox, ἐν ὑμῖν, referre videri poſſit. Vel enim ὑπέρβατον, Scriptoribus non inſuetum, agnoſcendum eſt cum *Eraſmo Schmidio*, ut ſenſus ſit, καὶ τὸ χρίσμα, ὃ ὑμεις ἐλάβετε κ. τ. λ. vel ex eorumdem Scriptorum more phraſis illuſtranda eſt, quo nominativus orationem exorditur, quamvis talia mox ſequantur, quæ cum illo contexi non poſſint. Ita *Philoſtratus* in Vita Apollon. lib. VI. 15. ἀφορμαὶ δ᾽ ὁπόσαι λόγων, τὰς μὲν ἀυτες παραδίδȣ, τὰς δ᾽ ἐγὼ δώσω, *materiam ſermonum partim tu ſuppedita, partim ego dabo.* Vide huc præſtantiſſimum *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis pag. 92. & ad *Joannis Olearii* librum de Stilo Nov. Teſt. pag. 268. Vertere etiam poſſis: *quod vero ad vos attinet*, ut nominativus ὑμεῖς abſolute poſitus dicatur. Hujusmodi locutionis exempla alibi attulimus. Adde ad h. l. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 662. Eadem phraſis ſupra v. 24. exſtat.

Quam inepte χρίσμα, h. l. commemoratum, ad Sacramentum confirmationis ſtabiliendum a Pontificiis abripiatur, oſtendit *Dallæus* lib. 1. c. 7. de Confirmatione.

καὶ ȣ̓ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς) Phraſin hanc totumque comma non patrocinari Miniſterii Eccleſiaſt. oſoribus ac fanaticis, genuinum autem veritatis & pietatis ſtudium excitare, & inſigniter promovere, ſingulari diſſert. oſtendit D. *Joachimus Langius* de Theodidaſcalia e Spiritus S. unctione proveniente Hal. 1712. quæ poſtea in Commentario ejusdem Lat. in hanc epiſtolam recuſa eſt. Hæc ut multa bonæ frugis continet, ita κυρίας quasdam δόξας inculcare & hinc ſtabilire fruſtra conatur. Confer D. *Friderici Meis* diſput. ad h. l. Schleuſing. 1705.

ἀλλ᾽

Digitized by Google

ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς) Pro *τὸ αὐτὸ* codd. quidam & verſſ. habent *αὐτȣ͂*, male utique & ex Græcis poſterioribus explicationis cauſa, quod recte monet *Millius* in Prolegom. §.601. *χρίσμα* eſt Spiritus S. quod ſupra v. 20. oſtendimus. De hoc in limine commatis locutus erat Apoſtolus, atque *idem χρίσμα* h. l. repetit emphatice. Pro *χρίσμα, πνεῦμα* habent codices duo, & *Æthiops* quoque, indice *Millio*, cui addes *Coptum* Wilkinſii. Argumento hoc eſt, & illos *τὸ χρίσμα* de Spiritu S. accepiſſe, quod & facit *Oecumenius : τὸ αὐτὸ χρίσμα, ἤτοι τὸ Πνεῦμα. Alex-Morus* ad h. l. idem eſſe vult, quod *ἀλείπτης*, ut *ad athleticam reſpiciatur. At quia*, ita pergit, *Dominum ἠλειμμένον dicunt Judæi, ne τὸν χριςὸν agnoſcant, dixit χρίσμα, quia χριςὴς non dicitur, ut σόφισμα pro σοφιςὴς, & πάλαισμα pro παλαιςὴς, auctores valde boni*; & Plinius *Solem* principale regimen naturæ *dixit, h. e. rectorem. Sed eundem retinuit ſenſum, quem ſi dixiſſet ὁ ἀλείπτης. Jam vero ἀλείπτης eſt* doctor, hortator, & *ἀλείφειν*, docere, hortari. *Solebant nimirum Aliptæ inter ungendum athletas condocefacere hortatu & conſilio juvare. Dictionarium Eccleſiaſticum : ἀλείπτης, συνήγορος. Optime, quaſi diceret παράκλητος, Spiritus S. Dei, cui opponitur κατήγορος*, Apoc. XII. 10. *ſpiritus malignus diaboli.* Vide cetera. Hæc erudite quidem, ſed infra ſublimitatem locutionis ſacræ, dicuntur, quam latius patere, & aliunde repetendam eſſe ſupra oſtendimus.

καὶ ἀληθές ἐςι, καὶ ȣ̓κ ἔςι ψεῦδος) i. e. *ψευδές.* Similiter *Polybius* p. 814. hoc ipſum *ſubſtantivum* loco adjectivi adhibuit, obſervante *Raphelio. Τὸ δ' ἐςὶ ψεῦδος, ſed hoc falſum eſt.*

καὶ καθὼς ἐδίδαξεν ὑμᾶς, μενεῖτε ἐν αὐτῷ) Pro *μενεῖτε codd.* pauci habent *μένετε*, quod & *Vulg.* & B. *Lutherus* noſter expreſſit. Præſtat vero prius. Mox enim v. 28. adhortatio ſequitur : *καὶ νῦν μένετε ἐν αὐτῷ.* Priori itaque *μενεῖτε* non tam adhortatio continetur, quam ſpes & fiducia Apoſtoli ſignificatur, fore ſcilicet, ut credentes ejuſdem Spiritus, qui eos docuerat, ope in doctrina accepta perſiſtant. Conf. *Philip.* I. 6. & 1 *Pet.* V. 10.

Verſ. 28. *Καὶ νῦν, τεκνία, μένετε ἐν αὐτῷ*) ſcil. *in Chriſto*: de hujus enim adventu ſtatim præcipit, tanquam argumento, quo permoveri debeant ad tenendam cum Chriſto, quem judicem aliquando habituri ſint, communionem. Alii ad *χρίσμα* referunt, minus convenienter, quod oſtendit etiam *Rich. Simon* in *Obſervationibus Novis* pag. 266. ſeqq.

ἵνα, ὅταν φανερωθῇ, ἔχωμεν παῤῥησίαν, καὶ μὴ αἰσχυνθῶμεν ἀπ' αὐτȣ͂) Spectat huc D. *Chriſtiani Frider. Bærneri*, Theologi Lipſienſis, Diſputatio egregia de *παῤῥησίᾳ* fidelium in die judicii, Lipſ. 1723.

CAPUT III.

Verſ. 1. Ἴδετε, ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ, ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν) Vide B. *Phil. Lud. Hannekenii* diſput. de præſtantia hominis ſecundum regenerationis genuinum ſtatum, Witteb. 1696. & 1702. item *Frid. Rappolti* aliam de filiatione renatorum. Lipſ. 1676. Adde *Seb. Schmidium* de Imagine Dei pag. 292. ſqq. & ex Pontificiis *Petavium* in Dogmatibus Tom. II. lib. II. cap. 10. & lib. VIII. cap. 7. §. 7.

Poſt κληθῶμεν codices nonnulli habent, καὶ ἐσμὲν, quod etiam *Vulg. Syrus* & *Æth.* exprimunt. Recte vero illud ex interpretamento, collato inprimis v. 2., natum arbitratur *Millius*, & antea *Pricæus*, qui vel κληθῶμεν retinendum, vel pro eo ὦμεν legendum, exiſtimat. At κληθῶμεν ſcriptum a Joanne fuiſſe, dubitari non poteſt, cum alioquin non pateat, unde hæc lectio nata ſit, & quomodo tot codd. in ea conſentiant, quæ altera illa ὦμεν procul dubio obſcurior eſt. Ab altera parte illud καὶ ἐσμεν a Joanne proficiſci non potuit, cum antecedens κληθῶμεν omnino per interpoſitum καὶ eandem verbi formam, atque adeo ὦμεν, poſtulet. Itaque per ſe ruunt *Emſeri* in B. Lutherum, qui voces illas in verſione ſua omiſit, criminationes, quas *Raithius* quoque pag. 597. Vindiciarum amolitus eſt. Ceterum καλεῖσθαι Græcis quoque Scriptoribus pro εἶναι, ut h. l., adhiberi a multis oſtenſum eſt. Vide, quæ diximus ad *Matth.* V. 6. &, confer ad h. l. Cl. *Albertium* pag. 34. Periculi Critici.

διὰ τοῦτο ὁ κόσμος οὐ γινώσκει ἡμᾶς) Pauci *Codd.* MSS. & Interpres Arabs habent ὑμᾶς, quod & in edd. aliquot, v. c. *Aldin. Froben. Colin. Eraſmi* tribus, & *Tigurina* exſtat, & B. *Lutherus* quoque expreſſit. Præſtat vero ἡμᾶς in prima perſona, a qua Apoſtolus incepit in verbo κληθῶμεν, & in qua v. 2. perſiſtit: νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν, &, οἴδαμεν δέ.

Verſ. 2. Ἀγαπητοὶ, νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν, κ. τ. λ.) Inſpice *Jo. Gvilel. Baieri* Analyſin & Vindicias dictorum Scripturæ S. illuſtrium Parte I. pag. 145. & *Lutkenii* Conciones Miſcellaneas pag. 241. ex Reformatis *Ludovic. Cappellum* in Opp. p. 245. b. *Cloppenburgium* Tomo I. Operum p. 738. & ex Pontificiis *Petavium* in Dogmat. Theologic. Tomo V. lib. II. cap. 11. §. 13.

καὶ οὔπω ἐφανερώθη, τί ἐσόμεθα) Quæ de futura beatorum conditione Scriptura tradidit, ea in ſummam refert *Vitringa* lib. III. Obſſ. Sacrar. cap. 20. ſub finem pag. 300. ac deinde ita pergit: *de ordine & œconomia illius ſtatus, ſicut etiam de ordine ceterarum rerum omnium, quæ nunc ſunt, ut illa ad Deum & nos in eo ſtatu referentur, nihil quicquam intelligimus diſtincte.*

Et

Et ſane memoratu dignum eſt, Chriſtum cariſſimo diſcipulo ſuo Joanni ea revelantem omnia, quæ in his terris acciderent, usque ad ultimi diem judicii, hoc tamen arcanum fere præteriiſſe ſilentio. Vt vero de illo æternorum gaudiorum & moleſtiarum modo nihil diſtincte percipimus, ſic quisque fidelis, qui conſilio Dei in his terris inſervit, multo adhuc magis ignorat, quæ ſua in illis gaudiis Domini futura ſit ſors &c.

οἴδαμεν δὲ, ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα) Hinc accepiſſe profanos animarum ſuarum ἀποθέωσιν, exiſtimat Cl. *Elsnerus* pag. 422. allatis, qui huc ſpectant, *Hieroclis* pag. 162. 226. & 228. commentarii in Aurea carmina, aliorumque locis. Cum vero inter Philoſophos paganos *Pythagoras* & *Plato*, cujus locum vir doctus ipſe ex *Diogen. Laërt.* III. 76. de illa ἐξομοιώσει τῷ θεῷ multo ante dixerint, hujus ſententiæ, quamvis admodum depravatæ, ſemina apud illos Hierocles aliique inveniſſe videntur.

Verſ. 3. Καὶ πᾶς, ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ, ἁγνίζει ἑαυτὸν) Verbum ἁγνίζει *Montenſes* in verſione ſua Gallica expreſſerunt per, *ſe conſerve pur*, quemadmodum *Beza* Latine: *purum ſe conſervat.* Diſplicuit hoc *Malleto*, qui malebat verti: *juſtificat ſe.* Recte vero illi in continuata defenſione illius verſionis pag. 370. ſeqq. reſpondetur, ſermonem heic eſſe de homine jam juſtificato, adeoque de eo, qui a peccatis ſibi in hoc ſtatu ſolicite caveat; & ſtudeat virtuti. Præterea aliud eſt δικαιοῦν, aliud ἁγνίζειν. Prius illud in hominem non cadit, nec usquam de eo niſi vitii inſtar, dicitur; at vero poſterius. Pagani hoc virtutum ſtudio homines ἐξομοιοῦσθαι τοῖς θεοῖς dixerunt. Vide *Marc. Antonin.* X. §. 8. & ibi *Gatakerum.* Similem *Arriani* locum ex II. 14. adfert *Raphelius* in Annotatt. Polybian. pag. 711. Ait ille: ἀνάγκη πειρᾶσθαι κατὰ δύναμιν ἐξομοιοῦσθαι ἐκείνοις· (θεοῖς) εἰ πιστόν ἐστι τὸ θεῖον, καὶ τοῦτον εἶναι πιστόν· εἰ ἐλεύθερον, καὶ τοῦτον ἐλεύθερον, κ. τ. λ. Confer *Pearſonum* ad Symbol. Apoſtol. pag. 635. verſ. Lat.

Verſ. 4. Πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ· καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία) Ex h. l. peccati naturam & conditionem delinearunt ex noſtratibus complures ſingularibus diſſertationibus. Talis eſt *Johan. Gvil. Baieri* in Analyſi & Vindiciis dictorum Scripturæ illuſtrium Part. II. pag. 1. ſeqq. *Joannis Deutſchmanni*, de peccati natura, Wittebergæ 1699. *Antonii Reiſeri* de peccati definitione Logica, Auguſtæ Vindelicorum 1674. *Sebaſtiani Schmidii* in Collegio Biblico poſteriori pag. 133. ſeqq. *Chriſtophori Sonntagii* de inverſo decalogo, Altorf. 1700. & *Gothofr. Tettelbachii* Tom. I. Analectorum Societatis charitativæ & ſcientiarum pag. 226. ſeqq. Ex Reformatis leges *Campegii Vitringæ*, Patris, Obſervatt. Sacr. lib. VI. cap. 15. toto p. 421. *Vitringa*, filii, qui Patris ſententiam contra *Weſſelium* defendere nititur, Diſſertationes Sacras pag. 379—400. & *Jo. Weſſelii*, Theologi Leidenſis, Diſſertationes Academ. Lugd. Bat. 1734. ed. Diſſ. XX. una cum vindiciis ejus contra *Vitringam*, filium, quæ in præfatione leguntur.

 Con-

Controverſiæ hujus mentionem facit *Tiberius Hemſterhuſius*, Profeſſor Franequeranus, & doctrina & meritis inſignis, in oratione, qua funus *Vitringæ*, filii, cohoneſtavit. Præmiſſa illa eſt Diſſertationibus Sacris Vitringianis, quam leges, ſi placuerit, plagula quarta. Sed illa quidem, & quæ inter noſtrates quoque Theologos de natura peccati diſputata ſunt, ad forum noſtrum non admodum pertinent. Vocum ἁμαρτία & ἀνομία rationem interiorem & ex parte differentiam indagant *Tettelbachius* l. c. & Cl. *Albertius* pag. 472. ſeq. Poſterior ἁμαρτίαν ait *aberrationem* proprie innuere, præeunte *Etymologo M.* & *Heſychio*, qui uterque ἁμαρτίαν per ἀποτυχίαν, ἁμαρτῆσαι vero per ἀτυχῆσαι, vel potius ἀποτυχῆσαι explicant. Ἁμαρτίαν ποιεῖν ad inſignes peccatores refert, qui Hebræis efficaciter חטאים h. e. obſervante *Coccejo*, tales, *qui nil niſi peccant*, appellantur. Ἀνομίαν porro amplius aliquid, quam ἁμαρτίαν, inferre docet ex Gloſſis, ubi ἀνομία eſt *ſcelus & iniquitas*, quemadmodum *Arrianus* pag. 401. ἀνομίαν & ἀδικίαν, *Iſocrates* autem Panegyr. pag. 125. σφαγὰς & ἀνομίας *cædes & injurias* conjungit. Ἄνομον *Heſychius* per, μὴ ὑποκείμενον νόμῳ interpretatur, ex quo idem conficit, ἄνομον eum proprie eſſe, qui *legi ſubjectus eſſe non vult, & a Principe ſuo deficit.* Tales Hebræis dicuntur פשעים. Lege ibidem ex Auctoribus in hanc ſententiam plura. Ex noſtratibus ἀνομίαν *Eraſmus Schmidius* vertit, *legis transgreſſionem*; *Sebaſt. Schmidius* vero l. c. *contralegalitatem*, vel *dislegalitatem* h. e. *disconvenientiam cum lege*, qui & pag. 136. ἁμαρτίαν & ἀνομίαν æque late patere affirmat, cui libenter ſubſcripſero. Confer, quæ de utraque voce erudite tradit *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis pag. 85. & 115. Socrates apud *Xenophontem* in Memorabilibus lib. IV. pag. 636. ἄνομον ait eſſe ἄδικον, νόμιμον vero δίκαιον, quod *Raphelius* monuit.

Verſ. 5. Καὶ οἴδατε, ὅτι ἐκεῖνος ἐφανερώθη, ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ κ. τ. λ.) Lege *Petavium* in Dogmat. Theolog. Tom. V. lib. II. cap. 12. §. 8. & lib. XI. cap. 5. §. 6. De phraſi αἴρειν τὰς ἁμαρτίας vide nos ad *Johan.* I. 29.

Verſ. 7. ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην, δίκαιός ἐστι) Vide *Sebaſtiani Schmidii* Tractatum de imagine Dei pag. 290. Phraſin ſimilem habes apud *Xenophont*. Memorabil. lib. IV. pag. 641. ἐκεῖνοι οἵγε τὰ δίκαια ποιοῦντες δίκαιοί εἰσι.

Verſ. 8. Ο ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστι κ. τ. λ.) Confer *Sebaſtianum Schmidium* in Myſterio Pietatis pag. 186. Totum comma etiam illuſtrat *Jacobus Altingius* Tom. IV. Opp. pag. 162. ſeqq. in calce. Adde quoque *Petavium* in Dogmat. Theolog. Tom. V. lib. II. cap. 6. §. 18. ſqq. & cap. 10. §. 12. ſeqq. item lib. V. c. 12. §. 5. ſq.

ὅτι

Digitized by Google

ὅτι ἀπ᾽ ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει) *Altingio* judice idem eſt, quod, *inde a mundi exordio*, i. e. *durante adhuc principio*, *ſeptidui primi periodo circumſcripto.* Vide eum Tomo II. Operum pag. 26. ubi ex hac phraſi id conatur efficere, quod diabolus die ſexto Hexaëmeri lapſus ſit.

Verſ. 9. Πᾶς, ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ κ. τ. λ.) Hominum renatorum conditionem, a peccato alienam, ex hoc commate ſingularibus diſſertationibus expoſuerunt *F. V. Calixtus* de natis ex Deo an peccent? Helmſtad. 1697. *David Chriſtiani* de ἀδυναμίᾳ renatorum, *Jacobus Henningius* de Chriſtiani hominis nativitate & vita, Gryphiswald. 1686. *Joannes Kieslingius* de ἀναμαρτησίᾳ renatorum, Lipſiæ 1709. *Fridericus Erneſtus Meis* de renatorum perfectione, Lipſiæ 1698. *Joannes Chriſtophorus Pfaffius* de indole divina renatorum, Tubing. 1667. & *Joannes Nicolaus Quiſtorpius* de abſoluta renatorum ἀναμαρτησίᾳ, Roſtochii 1695. Adde *Amelii* Erörterung Parte I. pag. 327. ſeqq. *Læſcheri* Decimas Evangelicas Decad. I. pag. 170. *Sebaſtiani Schmidii* Lutheriſche Frömmigkeit pag. 76. *J. F. Lütkenii* Conciones Miſcellaneas pag. 311. & *Speneri* Reſponſa Theolog. Germanica Parte III. pag. 49. ſeqq. tum Vindicias dictorum Sacræ Scripturæ ab abuſu hominum profanorum pag. 425. Ex Anglis legi huc poſſit *Steph. Charnock* Tom. II. Operum Anglican. p. 87. in Supplementis, inprimis vero *Thom. Gatakerus* in Adverſ. cap. 33.

καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται) Placent, quæ Rev. *Raphelius* in phraſeos hujus expoſitionem in Annotationibus Polybianis pag. 712. ita diſſerit: *Qui ex Deo natus eſt, & totum ſe ad imitationem ejus compoſuit, tantum animo concepit odium peccati, ut non poſſit idem committere, non quaſi per rerum naturam non poſſit, ſed quod per mores ſuos non facile poſſit, qui ab eo ſunt alieniſſimi. E contrario*, addit, eos, *qui fraudibus innutriti ſunt, fidem ſervare non poſſe dici*, allato *Polybii* loco, quo pag. 693. homines ejusmodi οὐ δύνασθαι τηρεῖν τὴν πίστιν dicuntur. Lege ibidem plura, & ex Novo Fœdere adde *Matth.* XII. 34. & *Luc.* XI. 7. In eandem ſententiam *Oecumenius* ita: οὐ κατὰ φυσικὴν ἀδυναμίαν τοῦτο λέγει, ἀλλὰ κατὰ προαιρετικὴν τῆς ἁμαρτίας ἀργίαν. Taceo rationes alias, Theologicas magis & ex doctrinæ Chriſtianæ viſceribus petitas, quas alii attulerunt. Hæc enim eo potiſſimum pertinent, ut hominibus φλυαροῦσι, & dictionem Scripturæ Sacræ cupide ſugillantibus, os obſtruatur.

Verſ. 10. Ἐν τούτῳ φανερά ἐστι τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ.) Lege *Amelium* Parte II. der Erörterung p. 335. ſq.

Καὶ τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου) Hebraica loquendi formula *filium alicujus* dici, qui opera alicujus facit, ſive ad exemplar ejus ſe componit, ut *Joh.* VIII. 41., recte obſervat & oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag.

1058. Neque tamen Græci ab ea alieni eſſe cenſendi ſunt, quod vel ex proverbiali illa formula: *τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον*, conſtat.

Verſ. 11. *Ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγγελία*) Codices pauci habent *ἐπαγγελία* procul dubio ex I. 5. ubi vide, quæ ſcripſimus. *Ἀγγελία denuntiatio* eſt; vide *Er. Schmidium* ad *loc.*

Verſ. 12. *Οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν*) Judæi in *Jalkut Rubeni* fol. 20. 3. ajunt: *quia Eva peperit Cainum ex impuritate ſerpentis, is etiam ſemper voluit ſequi radicem ſuam.* Pluribus illam Judæorum de Caini origine ſententiam ex *Sohar* ſuper *Geneſ.* IV. exponit *Lud. Cappellus* in Spicilegio notarum ad Novum Teſtamentum pag. 133. ſeqq. Confer *Gaulmini* Notas ad Vitam Moſis p. 216. Totum comma explicatur a *Lightfooto* in Operibus Anglican. Tom. II. Part. II. p. 1306 - 1310.

καὶ χάριν τίνος ἔσφαξεν αὐτόν;) Hæc in uno *Æthiope* deſunt, atque adeo Annotatoris alicujus, qui ſic explere voluerit ſententiam, eſſe videntur *Millio* in Prolegom. §. 1218. Merito id mireris, cum nihil ſit, quod, phraſin emphaticam a Joanne ipſo non profectam eſſe, credere jubeat. Eadem loquendi ratio placuit Paulo *Rom.* IX. 31. 32. *Ἰσραὴλ δὲ, διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε. Διὰ τί; ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ᾽ ὡς ἐξ ἔργων νόμου.* *Herodotum* lib. III. p. 186. verbum *σφάττειν* de cæde adhibuiſſe *Raphel.* monuit. Quod ad rem ipſam lege *Petavii* Dogmata Tom. III. ubi de Opificio hominis lib. III. c. 2.

Verſ. 13. ſeqq. continetur ſectio epiſtolica, quæ pro concione exponi ſolet. Eam illuſtrat *Franciſcus Wokenius* in Stromatibus Apoſtol. Parte II. pag. 68. ſeq.

Verſ. 13. *Μὴ θαυμάζετε, ἀδελφοὶ, εἰ μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος*) Particulam *εἰ* verbo *θαυμάζειν* ſimiliter jungit *Arrianus* Epict. I. 16. init. *μὴ θαυμάζετε, εἰ τοῖς μὲν ἄλλοις ζώοις κ. τ. λ.*

Verſ. 14. *Ἡμεῖς οἴδαμεν, ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν κ. τ. λ.*) Lege *Franzium* de Interpretat. Script. Sacr. p. 543.

ὁ μὴ ἀγαπῶν ἀδελφὸν) Poſtremam vocem pauci codices & verſiones quoque omittunt, quam ideo Lectoris alicujus, non vero Apoſtoli, eſſe *Millius* in Prolegom. exiſtimat. Cur vero non credetur Apoſtoli, qui eadem prorſus phraſi ſupra utitur II. 10. quique paulo ante dixit, *ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφοὺς*, & v. 11. ex altera parte: *πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ*, ſcribit?

Verſ. 15. *Πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἀνθρωποκτόνος ἐστί*) Similiter, obſervante *Schœtgenio*, in Synopſi Sohar pag. 97. 6. *Qui male dicit proximo ſuo in faciem, idem facit, ac ſi ſanguinem ejus effunderet.* Confer *Gatakeri* Adverſaria Sacra pag. 332. *Salviani* locus huc ſpectat lib. VIII. de Gubernat. Dei pag. 788.

οὐκ

Digitized by Google

ὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον ἐν αὐτῷ μένȣσαν) Similiter *Herodotus*, indice *Raphelio* lib. I. pag. 3. dicit, *τὴν ἀνθρωπηΐην ὦν ἐπιςάμενος ἐυδαιμονίην ὐδαμῆ ἐν τὠυτῷ μένȣσαν.*

Verſ. 16. *καὶ ἡμεῖς ὀφείλομεν ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς τιθέναι*) Quo ſenſu, & in qua rerum conditione hoc amoris officiique genus præcipiatur, oſtendunt ex noſtratibus *Rappoltus* in Opp. Theol. pag. 374. *Calovius* in Arminianiſm. pag. 335. *Thomas Crenius* in Animadverſion. Hiſtor. Philolog. Parte X. pag. 216-221. *Spenerus* in Reſponſ. Theolog. German. Tomo II. pag. 276. & IV. pag. 576. itemque *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius* in Schediaſmate de Morte naturali pag. 78. Adde *Epiſcopium* Tomo II. Operum p. 335. ſeq. & *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Parte III. pag. 678. ſeqq. Ita animo erant adfecti Chriſtiani, teſte *Tertulliano* Apologet. cap. 39. *Vide ut invicem ſe diligant, & ut pro alterutro mori ſint parati.*

Verſ. 17. *Ος δ᾽ ἂν ἔχῃ τὸν βίον τȣ̃ κόσμȣ*) *βίος facultates* h. l. denotat, ſicut alias. Vide Vol. I. harum Curarum p. 514. & 689.

Verſ. 18. *Μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ, μηδὲ γλώσσῃ*) Judæi in *Pirke Avoth* cap. V. *Omnis dilectio, quæ dependet a verbo, verbo ceſſante, ipſa quoque ceſſat; at, quæ non dependet a verbo, nunquam ceſſat.* Confer *Hackſpanium* de uſu librorum Rabbinicorum in calce libri *Nizzachon* pag. 480. & *Schœtgenium* pag. 1059.

Verſ. 19. *καὶ ἐν τȣ́τῳ γινώσκομεν*) *Codices* aliquot habent *γνωσόμεθα*, i. e. *cognoſcemur*, quod & verſiones quædam exprimunt. Id rectum *Millio* videtur in Prolegom. §. 639. *Sed, quod tempus præſens*, inquit, *huic loco magis congrueret, & vero phraſis hæc Joanni perquam familiaris eſſet, γνωσόμεθα mutavit quiſpiam in γινώσκομεν.* Imo vero probabilius eſt, *γνωσόμεθα* illud expoſitionis cauſa ad marginem primum poſitum eſſe, & deinde locum alterius occupaſſe. *Γινώσκομεν* utique magis huc quadrare, ex eo etiam patet, quod mox ſequitur *πείσομεν*. Certa enim illa animi perſuaſio magis pendet a notitia, quam de nobis ipſi habemus, quam quæ aliis de nobis conſtat.

καὶ ἔμπροσθεν αὐτȣ̃ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν) *& coram ipſo ſecura reddemus corda noſtra.* Ita recte *Eraſmus Schmidius*. Hanc verbi notionem *Montenſes* in margine verſionis Gallicæ ita expreſſerant: *nous aſſurerons nôtre cœur;* idque recte factum eſſe adſeritur in defenſione ejus continuata pag. 511. ſeqq. B. *Lutherus* vertit: **und können unſer Hertz für ihm ſtillen.** Et ſic olim *Syrus*. Hanc verſionem reliquis omnibus recte prætulit *S. m. Andreæ* in diſſertatione ad h. l. *de corde condemnante*, quæ in Theſauro Philologico novo Diſputationum Tomo II. pag. 990. ſeqq. recuſa eſt. *Agitur enim*

enim hic, inquit, *de perſuaſione tali, quæ τῇ καταγνώσει opponitur, & tranquillitatem pro ſcopo habet, quando alicui, qui commotus eſt, perſuaſione hac eximitur ſcrupulus, ut acquieſcat pacatus. Qualis illa, qua apud Pilatum uſuri erant Pontifices & Seniores* Matth. XXVIII. 14. ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν, *ubi recte* eadem ratione *interpretes* Syrus, Lutherus, Belgæ, *emphaſi melius expreſſa ac ab illis factum, qui* ſuadebimus ei, *aut*, perſuadebimus ei, *reddunt.*

Verſ. 20. Ὅτι ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, ὅτι μείζων ἐςὶ ὁ Θεὸς) Ὅτι poſterius deeſt in *Alexandr.* & *Linc. Vulg.* item & *Arab.* Id rectum viſum eſt *Grotio.* Alii pro ὅτι illo legi malunt ἔτι, (*adhuc major*;) nominatim *Henricus Stephanus*, *Beza*, *Piſcator* & *Priceus*, ni prorſus ſit delendum; ex noſtratibus vero *Eraſmus Schmidius* in verſione, quamvis in Notis profiteatur, eam lectionem ſibi non diſplicituram, ſi codicum ſuffragia darentur. Itaque dubius fuit. Alii illud ὅτι idem eſſe volunt, quod *certe*, *profecto*, quæ ſignificatio interdum eſt τῷ כִּי Hebræorum. Ita *Galli* quidam, *Diodati* & *Angli*, quos probat *Whitbius* in *Examine* pag. 80. Sunt &, qui per ἀποσιώπησιν, vel ellipſin præſtructam, phraſi huic conſuli poſſe cenſent, quam aliis atque aliis modis ſupplent. *Camerarius* ita: *Si condemnat nos cor noſtrum*, nihil relinquitur bonæ ſpei apud Deum, *quia Deus major eſt*; Amplectitur hoc Cl. *Alberti* pag. 33. Periculi Critici. Et ſic *Epiſcopius*: *Nam ſi cor noſtrum nos condemnet*, eheu! quam male nobiſcum agetur. *Calovius* ſic: *nam ſi reprehendat nos cor noſtrum*, ſcimus, aut ſcire debemus, *quod* &c. Hos omnes deſerit *Sam. Andreæ* l. c. pag. 994. Putat is comma 19. & 20. ut ſententiam continuam cohærere, nihilque adeo eſſe redundans, hiulcum nihil. *Claudamus*, inquit, *verſum* 19. *commate*, & *patebit, verſu* 20. *caſum proponi, quo illa cordis πεισμονὴ ſeu animi perturbati ſedatio maxime locum habeat: & ſic prius ὅτι cum ἐὰν conjunctum idem erit quoad rem, quod ὅτε ἂν vel ὅταν, poſterius vero vim ſuam cauſalem ſimpliciter retinebit.* His præſtructis ita vertit utrumque comma: *Et per hoc cognoſcimus, nos ex veritate eſſe, & coram ipſo ſedabimus corda noſtra, ſi quando cor noſtrum nos arguendo condemnet, eo quod Deus major corde noſtro, & norit omnia.* Ad firmandam ſententiam inter cetera affert, quod ὅτι ἐὰν alibi denotet *quod ſi* v. c. *Matth.* V. 31. *Actor.* XV. 1. & *Rom.* X. 9. Erudite hæc, nec ſine veri ſpecie, proponuntur: ſed rem non penitus perſuadent. Non crediderim, τὸ, ὅτι ἐὰν idem eſſe quod ὅταν, neque illud probatum eſſe video. Manifeſtum potius eſt, τὸ ὅτι prius referri debere ad ſequentem phraſin, μείζων ἐςὶ ὁ θεὸς, hoc ſenſu, *quod, ſi quando condemnet nos cor noſtrum, major Deus eſt corde noſtro.* Apoſtolus ſcilicet proxime ante animum ſedare & componere nos poſſe dixerat. Jam oſtendit, qua de cauſa & in quo caſu id fieri poſſit, & ſubjungit: *quia, ſi quando* &c. Eadem hæc eſt loquendi ratio, quæ ſupra III. 2. exſtat: οἴδαμεν δὲ, ὅτι, ἐὰν φανερωθῇ,

θῆ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα. Ibi enim τὸ, ὅτι omnino diſtinguendum eſt a ſequenti ἐὰν, & conjungendum cum ἐσόμεθα. Conf. infra V. 14. His ita poſitis conſequetur, ὅτι poſterius abundare. Hujus vero particulæ pleonaſmum non inſuetum eſſe patet ex exemplis a *Lamb. Bos* pag. 23. Exercitatt. & *J. H. Majo* de Pleonaſmis Græcæ dictionis in N. F. pag. 68. allatis. Confer nos ad *Matth.* IX. 18. *Marc.* I. 37. VIII. 16. & alias. Speciatim quidem is obſervatur poſt verba λέγειν, εἰπεῖν, & ſimilia. Sed & alias occurrere, patet ex *Act.* XXVII. 10. θεωρῶ, ὅτι μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν, cujusmodi loca alia idem *Majus* affert pag. 70. Neque vero exiſtimandum eſt, non dari ſimilem aliarum vocum pleonaſmum. Talis enim apud Latinos quoque occurrit in vocibus *ut*, *cur*, *ſi* &c. Exempla habes apud *Thom. Wopkens* in Lectionibus Tullianis pag. 30. qui ea ad noſtrum locum itidem accommodat. Ita *Livius* XXVIII. 9. *ut, quoniam* —— —— *deduci non potuiſſet, ut M. Livium quadrigis* &c. *Florus* II. 6. *ſi, quod Pœnum illum dixiſſe ferunt, Annibal ſi, quemadmodum ſciret vincere, ſic uti victoria ſciſſet*. In his locis notandum eſt, quod τὸ *ut*, & *ſi* repetitum ad eandem ſententiam, ſicut h. l., pertineat.

ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν, καὶ γινώσκει πάντα) Auguſta ſummi Numinis majeſtas & perfectio, &, quæ hinc ſequitur, certa & perfecta rerum omnium cognitio heic opponitur anguſtiæ, dubitationi & trepidationi conſcientiæ adflictæ & de ſtatu ſuo dubiæ, tanquam cui occurri memoria veri in fratres amoris, qui veræ fidei argumentum, poſſit, recogitando, Deum rectius illum apud nos perſpicere, quam ipſi perſpiciamus. Ita Petrus, a Domino interrogatus, num ſe amaret, reſpondebat: σὺ οἶδας, & σὺ πάντα οἶδας *Johan.* XXI. 16. ſeqq. Hæc eſt plerorumque Interpretum de phraſi hac ſententia. Hanc tenere malim, quam cum *Sam. Andreæ* l. c. pag. 995. exiſtimare, quod *judicii* conſcientiæ *erronei argumentum ipſa omniſcientiæ divinæ & ſapientiæ imperſcrutabilis conſideratio*, ab adflicto inſtituta, conſtituatur. Lege argumenta ejus pag. 997. & expende. Longius adhuc abit Cl. *H. J. van Bashuyſen* in Diſſert. epiſtolica de Obſervationum Sacrarum dignitate, jucunditate & utilitate, Servestæ 1722. edita, & Collectioni Novantiquorum Theologicorum vernaculæ ejusdem anni pag. 315. ſeqq. inſerta. Ille enim v. 20. & 21. retrogrado ordine legi vult, atque ita explicari: *Si conſcientia noſtra nos non condemnat, habemus libertatem loquendi apud Deum h. e. petendi remiſſionem peccatorum in ſanguine Chriſti per fidem noſtri facto. Ita* v. 21. *Si vero contingat, hominem certo caſu ſe abſolvere, ut cor ipſius illum non condemnet, an ideo habet libertatem loquendi apud Deum? Puto Apoſtolum dicere: non, nam Deus eſt potentior corde tuo, & novit omnia, adeoque novit, quod injuſte te conſoleris, etſi ad mortem usque fiat: hinc, quia potentior eſt corde tuo, te tibi abblandientem nihilominus condemnare poteſt: conf.* Deuter. XIX. 19. Conf. ejusdem tracta-

Nn tum

tum vernaculum de præſtantia precum p. 13. & Analyſin Logicam Scripturæ Sacræ, Serveſtæ 1721. Sunt, fateor, ex noſtratibus aliqui, qui eadem fere ratione acceperunt, v. c. *Eraſmus Schmidius* ita παραφράζων: *ſi condemnet nos cor noſtrum, ſeu propria noſtra conſcientia, multo magis nos condemnabit Deus, qui corde noſtro major eſt.* Illi vero *Sebaſtiani Schmidii* paraphraſin horum commatum elegantem recte oppoſuit approbavitque *Spenerus* in Reſponſ. Theolog. Germanicis Parte I. pag. 165. Mihi quidem ex ſcopo Apoſtoli de ſenſu horum verborum judicium ferendum videtur. Ille vero efficace ad veram φιλαδελφίαν cohortatione abſolvebatur v. 18. Illam porro commendat v. 19. a ſingulari ejus fructu. Is duplex eſt, nempe alter, convictio de eo, *quod ſimus ex veritate;* alter, tranquillatio conſcientiæ. Hanc fieri poſſe ait duplici occaſione, nempe tum, ubi conſcientia noſtra nos turbat, & timidos reddit; tunc enim ſe recipit ad majorem & rectiorem Dei de nobis ſcientiam & ſententiam; tum, ubi eadem conſcientia tranquilla quiete fruitur; tunc enim cum certiſſima fiducia ad Deum accedimus. Vides, hinc conſcientiam luctantem, ſed ſenſim confirmatam, hinc eandem lætam per ſe & confidentem commemorari.

Verſ. 21. παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν Θεὸν) Παῤῥησίαν recte de fiducia & confidentia accipi, oſtenditur in continuata defenſione verſionis Gallicæ *Montenſis* pag. 512. ſeq.

Verſ. 22. Καὶ ὃ ἐὰν αἰτῶμεν, λαμβάνομεν παρ᾽ αὐτοῦ, ὅτι τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηροῦμεν) Vide *Alethai* Erläuterung Tom. IV. pag. 305, Pagani quoque eorum, qui Deos recte colant, preces ratas eſſe, & cum fiducia fieri poſſe, profeſſi ſunt. Ita apud *Xenophont.* Cyropæd. lib. I. pag. 21. οὐκοῦν νῦν, ἔφη, ὦ παῖ, διάγε ἐκείνας τὰς ἐπιμελείας ἥδιον μὲν ἔρχῃ πρὸς τοὺς θεοὺς δεησόμενος, ἐλπίζεις δὲ μᾶλλον τεύξεσθαι, ὧν ἂν δέῃ, ὅτι συνειδέναι σαυτῷ δοκεῖς οὔπωποτ᾽ ἀμελήσας αὐτῶν. Vide *Raphelium.*

καὶ τὰ ἀρεστὰ ἐνώπιον αὐτοῦ ποιοῦμεν) *Arrianus*, eodem monente caput 13. lib. I. inſcripſit: πῶς ἕκαστά ἐστι ποιεῖν ἀρεστῶς θεοῖς;

CA-

CAP. IV.

Verſ. 1. *Ἀγαπητοὶ, μὴ παντὶ πνεύματι πιϛεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τȣ̃ Θεȣ̃ ἐϛιν*) De probatione Spirituum ad hoc & ſequentia aliquot commata commentati ſunt noſtrates quidam ſingularibus commentationibus, nominatim *Balthaſar Raithius* Tubingæ 1656. *Joannes Deutſchmannus* Witteb. 1692. *J. C. Dannhauerus*, Argentor. 1665. & ib. auct. 1682. itemque in Diſputt. Academic. n. XVII. pag. 441. *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. III. n. XLV. pag. 346. *J. G. Neumannus* in Programmat. Academic. pag. 170. *Georg. Frider. Niehenck* Roſtoch. 1703. *Gothofr. Olearius* Lipſ. 1711. quæ recuſa eſt in Theſauro Diſputationum Novo Tom. II. p. 999. ſeqq. & *J. W. Zieroldus* in der Erklärung pag. 787. ſeqq. Anonymi cujusdam Angli diſſertat. de probatione & examine ſpirituum exſtat in calce libri de vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, Londin. 1685. edit. Vide *Clerici* Bibliothecam Vniverſalem Tomo VIII. pag. 121.

Per *πνεύματα* Doctores inprimis intelligi, quatenus hinc a ſpiritu veritatis, hinc a ſpiritu mendacii agi ſe patiantur, ab Interpretibus oſtenſum eſt, quamvis *Sebaſtianus Schmidius* intelligere malit Spiritus revelantes, & homines ad vera vel falſa docenda impellentes. Vide inprimis *Deylingium* l. c. & adde *Er. Smidium* ad Luc. I. 47. ubi diverſos vocis *πνεῦμα* ſignificatus exponit.

Verſ. 2. *πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ*) Verbum *ὁμολογεῖν* heic non de nuda privati cujusque profeſſione, ſed de ea, quæ a doctore publice fit, accipiendum eſſe, recte obſervavit *Olearius* diſput. citata Sect. I. §. 2. Sermo enim eſt de doctoribus tum veris, ut hoc verſu, tum falſis, qui *ψευδοπροφῆται* i. e. *falſi doctores* vocantur v. 1. Hoc ſenſu *Act.* XXIII. 8. Phariſæi dicuntur *ὁμολογεῖν ἀνάϛασιν* & *ἄγγελον*, i. e. in ſcholis ſuis profiteri, docere, & contra Sadducæos propugnare.

Ἰησȣ̃ν Χριϛὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα) Vnus alterve codex legit *ἐληλυθέναι*, quod & verſiones quædam exprimunt. Præſtat vero altera illa, & omnino efficacior eſt, efficitque, ut credamus, Joannem non de profeſſione incarnationis *τȣ̃ λόγȣ* ſimpliciter loqui, ſed de profeſſione illius doctrinæ, quæ ad perſonam & officium mediatorium Jeſu Chriſti, *qui in carne venerit*, pertineat, & tenenda ſit, loqui. Oſtenderunt hoc B. *Neumannus* & *Deylingius* ll. cc. Voces *ἐν σαρκὶ*, B. *Lutherus* vertit non im Fleiſch, ſed ins Fleiſch, *in carnem*: procul dubio ideo, quod *τὸ ἐν* & *εἰς* ſæpe ſecum invicem permutantur. Vide, quæ in hanc rem paſſim in his *Curis* attulimus, & adde Cl. *Georgii* Hierocriticum pag. 36. Quod ad rem ipſam, nihil

hil intereſſe, quocunque modo vertas, contra anonymum quendam, Lutheri cenſorem, oſtendit B. *Spenerus* pag. 734. tractatus vernaculi egregii de divinitate Chriſti, quamvis ipſe non tam de adventu Chriſti in carnem, quam de adventu ad prædicationem Evangelii, *in carne* factam, ſermonem eſſe exiſtimet. *Vitringa* phraſeos hujus δεινωσιν & amplitudinem nimis arcte conſtrinxiſſe videtur lib. V. Obſervationum Sacrarum cap. XII. §. 5. Opinatur enim, eam illis opponi, *qui Filium Dei verum corpus, ex virginis Mariæ ſubſtantia virtute Spiritus S. formatum, aſſumſiſſe, & arctiſſimo atque individuo conjunctionis vinculo ſibi univiſſe*, negarint. Hoc ipſum ait aperte egiſſe *Docetas*, ſive *Gnoſticos*, præ ſe ferentes, Chriſtum Jeſum ſolummodo ἐν σχήματι ἀνθρώπȣ ἐληλυθέναι, ſed vere μὴ εἶναι ἄνθρωπον, μηδὲ σάρκα εἰληφέναι, *non eſſe hominem, nec aſſumſiſſe carnem*, teſte *Epiphanio* Hæreſi XXIV. §. 3. Atque hinc idem conficit, Joannis orationem contra Pſeudo-Prophetas Gnoſticis illis, ſeu Docetis, eſſe oppoſitam: quæ & *Artemonii* eſt ſententia in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 361. quamvis idem contra *Cerinthianos* quoque facere exiſtimet.

Mirum eſt, *Henricum Morum* in Operibus Theologicis Latinis pag. 66. huic phraſi ſuam de anima Chriſti, tanquam præexiſtente, ſententiam ſuperſtruere potuiſſe. *Atque profecto*, inquit, *animam Meſſiæ in rerum natura fuiſſe, antequam noſtram carnem ſumſerat, ſenſus maxime facilis ac naturalis illius loci* (1 Joh. IV. 2.) *videtur etiam inferre. Videtur hic S. Joannes* Cabbaliſtam *agere, quemadmodum in multis locis Apocalypſeos, h. e. in lingua loqui doctorum ex Judæis. Senſus enim genuinus eſt:* quicunque Spiritus profitetur Jeſum eſſe Meſſiam, profectum in carnem, ſive in corpus terreſtre, ex Deo eſt; *quod ſupponit, eum fuiſſe, antequam in illud venerat, vel huc e cælo profectus erat. Quæ Judæorum doctrina eſt, & adeo accurate ad ſenſum eorum enarrata, ut nec ipſi eam exprimere potuiſſent locutione magis naturali & emphatica.* Præſtat utique, Joannem ex ſe ipſo, quam ex impuris Cabbaliſtarum lacunis interpretari. Jam vero ille non animam Meſſiæ, ſed λόγον carnem aſſumſiſſe profitetur I. 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, atque hinc factum ait, ut conſpicerent δόξαν ejus, ut μονογενȣ̃ς παρὰ πατρός. Divina itaque Chriſti natura ſeu λόγος, non *anima* præexiſtens, eſt, quæ in carne venit, h. e. naturam humanam adſumſit. Eadem phraſi uſus eſt Paulus 1. *Timoth.* III. 16. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Taceo σάρκα, ubi de Domino noſtro ſermo eſt, non *corpus* præciſe, ſed *corpus* & *animam* denotare.

Verſ. 3. καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησȣ̃ν Χριςὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα) Olim pro his alicubi lectum fuiſſe, καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ λύει τὸν Ἰησȣ̃ν, collegeris ex *Vulg.* qui ita habet: *omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Adde *Socratem* Hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. 32. Αυτίκα γȣ̃ν ἠγνόησεν, ὅτι ἐν τῇ Καθολικῇ Ἰωάννȣ ἐγέγραπτο ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις, ὅτι

πᾶν

πᾶν πνεῦμα, ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι. ταύτην γὰρ τὴν διάνοιαν ἐκ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων περιεῖλον οἱ χωρίζειν ἀπὸ τοῦ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου βουλόμενοι τὴν θεότητα. *Primum igitur ignoravit, in Catholica Joannis epiſtola ita ſcriptum eſſe in antiquis exemplaribus: omnis ſpiritus, qui Jeſum ſeparat a Deo, non eſt ex Deo. Hanc enim ſententiam ſuſtulerunt ii, qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare ſtudebant.* Vide ibi *Valeſium*, & *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 403, Vulgati interpretis auctoritas effecit, ut Latinae Eccleſiae Patres nonnulli verba hæc eadem ratione afferrent. Loca eorum habes apud *Millium* ad loc. & in Prolegomenis paſſim. Adde *Joannem Morinum* in Exercitationibus Biblicis lib. I. pag. 36. *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica textus Novi Teſtamenti pag. 157. & 356. *Nicolaum le Nourry* in Apparatu ad Biblioth. Max. Patrum Tom. I. pag. 307. *Joannem Clericum* in Arte Critica Parte III. Sect. I. cap. XV. §. 15. in Bibliotheca Vniverſali Tom. VIII. pag. 121. & in Bibliotheca Selecta Tom. XVI. pag. 319. Germanam interim eſſe lectionem receptam, variis argumentis ita conſtat, ut dubitari non poſſit. Primum enim familiare id ſibi habet Apoſtolus, ut ſententiæ alicui contrariam perſpicuitatis cauſa adjungat. Vide v. c. IV. 7. 8. Codices Græci omnes in eadem conſentiunt. Ex Patribus Græcis primis nullus alteram illam amplexus eſt, ſi *Irenæum* III. 18. excipias, apud quem hæc legis: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum Chriſtum, non eſt ex Deo.* Cum vero hodie Græca *Irenæi* eo loco non habeamus, dubitari merito poteſt, utrum interpres ex *Vulg.* Latina ita repoſuerit, an ipſe Irenæus jam in ſuo exemplari legerit: ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν. Recte hoc monuit *J. E. Grabius* pag. 742. Quod vero *Cyrillum Alexandr.* huc retulit *Millius*, in eo Latinam ejus verſionem ſecurius eſt ſecutus. Nam Tom. I. p. 397. & de recta fide pag. 8. & 94. Græca cum noſtris codicibus conſentiunt. Ab altera vero parte ex Græcis *Polycarpus*, Joannis diſcipulus, in epiſt. ad Philippenſes §. 7. lectionem receptam exhibet. Ex Latinis Patribus eandem tenuit *Cyprianus* libro II. ad Quirin. §. 8. alii autem, ut *Auguſtin. Tertull.* & *Fulgentius* utramque adferunt. Verſiones denique *Syra*, *Arabica* & *Æthiopica* pro communiore faciunt. Hæc itaque & alia argumenta eandem ſatis tuentur, quæ amplius urgent, *Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 599. *Glaſſius* in Philol. S. lib. I. pag. 179. ex noſtratibus *Deylingius* loc. cit. pag. 350. *Thomas Ittigius* de Hæreſiarchis pag. 185. Vener. *Pfaffius* in Primitiis Tubingenſibus pag. 62. *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 531. *Bernhardus Raupach* in Decade II. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Obſervat. IX. & *Joannes Vogtius* in Bibliotheca Lubecenſe Tom. IV. pag. 581. ſeqq. ex aliis vero *Millius*, & *Clericus* ll. cc. *Stephanus le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 402. ſeqq. *Whitbius* in Examine Variarum Lectionum pag. 80. & *W. Wallius* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 373.

Ex Pontificiis ipſis *Montenſes* ad marginem verſionis ſuæ Gallicæ lectionem Græcorum Codicum expreſſerunt; quod recte ſe feciſſe oſtendunt in continuata ejus defenſione pag. 444. ſqq.

Quæſitum denique eſt, unde lectio illa altera primum nata ſit, aliis originem ejus ad orthodoxos quosdam, aliis ad hæreticos & ſpeciatim *Neſtorianos*, aliis ad caſum fortuitum referentibus. Vide quæ huc diligenter commentatur laudatus modo *Vogtius* pag. 593. ſeqq. Ipſe quidem, *Millium* maxime ſecutus, ab orthodoxo quodam illam primo vel explicandi cauſa, vel, ut hæreticis, naturam Chriſti vere humanam inficiantibus, adeoque a divina ſeparantibus, opponi poſſet, ad marginem collocatam cenſet, ex quo factum ſit, ut poſtea vel una cum altera illa in contextum irrepſerit, vel ſola genuinæ locum occuparit.

καὶ τȣ̃τό ἐςι τὸ τȣ̃ Ἀντιχρίςȣ) Vide ſupra ad II. 18. Subintellige ex antecedentibus *πνεῦμα*, quod *Er. Schmidius* jam monuit.

ὃ ἀκηκόατε, ὅτι ἔρχεται) *Codices* omnes heic conſentiunt in vocula ὃ, niſi quod unus prorſus omittit, duo vero ὅτι habent. Prius illud ſenſum hiulcum reddit, alterum ex ſequenti ὅτι natum videtur. Et vel ſic tamen ὃν *Eſtius*, *Henricus Stephanus* & *Jo. Pricæus* pro ὁ maluerunt. Quod ſi illi de ſupplenda voce *πνεῦμα* in phraſi, *τὸ τȣ̃ Ἀντιχρίςȣ*, cogitaſſent, aliter, puto, ſtatuiſſent, nec *Leonhardus Twelſius* in Vindiciis Apocalypſeos Joannis pag. 115. Solœciſmum hic agnoviſſet. Putat enim, ſcribendum fuiſſe *περὶ ȣ̃*. Atque ſic legiſſe videri poterat *Vulg.* qui itidem habet *de quo*, niſi potius dicere malis, eum non tam voces, quam ſenſum, exprimere voluiſſe, cum *τὸ τȣ̃ Ἀντιχρίςȣ* per *Antichriſtum* ſimpliciter vertat. Confer Cl. *Albertii* Periculum Criticum p. 35.

Verſ. 4. *Ὑμεῖς ἐκ τȣ̃ Θεȣ̃ ἐςε, τεκνία, καὶ νενικήκατε αὐτȣ̀ς*) Pro *αὐτȣ̀ς* *Vulgatus*, *Æthiops* & *Auguſtinus* exprimunt *αὐτὸν*, quod Millio in Prolegom. rectum videtur, ideo, quod de *Antichriſto* ſermo ſit. Ita vero ſcribendum potius fuiſſet *αὐτὸ*, quia antecedit *τὸ τȣ̃ Ἀντιχρίςȣ*, ſcilicet *πνεῦμα*. Apoſtolum vero heic non tam ad Antichriſtum reſpicere, quam ad illos, qui doctrinam ejusmodi ſectarentur, patet ex v. 5. *αὐτοὶ ἐκ τȣ̃ κόσμȣ εἰσί*. Verbo *νενικήκατε* ad Nicolaitas hæreticos alludi opinatur *Artemonius* in Initio Evangelii Joannis reſtituto pag. 361. Hos enim ait *Victores mundi* ſe appellaſſe, quaſi nova ſua doctrina de Chriſto impaſſibili melius univerſo orbi, quam dogma de Chriſto crucifixo placitura ſit, atque adeo populos terrarum ſuperaturi, & mundum ſub Evangelii ſui novi poteſtatem redacturi eſſent. Hæc quidem conjectura majori jure rejicitur, quam adfertur. Phraſis hæc Chriſti eſt *Joh.* XVI. 32. qua Apoſtolus aliquoties nunc de diabolo, ut ſupra II. 13. 14. nunc de veritatis hoſtibus, ut h. l. nunc de *mundo* infra V. 4. 5. ſuperatis, utitur.

Verſ.

Verſ. 7. Ἀγαπητοὶ ἀγαπῶμεν ἀλλήλους) Vide *Eraſmum* Tomo IX. Operum pag. 1534.

Verſ. 8. ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστὶν) Lege *Romani Telleri* diſſertat. de Deo amore, Lipſ. 1713. & programma in honorem Jeſu Chriſti, Dei incarnati, qui ipſa charitas eſt, quod Regimonti 1711. lucem vidit. Hoc Dei elogium *Feſſelius* in Adverſariis ſacris Tom. II. pag. 493. exponit. Practicam ait Dei eſſe definitionem, qua innuatur, Deum eſſentialem & ſubſtantialem eſſe charitatem, & ipſius naturam nil aliud eſſe, quam charitatem, & charitatem in Deo non accidens, ſed eſſentiale attributum eſſe, quod abſoluta ſimplicitate idem cum Deo ſit, & prædicando cum ipſius natura convertatur, ut poſſim dicere: Deus eſt charitas, &, Dei charitas eſt Deus ipſe. Vide ibi plura. Anonymus quidam, qui videtur eſſe *des Maizeaux*, in Novis Reipubl. Literariæ Bernardinis an. 1700. Tom. II. pag. 491. obſervat, phraſin hanc, Θεὸς ἀγάπη ἐστὶν, a Gallis minus plene & efficaciter converſam eſſe per: *Dieu eſt charité*, rectius autem a *Montenſibus* per: *Dieu eſt amour*; rectiſſime denique ita reddi: *Dieu eſt la ſource d'Amour*, Deus eſt fons amoris. Ex paganis Deum ab amore inprimis nonnullos celebraſſe conſtat. *Proclus* in Timæum Platonis pag. 37. auctor eſt, Phanem, ſupremum Ægyptiorum Deum, ἁβρὸν ἔρωτα eſſe appellatum. *Pherecydes* dixit, εἰς ἔρωτα μεταβεβλῆσθαι τὸν Δία μέλλοντα δημιουργεῖν, *Jovem in amorem converſum eſſe, cum mundum condere vellet*; teſte eodem *Proclo* l. c. pag. 165. Vide *Cudworthi* Syſtema Intellectuale verſionis Latinæ pag. 615. Quid dicturi erant pagani, ſi veritatem de filio Dei, hominum perditorum cauſa in mundum miſſo, cognitam habuiſſent? Hoc divini amoris argumentum in ſequentibus urget Apoſtolus.

Verſ. 9. Ἐν τούτῳ ἐφανερώθη ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ἡμῖν,) Τὸ, ἐν ἡμῖν idem videtur eſſe, quod εἰς ἡμᾶς, ſicut ſupra ἐν σαρκὶ, idem, quod εἰς σάρκα v. 3. niſi dicere malis, eo id inprimis ſignificari, quod Dei amor, hac ratione in homines demonſtratus, animis eorum pleniſſime pateat, & perſpectus ſit.

ὅτι τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἀπέσταλκεν) Voce μονογενὴς Apoſtolum ideo uti, ut Antichriſtis, qui jam ex uno Jeſu Chriſto, duos genitos, duos filios, alterum Dei ſummi, alterum vero demiurgi, aut Joſephi filium, conficiebant, contradiceret, *Artemonius* in Init. Ev. S. Joan. reſtituto p. 362. cenſet. Alias, eaſque magis idoneas elogii hujus rationes ad Evangelium *Joh.* I. 14. attulit *Lampius* pag. 371. ſeq. ubi eadem opera contra *Grotium* diſputat, qui Gnoſticis obviam iviſſe Evangeliſtam cenſet, μονογενῆ a λόγῳ divellentibus. Græci Interpretes aliquoties Hebr. יחיד per μονογενὴς exprimunt, quod alibi per ἀγαπητὸν convertunt. Atque hinc fortaſſe factum eſt, ut *Heſychius* ἀγαπητὸν per μονογενῆ & κεχαριτωμένον interpretaretur. Jam vero eodem titulo inſignitur

tur Dominus noſter *Matth.* III. 17. ὗτός ἐϛιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Interim non nego, voce hac talem generationem indicari, quæ nihil ſibi habeat in rerum natura ſimile, nihilque habere poſſit, divinæ quippe eſſentiæ propriam, quod recte *Lampius* obſervat. Atque hæc cogitata *Artemonius* nova illa ſua interpretatione avertere voluiſſe videtur.

Verſ. 10. καὶ ἀπέϛειλε τὸν υἱὸν αὐτȣ̃ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν) Vide ſupra ad II. 2.

Verſ. 12. Θεὸν ὐδεὶς πώποτε τεθέαται) *Euripides* apud *Clement.* in Hortat.

Θεὸν δὲ ποῖον, εἰπέ μοι, νοητέον;
Τὸν πάνθ' ὁρῶντα κ' αὐτὸν ὐχ ὁρώμενον.

Similia habes apud *Gatakerum* ad *Antoninum* XII. §. 28. ubi tamen alia paganorum adferuntur, qui Deos in ὁρατὺς & ἀοράτυς diſtinxerunt, a doctoribus veteris Eccleſiæ etiam hoc nomine caſtigati.

Verſ. 13. ὅτι ἐκ τȣ̃ Πνεύματος αὐτȣ̃ δέδωκεν ἡμῖν) Ex h. l. *Athanaſius* & *Cyrillus* divinitatem Spiritus S. probarunt. Vide loca eorum apud *Petavium* Tom. II. Dogmatum lib. II. c. 16. §. 6.

Verſ. 14. Καὶ ἡμεῖς τεθεάμεθα, καὶ μαρτυρȣ̃μεν, ὅτι ὁ πατὴρ ἀπέϛαλκε τὸν υἱὸν) Viſio hæc Chriſti illa omnia complectitur, quæ Apoſtoli, cum Chriſto verſantes, ipſi conſpexerant, ſive ad perſonam ejus, ſive ad doctrinam, ſive ad miracula &c. ſpectarent Ex his ſcilicet omnibus conficiebant, Chriſtum eum eſſe, quem Pater miſit in hominum ſalutem. Mirum itaque eſt, *Artemonium* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 399. viſionem hanc ad deſcenſionem Spiritus S. juxta Jordanem, ſub baptiſmo ejus factam, reſtringere potuiſſe. *Non alibi certe*, inquit, miſſionem *ipſam filii, niſi apud Jordanem Spiritu in eum deſcendente*, contemplari *poterat Joannes. Tunc enim eum Pater ſanctificabat & in mundum mittebat, ut ipſe Chriſtus dicit* Joh. X. 36. Velim ſcire, unde conſtet *Artemonio*, Joannem Evangeliſtam qui poſtea demum in ſocietatem diſcipulorum Chriſti adſcitus fuit, baptiſmo Chriſti interfuiſſe? Ponamus autem, fuiſſe, num illa Spiritus Sancti deſcenſio conſpecta efficere poterat, ut crederet, Chriſtum eſſe Servatorem mundi? Joannes Baptiſta, ad quem provocat, apud Evangeliſtam I. 34. ait de Chriſto: κἀγὼ ἑώρακα (ſcilicet Spiritum Sanctum deſcendentem) καὶ μεμαρτύρηκα, ὅτι ὗτός ἐϛιν ὁ υἱὸς τȣ̃ Θεȣ̃. At idem v. 33. ſe non ex illo deſcenſu in ſe conſiderato, ſed ex oraculo Dei ante ſibi edito, & illum deſcenſum prænuncianti, intellexiſſe, ait, Chriſtum eſſe eum, *qui baptiſatus ſit Spiritu Sancto.* Κἀγὼ ὐκ ᾔδειν αὐτὸν, ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν· ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ Πνεῦμα καταβαῖνον, καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν, ὗτός ἐϛι ὁ βαπτίζων ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. Falſum præterea eſt,

Patrem

Patrem tum demum Chriſtum in mundum miſiſſe. Paulus *Gal.* IV. 4. ad nativitatem ejus refert: ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον. ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ κ. τ. λ. Dominus noſter, oſtenſurus, cur diſcipuli ſui crediderint, *quod Pater ſe miſerit*, ad *verba* ſua provocat, quæ acceperint, & pro veris habuerint. *Joan.* XVII. 8. Allatus ex *Joan.* X. 36. locus non evincit, τὸ ἁγιάζειν de Spiritus S. in Chriſtum deſcenſu accipi debere. Latius hæc phraſis patet, & conſilium Patris de Filio, ſummo Sacerdote futuro, & hanc in rem miſſo, indicat. Vide *Lampium* ad h. l.

Verſ. 16. τὴν ἀγάπην, ἣν ἔχει ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν) i. e. εἰς ἡμᾶς, quod *Twelſio* in Vindiciis Apocalypſeos p. 115. præter rem minus Græcum viſum eſt. Illa enim τοῦ ἐν & εἰς permutatio idoneis Græciæ ſcriptoribus recepta fuit. Vide ſupra ad v. 3.

ἐν τῷ Θεῷ μένει, καὶ ὁ Θεὸς ἐν αὐτῷ.) Poſterior ſententia deeſt apud *Syrum*, ſed agnoſcunt eam, præter alias verſiones, codices Græci omnes, ſine quorum conſenſu ſi foret, *Millius* eam ex v. 15. huc relatam crediturus erat, quod in *Prolegom.* profitetur. Enimvero, etiamſi unus alterve codex hanc omiſſionem probaret, vel ſic pro ſpuria habenda erat in reliquorum gratiam, cum Joanni familiare ſit, eandem ſententiam eadem fere ratione repetere, hoc vero loco idem factum eſſe ex eo merito colligas, quod de duobus diverſis ſubjectis v. 15. & 16. ſermo ſit. In priore enim agitur de eo, qui Jeſum filium Dei eſſe profiteatur; in poſteriore de illo, qui fidem hanc ſuam amore comitetur. De utroque vero dicitur, quod Deus in illo, & ipſe in Deo maneat.

Verſ. 18. Φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ.) Amori in cultu divino plus tribuendum eſſe, quam timori, Judæi quoque tradunt, quorum loca habes apud *Schætgenium* in Horis Hebraic. p. 1060.

ἀλλ' ἡ τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν Φόβον.) De amore Dei perfecto, quem אהבה רבה vel שלמה appellant, vide eoſdem Judæos l. c. Conf. *Schotti* Adagial. N. T. Notandum vero eſt, h. l. non de amore credentium in Deum, ſed de amore Dei in credentes agi, in quantum ſcilicet de eo certiſſime ſunt perſuaſi, ac proinde a timore ſervili ex ſua parte liberi. Hanc Apoſtoli mentem eſſe patet ex v. 17. ubi amor ille (Dei in nos) ut fundamentum παῤῥησίας noſtræ in die judicii repræſentatur.

ὅτι ὁ Φόβος κόλασιν ἔχει) Pro κόλασιν *Grotius*, invitis *codd.* & verſionibus omnibus, legi malebat κόλουσιν i. e. *mutilationem*, alius vero κώλυσιν, indice *Lamb. Bos* p. 290. niſi forte ipſe ita olim ſupicatus fuerit, aut, *Grotium* ita ſtatuiſſe memoriæ quodam lapſu cenſuerit. Neutra tamen mutatione opus eſt, cum lectioni receptæ idoneus ſenſus conſtet, ſive per *cruciatum* & *pœnam* ſive per *impedimentum* aut *obſtaculum* vertas. Poſterius præfert *Lamb. Bos* l. c. allato *Dionyſ. Halicarn.* Antt. Rom. XI. p. 719. ὁ δὲ Ἄππιος ἀδημονῶν ἐπὶ τῷ παρ' ἐλπίδα τῆς κολάσεως. *Ibi Appius inſperato iſto*

 obſtaculo

obſtaculo perturbatus &c. & *Maximi Tyrii* illo ex Diſſert. XXV. p. 259. *κολάζει τὰς τῶν ἵππων ὁρμὰς, impetum equorum reprimit.* Adſtipulatur illi Cl. *Alberti* p. 475. ad Gloſſas provocans, quæ κολάζω per *coerceo*, & κόλασιν per *coercitionem* interpretantur, quemadmodum apud *Lucianum* Var. Hiſtor. p. 679. *κολασθησόμενος, reprimendus*, dici videatur. Interim *cruciatus* vel *pœna* ſignificatum rectius heic teneri exiſtimat Cl. *Elsnerus* p. 413. cum κόλασις *Matth.* XXV. 46. & apud *Plutarchum* de ſera Numinis vindicta p. 558. & 562. itemque apud alios *pœnam* denotet. Atque huic aſſentior. Idoneus hanc in rem *Xenophontis* locus ex Cyropæd. lib. III. p. 53. adfertur à *Raphelio.* Λέγεις σὺ, ἔφη, ὡς ὁ φόβος τοῦ ἔργῳ κακοῦσθαι μᾶλλον κολάζει τοὺς ἀνθρώπους; *Hoccine dicis, inquit, metum hominibus majori eſſe ſupplicio, quam ſi re ipſa lædantur?* Ita *Plinius* VIII. ep. 17. *Parvulum differt, patiaris adverſa, an exſpectes; niſi quod tantum eſt dolendi modus, non eſt timendi: doleas enim, quantum ſcias accidiſſe; timeas, quantum poſſit accidere.* Κόλασις etiam alias *vexam* denotat, quod oſtendit *Salmaſius* de modo Vſurarum p. 888. Interim negari non poteſt, timorem ut aliis conatibus, ita & amori obicem ponere. *Philo* p. 17. Opp. μήθ᾽ ὁ κακὸς σύμβουλος φόβος τὰς ἐπὶ τὰ σπουδαῖα τῶν ἔργων ὁρμὰς ἀναχαιτίσῃ. Locum attulit *Albertius* in Muſeo Bremenſi Tom. I. p. 126.

ὁ δὲ φοβούμενος οὐ τετελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ) *Pricaeus* ita malebat: ὁ φοβούμενος (omiſſo δὲ) οὐ τετελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ, ὅτι ὁ φόβος κόλασιν ἔχει. Illi vero merito ſe opponit idem *Alberti* in Periculo Critico p. 35. quem vide.

Verſ. 19. ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς) *quia ipſe prior dilexit nos*, ſuperlativo poſito pro comparativo. Ita *Beza*, *Er. Schmidius* &c. Recte, ut puto, quamvis Cl. *Wolle* in commentatione de genuina comparativorum ac ſuperlativorum explanatione, quæ ejus examini regularum Hermeneutic. Calmeti ſubjuncta eſt, p. 159. in ſuperlativi notione, accipere malit hoc ſenſu: *nemo mortalium omnium, præter ſolum immortalem Deum ad ſui nos primus excitavit amorem. Neque ullus mortalium Deum, ad noſtri primus amorem excitavit.* Vereor, ut hæc Apoſtoli mens ſit, nec hac ratione potius præcipuus argumenti nervus pereat, qui clare apparet, ſi ſtatuamus, Joannem ad amorem Dei ideo excitare, quod Deus nos *ante* amaverit, quam nos vel amaverimus ipſum, vel amare potuerimus. Neque alio ſenſu accipi poteſt v. 10. quem heic addita voce πρῶτος explicari recte monuit *Grotius.* Conf. *Rom.* V. 6. 7. 8.

Verſ. 20. ὁ γὰρ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ὃν ἑώρακε) Vide *Schœtgen.* p. 1061. ejuſmodi Judæorum locos promentem, quibus Parentum amor & timor illi in Deum amori æqualis in ſcriptura haberi dicitur.

CAPVT

CAPUT V.

Verſ. 1. Ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, ὅταν τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν) Verba hæc inter cetera explicat *Henr. Morus* in Opp. Theologic. Lat. p. 219. ſqq. ubi de Apoſtolorum ad amorem mutuum fervidis cohortationibus commentatur.

Verſ. 2. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν) Ita fere Judæi in *Sohar*. Exod. fol. 23. col. 91. apud *Schœtgen*. *Nam nullus alius cultus Deo exhiberi poteſt, præter amorem. Et quicunque ipſum amat, & cultum ex amore exhibet, hunc Deus S. B. dilectum ſuum vocat.* Conf. *Joh. Deutſchmanni* diſput. de amore legis obſervatione conſpicuo. Witteb. 1695.

καὶ αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ βαρεῖαι οὐκ εἰσί) Eadem eſt ſententia, quam Dominus noſter exprimit *Matth.* XI. 29. 30. Per ſe vero patet, præcepta Dei *non gravia* dici, non per ſe, aut reſpectu hominum, ſibi ipſis relictorum, ſed ratione illorum, qui in Chriſtum credant, atque adeo ex Deo geniti ſint, & ut filii vero in Deum amore, qui omnia leviora facit, ferantur. Confer, quæ inter alios *Jac. Cappellus* ad h. l. habet, ubi & ſimilia quædam paganorum de facili & jucundo Deorum cultu adfert. Sed illa quidem hinc ex ignoratione impotentiæ hominum & præceptorum divinorum; hinc ex fiducia, in viribus naturalibus collocata, promanarunt.

Verſ. 4. Ὅτι πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ νικᾷ τὸν κόσμον) Eruditus auctor Prolegomenorum ad accuratam N. T. editionem p. 172. adfert aliquem, qui pro ὅτι legere maluerit ἔτι. Neſcio, utrum ille ſit *Grotius*, cujus nomen proxime antecedit, an alius quidam. De *Grotio* id nusquam video, nec alius mihi, ita ſentiens, occurrit. Neque vero etiam intelligo, cur ulla mutatione opus ſit. Per ὅτι enim ratio redditur, cur præcepta Dei gravia non ſint, quia ſcilicet ex Deo regeniti & poſſint & velint mundum ſeu pravitatem omnem vincere, atque adeo præceptis divinis conſtanter ſtudere. De illa *mundi victoria* exſtat Programma Jenenſe Paſchale an. 1723. promulgatum, & in *J. F. Buddei* Meditationibus Sacris a M. J. D. Leonardo Jenæ 1725. ſeqq. editis, recuſum, p. 162. Adde *Rob. Gelli* Reliquias Anglice editas Tom. II. p. 810 - 829. B. *Lutheri* concio quædam in hoc comma, ante quam Pontificiorum corruptelis ſe opponeret, ſcripta, inter Sacra ſuperioris ævi Analecta, a M. *Alberto Menone Verpoortenio*, 1708. edita, legitur. Per κόσμον Eccleſiam Judaicam ſive Judaismum intelligit Cl. *Schœtgenius*, qui Hebraice alias dicatur עולם הזה *ſeculum hoc;* ideo quidem quod ille κόσμος negabat Meſſiam iam adveniſſe, de qua re Gentiles non pugnabant; Apoſtolus autem veritatem religionis Chriſtianæ contra τὸν κόσμον Judaico more probat. Senſum itaque hunc promit: *Qui veram in Chriſtum fidem tenet, ille religionem Judaicam falſitatis facile convincere poteſt.* Pace

Digitized by Google

viri docti dixerim, per *κόσμον* heic intelligi omne genus pravitatis, ſive incredulitate, ſive pravis moribus contineatur. Hinc v. 19. ait: *καὶ ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται.* Porro Apoſtolus nec contra Judæos nec contra Gentiles in hac epiſtola pugnat, ſed contra falſos inter Chriſtianos doctores, qui doctrinam ex parte agnitam depravabant. Id patet ex II. 18. 19. & IV. 1. Denique non tantum de fide in Jeſum Chriſtum agit, ſed & de amore in Deum, qui obſervatione præceptorum ejus demonſtretur. Hinc patet, victoriam illam latius patere, quam ut ad Judaiſmi confutationem referri poſſit.

Verſ. 5-10. Sectione epiſtolica conſtant, quam pro concione explicare publice ſolemus. Ad eam lege *Franc. Wokenii* Stromata Apoſtolica Parte ultima p. 19. ſeqq.

Verſ. 6. *Οὗτός ἐςιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος, καὶ αἵματος*) Pauci aliquot *codices* addunt, *καὶ πνεύματος*, quod tamen ex v. 8. huc relatum eſſe recte *Millius* exiſtimat. Phraſin, *δι' ὕδατος κ. α.* idem dicere, quod ſequentem, *ἐν ὕδατι καὶ αἵματι* atque adeo *διὰ* & *ἐν* recte eadem ratione a B. *Luthero* converſa eſſe, contra *Trillerum* oſtendit *Schœnlandius* in Vindiciis illi oppoſitis p. 81. ſeqq. Quid per *aquam* & *ſanguinem* intelligendum ſit, de eo diſſentiunt Interpretes. Vide B. *Jo. Cypriani* Analyſin fidei Chriſtianæ Lipſ. 1699. Probem eos, qui ad duo Novi Fœderis Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet & S. Cœnam, reſpici exiſtimant. Hæc enim ut Dominus ipſe inſtituit, ita iisdem hodienum utitur, ut gratiæ meritique ſui participes reddamur. Fieri poteſt, ut hac ipſa phraſi reſpectus habeatur ad *aquam* & *ſanguinem*, cujus utriusque uſus erat in N. T. ad homines *mundandos* & *expiandos.* Id certe malim, quam cum Cl. *Schœtgenio* in Horis p. 1062. ſtatuere, Chriſtum ita & *Moſi* & *Aaroni* opponi ac præferri, quandoquidem Iſraelitæ in *Moſen* in nube & mari baptiſati dicantur 1. Cor. X. 2. *Aaronem* vero Sanctum Sanctorum cum ſanguine ingreſſum eſſe conſtet. Non negaverim quoque, ad aquam & ſanguinem alludi, quem ex latere Chriſti in cruce mortui, non ſine miraculo fluxiſſe *Joannes* XIX. 34. teſtatur, modo ne in eo tantum acquieſcendum exiſtimes. Hæc vero *Jo. Edwardi*, Angli, eſt ſententia in Exercitationibus Criticis in varia Scripturæ loca Anglice Lond. 1702. 8. editis. Ibi enim Parte II. Exerc. IX. p. 371. poſt rejectas aliorum ſententias de *aqua*, *ſanguine* & *Spiritu*, heic & v. 8. commemoratis, ſenſu literali ad paſſionem Chriſti reſpici, exiſtimat, & per *Spiritum* Servatoris animam, a corpore ſolutam, per *aquam* vero & *ſanguinem* utrumque ex perfoſſo ejusdem latere profluentem, intelligit; quemadmodum ſenſu myſtico per *Spiritum* communicationem Spiritus S. credentibus factam, per *aquam* ſanctimoniam eorum & innocentiam ipſiusque doctrinæ puritatem ac baptiſmum; per *ſanguinem* denique mortis cruentæ Chriſti fructum deſignari opinatur. Conf. Acta Eruditor. Lipſienſia an. 1704. p. 139. Lege præterea de

h. l.

h. l. *Saldeni* Otia Theolog. p. 654. *Cloppenburgii* Opera Tom. I. p. 959. & *Guſſetii* Confutat. libri *Chiſſuc Emuna* lib. I. c. X §. 61. ſeq.

καὶ τὸ πνεῦμά ἐςι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐςιν ἡ ἀλήθεια) Interpretes, inprimis ex noſtratibus, multi hanc phraſin ita accipiunt, ut Spiritus S. teſtari dicatur, *Spiritum* i. e. verbum Evangelii, ab ipſo profectum, verum eſſe. Vide huc *Jo. Joach. Zentgravii* diſput. de teſtimonio Spiritus S. interno de Scripturæ Sac. veritate, Argentor. 1702. Cl. *Schatzgenius* πνεῦμα, priore loco poſitum, de donis Spiritus S. internis & externis v. c. dono linguarum & miraculorum, poſterius vero de cultu Dei interno & ſpirituali interpretatur, hoc ſenſu, ut dona illa ſpiritualia, Chriſtianis conceſſa, teſtari dicantur, religionem Chriſtianam eſſe veram, quippe quæ ſe exſerat ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. Recogitans ego, vocem πνεῦμα v. 7. omnino de Spiritu S. proprie accipiendam eſſe, malim eandem ſignificationem, quam & alias in hac epiſtola obtinet, etiam in hoc commate, & quidem utrinque, tenere hoc ſenſu, ut Spiritus S. dicatur ea teſtata facere, quæ paulo ante de Chriſto dicta erant, & quidem ideo, *quia* Spiritus ſit veritas, adeoque non poſſit non de veritate teſtari. Vide quæ in hanc ſententiam poſt *Calovium* in Bibliis Illuſtr. ad h. l. & *Jo. Gerhardum* in diſput. ad 1. *Joh.* V. 7. dixit D. *Joach. Langius* in Exegeſi hujus epiſtolæ Latina p. 685. ed. in 4. Atque hanc ſententiam ex veteribus illi indicare voluiſſe videntur, qui pro πνεῦμα poſteriori *Chriſti* nomen poſuerunt. Hoc enim exſtat in *Vulg.* Interprete & Patribus aliquot Latinis. Neque tamen illi efficere debebant, ut B. *Lutherus*, invitis *coddic.* Græcis omnibus, *Chriſti* nomen reciperet; quod contra *Emſerum* recte monet *Raithius* in Vindiciis verſ. German. p. 600. ſeq.

Verſ. 7. Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες (ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ) Ita hæc verba exhibet *Curcellæus*, ut indicaret, (ceu in nota marginali profitetur,) illa, quæ parentheſeos notis incluſa ſunt, *in multis veteribus codicibus Græc. & Latinis, ut & in verſione Syriaca, Arab. & Æthiop. deſiderari &c.* Atque hinc factum eſt, ut noſtra inprimis memoria a multis de γνησιότητι vel νοθείᾳ hujus loci ſit diſputatum. Adferam itaque præcipuos eorum, qui huc operam ſuam recentiore potiſſimum ætate retulerunt, ſive egregium hoc pro SS. Trinitate teſtimonium pro genuino habuerint, ſive minus.

Ex noſtratibus huc ſpectant *Theophil. Alethæus* in der gründlichen Erläuterung Tom. VI. p. 195-304. *Jo. Guil. Bayerus* in Analyſi & Vindicatione locorum Scripturæ Sac. illuſtrium Parte I. p. 49. *Jo. Albertus Bengelius* in Apparatu Critico ad N. T. p. 745-771. diligenter & curate, *Jo. Fr. Buddeus* in Inſtitutionibus Theol. Dogmaticæ pag. 356. ſeqq. *Iſ. Fauſtius* in diſſert. de tremendo SS. Trinitatis myſterio Argentor. 1688. *Jo. Gerhardus* ſingulari diſſert. quæ in diſpp. ejus Academicis recuſa eſt p. 1293. *Sylveſter Grabius* in

in diſſert. inedita pro αὐθεντίᾳ hujus loci adverſus Sandium, quam *Georg. Hickeſius* in diſſ. de vita & MSS. *Jo. Ern. Grabii*, filii ejus, laudat, *Frider. Erneſtus Kettnerus* primum quidem in diſſertat. de divina auctoritate ſenſu & uſu hujus loci, Lipſ. 1696. 4. cum præfat. D. Valent. Alberti edita, hinc in Vindiciis ejusdem & Supplemento ib. 1702. 4. denique vero pleniſſime in Hiſtoria dicti hujus per multa ſecula omiſſi, Seculo V. reſtituti, & exeunte Sec. XVI. in verſionem vernaculam recepti, una cum Apologia B. Lutheri, Francof. & Lipſ. 1713. 4. Laudanda utique eſt ſolers viri induſtria, quam & Reverend. Angliæ Primas, *Guil. Wake*, in literis ad auctorem datis, & a *Tob. Eckardo* in Vita ejus exhibitis, prædicavit, quamvis non ſatisfecerit Rev. *Reimanno*, cui in Catalogo Bibliothecæ ſuæ Part. I. p. 15. non tam hiſtoriam dicti hujus, quam potius apparatum ad eam ſiſtere videtur. Accedunt illis *Caſpar a Lilien* in diſſertat. Sacris p. 43. *Jo. Henr. Majus* in Examine Hiſtoriæ Criticæ Simonianæ c. 18. *Jo. Laur. Mosheimius* in Diſſertat. de tribus in terra teſtibus ad v. 8. ubi in priore parte γνησιότης v. 7. vindicatur. *Jo. Georg. Neumannus* in prolegomenis ad B. Lutheri commentarium in epiſt. Joannis §. 22. ſqq. *Chriſtoph. Matth. Pfaffius* in Diſſert. Critica de variant. lection. N. T. p. 173. & 219. in Primitiis Tubingens. p. 80. & in Tom. I. Hiſtoriæ Theolog. Literar. p. 295. *Elias Sigism. Reinhardus* in diſſ. qua contra Socinianos oſtendit, quod, etiamſi Spiritus locum hunc nunquam dictitaſſet, eadem tamen concludendi vis Matth. XXVIII. 19. contineatur, Lipſ. 1666. & 1703. *Georg. Gothofr. Richterus* in Catalogo teſtium veritatis, german. Lipſ. 1727. 4. edito, ubi & de fatis hujus teſtimonii in verſione Lutheri Biblica p. 19. ſqq. differit, & veteres aliquot vulgatæ verſionis codices manu exaratos commemorat, in quibus locus hic diſerte legatur. *Jo. Reinhard Rus* in Introductione Generali ad N. T. p. 102. *Jo. Andr. Schmidius* in Pentade diſſertationum Helmſtad. 1716. 4. *Chriſtian. Schœtgenius* in Horis Hebraic. p. 1063. ſqq. ubi ex antiquitate Judaica teſtes ex cœlo & terra à Joanne allatos illuſtrat, eadem opera γνησιότητα dicti hujus adſtruens. *Gothofr. Wegnerus* in Vindicatione teſtimonii trium teſtium in cœlo, Francof. ad Viadr. 1690. & M. *Chriſtoph. Wolle* in Commentatione de Parentheſi Sacra p. 101. ſqq.

Inter hos, quos dixi, nemo eſt, qui genuinum hoc dictum eſſe non contendat. Quod ad initia doctrinæ repurgatæ attinet, negari non poteſt, ſub illis Theologos quosdam noſtrates, nominatim *Joan. Pomeranum*, ſive *Bugenhagium* de dicto illo ſiniſtre ſenſiſſe. Præjudicio vero huic occaſionem id fecit, quod a B. Luthero in verſione ſua erat omiſſum, non malo quidem conſilio, aut Arianiſmi ſtudio, ſed ideo, quod in exemplo Græco, quo uſus eſt, non deprehenderet. Ipſe *Rich. Simon* cordatum ſe judicem in Hiſtoria Critica verſionum N. T. præſtat, quando p. 523. allata eadem, quam modo dixi, ratione Lutherum excuſandum potius, quam reprehendendum arbitratur. Ex noſtratibus vero cauſam τȣ̃ μακαρίτȣ copioſius egerunt poſt *Raitbium* in Vindiciis verſionis vernaculæ p. 18. *Neumannus* loco modo citato,

Digitized by Google

tato, & plures alii, quos præſtantiſſimus *Jo. Albertus Fabricius* in Centifolio Lutherano Parte I. p. 470. & Parte II. p. 856. itemque *J. H. à Seelen* in Selectis Literariis p. 205. attulerunt. B. *Gerhardus* in ep. quadam, ad D. *Hoe* ſcripta, quæ una cum aliis ejusdem in Vita *Gerhardi* ab *E. R. Fiſchero* deſcripta, exſtat, p. 541. teſtatur, in exemplari Bibliothecæ Academicæ, noviſſima Lutheri manu correcto, ad marginem hæc legi: *in cælo non eſt teſtimonium, ſed clara viſio.* Ex quo Gerhardus ipſe *colligit, quod perſtiterit in illa ſententia, dictum illud non eſſe genuinam Scripturæ Canon. partem.* Sunt qui exiſtiment, locum hunc primum à *Leonh. Huttero* an. 1606. Wittenbergæ Bibliis vernaculis reſtitutum eſſe. Sed falluntur illi. Vt enim non dicam, eundem in exemplis verſionis dialecti Saxonicæ inferioris v. c. *Lubecenſi* 1494. & *Halberſtadenſi* an. 1520. vel 1523. procul dubio ad exemplum Vulgati Interpretis legi, quod obſervatum eſt *Seelenio* p. 247. Selectorum Literariorum; conſtat jam, eundem in editione *Francofurt.* 1581. apud Egenolphi hæredes, & alia ibid. 1582. apud Nic. Baſſæum in forma octavo majori curata, tum *Jenenſi* 1596. & *Wittebergenſi* 1604. exſtare. Vide hanc in rem Collectionem Novantiquorum Theologicorum an. 1733. p. 180. quas & an. 1711. p. 156. & 327. item 1712. p. 645. conferes. Adde Hiſtoriam Eccleſiaſtic. N. T. vernacula lingua ad methodum Hubnerianam editam, Tom. VIII. p. 1150. ſq. & Acta Boruſſica Tom. II. p. 467. ubi *Henr. Bartſchius* monet, dictum hoc in Bibliis German. *Tigurinis* an. 1531. ſed minoribus literis, item *Wittenbergenſ.* 1597. *Hamburgenſibus* 1596. fol. & Francofurt. ad Mœn. 1577. 4. expreſſum legi. Imo in Relationibus Literar. Hamburgenſ. an. 1735. p. 23. ſq. ab erudito Anonymo obſervatum eſt, locum illum in omnibus, quæ ante B. Lutherum lucem viderunt, verſionibus vernaculis exſtare.

Ex *Reformatis* huc pertinent *Theod. le Blanc* in Principes contre les Sociniens Parte I. pag. 130—195. ſeqq. γνησιότητα ejus adſtruens, *Jacobus Guſſetius* in Confutatione libri Chiſſuk Emuna Parte I. cap. 10. §. 53. ſeqq. *Joannes Jacobus Lavaterus* in diſp. de bis tribus in cœlo & in terra teſtibus, omni tempore inde a condito mundo de Jeſu Chriſto, ſalutis auctore, teſtantibus, & ad probandam fœderis gratiæ cum unitatem tum firmitatem ſuo teſtimonio tendentibus, Tiguri 1716. *Dav. Martinus*, Paſtor quondam apud Reformatos Vtrajectin. in duabus diſſertationibus gallice Vltrajecti 1717. 8. editis, quorum priore locum hunc Joannis, poſteriore vero Joſephi de Chriſto teſtimonium egregie vindicat. Idem, *Thomam Emlinum,* Anglum, adverſarium nactus, edito an. 1719. Reſponſionis ejus examine cauſam hanc adſeruit. Vide, quæ mox de *Emlino* inter *Anglos* dicentur. *Gerh. a Maſtricht* in Notis ad ſuam N. T. Græci editionem, & *Hermannus Witſius* in Exercitatt. Academ. pag. 196. & in Miſcellaneis Tom. II. Exerc. III. §. 29. ſeqq.

Jungam hic proxime *Anglos*, inter quos inprimis hoc argumentum diſputatum eſſe conſtat, non tantum in ſcriptis contra Socinianos & Arianos

nos magna copia editis, quæ heic commemorare longum foret, ſed in aliis commentationibus, quarum ſcriptores nunc adferam. Inter hos ſunt *Anonymus*, cujus diſſertat. Anglicanam, loco oppoſitam, a *Lockio* ſibi miſſam eſſe teſtatur *Joannes Clericus* in epiſtola, quæ in Amſtelodamenſi edit. N. T. *Milliani* recuſa exſtat: Anonymus alius, auctor *animadverſionum in libros aliquot,* Londini 1709. 8. editarum, qui pag. 186. ſeqq. *Joannem Clericum* refellit: *Anonymus* denique alius in diſſert. quæ inſcribitur: *Enquiry into the authority of the primitive Complutenſian edition &c.* h. e. *Examen auctoritatis editionis N. T. Complutenſis, tanquam quæ potiſſimum nititur antiquiſſimo Codice Vaticano, de quo ſimul disquiritur ad finiendam, quæ de loco 1. Joh. V. 7. fervet, controverſiam.* Lond. 1722. 8. Scriptoris hæc eſt ſententia. Cum Complutenſes illi primi ſint N. T. Græci editores, vehementer intereſſe, ut conſtet, num illi antiquiſſimorum codicum, & ſpeciatim *Vaticani* illius, a Leone X. P. M. ipſis commendati, fidem ſint ſecuti. Id vero probabile eſſe, variis rationibus oſtendit, & exceptiones quasdam amolitur. Ad fidem tamen rei pleniſſime faciendam novo codicis illius examine opus eſſe adfirmat, eadem vero opera p. 31. monet, codicem illum *Vatic.* ex quo comma hoc videatur deſumtum, probe diſtinguendum eſſe ab altero itidem *Vaticano*, cujus mentio fiat in calce Bibliorum Sixti V. In hoc enim comma illud ſeptimum fruſtra quæri, quod *Emlinus* & alii nonnulli præter rationem eo abripuerint, ut illud a Complutenſibus in ullo codice *Vatic.* lectum eſſe negarent. Auctor itaque eſt, ut codex ille vel Romæ, vel in Hiſpania, quo miſſus olim ſit, diligenter inveſtigetur. Adferenda hæc putavi, cum nonnihil ad Complutenſis editionis, ad quam in hac cauſa inprimis provocatur, fidem confirmandam faciant. Hos excipiat *Georg. Bullus* in Operibus pag. 139. ſeqq. pro αὐθεντίᾳ loci pugnans, ſuppetias ibidem *Jo. Ern. Grabio* in notis ferente. Ab altera vero parte *Thomas Emlinus*, Vnitarius, eam impugnare auſus eſt ſcripto Anglicano ſub titulo: *a full Inquiry into the original authority of that text* 1 Joh. V. 7. ἀνωνύμως (ex quo factum eſt, ut quidam noſtratium illud *Whiſtono* tribueret) Lond. 1715. & auctius ibid. 1717. 8. edito, in quo id inprimis agit, ut *Millii* argumenta inania eſſe evincat. Huic ſe poſtea oppoſuit *David Martinus* in diſſertat. ſupra allegata, cui cum *Emlinus* Reſponſionem opponeret an. 1719. 8. variis ſcriptis ἀμοιβαίοις nata eſt occaſio. Eorum indicem habes in Collectione Nov-antiquorum Theologicorum vernacula an. 1721. pag. 976. ſeqq. & in Vener. *Pfaffii* Hiſtor. Literar. Tom. I. pag. 295. cujus obſervatis hoc unum addi velim, quod *Martinus* denique *Emlino* oppoſuerit diſſertationem gallicam *de veritate hujus commatis argumentis omni exceptione majoribus demonſtrata*, Vltrajecti 1721. 8. Hic vero inprimis ad codicem MS. *Hibernicum* & Græcæ Latinæque Eccleſiæ teſtimonia provocat. Quo levius de *Millio* ſenſit *Emlinus*, hoc plus ejus & induſtriæ & candori alii eidem tribuerunt. Vtriusque enim laudem merito

Digitized by Google

rito reportavit, ex collectaneis & obſervationibus in Novo ſuo Teſtamento ad h. l. ita ſuppeditatis, ut ſimul profiteretur, *ſibi argumentis, ad auctoritatem huic verſiculo conciliandam adductis, tantum roboris ineſſe videri, ut eum nullo modo de loco ſuo movendum eſſe cenſeat.* Neque dubito, falli *Jo. Clericum*, quando in epiſtola ad C. Junium Optimianum, quæ in limine editionis N. T. Milliani Amſtelodamenſis recuſa eſt, hæc habet: *Nec tam ejus judicio adſcripſerim, quod rationum pondere ſe permoveri paſſus non ſit;* (nempe ad νοθείαν loci agnoſcendam) *quam iis, qui libere veritatem profeſſos maligne informare ſolent, quaſi hæreſibus, neſcio quibus, faverent, quia nolunt eas depravatis locis oppugnari.* Cauſam *Millii* recte egit Scriptor anonymus *Animadverſionum* in aliquot libros, quem paulo ante laudavi. Præter *Millium* dignus eſt, qui inſpiciatur *Jo. Seldenus* de Synedriis Hebræorum lib. II. c. 4. & *Thom. Smithus* in Miſcellaneis Londini 1690. 8. editis, quibus continetur diſſertatio, qua integritas hujus loci a ſuppoſitionis nota vindicatur p. 13. ſeq. una cum ejusdem defenſione contra exceptiones Simonii, in Hiſtoria Critica textus N. T. c. XVIII. propoſitas. Eam B. *Jo. Henr. Majus* in calce Examinis ſui Hiſtoriæ Criticæ Simonianæ recudi fecit. Porro *Eduard. Stillingfleethus* in Vindiciis doctrinae de SS. Trinit. p. 164 - 168. *Abrah. Taylor* in *Vera Scripturæ doctrina pro SacroſanctaTrinitate* Anglice Lond. 1727. 8. edita, Vol. I. cap. 2. (conf. ActaErudit.Lipſienſ. an. 1728. p. 393.) & *Leonh. Twells* in Examine Critico Novi Teſtam. Graeco-Anglicani Parte II. p. 123-154. contra editorem ejus anonymum, qui locum non tantum, qua potuit, oppugnavit, ſed & ex contextu Græco prorſus expunxit. Idem quoque *Gvil. Whiſtonus* in commentario ſuo ſuper epiſtolas Joannis fecerat, qui & alibi, v. c. in *the Account of primitive Faith.* Tom. I. p. 379. ſeqq. impotenter in locum invehitur: ſuppoſitionem ejus inter clariſſimas & pernicioſiſſimas, quæ unquam exſtiterint, corruptelas habendam eſſe p. 382. profeſſus. Contra *Jo. Walliſius* pro hoc loco perorat Tom. IV. Opp. p. 312. ſqq.

Ex *Arminianis* huc referas *Jo. Clericum*, qui in Notis ad *Hammondum*, in *Biblioth. Vniverſali* Tom. XII. p. 450. & in *Bibliotheca ſelecta* paſſim, item in Arte Critic. Parte III. Sect. I. c. 15. 15. c. 17. 38. locum ſuſpectum reddere magna animi fiducia conatus eſt.

Ex *Pontificiis* appello *Auguſtin. Calmetum*, cujus pro eo diſſertatio exſtat Tom. II. Diſſertationum ejus Biblicarum, ex verſione Latina, p. 296. ſqq. & Illuſtr. *Scipionem Maffejum.* Hic enim primus *Caſſiodorii* Complexiones in Epiſtolas, Acta Apoſt. & Apocalypſin ex tenebris in Lucem Florentiæ 1721. portraxit, eademque opera novum loco huic teſtimonium ex antiquitate Eccleſiaſtica attulit. In his enim diſerte hæc verba p. 125. leguntur: *Teſtificantur in terra tria myſteria, aqua, ſanguis & ſpiritus, quæ in paſſione Domini leguntur impleta: in cœlo autem Pater, & Filius, & Spiritus S. & hi tres unus eſt Deus.* Quantum huic teſtimonio tribuendum ſit, idem in Notis oſtendit. p. 251. ſqq. Eadem vero occaſione Londini 1734. 4. Latine prodiit epiſtola

ſtola ad eundem *Maffejum*, qua oſtenditur, loci hujus αὐθεντίαν illi *Caſſiodori* loco, ac præterea alii codici MS. ex ἀνεκδότοις Hiſtoriæ Literariæ *Guil. Cavei* ibidem exhibito, invicte ſuperſtrui. Conf. Nova Literaria Germanica Lipſienſia an. 1734. p. 340. Quæ *Jo. Morinus* in Exercitat. Biblicis lib. I. Exercit. II. p. 36. ſq. attulit, ea locum ſuſpectum magis quam certum reddunt. Idem vero majore contentione egit *Rich. Simon* in Hiſtor. Critica N. T. tum *Textus* ejus cap. XVIII. tum *Verſionum* c. IX. tum *Interpretum* p. 890. & ibidem in ſubjecta de Codd. MSS. diſſertat. p. 13. & p. 80. ſeqq. imo & in animadverſionibus Criticis ad Dupinii Bibliothecam Scriptorum Eccleſiaſt. Pariſ. nuper an. 1730. 8. editis, Tom. II. p. 420. ſeqq. cui tamen ibidem p. 575-628. ſe anonymus auctor ab altera parte oppoſuit. Idem fecit *Ludov. Rogerius* in diſſertationibus duabus Critico-Theologicis, quarum prior Socinianis & novis Criticis pro vindicando loco eſt oppoſita Pariſ. 1713. 8. Vid. *Memoires de Trevoux* an. 1714. Parte I. pag. 194. ſeqq.

De *Socinianis* & *Arianis* nihil eſt, quod admodum dicam. Inter eos *Chriſtoph. Sandius* in Append. ad Interpretat. paradoxas IV. Evangeliorum p. 376. ſeqq. locum impugnavit. Ei vero *Sylveſtrum Grabium* diſſertat. ſingularem ἀνέκδοτον oppoſuiſſe ſupra monui. Mireris fortaſſe, *Georg. Enjedinum* eum agnoviſſe. Id ſane apparet ex ejus *Explicationibus locorum V. & N. T. ex quibus Trinitatis dogma ſtabiliri ſolet.* Poſtquam enim p. 119. adfirmaverat, *tres teſtes* confirmaſſe, Jeſum verum Meſſiam & Filium Dei eſſe, nempe Patrem, Jeſum ipſum & Spiritum S., ſubjicit: *Atque hi ſunt tres illi teſtes cœleſtes, de quibus Joannes 1. ep. 5. loquitur, quos in teſtificando, Jeſum eſſe Chriſtum, unum eſſe adfirmat.* Vides utique, *Enjedinum* hinc loci γνησιότητα in dubium non vocaſſe, hinc vero vim ejus & ſenſum ad placita ſua accommodaſſe. Idem à *Serveto* quoque factum eſſe, alibi legere me memini.

Atque hæc de iis Scriptoribus ſufficiant, qui in utramque partem de loci Joannei conditione diſputarunt. Si quis ex me quærat, quid de illa habendum ſit, reſpondero, eam non rectius aut diſtinctius cognoſci poſſe, quam ex iis, quæ nuper admodum *Jo. Alb. Bengelius*, vir diligentiſſimus, in Apparatu Critico ad N. T. editionem attulit, p. 745. ſqq. Operæ itaque pretium puto, ſumma capita diſſertationis illius, ſuis præſidiis & argumentis ibi munita, apponere. 1. Ipſa ſectionis varietas hoc loco plane eſt ſingularis. 2. Criſis debet eſſe vera, rigida & a ſtudio partium remota. 3. Hunc verſum editio *Complutenſ.* non ex Græcis habet MSS. 4. Neque *Eraſmus*. 5. Neque *Stephanus*, neque *Beza*. 6. Neque adhuc alii codd. Græc. MSS. idonei hunc verſum exhibent. 7. Deſideratur in verſionibus antiquis tantum non omnibus. 8. Neque citatur, ubi vel maxime ad rem pertineret a Patribus Græcis pleriſque & Latinis quibuſdam. 9. Circumſpecte ergo fecit Lutherus, qui in ſua verſione Dictum prætermiſerit. 10. Tota horum verborum ſententia ex aliis etiam locis minime controverſis diſci & deduci poteſt v. c. Joh. X. 30. Joh. III. 8. 11. XIV. 6. XV. 26. *Matth.* XXVIII. 9.

11.

11. Habuit vero in ſuis codic. hanc periocham *Tertullianus.* 12. Habuit *Cyprianus.* 13. Nec non *Phœbadius.* 14. Et *Marcus* Celedenſis, & *Marius Victorinus Afer.* 15. Et apertiſſime *Eucherius* Lugdunenſis. 16. Habuit plane *Vigilius* Tapſenſis cum epiſcopis illius ætatis in Africa, non ſolum Catholicis, ſed etiam *Arianis.* 17. Legit hunc verſum Fulgentius. 18. Legit *Caſſiodorus*, *Ambroſius Ansbertus*, & alii. 19. Habet Latina verſio antiquiſſima. 20. *Auguſtinus*, vel etiam *Hieronymus*, potius diſſimulanter tractaverunt hoc dictum, quam ignoraverunt. 21. Verſus 7. poſt v. 8. legendus eſt. 22. Citerioribus demum ſeculis *Armeni*, atque ipſi *Græci*, hunc verſum poſtliminio receperunt. 23. Remanent tamen veſtigia periochæ apud Græcos initio lectæ non contemnenda. 24. Periocha hæc non eſt gloſſa ex allegorico Spiritus & aquæ & ſanguinis interpretamento conficta. 25. Non tam incuria librariorum factum eſt, ut in monumentis plerisque prætermitteretur hæc periocha, aut dolo Arianorum, quam conſilio virorum Eccleſiaſticorum quorundam. 26. Teſtimonia, dictum comprobantia, ſe invicem valde confirmant. 27. Nemo tamen, ut nunc eſt, aut obtrudere alteri dictum poteſt, aut eripere. 28. Ex hiſtoria dicti hujus elucet θεῖον quoddam, apud eos ſaltem, qui dictum accipiunt: argumentum vero irrefragabile pro dicto ipſe contextus præbet Apoſtolicus. Horum aſſertorum pleraque ab Auctore penitus ad liquidum perducta eſſe, unum tamen itemque alterum exceptionibus patere, exiſtimo.

Nonnulli in hac cauſa omnino nihil definiendum, ſed amplius cogitandum cenſuerunt. Inter hos video eſſe *Anton. Coulanum* in Examine Hiſtor. Criticæ N.T. Simonianæ p. 370. ſqq. quamvis ad amplectendum locum procliviorem ſe profiteatur p. 377. ideo, quod filum orationis egregie cohæreat, &c. Num dictum hoc in Novo ſuo Teſtamento, quod *Richardus Bentlejus*, Vir eruditiſſimus, olim paravit, locum aliquando ſit habiturum nondum exploratum ſe habere, ipſe in epiſtola quadam, quæ gallice in Biblioth. Anglicana Tom. II. pag. 27. exſtat, profitetur.

Fuerunt, qui illius auctoritatem ex Judaicis antiquitatibus, ſeu ex more, Judæis in adferendis teſtibus recepto confirmare inſtituerunt. Ita Cl. *Schœtgenius* pag. 1063. Horarum Hebr. obſervat primo, apud Judæos teſtem unum nihil valuiſſe *Deuter.* XIX. 15. ſed duos vel tres fuiſſe requiſitos XVII. 5. deinde eum, qui uno tantum teſte eſſet inſtructus, teſtem quoque cœleſtem, nempe Deum, vel per juramentum, vel per poſtulationem auxilii cujusdam & teſtimonii extraordinarii, advocare potuiſſe. His poſitis conficit, Apoſtolum h. l. demonſtratione validiſſima, nec Judæorum ulli unquam recepta, uſum eſſe, tres teſtes non terrenos tantum, ſed & cœleſtes, appellando. Addit poſt *Grotium*, Dominum noſtrum transfigurationis ſuæ veritatem ſimiliter trium in terra, nempe Petri, Jacobi & Joannis; trium vero de cœlo, nempe Patris, Moſis & Eliæ teſtimoniis ſuperſtruxiſſe. Novum denique hoc ait eſſe argumentum pag. 1066. quo dictum

 hoc

hoc claſſicum ſtabiliri poſſit. Memini quoque, *Joannem Meyerum* in Diſſert. Theologica de myſterio SS. Trinitatis, Harderovici 1712. edita pag. 79. locum afferre ex libro *Jezira* cap. VI. Sect. 1. f. 88. 2. ubi dicitur עדים נאמנים עולם שנה נפש *teſtes ſunt fideles, mundus, annus & anima;* & mox: שלשה אש ומים ורוח *tres, ignis, aqua & Spiritus. Per* mundum deſignatur *corona, per* annum *ſapientia, per* animam *vel* hominem *intelligentia, ſicut rurſus per* ignem *intelligentia*, per aquam *corona*, & per Spiritum *Sapientia.* Hæc deinde idem cum loco hoc Joanneo comparat, quo non minus par teſtimonii triplicis repræſentatur; ac praeterea monet, in libro *Jezira* aliquoties legi, quod tres primæ *Sephiroth, corona, ſapientia & intelligentia unum ſint.*

In *Syriaca* verſione locum non eſſe expreſſum conſtat. Illum vero *Tremellius*, a ſe converſum, notis ſuis, *Guthirius* autem & *Carolus Schaafius* contextui ipſi intulerunt.

In ſuperioribus monui, Rev. *Leonardum Twells*, in Examine Critico Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Parte II. pag. 123. ſeqq. occurriſſe exceptionibus, quas editor ejus anonymus in Actis p. 921 - 935. magno conatu contra loci hujus γνησιότητα attulit. Vindicias *Twelſii* dignas puto, quas ex Anglico Latine factas adponam. Præmiſſis itaque generalibus quibusdam obſervationibus, fidem Annotatoris candorem & æquitatem ſuſpectam reddentibus primo loco oſtendit, teſtimonia illa veterum, quæ is loco opponit, non omnia huc pertinere. Indicem, *inquit*, Graecorum codicum, in quibus locus hic fruſtra quæritur, obſignat eo, quod *Antiquum Bibliorum Correctorium* teſtetur, eum in nullo codice Græco vetere exſtare. Interim verba *Correctorii* hæc ſunt: *Hic corrupti ſunt quidam libri Græcorum, ut ait B. Hieronymus, qui hoc capitulum non habent*, &c. *Hieronymus* itaque non *omnes*, ſed *quoſdam* libros eo ait deſtitui. Præterea auctor *Correctorii* non de ſuo id tradit, ſed præeunte *Hieronymi* Prologo, cujus tamen ſententiam non eſt adſecutus. In eo enim omiſſionis culpa non in Græcos codic. ſed in Latinos Interpretes transfertur, qui nempe in verſionibus ſuis non expreſſerint, quæ in exemplaribus Græcis invenerant. Vide *Rich. Simonis* Hiſtor. Critic. Verſionum N. T. p. 111.

2. Ad Latinos codices, dicto hoc deſtitutos, non referendus eſt ille, quem primo loco appellat, *Lectionarium* ſcilicet MS. a *Mabillonio* editum. Neque enim *Latinum* hoc erat, ſed *Gallo Teutonicum*, quo nomine ipſe Editor p. 930. notarum appellavit.

3. Velim, oſtendat, quo loco *Antiquum Bibliorum Correctorium* docuerit, dictum hoc in codic. *Latinis* antiquis, tum exſtantibus, non inveniri. *Rich. Simoni* id omne debere mihi videtur, qui emendat errorem *Correctorii, Græcorum* pro *Latinorum* habentis. Error itaque hic novum contra hunc locum teſtimonium, emendatio vero ejus iterum aliud ſuggerit. Taceo, *Simonem* p. 111. 112. Hiſtoriae Verſionum, de Seculo X. quo *Correctorium* hoc confectum

fectum eſt, loquentem, pauca *Latina* exemplaria MS. loco hoc ea ætate caruiſſe profiteri.

4. Auctor *Synopſeos S. Scripturæ* male refertur inter Patres, quorum ſilentium loco illi fraudi ſit. Vnius enim tantum loci meminit, qui in capite V. diſerte legitur, alludit vero ad locum aliquem, qui nulli totius epiſtolæ commati ſimilior eſt, quam commati huic ſeptimo. Verba hæc ſunt: *καὶ τὴν ἑνότητα δὲ τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα δείκνυσι.*

5. *Didymus* non juſto *commentario* epiſtolam Joannis primam, ſed brevibus potius *ſtricturis*, quas *Enarrationes* appellat, illuſtravit. In his vero non magis ſextum aut octavum hujus capitis comma, quam ſeptimum, aut ullum ex ſequentibus usque ad 14. commemorat. Itaque hoc ejus ſilentium nihil probat.

6. Ex indice Scriptorum Latinorum per quinque priora Secula, qui non meminerunt hujus loci, expungi debet *Eucherius*, qui, quamvis comma octavum, non autem ſeptimum, in libro *Reſponſionum ad Quæſtiones* ſuper loca difficilia, (ideo nempe, quod ſeptimum nulla difficultate premeretur), adferat, in alio tamen opere ſuo utrumque attuliſſe intelligetur.

7. Ex eodem indice expungendus quoque eſt *Cerealis*. Quamvis enim dictum hoc, adverſus *Maximianum* diſputans, non citet, pro genuino tamen habuit, quando ſubſcripſit Confeſſioni fidei Africanæ, *Hunnerico*, Vandalorum Regi, per *Eugenium*, Epiſcopum Carthaginenſem, oblatæ, quippe in qua idem dictum allegatur. Sed de hoc plura in ſequentibus. Hoc *Eucherii* exemplum commonſtrat, parum roboris argumento *negativo* adverſus locum noſtrum ineſſe. Videmus enim, ſcriptores quosdam veteres, qui illum agnoſcebant, & tanquam *γνήσιον Arianis* opponebant, alia tamen occaſione iisdem adverſariis ſe opponentes, ejus non meminiſſe. Plura hujusmodi exempla in *Martinii* ſuper h. l. diſſertat. II. cap. 3. pag. 179. 180. leguntur.

Denique 8. inter editiones, quæ comma hoc omittunt nihil tribuimus *Hagenoenſi* 1521. & *Argentorat.* 1524. tanquam non authenticis, & ope novorum quorundam codicum adornatis, ſed prorſus ad exemplum editionum ſuperiorum conformatis.

Teſtimoniis, quæ loco huic opponuntur, ad pauciora ſic redactis, videbimus nunc, quam liberalem ſe præſtet Annotator in admittendis iis, quae pro illo faciunt. Quod ad *Græca* attinet, tria tantum largitur. 1.) MS. *Dublinenſe*, quod à *Britannico* non putat eſſe diverſum, ab *Eraſmo* allatum. 2) Fragmentum *Græcum*, ad Concilii *Lateranenſis*, an. 1215 habiti, Acta ſpectans. 3.) Editionem N. T. Græci *Complutenſem*. Pauciſſima hæc ſunt, ſi cum iis comparentur quæ ipſe non poteſt ignorare a loci hujus patronis allata eſſe. Sunt autem iſta:

1) Codices MSS. cum quibus *Laur. Valla* Sec. XV. *Latinum Vulg.* contendit. In notis enim ſuis ſuper Teſtam. *Græcum* diligentiſſime omnia,

quæ in illa verſione vel deficiunt, vel redundant, percenſet, cui ipſi non admodum faviſſe videtur. Ita 1. Joh. V. 8. ubi Latinus habet: *hi tres unum ſunt*, Valla monet: *Græce eſt: hi tres ſunt in unum*. Ad v. 7. nullam obſervat varietatem, quod inſigni argumento eſt, codices ejus Græcos comma hoc habuiſſe. Argumentum hoc negativum quidem tantum eſt, ſed contra illud nihil excipere poteſt adverſarius, qui eodem frequenter utatur.

2) MS. vel MSS. illa quorum fide comma hoc in edit. *Complutenſem* illatum eſt. *Eraſmus* in notis ad loc. agnoſcit, editionem illam Hiſpanicam locum debere codici *Vaticano*, & *Amelotus* in notis ad verſionem ſuam Teſtam. *Græci* teſtatur, eum ſibi in antiquiſſimo Biblioth. *Vaticanæ* exemplo lectum eſſe. Confer epiſtolam Anonymi Angli, qua in auctoritatem editionis Complutenſis inquiritur. (*a*)

3) MS. *Britannicum*, cujus auctoritate adductus *Eraſmus* comma hoc editioni ſuæ tertiæ an. 1522. inſeruit.

4) Exſtabat etiam in aliquot *Stephani* codicibus, teſte ad loc. *Beza*, qui ibidem varietates lectionum ad v. 7. adfert.

5) MS. *Dublinenſe*, antea *Montfortenſe* dictum, diverſum ab *Eraſmi* Britannico, ſecus quam Noſter opinatur. Sed de illo mox plura.

6) MS. Biblioth. Reg. *Berolinenſis*, cujus contextum locus hic occupat. Vide *Martini* Examen c. 14. pag. 165. Fallit itaque Annotator inſigniter, quando pag. 927. affirmat, in uno MS. *Hibernico* illum exſtare. (*b*)

7) *Maximus*, Scriptor Græcus, an. 645. auctorque diſputationum in Concil. Niceno (inter opera *Athanaſii*) oraculum hoc allegat.

8) Idem legitur in *Lectionario* Eccleſiæ Græcæ, quod Ἀπόστολος vocatur, Venet. 1602. ed. *Velut ab antiquis ſeculis recepta lectio*, ut ait *Seldenus* de Synedriis lib. II. c. 4. art. 4. Lectionarium hoc cadit in Sec. V. Vide *Millii* Prolegom. §. 1054. & *Martini* Diſſertat. Parte I. c. 13.

9) Fragmentum *Græcum*, ſpectans ad Concilium Lateranenſe, ſub *Innoc.* III. an. 1215. per Epiſcopos *Græcos* & *Lat.* habitum, eundem agnoſcit.

10) Habet eundem *Emanuel Calecas*, Scriptor Græcus, an. 1360.

11) Editio *Complutenſis* N. T. Græci 1525.

12) Edit. III. ab *Eraſmo* 1522. adornata.

13) Editio *Rob. Stephani* prima an. 1546.

14) Editio ejuſdem *tertia* an. 1550. Habet quoque ejuſdem *ſecunda*, quam ideo non affero, quia tota ad fidem primæ recuſa eſt, ſine collatis novis quibuſdam exemplis.

De

(*a*) Vide quæ nos paulo ante de ea pluribus diximus p. 297.

(*b*) De utroque codice, *Berolinenſi* & *Dublinenſi* lege epiſtolam V. C. *Maturini Veyſſiere la Croze*, quæ exſtat in *C. S. Jordani* Voyage Literaire p. 153. Is vero in *Berolinenſi* locum illum manu recenti ex Bibliis Complutenſ. deſcriptum eſſe, tum ex vitiis typographorum Complutenſium penitus retentis, tum ex novitate membranæ conjicit; in *Dublinenſem* vero ex Concilii Lateranenſis verſione Græca translatum ſuſpicatur.

De antiquis verſionibus, quæ oraculum hoc agnoſcunt, Annotator prorſus tacet. Lacunam itaque hanc, ſtudio relictam, ſupplebo.

Primo itaque obſervari velim, nos, ſi affirmemus, dictum hoc de tribus in cælo teſtibus in verſione *Italica* vetere, quae ante *Hieronymum* univerſe, poſt illum vero per aliquot ſecula communiter recepta erat, exſtitisſe, majore veri ſpecie noſtram, quam adverſarii, rem audacter negantis, ſententiam ornare poſſe. Neque enim ſupereſt nunc codex illius verſionis manu exaratus, qui epiſtolas *Catholicas* complectatur. Quod vero ad Patres *Latinos* attinet, qui locum ex hac verſione adferunt, luculentis eorum teſtimoniis conſtat, eos illum in exemplaribus ſuis inveniſſe, quando adverſarius pro ſua ſententia tantum ad ſilentium aliorum Patrum provocat.

Deinde verſio *Hieronymi Vulgata*, ſive vetus *Italica*, ad optimos quosque codices recognita, habet hunc locum.

Tertio verſio *Armenica*, *Amſtelodami* ab Epiſcopo Armeno edita, eundem exhibet, de cujus fide præclare judicat *Rich. Simon* in Hiſtor. Critica verſionum c. XVII. (*c*)

Hactenus vidimus, quam mala fide uſus ſit Noſter in adferendis teſtimoniis *Græcorum* librorum, editionum item & verſionum veterum, quæ commati huic patrocinantur. Diſpiciendum porro eſt, num majore utatur in excitandis teſtimoniis *Latinorum*. Inter hæc affert

1. *Prologum* ad epiſtolas Canonicas, qui *Hieronymo* tribuitur.

2. Exemplum Latinum *Lotharii* II. ætate inter an. 1125. & 1139. ſcriptum, & una cum pleriſque Latinis *codic.* intra VI. ſecula poſtrema exaratis.

3. Epiſtolas Decretales Pontificis *Joannis* II. & *Hygini*, à Pſeudo-*Iſidoro*, alias *Riculpho*, Epiſcopo *Moguntino*, fabricatas. His jungit denique Scriptores quoſdam ſpurios, *Idatium Clarum*, alias *Vigilium Tapſenſem*, & *Victorem Vticenſem*, alias *Vitenſem*. Eos quidem non diſerte inter loci hujus patronos numerat, ſed ſubinnuit, lectores cavere ſibi jubens, ne in ſocietatem pravorum ejusmodi hominum abripi ſe patiantur, h. e. ne auctoritati eorum in hac cauſa quicquam tribuant. Atque hæc ſunt *Latinorum* teſtimonia, ab Annotatore pro ſingulari fide ſua tantum admiſſa. His oppono indicem ſequentem pleniorem. Pertinent huc

1. *Vulg. verſ.* codex *Lat.* ante 800. annos, *Lotharii* II. tempore, indice *Rich. Simone*, exaratus. Hic non eſt diverſus ab eo, quem Noſter ſupra intra an. 1125. & 1139. ſcriptum fuiſſe tradit. Ita vero codex ille 600. annorum ætatem non ſuperaret. Cauſa diſſenſionis inter *Simonem* & Annotatorem noſtrum in eo eſt poſita. *Simon* dixerat, codicem hunc tempore *Lotharii* II. ſcriptum eſſe. Cumque *Lotharius Saxo*, Sec. XII. a Chronographis nonnullis

(*c*) At in hanc verſionem oraculum hoc ex Concilio Siſenſi A. C. 1307. translatum eſſe exiſtimat V. C. *Maturinus Veyſſiere la Croze* in epiſtola, quæ exſtat in *C. S. Jordani* Voyage Literaire p. 156.

lis *Lotharius* II. appelletur, Annotator ætatem ejus pro ætate codicis hujus habet, atque hac ratione antiquitatem teſtimonii hujus ducentis ſaltem annis facit inferiorem. Heic vero data opera peccavit. *Simonius* enim codicem hunc eo, quo *Hiſtoriam* ſuam *Criticam* ſcribebat, tempore 800. annorum ætatem habuiſſe clare ſatis teſtatur. Itaque neceſſe eſt, *Lotharius* ille II. ſub quo codex ſcriptus erat, in ſeculo IX. quæratur. Eo enim invenimus *Lotharium*, Patri ſuo ex parte ſuccedentem an. 855. Vide *Petavii* Rationarium Temporum p. 526. Propterea codex ille, quem adverſarius ad Sec. XII. retulit, nunc quidem 900 fere annorum ætatem habere recte exiſtimabitur.

2. MS. *Vulg.* a *Burneto*, Epiſcopo, *Argentorati* conſpectum, quod ætatem *Caroli M.* atque adeo 900. annorum refert.

3. Aliud *Genevenſe*, cui idem Epiſcopus 700. annos tribuit.

4. Biblia *Caroli M.* ab *Alcuino* & aliis, juſſu Imperatoris, ad fidem MSS. ante 900. & amplius annos, correcta.

5. Codd. *Latini*, ad ſex Secula poſtrema pertinentes, comma hoc communiter habent, quod *Simonius* cum aſſeclis ſuis, aperte profitetur.

6. *Antiquum Correctorium Bibliæ*, a Doctoribus *Sorbonicis* ante ſeptem Secula & amplius factum.

7. *Ordo Romanus*, ſecundum *Cavium* & *Uſſerium* an. 730. confectus, lectionem verborum 1. *Joh.* V. 7. inter *Octavam* Paſchatos & Dominicam in Albis fieri jubet, quod ex *Durando*, Scriptore Seculi XIV. in Rationali divinorum Officiorum diſcimus, teſtante, locum hunc *Ordini Romano* convenienter lectum fuiſſe. Similiter S. *Bernardus* locum habet in Sermone ſuper *Octavam* Paſchat. & Sermonibus aliis pluribus. Hæc de *Latinis codd.* & *Ritualibus*, pro commate hoc facientibus, ſufficiant. Sequantur jam ſcriptores *Latini* idem firmantes.

1. *Tertullian.* an. 200. diſerte alludit ad h. l. *contr. Prax.* c. 25.

2. *S. Cyprianus*, qui floruit an. 248. clare ut Scripturæ particulam id laudat, quod non niſi h. l. invenimus. In libro enim *de unitate Eccleſiæ* ita: *Dixit Dominus*: *Ego & Pater unum ſumus. Et iterum de Patre Filio & Spiritu S. ſcriptum eſt*: *& hi tres unum ſunt.* Illuſtre hoc teſtimonium invicte probat, locum hunc Sec. III. in probatis codicibus lectum fuiſſe. Teſtimonium vero hoc *affirmans* γνησιότητα ejus magis adſtruit, quam argumenta *negantia* omnia, quæ illi oponuntur, eandem infringunt. Propterea inimici ejus nulli operæ pepercerunt, ut illud nobis extorquerent. Sed fruſtra. Si enim, quod a nonnullis fit, dicatur, ſanctiſſimum *Martyrem* his verbis ſenſum tantum *myſticum* commatis octavi tradere, quo *Spiritus*, *aqua* & *ſanguis* ad tres perſonas Trinitatis referantur, ea certe interpretatio ætati *Cypriani* adſcriberetur, quæ ab *Auguſtino* demum, atque adeo 150. annis poſt, inventa videtur. Si porro largiamur, expoſitionem hanc *Cypriani* ætate jam fuiſſe receptam, vel ſic tamen illa a Cypriano in medium allata fuiſſe non credetur, niſi aliis exemplis conſtiterit, illum expoſitiones ejuſmodi Scripturæ locorum, qui in

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ætatis exemplaribus non exſtiterint, proferre conſueviſſe. Jam vero nemo ex Patribus *Græcis* aut *Latinis*, ipſa Scripturæ *verba* diligentius affert, quam *Cyprianus*. Nihil igitur agit *Clericus*, quando ex laxioribus *Tertulliani* & *Optati* allegationibus conficit, nulli Scriptori *Africano* in hoc momento aliquid eſſe tribuendum. Neque enim in ejusmodi cauſis ad *indolem* vel *ætatis*, vel *regionis*, ſed ad conſuetudinem *Scriptoris* cujusque, de quo quæritur, reſpici debet. Quoniam porro in momento adeo gravi adverſarii noſtri nec unum exemplum adferre potuerunt, quo S. *Cyprianus* a litera codicis ſui in alleganda Scriptura abierit, recte adſeveramus, locum hunc in exemplaribus aliquot *Africanis* ante Sec. III. medium exſtitiſſe. Addo denique, ipſam rationem, qua *Cyprianus* in locis *Job* X. 30. & *Job.* V. 7. tanquam uno *halitu* citatis, uſus eſt, certiores nos facere, quod, quando *Tertullianus* iisdem phraſibus, altera poſt alteram, utitur, Scripturæ verbis utrinque ſit uſus.

3. *Eucherius* Lugdunenſis, an. 434. in tractatu, quem inſcripſit *Formulas ſpiritualis intelligentiæ* c. II. 3. 4. ſeptimum æque ac octavum comma eodem, quo in editis noſtris exſtant, ordine exhibet, atque adeo calumniam evertit, qua comma 7. myſticam tantum octavi interpretationem continere dicitur.

4. *Vigilius Tapſenſis* an. 484. in libris ſuis *de Trinitate* inter *Athanaſii* opera (lib. 1. & 7.) editis, item in Tract. contra *Varimadum* Arianum, ſub nomine *Idacii Clari*, locum hunc bis allegat.

5. *Victor Vitenſis*, *Vigilii* æqualis, in Hiſtoria Perſecutionis Vandalicæ, Confeſſionem fidei exhibet, quam *Eugenius*, Epiſcopus Carthagin. & Orthodoxi in Africa Epiſcopi, *Hunnerico* Regi, Arianis faventi, qui Epiſcopos illos ad vindicandam Catholicam de Trinitate doctrinam convocaverat, obtulerant. In hac Confeſſione, an. 484. exhibita, inter alia Scripturæ loca etiam ad hunc Joannis provocabant, hoc ipſo clariſſime teſtati, ſibi illum genuinum videri. Neque Ariani, quod nobis conſtat, contra illum excipiebant. Partes itaque, illa ætate diſſentientes, in admittenda loci *αὐθεντία* conſenſiſſe videntur.

6. Annis 23. poſt, Scriptor quidam ejusdem regionis orthodoxus, nempe *Fulgentius Ruſpenſis*, an. 507. oraculum hoc in Operibus ſuis ter ad partes vocat: id quod evincit, *Arianos* Hunnerici tempore textum hunc ſuſpectum reddere non potuiſſe. Quod ſi enim id feciſſent, nullus Scriptor Catholicus, teſtimonio jam exploſo, cujus memoria recens utique fuiſſet, uti ſuſtinuiſſet.

7. Seculo eodem medio *Caſſiodorus*, vel *Caſſiodorius* potius, Patricius Romanus, vixit, Monachisque, ſibi ſubjectis, delectum antiquiſſimorum & correctiſſimorum Scripturæ S. codicum commendavit, & in eorum uſum exemplaria, ope contextus Græci, emendavit, auctorque exſtitit, ut in locis dubiis duos treſve antiquos & emendatos codices conſulerent. Tanto ſtudio is ferebatur in recognoſcendum ſacrum contextum, ut opera reliquos libros emendandi *Notariis* ſuis relicta, ipſe ſacrorum librorum curam in ſe reciperet. Teſtatur porro, ſe de *Orthographia* ideo commentatum eſſe, ut accuratam

ſacrorum librorum deſcriptionem proveheret. In hac igitur cauſa definienda magni momenti eſſe oportet, ſi cognitam habeamus lectionem codicis ejus h. l. Ex omnibus vero ejus tractatibus nullus deſiderio noſtro ſatisfacere rectius poterat, quam *Complexiones* ejus, h. e. breves & ſuccinctæ in *epiſtolas Apoſtolicas*, *Acta* & *Apocal.* annotationes. Recte enim ſtatues, illum, qui emendata exemplaria, cum *Græco* collata, & ex antiquis emendatiſque libris deſcripta, ad communem etiam uſum neceſſaria eſſe judicabat, non minus accurate verſatum fuiſſe in contextu recognoſcendo, quem commentario illuſtrare inſtituerat. At hæ ipſæ *Complexiones Caſſiodorii* inter deperditas ad exemplum ſimilium monumentorum veterum reputabantur, donec paulo poſt operam, a *Martino* erudite & ſapienter in hoc oraculo collocatam, præter exſpectationem, a *Scipione Maffejo* in Bibliotheca *Veronenſi* inventæ, *Florentiæ* an. 1721. in lucem proferrentur. Ex his vero conſtat, oraculum hoc in *Caſſiodorii* codice lectum fuiſſe. In Commentario enim ſuo in 1. Joh. V. 1. ſeqq. hæc denique verba legis: *Teſtificantur in terra tria myſteria, Aqua, Sanguis & Spiritus; quæ in paſſione Domini leguntur completa: in Cælo autem Pater, & Filius, & Spiritus S. & hi tres unus eſt Deus.* Poſtea ad citandum & explicandum comma 9. progreditur.

8. Seculo VIII. an. 705. *Iſidorus Mercator* creditur fabricaſſe *Epiſtolas decretales* ab ipſo editas. In harum prima, quæ eſt *Hygini* Papæ, locus hic adfertur, quamvis ordine inverſo, qualis & in *Caſſiodorii* exemplari fuiſſe videtur. Sint autem ſpuriæ hæ epiſtolæ, id tamen non oberit, quo minus credamus, locum hunc in codicibus illius ætatis lectum fuiſſe.

9. Eodem tempore *Ambroſius Authpertus* floruit, in cujus ſuper *Apocalypſin* commentario verba hæc adferuntur in expoſitionem *Apocal.* l. 5.

10. Præfatio ad epiſtolas Canonicas, *S. Hieronymo* adſcriptas, non poteſt eſſe inferior Seculo VIII. imo eo antiquior videtur. Quicquid hujus erit, certo ea teſtatur, locum ea ætate non ſolum in *Vulg.* Hieronymi, ſed & in aliquot *Græcis* codd. exſtitiſſe.

11. In *Gloſſa Ordinaria* Walafridi Strabonis, quæ Sec. IX. univerſim recepta erat, verba hæc & in *textu* & in *commentario* leguntur.

12. Nullus Scriptor *Latinus* de loco hoc (qui inde a Sec. V. in variis codd. exſtitit) tanquam ſuppoſito queſtus eſt, ex quo recte collegeris, nihil alicujus momenti contra ejus γνησιότητα adferri potuiſſe. Præfatio *Hieronymi* Interpretes quoſdam ob *omiſſionem* ejus culpat, *inſertio* vero ejus non ante *Eraſmi* ætatem, ut fraudis plena, damnata eſt.

Qui jam indicem teſtimoniorum, ab Annotatore pro loco hoc allatum, cum meo comparaverit, is quidem eum partium ſtudium inſigniter prodidiſſe agnoſcet. Neque omiſſionem tot teſtimoniorum tum *Græcorum*, tum *Latinorum*, eo excuſare poterit, ut dicat, ſibi illa vel in ſe *falſa*, vel in adplicatione minus *idonea* eſſe viſa. Nam & de illis quæ attulit, idem judicat. Itaque *præſtantiora* ideo tantum ſilentio præteriiſſe merito exiſtimabitur, quod perſuaſum ſibi

ſibi haberet, nihil contra ea excipi poſſe. Interim & illæ exceptiones, quas reliquis teſtimoniis, pro loco hoc facientibus, oppoſuit, imbecilles admodum, vel parum ingenuæ ſunt, atque ita comparatæ, ut nemo illis, niſi *Anonymus* aliquis, cui pudor nullus extorqueri poſſit, uti potuiſſe videatur. Ita v. c.

1. falſo *Eraſmi* codicem *Britannicum* Græcum, & *Montfortenſem*, ſeu *Dublinenſem*, unum eundemque eſſe cenſet, quem tamen oraculi hujus patroni recte diſtinguunt. Codices enim illi comma 7. diverſimode legunt, atque adeo iidem eſſe non poſſunt. Vox ἅγιον voci πνεῦμα in MS. *Dublinenſi* additur, quæ tamen deeſt in illo *Eraſmi:* ſimiliter in illo οἱ antecedit vocem μαρτυροῦντες, in hoc vero deſideratur. *Britannicum* porro illum, quem ab *Hibernico* non diſtinguit, inter *Græcos* numerari vix poſſe exiſtimat, quem *Eraſmus* ipſe ad *Vulg.* correctum eſſe fateatur. Hac vero ratione & alii codd. eximiæ notæ, quibus Annotator ad ſuam de h. l. ſententiam tuendam uſus eſt, deferendi fuerint, nominatim *Bezæ* ille, vel *Cantabrig.* item *Rob. Stephani* β. Præterea manifeſtum eſt, *Eraſmum* conjectura ſua heic falſum fuiſſe, quoniam comma hoc ex *Vulg.* mutuum ſumi non potuit. *Britann.* enim ante πνεῦμα omittit ἅγιον. quando vox *Sanctus* in *Vulg.* codd. & ſcriptis & editis exſtat. Denique Annotator monet, teſte *Millio* in cod. *Hibernico* varia loca eſſe *eraſa*, alia vero varietatibus *interlinearibus* diſtincta. Sed quid hoc facit ad locum Joannis, qui nec *eraſus* erat, nec varietatibus *inter lineas* diſtinctus? Neque hoc momentum fidem codicis illius elevat, quandoquidem meo judicio pauca exemplaria ab ejusmodi defectibus immunia ſunt; quemadmodum nec *Millius* hoc omne in præjudicium codicis hujus adfert. Credit enim, utrumque illud a manu *recente & idonea Wilbelmi Chark*, cujus codex quondam fuit, viri & *docti & judicio valentis*, profectum eſſe. Hujus igitur circumſtantiæ commemoratio, tanquam quæ a *Millio* ad codicis auctoritatem deprimendum facta ſit, fraudem facit lectoribus.

2 *Græco* contextui Concilii *Lateranenſis*, qui locum hunc agnoſcit, eumque ἐν τισι κώδηξιν, *in codicibus nonnullis*, exſtitiſſe ait, *Annotator* objicit poſt *Simonium*, *Latinum* contextum eſſe originalem, eademque opera innuit, teſtimonium hoc inter *Græca* proprie numerari non poſſe. Cum vero *Concilium* hoc ex *Græcis* æque ac *Latinis* Patribus conſtiterit, quorum utrique ad *Acta* ejus conſignanda ſocias operas contuliſſe creduntur, exceptio hæc nihil valet. Præterea vero phraſis illa, ἐν τισὶ κώδηξι melius quadrat ad codices illius ætatis Græcos, quos propterea indicari maxime veri ſit ſimile. Concilium enim hoc habitum eſt an. 1215. quo tempore locus hic in *nonnullis* tantum *Græcis* codd. exſtitit: quando ab altera parte in *Latinis* codd. tantum non omnibus, legebatur. Id *Rich. Simonius* ipſe fatetur, idem affirmans de illis quoque Latinis *codd.* qui duobus tribusve Seculis ante Concilium *Lateranenſe*, quando Sorboniſtæ *Correctorium Bibliæ* concinnabant, h. e. Sec. X. exſtiterunt. Eo ipſo, teſte *Simonio*

 p. 111.

p. 111. & 112. *Hiſt. Crit. Verſ.* pauci Latini *codd.* locum hunc deſiderarunt. Quod ſi itaque Patres *Lateranenſes* de codd. Latinis loqui voluiſſent, ſcripturi potius erant, ἐν πλείστοις, quam ἐν τισι κώδηξι. *Græcum* itaque hoc *fragmentum* ſatis idoneus teſtis eſt, locum hunc in aliquot Græcis *codd.* Sec. XIII. ineunte lectum fuiſſe. Quod *Annotator* noſter porro obſervat, *Simonii* judicio locum hunc, in *Eraſmi* Cod. *Britannico* obvium, ex his *Actis* deſumtum eſſe, id quidem *Martinius* p. 138. Diſſertat. luculente confutavit, oſtendens, *Græcum* illum Concilii textum & *Eraſmi* codicem in quatuor momentis a ſe invicem differre, ut alter ex altero deſcribi non potuerit. Quomodo Annotator orbi erudito rationem *levium* ejusmodi & *inanium* prætextuum rationem reddere poſſit, ipſe viderit.

3. Quod ad *Vatic.* Codicem antiquiſſimum, a *Leone* X. in fundamentum edit. *Complutenſis*, in quam etiam locus hic ex eodem translatus eſſe creditur, commendatum attinet, negat *Annotator*, illum vel in *hoc* vel in ullo *alio* codice, *Roma* miſſo, lectum fuiſſe. Eraſmus *enim*, inquit, *poſtulaverat a* Stunica, *qui codices* Hiſpanicos *&* Romanos *comparaverat*, *ut vel unum nominaret*, *qui comma illud haberet*, Stunica *vero eum non niſi ad* Prologum *ablegabat.* Ad hæc reſpondeo. *Millius* obſervat, *Stunicæ* non exiguas in conferendis MSS. quos *Ximenes* ad curandam editionem ſuam comparaverat, partes fuiſſe; quod ipſum ſubinnuit, pluribus hanc provinciam fuiſſe impoſitam. Fortaſſe itaque collatio epiſtolarum Apoſtolicarum alii cuidam credita fuit; neque proinde mirum, quod *Stunica* Eraſmo poſtulanti non nominare potuerit codicem, oraculo illo inſtructum. Hinc etiam videtur factum, ut *Eraſmus* ipſe ex reſponſione *Stunicæ* non idem, quod noſter, colligeret. Poſtquam enim hæc ita geſta erant, *Eraſmum* in notis ſuis ad loc. videmus clare profiteri, Editores Hiſpanicos codicem *Vatic.* h. l. eſſe ſecutos. Neque denique ſimilitudo, quæ inter codicem illum *Vatic.* vere antiquum, & *Laudanum* n. 2. notatum, intercedit, evincit, quod comma hoc in priori non legatur; quam conjecturam Noſter facit. Editio enim *Complutenſis centum* habet lectiones ſibi proprias, quæ omnes, *Millio* judice, *Vaticano* illi debentur. Gemini itaque ſint illi *codic.* & ſimiles ſibi invicem; vel ſic tamen varietatibus quibusdam a ſe invicem diſtinguuntur, ad quas & locus, de quo diſputatur, merito referetur.

Inter teſtimonia ex Scriptoribus *Latinis* nullum niſi *Hieronymi* Prologum affert, quem tamen *Millius*, & alii loci hujus patroni, tanquam nullius momenti dimittunt. Huic itaque *Millii*, *Simonii* & *Martianæi* argumenta opponit, nihil de ſuo addens, nec eadem a reſponſionibus *Martinii*, pro *Prologo* illo militantis, vindicans, quamvis illum in hac cauſa ſibi potiſſimum adverſantem habeat. Turpiter vero ſe etiam dedit, quando alia illuſtria in hac cauſa teſtimonia ſilentio præteriit. *Tertullianum* enim & *Cyprianum* ne nominavit quidem. *Eucherium*, antiquum in Occidente Sec. V. Scriptorem, a *Millio*, inprimis vero a *Martinio*, tum in *Diſſertatione*, tum in *Examine*,

ne, huc allatum,cujusque teſtimonio nihil poteſt opponi,vix obiter appellavit. *Fulgentium Ruſpenſem*, ex initio Sec. VI. qui alias inter teſtes pro loco Joanneo appellari ſolet, non minus tacuit. Fortaſſe novum illud *Caſſiodorii* eodem Seculo teſtimonium, nuper detectum, magnumque illius pondus, Noſtrum latuit; vereor tamen, ne & illud volens ſciensque omiſerit. Incredulis enim adverſariis noſtris hæc laus relinqui debet, quod *libros* quod ad *titulos* cognitos habeant. Jam vero in ipſo *Complexionum Caſſiodorii* titulo locus ille Joanneus, tanquam commentationis, nuper ex tenebris erutæ, ornamentum ſingulare, comparet. *Victorem* quidem *Vitenſem* & *Vigilium Tapſenſem* appellavit, vel potius male appellavit, non vero inſtar teſtium (quales tamen inprimis ſunt,) ad hanc cauſam pertinentium. Propterea etiam priorem illorum infamia quadam notavit, inter *ſpurii* generis Scriptores numerans, & ejusmodi titulo deſignans, quo Criticorum nemo huc dum uſus eſt. Operæ vero pretium eſt, obſervare, quam diverſa ſit *ſcribendi judicandique* ratio, quæ apud Annotatorem noſtrum hinc contra *Prologum*, qui *Hieronymo* adſcribitur, hinc contra Scriptores, modo appellatos, diſputantem invenitur. In priore illa diſputatione nihil de ſuo habet, ſed omnia debet viris in hoc ſcribendi genere exercitatis, ac proinde *ſobrie, prudenter*, argumentoque *convenienter* diſputat. Poſterior vero illa tota Noſtri eſt, ubi *rationi*, *argumentis* & *eruditioni* per integram & dimidiam paginas, dicteriis malignis & ignorantiæ plenis refertas, valedicitur. Primo ſcilicet *Victorem Uticenſem*, vel *Vitenſem*, ſcriptorem eſſe ait ejusdem *notæ*, *genii*, & fortaſſe quoque *ætatis*, cujus fuerit *Prologi*, *Hieronymo* ſuppoſiti, artifex. Eum vero pagina proxime ſequente ad *Caroli M.* ætatem, h. e. Sec. VIII. refert, nec dubitat, eum hoc tempore in ſcenam prodiiſſe. Contra hæc eruditi exiſtimant, *Victorem* Seculis tribus ante, i. e. an. 484. floruiſſe. Et quid tandem aliorum auctoritati in hac cauſa Noſter opponit? Primo quidem loco nomen *Victoris Uticenſis*, vel *Vitenſis*, *incertum* eſſe cauſatur, idque pro certo *ſpuriæ notæ* argumento habet. Non nego, in foris criminalibus ejusmodi aliquid ſemper ſuſpectum viſum eſſe; at in rebus criticis inventum hoc prorſus eſt novum. Regula vero hæc non *Victoris* tantum, ſed & plurium aliorum, qui *boni* adhuc *& legales homines ſunt*, famæ fraudi eſſet futura. Quod ſi etiam locum inveniret, occaſionem præbitura eſſet, longe aliter de conditione veterum Scriptorum omnis generis, ſpeciatim vero Eccleſiaſticorum, judicandi. Sic v. c. *Proculus* qui an. 210. floruit, inter *ſpurios* numerandus fuerit, cum alias *Proclus* vocetur. Nec minus *Geminus*, an. 232. alias dictus *Geminianus*. *Lucifer Calaritanus* an. 354. *alias Caralitanus*, *Phœbadius* alias *Phægadius* an. 359. *Ulphilas* an. 365. alias *Urphilas* eadem forte uterentur: nec alia *Philaſtrius*, alias *Philaſter*, *Cæleſtius*, alias *Cæleſtinus*, an. 407. *Claudius Marius Victor*, ſive *Victorinus*, an. 434. *Idatius*, ſeu *Hydaſius*, an. 445. *Victorius* alias *Victorinus*, an. 457. *Ruſticus Elpidius*, ſive *Helpidius* an. 498. Imo amitteremus etiam *Caſſiodorum*, cum teſtimonio ejus pro loco Joanneo recens detecto,

quem *Scipio Maffejus*, Complexionum ejus editor, alias *Caſſiodorium* vocatum eſſe oſtendit. Eo tamen ſolari nos poſſumus, quod ſi huic regulæ aliquid tribuatur, Annotator nonnullos ſuorum, quorum *ſilentium* contra nos urget, ſit perditurus, nominatim *Luciferum Galaritanum* & *Phœbadium.* Ut vero ſerii ſimus, num adverſarius adeo rerum omnium ignarus eſſe poterat, ut ſtatueret diverſa ejusmodi nomina veteres illos nunquam habuiſſe, ſed librariorum lapſibus ſuam debere originem? Aut num potius, eorum probe gnarus, lectorem fallit? Compendia ſcriptionis ante inventam typographiam ad laborem librariorum expeditiorem reddendum adhibebantur. Hinc factum eſt, ut *Victori* cognomen *Utenſis* contractum hæreret, quod poſtea in notius illud, & ab eadem regione petitum *Uticenſis* a librario aliquo converſum eſt. Habet vero Annotator aliud, quod objiciat. *Hiſtoria ejus*, ait, *omnem fabulæ ſpeciem habet; quando v.c. teſtatur, Arianos varias fœminas excoriare, & ut publice in plateis in ludum ſaltarent, cogere conſueviſſe; quando porro auctor eſt*, Eugenium *ſigno crucis cœcos ſanaſſe, aut alia ejuſmodi miracula recitat*, & *ab* humanitate *æque ac* recto judicio *alienum ſe eſſe prodit. Qui* fraudibus *ejusmodi delectantur, fruantur illis pro lubitu; rectius autem agerent, ſi recogitarent fructum, ex prava ejus modi ſocietate naſcentem.* Ad hæc reſpondeo. Omnia illa ad inſtitutum nihil faciunt, & nihil aliud probant, quam Victorem *nimis credulum* fuiſſe; quem tamen propterea vitii hujus nondum largior eſſe convictum, quamvis ab illo non vindicem. Non unus ille eſt ſcriptor, qui barbaros *Arianorum*, poteſtate valentium, inſultus in Orthodoxos recitet. Quod vero ad miracula attinet, *Martinus* pag. 76. *Diſſertat. Marcellinum Cotem* varioſque alios, qui eadem ætate vixerunt, de iisdem ad *Victoris* exemplum loqui confirmat. Quicquid hujus erit, ex eo, quod *Victor*, pro more ſeculi, famæ plus, quam par erat, tribuit, non conſequitur, fidem illi habendam non eſſe, ubi de re, quam ipſe perſpicere poterat, tradit. Teſtimonio enim ejus utimur ad Confeſſionem aliquam Fidei cognoſcendam. In hac vero tanquam teſtis αὐτόπτης eorum, quæ agebantur, falli non poterat. Ante vero, quam Scriptori alicui in ejuſmodi caſu fidem negare velimus, neceſſe eſt, ut conſtet, eum non ſolum *credulum* ſed & *falſum* fuiſſe. Neque tamen *Confeſſionis* hujus fides uno *Victoris* teſtimonio nititur. *Gennadius* enim, illi æqualis, in *Catalogo* illuſtrium Scriptorum, ſub *Eugenii* nomine, rem cum nonnullis, quæ apud *Victorem Vitenſem* inveniuntur, circumſtantiis commemorat. Itaque nihil in ſcriptis *Hiſtorici* hujus exſtat, quod dubios nos de γνησιότητι vel fide eorum facere poſſit. Fidem potius meretur, quando illuſtrem illam fidei Confeſſionem commemorat, in qua *Africæ*, *Mauritaniæ*, *Sardiniæ* & *Corſicæ* Epiſcopi una cum illis inſularum *Balearidum*, quorum numerus 300. aut 400. conficit, loco illo Joanneo veritatem doctrinæ Catholicæ confirmabant.

Proxime in *Vigilium Tapſenſem*, alium in hac cauſa teſtem, invehitur. Eum *Victori* & *Eugenio* æqualem communi conſenſu eruditi ſtatuunt. Anno-

Annotator vero illum ad Caroli M. ætatem detrudit, librumque, qui ſub *Idacii Clari* nomine circumfertur, ipſius eſſe negat, ex eadem officina, quæ *Decretales Epiſtolas* cudit, prodiiſſe adfirmans. Una temerarii adſerti cauſa hæc eſt, quod ſub *ficto* nomine incedit. Leve autem hoc argumentum eſſe facile intelligit, qui in libris non prorſus eſt hoſpes. Nihil ſcilicet eſt frequentius, quam ut Scriptores, diſſimulato *vero* nomine, *alieno* utantur, non ut aliis ſua ſupponant, ſed quod idoneas habent conſilii ſui rationes. *Vigilius Tapſenſis* ea vivebat ætate, qua minus tutum erat, Arianiſmo ſe aperte opponere. Quæcunque igitur contra Arianiſmum ſcribebat, ea ſub fictis *Athanaſii*, *Idacii Clari* vel *Auſtini* nominibus promulganda eſſe putabat: id vero ea ratione fecit, ut eruditis in promtu eſſet, ſcripta illa omnia germano auctori vindicare. Itaque *Vigilius*, invito etiam Annotatore, oraculo Joanneo invictum teſtimonium præbet.

Poſtquam hac ratione præcipua pro loco noſtro teſtimonia infregiſſe ſibi viſus eſt Noſter, id porro agit, ut evincat, errare eos vehementer, qui illum ab *Arianis* vel expunctum, vel interpolatum eſſe opinantur. Cum vero ipſe non ignoret, recentiſſimos loci patronos omiſſionem ejus caſui & fortunæ tantum acceptam ferre, convenientius erat acturus, ſi hanc eorum ſententiam primo loco commemoraſſet, & ad inſtitutum non ſufficere oſtendiſſet. Ajunt illi, & recte quidem, omiſſionem commatum quorundam N. T. Græci frequenter ex eo natam eſſe, quod commata ſibi invicem vicina idem habeant initium, & eadem ratione deſinant: id quod in præſenti quoque loco obſervatur. Ubi vero ejuſmodi aliquid uſu venit, librarii commatum ejuſmodi ſibi ſimilium & vicinorum prius tam crebro ſolent omittere, ut magis miraturi eſſemus, ſi noſtrum illud in omnibus codicibus exſtaret, quam nunc miramur, quod in tam paucis occurrit. Librarius aliquis, qui a commate 7. incipiens ſcripſerat: ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, relato in codicem oculo, in eadem commatis octavi verba incidit, &, quæ ibi porro inveniebat, ſecure deſcripſit. Hæc prima eſt omiſſionis origo. Quod ſi illa antiqua eſt (qualem verſio *Syriaca*, in qua hoc comma deſideratur, credere jubet) & eo tempore accidit, quo pauca hujus epiſtolæ exempla exſtabant, patebit ſimul, unde factum ſit, ut comma 7. in pleriſque codd. *Græcis* deſideretur, idemque a tot *Græcis* & *Latinis* Doctoribus ſilentio prætermittatur. *Græci* enim adferre non poterant, quæ in codd. ſuis non legebant; *Latinorum* autem multi, ejuſmodi *Italicæ veteris* exemplis, quæ hoc ipſo in loco ad Græcum codicem mutata erant, uſi, de eodem dicere nihil poterant. Ab altera vero parte illi, qui in iiſdem regionibus & eadem fere ætate vivebant, exemplisque non mutatis utebantur, atque adeo locum, qualis in Italica verſione expreſſus erat, legebant, eum & allegabant, & ad probandam SS. Trinitatis ὁμουσίαν ſtrenue adhibebant.

Ex

Ex eo, quod *Annotator* illam *omiſſionis* cauſam, quam modo diximus, tacuit, merito collegeris, talem ei viſam, quæ non poſſit non admitti. Si quis vero de ejus veritate dubius ſit, illum exemplo luculento certiorem facere poſſim. Annotator ipſe, ex variantibus *Millii* lectionibus nonnulla deſcribens, ſimilem erravit errorem. *Millius* in *Gal.* III. 12. exempla eorum, qui vocem ἄνθρωπος ibi omittunt, ita recitat: *Alex. Clar. Gr. Lat. Germ. Lat. puto & Græc.* Hactenus Annotator eadem recte deſcripſit. Idem vero, mox ad *Millium* reverſus, oculos caſu quodam in varietates lectionum, ad comma ſequens pertinentes, conjecit, ubi eadem verba: *puto & Græc.* iterum occurrunt, atque hinc deſcribit omnia, quæ ibidem ſequuntur: nempe *Colb.* 7. *Lincoln. Vulg. Æthiop. Iren. Ambroſ. Hier. & Scholiaſt.* quaſi illi omnes vocem ἄνθρωπος v. 12. omiſerint &c. Itaque Annotatori noſtro idem, quod librariis olim, in hoc loco uſu venit.

In ſummam denique omnia collaturus Noſter: *Si hæc*, inquit, *non evincunt, verba Joannea, de quibus quæritur, ſpuria eſſe, quis tandem Joannis locus genuinus eſſe probabitur?* Ad hæc reſpondeo. Pro veritate quorundam S. Joannis verborum plura quam pro aliorum illa militant argumenta; omnia vero & ejus & aliorum Scriptorum SS. verba merito genuina habentur, quæ non manifeſta interpolationis indicia habent, quæque Patribus, codd. *Græcis* & *Latinis*, in verſionibus item & Lectionariis allegantur; neque contra ejusmodi dicta valide pugnat, quod Græcorum Patrum plerique illa tacent, aut major codicum pars non agnoſcit, modo idonea ratio factæ omiſſionis reddi poſſit. Jam vero ex ſuperioribus puto conſtare, textum noſtrum Joanneum omnia hæc γνησιότητος indicia habere. Adverſarii quidem ejus comma hoc pro ſcholio & interpretamento commatis octavi venditarunt, ſed fruſtra. Scholia enim communiter vel *explicant* textum aliquem, vel ex eo aliquid, *corollarii* inſtar, derivant. Neutrum vero horum in hoc loco obſerves; imo vero ſententiam, ab illa commatis octavi diſtinctam, eique oppoſitam, complectitur. Præterea in teſtimoniis & libris antiquiſſimis comma 7. antecedit 8. quod cum naturali ordine *ſcholiorum & corollariorum*, prorſus pugnat. Quod ſi igitur *interpolatio* agnoſcenda eſt, eam data opera factam fuiſſe neceſſe eſt: hoc vero ipſi Annotatori pag. 933. dictu abſurdum videtur. Quoniam itaque ratio alia reddi poteſt, cur locus in *codd.* & *verſionibus* variis ſit omiſſus, quam ut ad *ſuppoſitionem* provocare neceſſe ſit, ab altera vero parte cauſa, cur in variis aliis exſtet, dari non poſſit, niſi eum *genuinum* eſſe largiamur, major veri ſpecies pro γνησιότητι ejus militat. *At auctoritas*, ita pergit Noſter, *contextus Græci tantum innititur auctoritati Græcorum Patrum, horum vero auctoritas illi antiquiſſimorum codicum ſuperſtructa eſt.* Enimvero prior aſſertio & in *facto* & in *jure* falſa eſt. Multa enim commata apud Græcos Patres non inveniuntur, multa etiam a variis Patribus varie allegantur; imo

imo eruditi interdum, ubi Patres locum aliquem eadem ratione allegant, cauſam inveniunt, cur lectiones *Latinorum* Patrum & verſionum præferant. Et vel ſic tamen Noſter audacter argumentationem ſuam ita perſequitur: *Jam*, inquit, *Patres* Græci *omnes, nemine excepto*; codd. Græc. *omnes, excepto uno* Hibernico; verſiones *veteres omnes, vetus Italica, Hieronymi* illa, *Syriaca, Arabica, Æthiop.* & *Coptica, Patres* Latini *omnes*, *& antiquiſſimi* codd. Latini *N. T. una voce contra locum illum pugnant*. Enimvero ex ſuperioribus manifeſtum eſt hæc omnia falſo ita dici. Nullus Græcorum Patrum contra hoc *clamat*, niſi adverſarius probaverit, *profundum ſilentium* exclamationis loco eſſe habendum. Ab altera vero parte *Maximus*, Scriptor Sec. VII. diſertum ejus teſtem agit. Imo, quod plus valet, Eccleſia *Græca* integra, uno ſæculo ante, in *Apoſtolo* ſuo, idem comma, ut genuinæ Scripturæ partem, publice legi voluit. Porro nec omnes *Græci* codd. illo deſtituuntur. Præter enim *Hibernicum, Valla, Ximenes, Eraſmus, Rob. Stephanus, Beza* & *Amelotus*, ſinguli, inquam, hi, locum in uno aut pluribus *codd.* quorum nonnulli ætate venerandi erant, legerunt. Et hodienum præter *Hibernicum* illum, *Berolinenſis* eum in contextu exhibet. *Tertio*, comma hoc non deſideratur in *verſionibus* veteribus, omnibus. *Vetus Italica* locum habuiſſe videtur, *Vulgata* vero *Hieronymi* in plerisque codd., editionibus autem omnibus, exhibet. Verſio porro *Armenica* vetus eodem inſtructa eſt. Falſiſſimum vero eſt, quod *Latini* Patres omnes una voce illi adverſentur. Conſtat enim, *Tertullianum* & *S. Cyprianum*, Patrum *Latinorum*, qui Scripturæ teſtimonia adferunt, antiquiſſimos, loco huic teſtimonium præbere, & ex omnibus, quæ ſequuntur, Seculis, ſi unum excipias, teſtes pro illo ſiſtere luculentos. Falſum denique eſt, codicem *Latinum* antiquiſſimum eo deſtitui. Biblia enim Caroli M. ab *Alcuino* recognita & correcta, fatentibus adverſariis, locum agnoſcunt, nec iidem adhuc adferre potuerunt codicem illis antiquiorem, in quo deſideretur. Vnus, qui huc adfertur, *Mabillonii* Lectionarium eſt. Sed illud proprie non eſt codex N. T. MS. nec Latina, ſed *mixta* lingua, ſcriptum eſt, ideoque *Teutonico-Gallicum*, vel *Gallico-Teutonicum* appellatur.

Summatim ut dicam, locus Joanneus tot *γνησιότητος* habet indicia, ut, niſi doctrinam talem ſiſteret, a qua *diſputatores hujus Seculi* ſe alieniſſimos ſemper profeſſi ſunt, auctoritas ejus nunquam in dubium fuiſſet vocata. Certiſſimum hujus rei argumentum illud eſt, quod varia Scripturæ loca, prout hodie leguntur, non æque ferri poſſint, quam noſter ille, & vel ſic tamen ab hominibus illis non vexentur. Inter reliquos vero omnes Editor noſter poſtremus eſſe debebat eorum, qui locum hunc, tanquam idoneis teſtimoniis deſtitutum, oppugnare auderent, cum idem ille lectiones quasdam in contextum ſuum receperit, quarum nonnullæ unum, nonnullæ vero nullum, teſtem habent. Hactenus *Tvvelſius*. Jam pergemus ad ſequentia.

Καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι) Phraſeos hujus exempla ex ſcriptis Judæorum Cabbaliſticis adfert *Schœtgenius* p. 1074.

Verſ. 8. Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα· καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι) Comma hoc illuſtrant ex noſtratibus *Jo. Georg. Dorſcheus* diſſertat. ſingulari Francof. 1653. & *J. Laur. Moshemius* diſſ. de tribus in terra teſtibus Helmſtad. 1725. cujus ſummam habes in Annalibus Juliis Semeſtri X. pag. 129. ſeq. ex Reformatis autem *Jo. Marckius* in Exceritatt. Textualibus pag. 441. ſeqq. *Jac. Guſſetius* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. c. 10. §. 61. & 63. & *Theodor. le Blanc* in *Principes contre les Sociniens* p. 193. Ex *Anglis* ſingularem diſſertationem huc retulit *Jo. Edwardus* de cujus ſententia ad v. 6. dictum eſt, ante vero illum *Simon Patrick*, Epiſcopus quondam Elienſis, in libro: *Jeſus and the Reſurrection juſtified by vvitneſſes in heaven and in earth,* Lond. 1709. tertium recuſo, Parte I. pag. 119. ſqq. Atque ille quidem per *Spiritum* intelligit partim *miracula*, quæ Chriſtus ante mortem ediderit, partim *reſurrectionem*, per quam in vitam redierit: per *aquam* autem hinc *puritatem*, hinc *baptiſmum*; *puritatem* nempe tum doctrinæ, tum vitæ, a Chriſto actæ, utramque divinitatis Chriſti indicem; hinc *baptiſmum*, a Joanne Baptiſta adminiſtratum, & Chriſto ipſi collatum; per *ſanguinem* denique *mortem* Chriſti, qua ſe Dei Filium eſſe teſtatus ſit ſecundum *Joan.* XVIII. 37. Extat & Anonymi, (fortaſſe *Sam. Crellii*) epiſtola in *Bibliotheca Anglicana* Tom. VII. Part. I. pag. 271. ſeq. Sententia ejus huc redit, quod per *ſpiritum* intelligatur Joannes, teſtis αὐτόπτης lateris Chriſti perfoſſi, per *aquam* vero & *ſanguinem* liquidum illud utrumque, quod ex perfoſſo latere emanarit. Sententiam ejus, nec minus aliorum pleraſque, ſub examen vocavit *Mosbemius* l. c. ad quem ablegatum velim lectorem. Ipſe interim *Mosbemius per* Spiritum *effecta Spiritus S. poſt largam illius ſuper Apoſtolos effuſionem, die Pentecoſtali factam, in admirando linguarum dono, propagatione Evangelii ſubita, innumeriſque fere miraculis ſe exſerentia; per Aquam, tanquam ſymbolum Baptiſmi, ſacrum hunc regenerationis fontem, editamque ibidem ab adultis fidei Chriſtianæ profeſſionem; per* ſanguinem *denique ſanguinem Martyrum, pro cœleſti veritate ſponte occumbentium, illoque eandem obſignantium, intelligi exiſtimat.* Mihi quidem illi recte judicare videntur, qui v. 6. & 8. eadem ratione interpretantur, quia utrinque eadem hæc tria momenta conjunguntur. Cum vero v. 6. *Spiritus* commodiſſime de Spiritu S., *aqua* autem & *ſanguis* de ſacramento Baptiſmi & S. Cœnæ accipiatur, non video, cur ab eadem ſignificatione in hoc commate diſcedere velimus. Neque vero objici poteſt, hac ratione Spiritum S. inter cœleſtes & terreſtres teſtes numerari, qui tamen diſerte à ſe invicem diſtinguantur. Diſcrimen enim hoc pendet a diverſo teſtandi modo. Alter enim, de quo hic ſermo eſt, fit a Spiritu S. in terris, ad homines, per Evangelium, quod ſæpe *teſtimonii* nomine appellatur, vocatos.

Καὶ

Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι) Hæc phraſis (in qua *codd.* Græci omnes penitus conſentiunt, niſi quod in cod. *Britann.* & edit. *Complut.* pag. 202. ſeq. deeſt) ad argumenta interna ſpectat, quibus ſuperioris commatis γνησιότης vindicari poteſt. Neque enim dicitur: ἕν εἰσι, neque εἰς ἕν εἰσι, ſed εἰς τὸ ἕν εἰσι. Articulus itaque ille τὸ indicio eſt, anteceſſiſſe ἕν aliquod, ad quod reſpiciatur, hoc ſenſu, quod teſtes illi terreſtres teſti cœleſti *trino* ſed ſimul *uni*, in hoc negotio ſuffragentur. Confer *Guſſetii* Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 72. *Jac. Triglandius* in Diatriba de Secta Karæorum pag. 168. R. *Eliæ Karæi* phraſin hanc adfert אחד ולא באחד, *unum & non in unum*; atque ex ea Joanneam iſtam optime illuſtrari poſſe exiſtimat. Cum vero locus integer non ſit allatus, obſcurum quoque eſt, quo ſenſu à Karæo illo ſit adhibita.

Verſ. 9. Ει τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν κ. τ. λ.) Et hæc verba teſtes illos cœleſtes, v. 7. commemoratos, præſtruere pridem eſt monitum. Conf. *Guſſetium* l. c.

Verſ. 10. ὁ μὴ πιςεύων τῷ Θεῷ) Pro τῷ Θεῷ *codd.* pauci & verſiones aliquot habent τῷ υἱῷ, quod cum *Grotio* præfert *Millius* in Prolegom. ideo, quod alterum illud a lectore quopiam, claritatis gratia, ad marginem adſcriptum, hinc vero in contextum illatum, videatur. Phraſis autem ſequens, qua *Deus* teſtatus de filio ſuo dicitur, poſtulat omnino, ut etiam heic *Dei* nomen poſitum cenſeamus, cujus de filio teſtimonium in dubium vocetur. Conf. quæ præterea ad h. l. habet *Vitringa* Obſ. Sacrar. lib. III. pag. 27.

Verſ. 11. Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ μαρτυρία, ὅτι ζωὴν αἰώνιον δέδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς κ. τ. λ.) Ad expoſitionem hujus commatis *Simon Patrik* integram Partem II. libri ad v. 8. laudati retulit, qua hinc de vita æterna ejusque conditione, hinc de certitudine ejus, bis ternis teſtibus v. 7. 8. commemoratis, confirmata, fuſe commentatur. Confer *Nouvelles de la Republ. des lettres* an. 1708. Tom. II. p. 243. Adde *Jac. Altingii* Opera Tom. IV. p. 165-171. in calce, qui & ſequens comma 12. ſimul exponit.

Verſ. 12. ὁ μὴ ἔχων τὸν υἱὸν τȣ͂ Θεȣ͂) Τȣ͂ Θεȣ͂ omiſit *Vulg.* idque ex ſuperioribus huc relatum præter rem credit *Millius.*

Verſ. 14. Καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ παῤῥησία, ἣν ἔχομεν πρὸς αὐτὸν, ὅτι, ἐάν τι αἰτώμεθα κατὰ τὸ θέλημα αὐτȣ͂, ἀκȣ́ει ἡμῶν.) Vide huc *Speneri* Reſponſa Theologica Germanica Part. IV. p. 528. ſeq.

Verſ. 16. Εάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτȣ͂ ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν.) Poſtrema phraſis, in qua ſubſtantivum cognatum verbo ſuo jungitur, ex parte pleonaſtica eſt, quod vel ex eo patet, quia mox ſimpliciter dicitur, τοῖς ἁμαρτάνȣσι μὴ πρὸς θάνατον. Neque tamen inter Hebraicas cum *Vorſtio* aliisque numerari debet, quæ potius ἐμφατικόν τι καὶ ἐπιτατικὸν, καὶ Αττι-

 κὸν

κὸν ſecum ferat, & optimorum Scriptorum auctoritate firmari poſſit. Docuerunt hoc *Henr. Stephanus* in Corinthi libellum de dialectis pag. 20. pluresque alii a *J. H. Majo*, filio, de Pleonasmis L. Græcæ in N. T. occurrentibus p. 8. allati, quorum meſſem ipſe egregio ſpicilegio auget. Confer nos, ſi placet, ad Centuriam epiſtolarum Libanii p. 21.

ἔϛιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον) Eadem phraſi uti Judæos oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1076. ex *Joma* fol. 50. 1. & *Sota* fol. 48. 1. ubi diſtinguitur inter חטאה vel עון למיתה *inter peccatum ad mortem*, & עון שלא למיתה *peccatum non ad mortem.* Per prius *Schœtgenius* illud intelligit peccatum, cui lege divina pœna mortis ſtatuta ſit, quale v. c. eſt *idololatria*, *inceſtus* &c. Eandem video eſſe ſententiam *Sam. Werenfelſii* (cui phraſis hæc ex Num. XVIII. 22. חטא למות petita videtur) in Sylloge Diſſertatt. Theologicarum diſſ. XI. pag. 470. ſeqq. & ex noſtratibus *Amelii* Tom. II. der Erörterung pag. 881. A reliquis aliorum Interpretum ſententiis abſtineo, allaturus eos, qui de hoc commate, & inprimis de precibus, pro peccatore ad mortem faciendis, fuſius ſunt commentati. Ex noſtratibus itaque leges *Joannis Gvilelmi Bayeri* & *Joan. Friderici Mayeri* diſputationes de eo, an pro peccantibus ad mortem precandum ſit, illam Jenæ 1688. hanc *Gryphiswald.* 1711. habitam, item *Jo. Balthaſ. Bernholdi*, Theologi Altorfini, diſput. de peccato ad mortem, Altorf. 1732. *Wolfg. Franzii* Tract. de Interpretat. Scripturæ Sac. pag. 127. Auctores menſium Reſervatorum Tom. I. pag. 989. Auctorem Obſervationum Miſcellan. vernacule editarum Tom. I. pag. 35. & *Amelium* loco modo allegato. Ex Reformatis lege *Jo. Marckium* in Exercitationum Biblicarum ultima pag. 1082. ſeqq. & *Werenfelſium* l. c. Ex Anglis *Ligthfootum* Tom. II. Opp. Parte II. pag. 1093-1099. & W. *Wallium* in Notis Criticis ad N. T. p. 375. ſeqq. Ex *Arminianis Epiſcopium* Reſponſ. ad LXIV. Quæſt. Reſp. XII. Ex Pontificiis denique *Petavium* Tom. IV. Dogmatum, ubi de Pœnitentia lib. II. c. 2. §. 4. & c. 8. §. 16. Patrum ſententias lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 214. Noſtratium plerique de peccato in Spiritum Sanctum, quod Dominus noſter, tanquam irremiſſibile, repræſentavit, interpretantur, quorum partes etiam amplexus eſt, & copioſius adſeruit D. *Joach. Langius* in Exegeſi hujus epiſtolæ. Idem vero & mihi ſe adhuc præ ceteris probavit. Ad has partes accedere quoque videtur *Ligthfootus* l. c. ubi peccatum ejuſmodi notari exiſtimat, quod Paulus *Hebr.* X. 26. commemorat. *Wallius* l. c. tale innui cenſet, quod tum temporis inter Chriſtianos ſub illis phraſibus, quibus Joannes utitur, notum fuerit. Hanc in rem adfert *Herma* Paſtorem lib. III. Similitud. VI. §. 2. ubi Angelus ita ad Hermam: *Obliviſcuntur enim mandata Dei vivi, & in luxuriis converſantur & deliciis vanis: & corrumpuntur ad hoc Nuncio malo aliqui usque ad mortem: aliqui vero usque ad defectionem.* Reſpondet ibi Hermas: *Domine, non intelligo, quid ſit* ad mortem, *& quid* ad defectionem. *Audi, inquit,* (Angelus) *Quæcunque pecora vidiſti valde læta & exſultantia;*

tia; ii ſunt, qui in perpetuum a Deo diſceſſerunt, & tradiderunt ſe deſideriis hujus ſæculi. Iis ergo non eſt per pænitentiam regreſſus ad vitam: quoniam quidem adjecerunt ad reliqua delicta ſua, & nomen Domini nefandis inſectati ſunt verbis. Hujusmodi homines morti ſunt deſtinati, &c. Per peccatorem ad mortem eum, cui mortis pœna lege definita eſt, indicari ideo non puto, quod non apparet, cur Apoſtolus pro tali homine preces ad Deum fieri nolit, cum pœna ſecularis promerita & inflicta non prohibeat, quo minus aliquis gratiæ divinæ, atque adeo remiſſionis peccati ſui, ſiquidem ratione a Deo præſcripta quæratur, particeps fieri poſſit.

Verſ. 17. *καὶ ἔϛιν ἁμαρτία ȣ̓ πρὸς θάνατον*) Particula ȣ̓ h. l. deeſt in *Vulg.* & *Æthiop.* item apud *Tertull.* de Pudicit. cap. 19. ideoque adventitiam putat *Millius* in Prolegom. §. 503. & 647. Si vero recogites, Apoſtolum v. 16. diſerte dixiſſe: *ἔϛιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον*, dubitare non poteris, eundem heic ſcripſiſſe: *καὶ ἔϛιν ἁμαρτία ȣ̓ πρὸς θάνατον.*

Verſ. 18. *τηρεῖ ἑαυτὸν*) Eadem phraſi utitur *M. Antoninus* VI. 30. *τήρησον σεαυτὸν ἁπλȣ͂ν ἀγαθὸν*, & II. 17. Conf. nos ad 1 Tim. V. 22. & Jac. I. 27.

καὶ ὁ πονηρὸς ȣ̓χ ἅπτεται αὐτȣ͂) *& malus ille non tangit eum*, h. e. non lædit, per *λιτότητα*, quali uſus quoque eſt *Polybius* pag. 1371. dicens, *ἀλλ' ȣ̓δὲ τῶν περιοικȣ́ντων ἐτόλμησε βαρβάρων ȣ̓δεὶς ἅψασθαι τῆς Μακεδονίας*, obſervante *Raphelio*, cujusmodi loca plura huc adfert Cl. *Elsnerus.*

Verſ. 19. *Καὶ ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται*). Per *τὸν πονηρὸν* heic diabolus non minus quam v. 18. & ſupra II. 13. debet intelligi, cum id & articulus ὁ, & antecedens vox *θεὸς*, cui *πονηρὸς* opponitur, requirat. Phraſis ipſa exſtat *Exod.* XXXII. 22. ubi de populo dicitur: כי ברע הוא, *quod in malo eſt*: obſervante *Schœtgenio;* quamvis heic non tantum de peccato, ut illo loco, ſed de primo ejus auctore ejusque *poteſtate* & *dominio* ſermo ſit. Hæc enim eſt vis verbi *κεῖσθαι*, quod variis Græcorum & Latinorum Scriptorum locis evicerunt *Joſua Arndius* in Miſcellaneis Sacris p. 137. & *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 714. Itaque amplius aliquid infertur, quam ſi ſcriptum fuiſſet *ἐϛὶ*, quanquam *Iſ. Caſaubonus* ad Gregorii Nyſſeni epiſtol. ad Euſtathiam pag. 73. ita interpretatur ex phraſi mox ſequente: *καί ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ*. Hæc vero reſpicit potius illam verſus 19. *οἴδαμεν, ὅτι ἐκ τȣ͂ Θεȣ͂ ἐσμεν.* Sicut enim per hanc regeneratio, ex Deo facta, infertur, ita per alteram illam perſeverantia in eodem ſtatu innuitur. Confer de phraſeos hujus efficacia *Amelium* Parte I. der Erörterung pag. 38. & *Andr. Schottum* in Adagialibus N. T. *Joannis Reynoldii*, Angli, judicio in *Inquiries concerning the ſtate and œconomy of the Angelical Worlds* (vide *Bibliothecam Anglican.* Tom. XII. Part. I. pag. 240.) ex hoc loco patet, orbem hunc inferiorem malis geniis cinctum eſſe. Interim de poteſtate Diaboli morali in homines impios, qui laqueo ejus capti arbitrio ejusdem aguntur 2 *Tim.* II. 26. ſermonem eſſe, vel ex eo apparet, quod *κόσμος* ſecundum

dum dictionem Joanneam non orbem habitabilem, ſed pravos homines denotet, qui oppoſiti ſunt τοῖς ἐκ τȣ̃ Θεȣ̃ γεγεννημένοις, καὶ ȣ̓χ ἁμαρτάνȣσι, v. 18.

Verſ. 20. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι ὁ υἱὸς τȣ̃ Θεȣ̃ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν, καί ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτȣ̃, Ιησȣ̃ Χριςῷ. ȣ̃τός ἐςιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος.) Comma hoc a Socinianorum calumniis vindicarunt ex noſtratibus *Spenerus* in tractatu vernaculo de Deitate Chriſti pag. 529. ſeq. *C. A. Heumannus* in Parergis Criticis pag. 180. ſeqq. *Alethæus* in der Erläuterug Tom. II. pag. 147. ſeqq. & *Amelius* paucis Tom. II. der Erörterung pag. 140. Confer *G. G. Zeltneri* Hiſtoriam Crypto Socinismi Altorfini pag. 537. 971. ſeq. & 1115. Conſtat ſcilicet, Socinianos veteres & recentiores τὸν ἀληθινὸν Θεὸν non ad Chriſtum, Dominum noſtrum, ſed ad Patrem, tanquam unum illum verum Deum, quem putant, referre. Ita, ut veteres taceam, cenſent *Mart. Ruarus* in epiſtolis pag. 673. edit. Zeltnerianæ, *Guilel. Whiſtonus* in *the Account of the primitive Faith* pag. 20. *Sam. Clarke* in *the Reply to the Objections of Robert Nelſon* p. 96. ſeqq. (conf. Supplementa Actorum Erudit. Lipſ. Tom. VI. pag. 397.) & *Chriſtian. Fende* in commentatione quadam vernacula. Quamvis enim poſtremus hic Socinismi hac in parte ſuſpicionem a ſe apologia ſingulari ſub titulo: veranlaſte in GOttes Wort gegründete Schuß-Schrift, Francof. ad Mœnum 1718. 4. edita, amoliri conatus ſit, in ipſo tamen titulo Deum Patrem *ſolum verum Deum*, profitetur, & in tractatu ipſo *ſubordinationem* urget. Contra eos h. l. diſputare non eſt meum, qua opera illi, quos dixi, ſtrenue perfuncti ſunt. Id ex commate ipſo, ſi vel obiter inſpiciatur, ſatis conſtat, quod primum illud ἀληθινὸς reſpiciat Patrem, in cujus notitiam nos Filius perduxerit, alterum vero ad Filium, qui diſerte nomine *Jeſu Chriſti* appelletur, tertium denique ad eundem (Filium) addita voce Θεὸς, quo nomine *Pater* paulo ante erat appellatus. Fidiculis opus eſt illi, qui hanc Apoſtolicæ dictionis ſeriem turbare & evertere velit. Confer, quæ præterea ad h. l. commentantur *Petavius* Tom. V. Dogmatum lib. VII. c. 1. & *Eraſmus* Tom. IX. Operum pag. 412. Id unum non prætermittam, quod in multis *Codd.* & verſionibus aliquot vett. nominatim *Vulg. Arab.* & *Aethiop.* itemque Patribus, a *Millio* appellatis, tum vero etiam in edit. *Complut.* & *Colinæi* legatur: ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν Θεόν. Hanc lectionem ſi admittamus, neceſſe fuerit, ut ſequentem phraſin: ȣ̃τός ἐςιν ἀληθινὸς Θεὸς, ad Filium referamus, non vero ad Patrem, quia alioquin cauſa reddi non poteſt, cur Joannes de Patre idem iterum profiteatur. Interim non nego, vocem, Θεὸν in priore phraſi ex poſteriore illa illuſtrandi cauſa petitam mihi videri. Denique nec id omittendum, quod Joannes Evang. I. 9. ſimili phraſi utitur, quando Chriſtum τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν & XV. 1. τὴν ἄμπελον τὴν ἀληθινὴν appellat.

ȣ̃τός

ἐτός ἐςιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνι☉) Sententiam hanc erudite illuſtrat Cl. *Chriſtianus Ludovicus Schlichterus* in Decimis Sacris pag. 131. ſeqq. quamvis cum illo vocem ἐτ☉ pro *αὐτὸς* & quidem eo ſenſu, ut idem ſit, quod μόν☉ ſive *ſolus*, accipere, aut verbum ἐςὶ per *vivit*, aut *manet*, interpretari nolim. Nolim etiam cum doctiſſimo *Heumanno* l. c. pag. 192. vocem ἀληθινὸς ſeparare a voce Θεὸς, hoc ſenſu: *ille* (Filius) *eſt verus ille* Meſſias, imo *eſt Deus & vita æterna*. Nullam video hujus diſtinctionis cauſam. Quod enim vir doctus ait, in ipſo hoc commate Chriſtum bis appellari τὸν ἀληθινὸν, id ideo factum eſſe apparet, ut intelligatur, quid inprimis vox ἀληθινὸς inferat, quodque per eam non tam ad opera aut officia Domini noſtri, quam ad eſſentiam & perſonam ejus, reſpiciatur. Obſtare porro videtur ſtructura vocum & loquendi ratio, quæ duo tantum prædicata infert, quod tum ex poſita inter utrumque particula καὶ, tum ex præmiſſo utrique prædicato articulo ὁ apparet. Si viri docti interpretatio locum habere deberet, ſcribendum potius fuerat, ἐτός ἐςιν ὁ ἀληθινὸς, καὶ ὁ Θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνι☉. Accedit denique, quod phraſis ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, alibi occurrit, nempe *Joh*. XVII. 3. & 1 *Theſſal*. I. 9.

Verſ. 21. Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτὲς ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας.) Per ἑαυτὲς *codd*. aliquot habent ἑαυτὰ, ad cavendam puto ſolœciſmi ſuſpicionem. Illa vero nemini ſuborietur, qui meminerit, pronomina ab optimis ſcriptoribus non ſemper ad voces ipſas, ſed interdum ad res ſeu perſonas, vocibus deſignatas, referri. Admonitionem hanc de idolis cavendis Sociniani eo interpretati ſunt, ut contenderent, comma 20. non de Chriſto, ſed de Patre, qui deaſtris heic, ut alias, opponatur, accipiendum eſſe. Occurrit illis poſt *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. *Alethæus* Tom. I. der Erörterung pag. 693. ſeqq. ſpeciatimque oſtendit, Apoſtolum non tam a defectione ad deaſtrorum cultum, quam ab εἰδωλοθύτοις epuliſque ſacris, ad quas invitari Chriſtiani ſolebant, dehortari ad exemplum Pauli 1 *Cor*. VIII. & ſq. qui c. X. 14. eodem ſenſu dicit: διόπερ, ἀγαπητοί μυ, φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας. Confer *Jacobi Triglandii* diſſertationem de Secta Karæorum pag. 179.

PROLEGOMENA IN EPISTOLAM JOANNIS II.

Dubitatum etiam inter veteres fuiſſe, utrum hæc epiſtola Joannis Evangeliſtæ ſit, an alterius Joannis, Presbyteri Epheſini, conſtat ex teſtimoniis veterum, quæ *Millius* in limine hujus epiſtolæ attulit. Hinc factum eſt, ut recentiores aliqui, interque hos *Grotius* inprimis, eam Joanni, Presbytero Epheſino, adſcriberent. Hujus ſententiæ patronos recitat *Jo. Mollerus* in Homonymoſcopia Sect. II. cap. 1. pag. 176. ſeqq. Ab altera parte Joanni Evangeliſtæ eam vindicant ex noſtratibus B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, *Jo. Henr. Majus* in Examine Hiſtoriæ Criticæ N. T. Simonianæ p. 214. & *Jo. Albert. Fabricius* in Biblioth. Græca Vol. IV. pag. 144. ex Anglis *Guil. Cavius* in Vita S. Joannis §. 16. & *Jo. Millius* in Prolegomenis §. 151. ſeqq. ex Reformatis *F. A. Lampius* in Prolegomenis ad Evangelium S. Joannis pag. 107. ſeqq. ex Arminianis *Jo. Clericus* in Hiſtoria Eccleſiaſt. duorum a C. N. Seculorum pag. 506. ſeqq. ex Pontificiis *Tillemontius* in Memoriis Hiſt. Eccleſ. edit. Bruxell. Tom. I. Part. III. pag. 1093. & 939. Hujus ſententiæ adſertores recte urgent & dictionis & rerum convenientiam, quæ tanta eſt, ut, *Millio* §. 153. obſervante, paucorum commatum, quibus ſecunda epiſtola conſtat, & ſententiæ, & ῥήσεις in prima legantur; quemadmodum tertia utrique egregie reſpondet. Ad hanc ſimilitudinem accedit auctoritas *Irenæi* lib. I. c. 16. *Clementis Alexandr.* Stromatum II. 15. & *Tertulliani* de Præſcript. adv. Hæreticos c. 33. loca quædam ex epiſtola II. vel III. ſub Joannis Apoſtoli nomine adferentium. Neque vero credibile eſt, vel Joannem Presbyterum, vel alium aliquem, Apoſtoli dictione ita uſurum fuiſſe, ut perſonam ejus ſumere voluiſſe videri poſſet. Quæ in contrarium ex πρεσβυτέρου nomine, quo Joannes utitur, diſputantur, de iis ad comma primum dicemus.

Epiſtola ipſa *electæ Dominæ* inſcripta eſt, de qua mox itidem commentabimur.

De *tempore* ſcriptionis non magis conſtat, quam de illo epiſtolæ primæ: veri tamen eſt ſimile, illam ab hac exiguo intervallo remotam fuiſſe. Vide, quæ in hanc ſententiam *Millius* diſſerit in Prolegom. §. 151. ſeq. ubi *occaſionem* ſcribendi ex eo natam putat, quod nonnulli, ex præconio Evangelii Epheſum reverſi, *Dominæ* illius, ad quam II. & *Caji*, ad quam III. epiſtola ſpectat, in fide conſtantiam & animum in ſe prolixum prædicarint, atque adeo effecerint, ut Joannes has ad utroſque epiſtolas ſcriberet.

Ex hoc judicium quoque fieri poteſt de *ſcopo* utriusque epiſtolæ. Is enim eo pertinet, ut credentes illi de fide conſtanter, inprimis adverſus falſos doctores, tenenda, eademque re ipſa & in vitæ uſu probanda admonerentur.

Eandem

Eandem hanc Epiſtolam non tam ſero, quam quidam exiſtimant, in canonem receptam fuiſſe, recte adſtruxiſſe mihi videtur *Lampius* l. c. pag. 110. ſeq.

CAPUT UNUM.

Verſ. 1. ὁ Πρεσβύτερος) Mirum viſum eſt nonnullis, cur Joannes ſe non *Apoſtolum*, nec *ſervum JESU CHriſti*, quod alias faciunt Apoſtoli, ſed Presbyterum ſimpliciter appellarit. Itaque cauſas alii alias dederunt. Ex veteribus vide *Oecumenium* inter cetera ita diſſerentem pag. 606. Πρεσβύτερον δὲ μόνον ἑαυτὸν ἠξίωσε καλέσαι, ἤτοι ὅτι γηραιὸς ὢν ἤδη ἔγραψε ταύτας, ἢ καὶ ἐπίσκοπον καλῶν ἑαυτὸν διὰ τοῦ πρεσβυτέρου, εἰωθέτος κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ, καὶ ἐπὶ τῶν Ἐπισκόπων φέρεσθαι τοῦ ὀνόματος τοῦ πρεσβυτέρου, ὡς καὶ ἀπὸ τῶν Πράξεων δῆλον, ὧν ὁ μακάριος ἔγραψε Λουκᾶς, καὶ διὰ τοῦ Πέτρου τῆς ἐπιστολῆς. i. e. *Presbyterum vero tantum ſe appellare voluit, ſive quod jam ætate provectus has ſcripſit, ſive quod Presbyteri nomine Epiſcopum ſe dixit, cum illo tempore Presbyteri nomen de Epiſcopis etiam adhiberetur, quod ex Actis etiam, quæ D. Lucas ſcripſit, & ex Petri epiſtola apparet.* Duplicem habes cauſam, alteram ad ſenium, alteram ad Epiſcopatus dignitatem ſpectantem. Poſteriorem illam urget *Salmaſius* in Apparatu de Primatu Papæ pag. 53. & in Tract. de Epiſcopis & Presbyteris, quem ſub *Walonis Meſſalini* nomine *Petavio* oppoſuit, pag. 16. ſeqq. & 24. ſeqq. Nec puto ſatisfactura illa eſſe, quæ *Petavius* in contrarium adfert de Hierarchia Eccleſiaſt. lib. IV. cap. 12. Tomo IV. Dogmatum Theologicorum pag. 143. ſeq. Subtilior quoque videtur *Millius*, quando in Prolegom. §. 153. elogii hujus ὁ Πρεσβύτερος, ſimpliciter poſiti, vim & efficaciam ita explicat: *Grandis omnino eſt titulus, & Apoſtoli illo major,* ὁ Πρεσβύτερος, κατ᾽ ἐξοχὴν, *quique privato homini, vel etiam Epiſcopo, haudquaquam conveniat.* Joannes Presbyter *dictus eſſet* Ἰωάννης πρεσβύτερος, *vel* Ἰωάννης ὁ πρεσβύτερος, *vel etiam* ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, *quomodo apud* Euſebium *H. E.* III. 39. ὁ πρεσβύτερος *abſque ulteriori addito, ſonat excellentius quiddam, & quod ne ſimplici quidem Apoſtolo, multo minus ex Diſcipulis (inter quos* Joannem *hunc numerat* Papias apud Euſebium loc. cit.) *Domini cuipiam congruat.* Mihi quidem ſimpliciſſime ita videtur ſtatuendum, quod Joannes Apoſtolus ea ætate τοῦ Πρεσβυτέρου nomine in cœtibus ſacris cognitus fuerit, tanquam tali, quod ipſi non tantum ex provecta ætate, nonagenario ſcilicet, ſed & ex eo competebat, quod Apoſtolis reliquis omnibus ſuperſtes eſſet. Conſtat utique ex vetere memoria, tum profana, tum Eccleſiaſtica, nomina appellativa interdum quibusdam inſtar propriorum & ſingularium tributa fuiſſe. Imo Joannes noſter a veteribus ſimpliciter, ſine addito nomine proprio, ἐπιστήθιος, *in pectore recumbens*, ex *Joh.* XIII. 23. appellatur.

 Vide

Vide *Svicerum* Tomo I. Theſauri pag. 1190. In inſcriptione Apocalypſeos θεολόγος audit. Similiter *Ignatius* tum in inſcriptione epiſtolæ ad *Smyrnæos*, tum alias, θεοφόρος, κατ᾽ ἐξοχὴν, vocatur, de cujus nominis origine & ſenſu leges *Joannis Pearſonii* notas ad Ignatii epiſtolas pag. 3. *Ducæum* ad Baſilium Tomo II. Operum pag. 766. edit. Garner. & *Joannem Ens* in Bibliotheca Sacra pag. 351. Quid igitur obſtat, quo minus Πρεσβυτέρȣ nomen Joanni ea ætate, proprii inſtar, hæſiſſe cenſeamus? Addere & hoc liceat, quod Paulus in epiſt. ad Philemonem v. 9. itidem πρεσβύτην ſe a grandiori ætate appellat.

Ex hoc ſimul intelligitur, eos judicium præcipitaſſe, qui ex ipſa hac appellatione *Joanni* cuidam, Presbytero Epheſino, epiſtolam hanc tribuendam cenſuerunt. Ex illa enim primum hanc conjecturam natam eſſe non dubito cum *Millio*, *Clerico*, & ante illos *Salmaſio*, in Diatriba de Epiſcopis & Presbyteris p. 17. *Certus ſum*, inquit hic, *ex hoc errore* (nempe quod Epiſcopi & Presbyteri jam ea ætate fuerint diſtincti) *manaſſe illam opinionem, quæ commenta eſt, Joannem Presbyterum alium fuiſſe ab Apoſtolo, cui & Apocalypſin inſcripſerunt: cum opus omnino ſit Apoſtoli, qui in inſulam Patmon, tota antiquitate teſte, relegatus, eam revelationem ibi vidit, & ſcripſit.* Imo quod plus valet, valde eſt dubium, num quis ejuſmodi *Joannes Presbyter* Epheſi unquam exſtiterit. Id quidem adſtruere ex antiquitatis teſtimoniis conati ſunt nonnulli, nominatim *Henr. Dodwellus* in Diſſertat. I. ad Irenæum. Ab his vero diſceſſit *Jo. Clericus* in Hiſtoria Eccleſiaſt. duorum primorum à C.N. Seculorum pag. 507. ad A.C. 92. *Itaque*, inquit, *commentitium eſſe* Joannem *illum* Presbyterum, *harum epiſtolarum, ut quidam putarunt, auctorem, cujus ſepulchrum* Epheſi *oſtenſum fuerit, ſeorſim à* Joannis Apoſtoli *ſepulcro, remque ex prima duarum harumce epiſtolarum vocula confictam exiſtimarim, & quidem à* Papia, *homine ſubleſtæ fidei, qui duos hoſce Joannes primus diſtinxit, ut intelligere eſt ex* Euſebio *lib.* III. c. 39. Cauſas, cur ita ſentiat, habet *Hieronymus* in *Catalogo* ſepulchrum Joannis Presbyteri *apud Epheſum*, præter illud Joannis Apoſtoli, oſtendi, teſtatus, mox addit: *& nonnulli putant duas memorias Joannis Evangeliſtæ eſſe.* *Papias* quidem apud Euſebium l. c. Joannem Apoſtolum & Joannem Presbyterum diſtincte commemorat, *Irenæus* autem, Papiæ alioquin admirator, unius Joannis Evangeliſtæ meminit, eidemque epiſtolam II. lib. III. cap. 16. 8. & Apocalypſin lib. V. acceptam refert, quemadmodum etiam *Polycrates* unius tantum Joannis Evangeliſtæ facit mentionem. At de hoc momento amplius puto eſſe cogitandum.

Ἐκλεκτῇ κυρίᾳ) Quatuor diverſæ exſtant Interpretum de duabus his vocibus ſententiæ. Alii enim vocem priorem ἐκλεκτῇ pro nomine Proprio matronæ, cui inſcripta eſt, habent, eamque *Electam* appellatam fuiſſe cenſent. Ita ſtatuit *Clemens Alexandrinus*, ſub cujus nomine *Adumbrationes* in hanc

hanc epiſtolam in Latinis Caſſiodori exſtant. *Secunda*, inquit, *epiſtola, quæ ad Virgines ſcripta eſt, ſimpliciſſima eſt. Scripta eſt vero ad quandam Babyloniam*, Electam *nomine, ſignificat autem electionem Eccleſiæ Sanctæ.* Eandem ſententiam expreſſit verſio Germanica Bibliorum dialecti Saxonicæ inferioris, Lubecæ 1494. in fol. edita, quam diligenter recenſet doctiſſimus *J. H. Seelenius* in Selectis Literariis pag. 248. Verba ita habent: *ick olde Johannes ſende grute Electen der vrowen.* Et ſic commate ultimo: *Dy grueten de ſæne dyner Suſter Electe.* Interpres *Lyram*, hic vero *Clementem Alex.* in Adumbrationibus, cujus ſententiam de fœmina *Babylonica* exprimit, ſecutus videtur. Ἐκλεκτῇ quoque litera majuſcula ſcribitur apud *Wechelium* & in editione *Roberti Stephani*, quam ſecutus eſt *Millius*, quamvis ipſe eo nomine *Chriſtianam fœminam* indicari exiſtimet. Ex recentioribus nomen proprium viſum eſt *Grotio*, *Jacobo Cappello* ad h. l. *Colomeſio*, in Obſervationibus Sacris pag. 63. qui in exemplum ſimile Diaconum aliquem adfert, quem *Sanctum* appellatum eſſe *Euſebius* Hiſtor. Eccleſ. V. 1. teſtatur. Adde illis *Pricæum*, *Dupinium* Prolegom. II. 2. pag. 64. *Tillemontium* loco mox citando pag. 1095. & *Joannem Albertum Fabricium* noſtrum ad Hieronymum de Viris Illuſtribus in Miræi Bibliotheca Eccleſiaſtica pag. 55. & lib. IV. Bibliothecæ Græcæ p. 143. Ἐκλεκτὸν viri nomen eſſe apud *Herodianum* lib. I. & *Tzetzen* Chiliad. VI. hiſt. 55. obſervantem.

Alii vocem Κυρίαν proprii nominis loco habent, quaſi *electa* a Domino *Cyria* appellaretur. Primum hoc, ni fallor, in mentem venit doctiſſimo *Heumanno* in Poecile Tom. II. pag. 422. ſeqq. *Tillemontii* quidem judicio Tomo I. Memor. Hiſt. Eccleſ. pag. 1095. editionis Bruxellenſis. *Athanaſius* in Synopſi Scripturæ Sacræ Tomo II. editionis Montefalconianæ p. 191. idem indicaverit, ita ſcribens: *ταύτην ὡς πρεσβύτερος γράφει κυρίᾳ καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς.* Mihi quidem id ex phraſi iſta non admodum liquet. *Heideggerum* tamen in Enchiridio Biblico lib. III. cap. 26. §. 2. idem ſuſpicatum eſſe, quando ait, nomen Κυρίαν *idem eſſe poſſe, quod Syriacum*, Martham, *i.e. Dominam*, nec minus *C. S. Schurzfleiſchium* in Actis Literar. p. 70. Κυρίας nomen interdum apud veteres proprium fuiſſe ex *Grutero* tradentem, ipſe *Heumannus* monet pag. 426. Hanc in rem porro exempla adfert nominis Κυρίας & *Cyriæ*, quorum illud apud *Gruterum* pag. 1127. num. XI. Inſcriptionum, *Φίλιππος, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ* Κυρία, hoc vero in Lexico Hagiologico, Lipſiæ (non Coloniæ, ut titulus habet) 1719. edito, pag. 448. duabus martyribus tributum exſtat. Alteram earum, Aquilejenſem, in Actis Sanctorum Antvverpienſibus menſe Junio Tom. III. pag. 287. commemoratam, inveneris. Addit his *Cyros* & *Cyrillos* itemque *Dominos* & *Domnos*, hinc a Græcis, hinc a Latinis appellatos. Obſervat quoque pag. 422. Κυρίαν ἐκλεκτὴν eadem ratione heic vocari, qua Ῥοῦφον τὸν ἐκλεκτὸν *Rom.* XVI. 13. His denique Tomo III. Poeciles pag. 15. ſeqq. ex Inſcriptionibus Florentinis

rentinis, ab *Antonio Franciſco Gorio* p. 63. num. 173. *Curiam*, i. e. Cyriam; *Feliculam* & ex eadem pag. 63. num. 176. *Cyrium, filium dulciſſimum*, ſuccenturiavit. Vera hæc conjectura viſa eſt *Theod. Haſæo* in corollario XVI. quod capiti III. diſſertationis ſuæ de monumento Paneadenſi ſubtexuit: amplius autem cogitandum cenſet eruditus auctor Bibliothecæ Theologicæ Selectæ Parte XX. pag. 750.

Alii utramque vocem pro appellativa habent, matronæque nomen ſimili ſilentio tectum cenſent, quo ſuum Joannes ipſe texit. Hæc communior fere eſt ſententia, quam data opera adſtruere inſtituit B. *Chriſtophorus Henricus Ritmeierus* in diſſertatione ſingulari de ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, Helmſtadii 1706. edita. Sequitur is inprimis *Flacium* in Gloſſa compendiaria ad h. l. eximiam ac præſtanti virtute & pietate feminam, aut ſanctiſſimam matronam ſignificari, exiſtimantem. Confer B. *Chriſtophori Sonntagii* Hecdecadem Hecdecadum, ſive hypomnemata miſcellanea ad poſteriores duas Joannis epiſtolas, Altorf. 1698. 8. edita, p. 19. ſqq.

Alii denique utraque voce non matronam aliquam, ſed *Eccleſiam* potius *Chriſtianam*, vel univerſim, vel particularem aliquam indicari exiſtimant. Huc ex parte referri poteſt *Clemens Alexandr.* in Adumbration. l. c. Quamvis enim *Babyloniam* quandam, *Electam* nomine, heic compellari exiſtimet, addit tamen: *ſignificat autem Electionem Eccleſiæ Sanctæ.* Propius vero huc ſpectat *Hieronymus* ep. XI. ad Ageruchiam, ubi verbis Cantici Salomonei: *una eſt columba mea, electa genitrici ſuæ*, hæc ſubjungit: *ad quam ſcribit Joannes epiſtolam: Senior electæ Dominæ & filiis ejus.* Video præterea, a nonnullis in hanc claſſem referri *Oecumenium*, ſed præter rem, cum aliud hæc ejus verba pag. 606. teſtentur: Πρὸς δὲ γυναῖκα γράφων πιςὴν, ὐδὲν ὑπεςείλατο, ὅτι ἐν Χριςῷ Ιησῦ ὐδὲ ἄῤῥεν, ὐδὲ θῆλυ οἶδε. Et mox: ἐκλεκτὴν δὲ ἢ ἀπό τῦ ὀνόματος, ἢ ἀπὸ τῆς περὶ τὴν ἀρετὴν φιλοτιμίας καλεῖ. Ex prioribus verbis patet, eum matronam hanc pro perſona particulari habuiſſe; ex poſterioribus vero, ἐκλεκτὴν dici cenſuiſſe, vel ad nomen (proprium) vel ad virtutem ejus habito reſpectu. Idem tamen pag. 612. ad v. 13. epiſtolæ hujus commentans, ait: διὰ δὲ τῦ προσθεῖναι· ἀσπάζεταί σε τὰ τέκνα τῆς ἀδελφῆς σῦ τῆς ἐκλεκτῆς, βύλονταί τινες βεβαιῦν, ὡς ὐ πρὸς γυναῖκα ἡ ἐπιςολὴ, ἀλλὰ πρὸς ἐκκλησίαν. περὶ ὗ ὐδὲν τῷ βυλομένῳ διαλεχθεῖην. Aliorum itaque hanc ait eſſe ſententiam, contra quam diſputare nolit. Sed ex eo non conſequitur, ipſum illam, quam antea profeſſus erat, deſeruiſſe. Ex noſtratibus eadem ſententia placuit *Calovio* ad h. l. ex Anglis *Hammondo* & *Whiſtono*, de Eccleſia Philadelphienſi ſpeciatim cogitanti, in commentariis, ex Pontificiis autem *Serario*, & non ita pridem *Michaëli Mauduitio*, Presbytero Oratorii, Tomo II. Analyſeos epiſtolarum Apoſtolicarum gallice editæ, differt. XXIII. pag. 699. ſeqq. Cum liber hic apud nos rarior ſit, auctor vero inſtitutum ſuum data opera urgeat, operæ pretium

tium factuꝛum me puto, ſi argumenta ejus in ſummam referam. Eccleſiam aliquam particularem a Joanne compellari ex eo primo conficit, quod *Petrus* 1. ep. V. 13. in verbis: *ſalutat vos Eccleſia, quæ Babylone eſt, coëlecta*, h. e. ſalutat electam, ſcilicet Eccleſiam Aſiaticam, Babylonia coëlecta, eadem phraſi utitur, qua Joannes hic v. 13. dicit: *ſalutant te filii ſororis tuæ electæ*, i. e. Eccleſiæ. Provocat etiam ad proſopopœiam, Hebræis familiarem, per quam villæ & urbes, v. c. *Sion*, *Samaria* & *Jeruſalem* inſtar fœminarum repræſententur, quemadmodum Ezechiel c. 23. Samariam & Jeruſalem inſtar ſororum adferat. Joannem porro ait in Apocalypſi epiſtolas exhibere ad ſeptem Aſiæ Epiſcopos, quos Angelos appellet, & nihilominus ea loquatur, quæ ad totam Eccleſiam pertineant; ſicut & in epiſtola ad Angelum Thyatirenſem ſectam aliquam *Jeſabelis* nomine inſigniat. Monet itidem, Apoſtolum plurium numero uti, qui matronæ uni non conveniat, v. c. *audiſtis*, *ambuletis*, *videte*, *ne perdatis* &c. Eundem etiam ſine decoro læſo ad integram Eccleſiam, non vero item ad unam aliquam perſonam, ſcribere potuiſſe: *rogo te, ut diligamus nos invicem*, v. 5. Urget etiam, quod v. 13. matronam illam electam nomine liberorum ſororis electæ appellat, cum tamen non conſentaneum ſit, duas ſorores ejusdem familiæ idem habere nomen. Cumque illa ſalutatio non ipſius ſororis, ſed liberorum ejus nomine fiat, membra quædam Eccleſiæ Epheſinæ, quæ fortaſſe tunc Apoſtolo ſcribenti adſuerint, convenientiſſime intelligi poſſe exiſtimat. Id quoque inprimis urget, quod ep. 3. v. 9. diſerte ſcribat Apoſtolus, ſe ſcripſiſſe Eccleſiæ, quod factum non ſit, niſi de hac ſecunda epiſtola accipiamus, vel epiſtolam ipſam prorſus periiſſe fateamur. Denique ſuſpicatur, Apoſtolum ſecundam & tertiam epiſtolam Cajo per eosdem nuncios perferendas curaſſe, ut hic alteram illam Eccleſiæ redderet, propter Diotrephen Epiſcopum, quem a ſe alienum eſſe v. 9. epiſtolæ III. queritur, quique adeo prohibiturus erat, ne Eccleſiæ exhiberetur.

Jam diſpiciemus, quænam ex diverſis his ſententiis probanda videatur. *Electam* proprii nominis loco vix habuerim, per comma 13. ubi ἐκλεκτὴ appellatur; quod ut illius ætatis moribus non reſpondet, ita ſoror illa ἐκλεκτὴ, tanquam Chriſtiana, commode vocari poterat. Crediderim præterea, Joannem v. 13. ſcripturum fuiſſe ἀσπάζεταί σε τὰ τέκνα ἐκλεκτῆς τῆς ἀδελφῆς σȣ, ſi ſororem illam *Electæ* nomine compellaſſet. Ita Paulus *Rom.* XVI. 1. συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην, τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν. Conf. 1. *Corinth.* I. 1. XVI. 12. 2. *Cor.* I. 1. II. 13. *Coloſſ.* I. 1. & IV. 7. 1 *Theſſalon.* III. 2. &c.

Poſterius hoc argumentum me etiam adducit, ut nec *Cyriæ* nomen proprium heic agnoſcam. Ita enim Apoſtolus ſcripturus erat: Κυρίᾳ τῇ ἐκλεκτῇ, quemadmodum v. 1. epiſtolæ tertiæ: Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. Simili ſcribendi ratione aliquoties utitur Paulus *Rom.* XVI. 5. ἀσπάσασθε Ἐπαινετὸν τὸν ἀγαπητόν μȣ, v. 8. Ἀμπλίαν τὸν ἀγαπητόν μȣ, v. 12. Περσίδα τὴν ἀγαπητὴν,

τὴν, & v. 13. ῥȣ̃φον τὸν ἐκλεκτὸν &c. Ultimum hoc exemplum ut Celeb. *Heumannus* l. c. pro firmanda ſententia ex parte ſatis convenienter attulit; ita collocationem appellativi nominis ante nomen proprium ſibi fraudi non eſſe exiſtimat, cum 1. *Tim.* V. 21. τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων ordine mutato mentio fiat. Vereor autem, ne diſſimilitudo ſatis ſit perſpicua. Hinc enim utrinque eſt nomen appellativum, quando nunc agitur de nomine proprio, quod appellativo jungitur.

Tertiam itaque ſententiam amplecti malim, quæ duo nomina appellativa, atque adeo *electam Dominam*, heic agnoſcit. Utraque vox illi ætati, qua Joannes ſcribebat, recepta erat. Chriſtiani frequenter in ſacris ἐκλεκτοὶ appellantur. Paulum *Rom.*XVI. 3. Rufum ἐκλεκτὸν appellari modo vidimus. Idem ἐκλεκτȣ̀ς τȣ̃ Θεȣ̃ *Coloſſ.* III. 12. & 2. *Tim.* II. 10. commemorat. Petrus 1. ep. I. 1. ἐκλεκτȣ̀ς παρεπιδήμȣς & II. 9. γένος ἐκλεκτὸν compellat. Nec alia ratio eſt vocis κυρία ſeu *domina*. Illa uſus eſt *Hermas*, Vir Apoſtolicus, in Paſtore lib. I. Viſione I. §. 1. *Domina, quid tu hic facis*, ubi in Græco lectam fuiſſe vocem κυρία recte ad locum monuerunt *Fellus* & *Cotelerius*, qui poſterior ſimiles veterum locos recitat. *Epictetus* cap. 62. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλȣ̃νται. *Seneca* ep. 3. *Sic illum amicum vocaſti, quomodo obvios omnes, ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus.* Ille, quem diximus, vocum ſenſus, aliis Apoſtoli in hac epiſtola locutionibus egregie reſpondet. Commemorantur enim liberi ejus, ſoror item & liberi, quæ phraſes, ſenſu maxime obvio acceptæ, matrem familias præſtruunt. Ait præterea v. 12. ſe ad illam ejusque liberos venturum, & coram allocuturum eſſe, qua eadem phraſi etiam ep. 3. v. 14. ad *Cajum* utitur. Non jam inquiram, cur ἐκλεκτὴν eam vocarit, utrum ob opulentiam, an pietatem ſingularem, aut dignitatem, quam *Sal. van Till* in Op. Analyt. Tomo II. pag. 734. ſpeciatim innui cenſet, eo quod *Diaconiſſæ* munere functa liberalem ſe & munificam in præcones Evangelii præſtiterit. B. *Olearius* in Obſervatt. ad Matth. p. 549. honoris titulum agnoſcit, quem Latine per *excellentiſſimam Dominam* verteres. Malim equidem ſimpliciter ad Chriſtianiſmum heic reſpici, cum nihil ſit frequentius, quam ut Chriſtianis inſigne illud electionis, in Chriſto factæ, beneficium in memoriam revocetur, ipſique ἐκλεκτοὶ appellentur.

Contra quartam ſententiam eorum, qui *Eccleſiam* intelligi volunt multa ſunt, quæ militant, perpauca autem, quæ veri aliquam ſpeciem illi concilient. *Tillemontius* l. c. *Mauduitium* deferit, & ad argumenta ejus facile reſponderi poſſe cenſet. Nos, cum opera hac non ſit perfunctus, paucis ea luſtrabimus. Ita 1. *Pet.* V. 13. vox συνεκλεκτὴ huc non pertinet. Ponamus enim, ibi eccleſiam, quæ Babylone erat, intelligi, quod veri eſt ſimile, ceu ad locum oſtendimus; id tamen non ex voce ipſa, ſed ex eo

con-

Digitized by Google

conſequitur, quod integer fidelium atque adeo electorum cœtus ſalute impertiatur, cujus reſpectu alius cœtus *συνεκλεκτὸς* appellari poterat. Proſopopœia, Hebræis alias, familiaris in libris Propheticis locum habet, non vero efficit, ut talem eidem in epiſtola familiari, qualis hæc eſt, faciamus. Nec proinde epiſtolæ ad VII. Eccleſias in Apocalypſi, ſtilo itidem Prophetico ſcripta, & vaticinia continente, huc accommodari poſſunt. Apoſtolus plurium numero utitur, habito non ad fideles Eccleſiæ alicujus, ſed ad liberos matronæ, cui ſcribebat, reſpectu. Id manifeſtum eſt ex inſcriptione: *ἐκλεκτῇ κυρίᾳ καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς.* Decorum non læditur a Joanne, ad matronam ſcribente: *ἀγαπῶμεν ἀλλήλως.* Facile enim ex *Joh.* XV. 12. patet, de quo amoris genere h. l. ſermo ſit. Hoc vero Domini præceptum Joannes non tantum ad matronam & ſe ipſum, ſed ad illos omnes referebat, qui illud ab initio accepti præconii Evangelici audiverant, v. 6. Sororis, itidem Chriſtianæ, liberi æque facile & convenienter de liberis, ex ea natis, & ad Chriſtum converſis, accipi poſſunt, quam de fidelibus Eccleſiæ alicujus particularis. Quod ex ep. 3. v. 9. promitur argumentum, ad illud mox reſpondebimus. Conjectura denique illa, quod epiſtola hæc una cum tertia ad *Cajum* miſſa ſit, Eccleſiæ reddenda, tam facile rejicitur, quam adfertur. Hæ ſunt rationes, quibus ſententiam ſuam ornare conatus eſt *Mauduitius.* Illis puto ſatis factum: vereor autem, ut diſſentientes ea, quæ illis opponi poſſunt, amoliantur. Dicant illi, cur *κυρίαν* vocare Joannes voluerit eccleſiam aliquam, quam ſuo nomine ad aliorum exemplum, inſignire poterat. Quæ enim *Hammondus* affert, ut oſtendat, *κυρίαν* idem eſſe, quod *curiam*, ſeu *concionem*, ea quidem erudite magis, quam ſolide, dicta recte exiſtimavit *Lampius.* Dicant illi, cur *τέκνα* appellet Eccleſiæ, quam putant, membra, quæ tamen Eccleſiam ipſam conſtituunt. Dicant, cur *τέκνα* illa non ſolum a ſe, ſed & ab omnibus, qui veritatem agnoverint, amari dicat, ſi liberos matronæ hujus non intelligat, quos veram Chriſtianiſmi indolem tueri cum voluptate intellexerat. Vide v. 4.

οὓς ἐγὼ ἀγαπῶ) Relativum *οὓς* non tam ad vocem *τέκνα* quam ad rem, voce indicatam, refertur. Vide ſupra ad V. v. ult. & hic v. 4. Fortaſſe hinc recte collegeris, illos matronæ liberos maſculos fuiſſe.

ἐν ἀληθείᾳ) i. e. *ἀληθῶς*, quod Hebræi באמת dicunt. Neque tamen hæc phraſis Græcorum ſimilibus deſtituitur. Vide eas in Cl. *Georgii* Vindiciis pag. 223. ſeq.

Verſ. 3. *Ἔςαι μεθ' ὑμῶν*) Ita *Curcellæus:* at editi plerique omnes *μεθ' ἡμῶν*, & ſic ſcripti quoque, ita ut pro altera illa *Millius*, *Lincoln.* cod. & Veleſ. lectiones, tum vero ed. *Complut. Vulg.* & *Oecumenium* adferre potuerit.

Prætu-

Prætulerim itaque μεθ᾽ ἡμῶν, quod & B. Lutherus expreſſit, inprimis cum eadem phraſis proxime antecedat, καὶ μεθ᾽ ἡμῶν ἔϛαι ἐις τὸν αἰῶνα. Hoc ſcilicet reſpiciens Joannes eos, ad quos ſcribebat, certos eſſe jubet, fore, ut & ipſi in agnita doctrinæ ſalutaris veritate perſiſtant, & gratia miſericordiaque divina perpetuo fruantur. Cl. *Bengelius* μεθ᾽ ὑμῶν, retinuit. Tota hæc phraſis, ἔϛαι μεθ᾽ ἡμῶν, deeſt in Cod. *Alexandr.* recte, judice *Pricæo*, qui vocem χάρις & ſequentes proxime jungi vult verbis: ὁ Πρεσβύτερος ἐκλ. κυρίᾳ κ. τ. τέκνοις ἀυτῆς, reliquis illis, ὓς ἐγὼ ἀγαπῶ —— ἐις τὸν αἰῶνα parentheſi incluſis. Recte vero Rev. *Albertius* in Periculo Critico pag. 36. monuit, nihil eſſe omittendum, & eandem heic obſervari phraſin, quæ verſ. 1. epiſtolæ tertiæ exſtat: Ο Πρεσβύτερος Γαίῳ τῷ ἀγαπητῷ, ὃν ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ, ſine addito verbo γράφω, vel ſimili, quod a veteribus paſſim in epiſtolis omittitur.

Verſ. 4. ὅτι ἔυρηκα ἐκ τῶν τέκνων σȣ περιπατȣ͂ντας) ſcilicet τινας, per ſyntheſin, quaſi ſcriptum fuiſſet ὑιȣ͂ς. Confer Cl. *Georgii* Hierocriticon p. 49. Patet vero hinc, liberos matronæ illius vel non omnes Chriſti ſacris addictos fuiſſe, vel ſaltem Apoſtolo non cognitos fuiſſe. De ſenſu & efficacia verbi περιπατεῖν lege *Svicerum* Tomo II. p. 680.

Verſ. 7. Οτι πολλοὶ πλάνοι ἐισῆλθον ἐις τὸν κόσμον κ. τ. λ.) Vide ſupra ad 1. epiſt. II. 18. 22. & IV. 1. 2. 3.

Verſ. 8. Βλέπετε ἑαυτȣ̀ς, ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν, ἃ ἐιργασάμεθα) Nonnulli Codices & verſiones quoque habent ἀπολέσητε & ἐιργάσασθε, ac paulo poſt ἀπολάβητε, ideo ſcilicet, quod illa antecedenti βλεπετε magis reſpondere videbantur. Abſit vero, ut receptiorem lectionem deſeramus. Tranſitio a numero ad numerum & a perſona ad perſonam frequens eſt Scriptoribus. *M. Antoninus* VI. 50. πειρῶμεν πείθειν ἀυτȣ̀ς, πράττε δὲ καὶ τῶν ἀκόντων. Confer II. 9. VII. 12. & 31. X. 35. Præterea locum heic habet ἀνακοίνωσις, qualis ſupra epiſt. 1. II. 28. occurrit: καὶ νῦν, τεκνία, μένετε ἐν ἀυτῷ, ἵνα, ὅταν φανερωθῇ, ἔχωμεν παῤῥησίαν, κ. τ. λ. Similiter hic v. 6. ἵνα περιπατῶμεν, & mox, ἵνα ἐν ἀυτῷ περιπατῆτε.

Verſ. 10. Ει τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, καὶ ταύτην τὴν διδαχὴν ȣ̓ φέρει, μὴ λαμβάνετε ἀυτὸν ἐις οἰκίαν, καὶ χαίρειν ἀυτῷ μὴ λέγητε.) Legendi huc ſunt ex noſtratibus *Thomas Ittigius* in Appendice de Hæreſiarchis pag. 149. *Joannes Fridericus Mayerus* in diſputatione de non ſalutandis a fide deviis, *Valentinus Erneſtus Læſcherus* in Decimis Evangelicis Dec. II. pag. 349. *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius* de Jure Eccleſiaſtico pag. 76. & *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 440. ex Reformatis *Joannes Marckius* in Exercitatione Textuali XLVII. pag. 444. & *Campeg. Vitringa* de Synagoga vetere pag. 759. Non civilem & externam vel ſalutationem vel conſuetudinem, ſed familiarem, & talem, quæ conſenſionem animi & prolixam voluntatem præferat,

rat, heic prohiberi & argumentum ipſum, & phraſis, in ædes recipere, teſtatum facit. Ad excommunicationem refert *Vitringa* loc. cit. In excommunicatos vero ita, ut heic præcipit Apoſtolus, a Judæis actum eſſe, oſtendit *Seldenus* I. 7. de Synedriis. Similem ex R. *Eliæ*, Karæi, *Addereth Elijahu* attulit *Triglandius* in Diatriba de Secta Karæorum pag. 176. *Operæ pretium eſt*, inquit, *advertere, quod unusquisque, qui eſt ex ſemine Iſrael, & non credit hiſce decem articulis, vel uno excepto, non eſt in cenſu Iſraelis, neque convenit ipſum amare, aut fratris nomine compellare.* Confer *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 1077. Paganos eodem cum improbis hominibus tecto uti, eosque alloquio dignari non ſuſtinuiſſe, exemplis aliquot oſtendit Cl. *Elsnerus* ad h. l. Confer *Grotium* & *Raphelium* in Annotationibus Herodoteis. S. Joannem idem, quod h. l. præcepit, exemplo ſuo docuiſſe, cum ex balneo, quo Cerinthus utebatur, ocyus diſcederet, poſt alios obſervat *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 754. Vide tu, quæ de hoc argumento, quod *Irenæi* inprimis teſtimonio III. 3. edito, & a multis in dubium vocato, nititur, copioſe commentatur diligentiſſimus *Lampius* in Prolegom. ad commentarium in Joannis Evangelium p. 67. ſqq.

Ex eo, quod Joannes ait, illum, qui hanc doctrinam non adferat, recipiendum non eſſe, ſuſpicantur nonnulli, ad teſſeras hoſpitalitatis alludi, quibus inſtructos eſſe oportebat, qui aliorum ædibus & victu excipi vellent. Lege huc *Amelium* loc. cit.

Verſ. 11. *Ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς.*) *Arrian.* III. 22. pag. 349. *ἢ δοκεῖ σοι, ὅτι χαίρειν ἂν αὐτῷ λέγει προσερχόμενος, φίλος ἐστιν αὐτοῦ.* *Polybius* pag. 304. *παντὸς κοινωνεῖν ἔργου καὶ κινδύνου τοῖς περὶ τὸν Ἀννίβαν* dixit. Vterque locus obſervatus eſt a *Raphelio.* Per *ἔργα πονηρὰ* falſam & pernicioſam doctrinam, quam deceptores illi data opera urgebant, intelligi non dubito. De *διδαχῇ* enim adulterata locutus antea erat Apoſtolus. Idem *Apocalypſ.* II. 16. ad Præſulem Eccleſiæ Epheſinæ ita: *ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν, ἃ κἀγὼ μισῶ·* mox autem v. 15. ad Eccleſiæ Pergamenæ Epiſcopum *οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν, ὃ μισῶ.* Vides altero commate *διδαχὴν* appellari, quod altero *ἔργων* nomine venit. Itaque fruſtra noſter locus ad ſtabiliendam *hæreſin*, quam vocant, *practicam* advocatur. Poſt *πονηροῖς Veleſ.* addit: *ἰδοὺ προεῖπον ὑμῖν, ἵνα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου μὴ αἰσχυνθῆτε.* Leguntur eadem Latine in *Vulg.* editionis *Sixtinæ*, in *Clementina* poſtea omiſſa. Confer *Jameſii* Bellum Papale, & *Raithii* Vindicias verſionis Germanicæ pag. 601. Petita ſunt ex 1. *Job.* IV. 17. Vide *Millium* ad locum, & in Prolegom. §. 504.

Verſ. 12. Πολλὰ ἔχων ὑμῖν γράφειν) id eſt, *cum multa haberem vobis ſcribenda.* Similiter *Polybius* pag. 970. οὐ μὴν ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν γεγονότων ἔχων πολλὰ λέγειν, ἀρκεῖν ἡγοῦμαι. Vide *Raphelium.*

οὐκ ἠβουλήθην) ἠβουλήθην & ἠβουλόμην pro ἐδυνήθην & ἐβουλόμην probis Græciæ Scriptoribus dici oſtendit *Georgius* in Hiero - Critico pag. 125.

διὰ χάρτου καὶ μέλανος) Pricæus ex verſ. 13. epiſtolæ III. malebat, διὰ καλάμου καὶ μέλανος. Cum vero codices utroque in loco penitus conſentiant, & *calamo* non minus, quam *charta* ad ſcribendum opus ſit, nihil mutandum eſſe recte arbitratur *Albertius* in Periculo Critico pag. 37.

ςόμα πρὸς ςόμα) In ſacris paſſim legimus, פה על פה & פנים על פנים, unde inter Hebraicas phraſin hanc numerare non dubitat *Vorſtius* de Hebraiſmis Parte II. pag. 261. At nec illa Græciæ prorſus ignota eſt. Apud *Xenophontem* libro II. Memorab. Socratis pag. 595. ςόμα πρὸς ςόμα oſculum infert: ἔπος πρὸς ἔπος legitur in Platonis Sophiſta pag. 154. & *Ariſtophanes* in Nubibus v. 1378. ἔπος πρὸς ἔπος ἐρίζεσθαι, i. e. *mutuo altercari*, dixit. Confer *Georgii* Vindicias p. 322.

Verſ. 13. Ἀσπάζεταί σε τὰ τέκνα τῆς ἀδελφῆς σου τῆς ἐκλεκτῆς) Vide quæ dicta ſunt ad verſ. 1. Pro ἐκλεκτῆς, libros aliquos habere Ἐνδεκτῆς, ut ſit nomen proprium, *Grotius* monet, idque rectum cenſet, fortaſſe ideo, ut veriſimilior evaderet conjectura de ſorore, quam v. 1. *Electam* dici ſtatuit. At non inventus adhuc talis codex eſt, & incertum, unde *Grotius* hauſerit. Merito etiam dubites, num vox ἐνδεκτὸς Græciæ unquam cognita fuerit, cum verbi ἐνδέχομαι veſtigium vix occurrat.

Digitized by Google

AD S. JOANNIS EPIST. III.

De hac epiſtola nihil eſt admodum, quod præmoneamus, cum, quæ ſupra ad epiſtolam II. in Prolegomenis dicta ſunt, maximam partem huc ſpectent; cetera vero ad epiſtolam ipſam commemorari poſſint.

Verſ. I. ὁ πρεσβύτερος) vide ad II. I.

Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ) Quis, cujaſve *Cajus* hic ſit, non admodum conſtat. Notus eſt *Cajus* quidam, ut Pauli comes, *Actor.* XIX. 29. & XX. 4. ubi *Derbenſis* videtur appellari. *Caji* cujusdam hoſpitio idem Corinthi uſus eſt *Rom.* XVI. 23. quem ſe Paulus ait baptiſaſſe I. *Corinth.* I. 14. Vtrumque eundem, nec a noſtro Joannis diſtinctum, alii putant, alii negant. Vide, quæ huc diſſerunt *Lampius* in Prolegomenis ad Evangelium S. Joannis pag. 112. ſeqq. *Salomon van Till.* in Opere Analytico Tomo II. pag. 734. *Tillemontius* Tomo I. Memoriarum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag. 940. *Joannes Clericus* in Hiſtoria Eccleſiaſtica duorum primorum Seculorum pag. 506. & *Joannes Albertus Fabricius* noſter in Bibliotheca Græca lib. IV. pag. 144. *Derbenſem* innui putant *Clericus* & *Tillemontius* ll. cc. *Corinthium* vero ex noſtratibus *Calovius* & *Sonntagius* in Hecdecadibus ſuis ad hanc epiſtolam pag. 114. ſeq. ex ceteris *Lightfootus* in Harmonia Novi Teſtamenti Tomo I. Operum Anglicanorum pag. 339. & *Salomon van Till* loc. cit. qui & diſſentientium argumenta confutat. *Lampius* nihil definit. Veri tamen ſimillima videtur eorum ſententia, qui *Corinthium* illum intelligunt, quem Paulus *Rom.* XVI. 23. ab hoſpitalitate, ſibi & toti eccleſiæ probata, commendat. Ejusdem enim laudem habet etiam in hac epiſtola verſ. 5. Neque obſtat ætas, quæ objicitur, cum Cajus juvenis Paulum, alios autem, ætate provectior, hoſpitio excipere potuerit. Inter τέκνα Joannis numeratur verſ. 4. adeoque, ut multi volunt, inter diſcipulos, inter quos tamen locum non habuiſſe videri poterat, qui Paulum audiverit. At nihil obſtat, quo minus elogium hoc amoris potius, quam diſciplinæ, argumentum interpretemur, cum in prima Joannis epiſtola fideles παιδίων & τεκνίων nomine frequenter appellentur. *Cajum* Macedonium fuiſſe, & ex Parentibus Judæis natum, ſuſpicatur *Braunius* in Selectis Sacris pag. 161. & *Joannes Ens* in Bibliotheca Sacra pag. 300. Vnde *Guilelmo Whiſtono* in Prolegom. ad commentarium in epp. Joannis conſtet, Cajum Pergamenæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe, non dixerim.

ὃν ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ) Vide ad v. I. epiſt. II.

περὶ πάντων) *Piſcator* malebat legere πρὸ, invitis codicibus omnibus, & præter neceſſitatem. *Beza* recte vertit *inprimis*, i. e. *ſupra omnia*, ut περὶ idem ſit, quod ὑπὲρ, quam in rem *Homeri* locum adfert. Intercedit quidem *Eraſmus Schmidius*, apud Homerum non περὶ, ſed πέρι legendum eſſe contendens. Itaque vertendum putat: *de omnibus*. Recte vero in contrarium monet *Sonntagius* in Hecdecade ad hanc epiſtolam pag. 117. *Joannem Rhenium* in Grammatica majore pag. 512. exemplis idoneis oſtendiſſe, τὸ περὶ, Genitivo junctum, excellentiam inferre, ut apud *Iſocratem*: τὰς νῦν ἔχοντας περὶ πολλῦ ποιῦ, καὶ θεράπευε. *Joſ. Halletus* in Notis ſuper aliquot loca Scripturæ, Anglice editis, Tomo I. pag. 62. interpretari mavult, *ante omnes alios*, ut phraſis non ad *res*, ſed ad *perſonas* referatur, ſenſuſque ſit, Joannem optare, ut *Cajus*, ſibi dilectiſſimus, alios omnes proſperitate ſuperet. Negat ſcilicet, eſſe quicquam, quod Joannes adprecari Cajo potuerit, præter proſperum rerum ſucceſſum corporiſque valetudinem, quam, præſtructa animæ ſalute, heic adprecetur. At videtur Apoſtolus hanc voti formulam illis oppoſuiſſe, qui & ſibi & aliis ſpecialia quædam momenta, v. c. *honores*, *opes* &c. votis expetunt, de præcipuis non inprimis ſoliciti, nempe, ut ea recte & feliciter agant, quæ agere debent, & corpore præterea valeant. Altera illa voti Joannei ratio, quam vir doctus vult, neſcio an a προσωποληψία liberari poſſit. Obſtare etiam videtur vocum ſtructura. Si enim id voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus, puto, erat: εὔχομαί σε περὶ πάντων εὐοδῦσθαι.

εὔχομαι) *opto*, quod & B. Lutherus expreſſit, pro quo *Emſerus* & alii, *oro*, malunt. Vide tu *Raithium* in Vindiciis p. 602.

σε εὐοδῦσθαι) Lege nos ad *Rom.* I. 10. Verbum eſt generale, quod rerum proſperitatem infert. Sic *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, lib. VI. pag. 407. ὡς τῷ Κλεομένει ἐνωδώθη τὸ ἐς τὸν Δημάρητον πρῆγμα. *Cum Cleomeni res in Demaratum bene ceſſiſſet.* *M. Antoninus* libro VII. 7. eo utitur, habito ad res naturales, & ad animum quoque, reſpectu. Ἀρκεῖται πᾶσα φύσις ἑαυτῇ εὐοδῦσῃ· φύσις δὲ λογικὴ εὐοδεῖ ἐν μὲν φαντασίαις μήτε ψευδεῖ μήτε ἀδήλῳ συγκατατιθεμένη. *Natura omnis ſeſe proſpere procedente acquieſcit; proſpere autem procedit rationalis natura, ubi in cogitando nec falſo nec incerto aſſentitur.* Similiter Apoſtolus Cajum h. l. in externis proſpere agere & valere vult, ſicut anima proſpere agat.

Verſ. 3. καθὼς σὺ ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς) Τὸ, ἐν ἀληθείᾳ reſpondet Hebraico באמת ideoque inter Hebraiſmos a nonnullis relatum eſt. Vide ſupra ad v. 1. ep. II. & adde *Georgii* Vindicias pag. 33. ubi oſtendit *ſinceritatem* ſimiliter a Græcis per ἀλήθειαν exprimi, v. c. *Xenophonte* in Memorabil. lib. II. pag. 584. τὰ ὄντα διηγήσομαι μετ' ἀληθείας, & *Demoſthene* Olynth. II. pag. 6. καὶ γὰρ εἰ μετ' ἀληθείας τις σκοποῖτο, *ſi quis ſincere rem conſideret.* Tenendum tamen heic eſt, ex ſtilo Joanneo *in veritate* am-

ambulare eum dici, qui verum ſe Chriſti diſcipulum & doctrinæ & vitæ probitate demonſtret.

Verſ. 4. Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαρὰν) μειζοτέραν, pro μείζω, βαρβαρίζειν viſum eſt *Camerario*. At ſimiles comparativi formas luculentis Scriptorum exemplis Græciæ vindicarunt poſt *Eraſmum Schmidium* ad h. l. *Stolbergius* in Exercitatt. Gr. L. pag. 88. & *Fabricius* ad Sextum Empiricum pag. 627. Conf. nos ad *Epheſ.* III. 8. Pro τούτων codd. aliqui habent ταύτης, quod & *Pricæus* malebat, tanquam voci χαρὰ convenientius. Receptiorem lectionem Cl. *Alberti* pag. 37. Periculi Critici ex eo tuetur, quod phraſis ſit elliptica, plenius ita exprimenda: οὐκ ἔχω χαρὰν μειζοτέραν πρὸ τῆς χαρᾶς τῆς ἐκ τούτων, ſcilicet ῥημάτων vel πραγμάτων. Malim cum *Beza* ſubintelligere poſt τούτων, vocem χαρῶν.

ἵνα ἀκούσω) Plenius, ἢ ἵνα ἀκούσω, quemadmodum alias μᾶλλον ante ἢ in comparandi negotio omittitur. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi pag. 373. edit. Schœtgen. Eadem phraſis exſtat *Joh.* XV. 13. μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ.

Verſ. 5. Ἀγαπητὲ, πιστὸν ποιεῖς) πιστὸν ſcilicet τι vel τοῦτο ποιεῖς, *fideliter agis*, ſeu, *agis, ut fidelem decet*, ceu *Beza* explicat. Ita *Oecumenius* olim: ἄξιον πιστοῦ ἀνδρός. *Cajus* ſcilicet πιστὸν οἰκονόμον 1. *Cor.* IV. 1. ſe præſtabat, qui facultates ſuas in commodum Eccleſiæ erogabat. Simili phraſi utitur *Libanius* in epiſt. ad Maximum: εἴτε μὴ βοηθεῖς οἷς ἀξιοῦμεν, οὐχ ἑλληνικὸν τοῦτο ποιεῖς. Exſtat illa in Collectione mea, quæ cum maxime operas in Belgio exercet, num. 360.

ὃ ἐὰν ἐργάσῃ εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ εἰς τοὺς ξένους) Pro ultimis verbis in *Alex.* qui tamen apud *Millium* aliter habet, legi, καὶ ταῦτα ξένους, tradit *Grotius*, quam lectionem & ipſe & *Pricæus* probat, ut ſenſus ſit: *quodcunque feceris in fratres, & quidem peregrinantes.* Receptiorem illam tuetur *Alberti* in Periculo Critico pag. 37. ex qua etiam ſenſus idem prodibit, qui ex altera elicitur, modo καὶ illud pro explanativo accipias, ut *Marc.* XVI. 7. εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ Πέτρῳ, *dicite diſcipulis ejus, & quidem inprimis Petro.* Sunt, qui per ξένους intelligant homines ab eccleſia alienos: ſed illis commata ſequentia, in quibus ἐκκλησίας mentio fit, & ξένοι illi ſeu peregrinantes a paganis (ἔθνεσι) diſtinguuntur, adverſatur. *Braunio* in Selectis Sacris pag. 161. veri videtur ſimile, peregrinos iſtos fuiſſe Judæos, ſed aliunde accedentes ad Judæos credentes, qui ibi jam fixa habuerint domicilia.

Verſ. 6. οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας ἀξίως τοῦ Θεοῦ) Pro ποιήσεις codd. aliquot legunt ποιεῖς. B. *Lutherus* vertit: Du haſt wol gethan, quaſi legiſſet ἐποίησας, quod *Grotio* etiam placuit. At enim vero tenenda eſt recepta lectio. De iis enim fratribus ſermo eſt, qui a Cajo adventantes ejusdem in ſe liberalitatem Eccleſiæ teſtatam fecerant. Itaque vult Apo-

 ſtolus

Digitized by Google

ſtolus, ut ſimilem ſe adverſus eosdem nunc denuo abiturientes, & alios, eorum ſimiles, inpoſterum præſtet. Vocem ὣς malim referre ad προπέμψας, quam ad ποιήσεις, quamvis ex *Matth.* V. 43. etiam ad hoc per linguæ rationes referri poſſit. Sic *Actor.* X. 33. καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος.

Verſ. 7. Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἐξῆλθον, μηδὲν λαμβάνοντες ἀπὸ τῶν ἐθνῶν) Pro diverſa horum verborum interpunctione diverſus naſcetur ſenſus. Vel enim verbum ἐξῆλθον conjungetur cum phraſi, ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, poſita poſt λαμβάνοντες diſtinctionis nota, & ſic ſenſus erit, eos exiiſſe vel expulſos eſſe a paganis, rebus ſuis omnibus relictis; vel vox λαμβάνοντες conjungetur cum phraſi ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, hoc ſenſu, quod præconio Evangelii inter Gentiles, ſine accepta mercede, perfuncti fuerint. Poſterius placet Interpretibus plerisque. Parum vero abeſt, quin prius præferam cum *Beza* & *Schmidio*. Frequens phraſis eſt in Novo Fœdere, ἐξέρχεσθαι ἀπό τινος, *deſerere aliquem*, quod ἐξῆλθον ἐξ ἡμῶν dicit *Joannes* 1. ep. II. 19. verbum vero λαμβάνειν nusquam video cum ἀπὸ conjunctum, ſi exceperis *Apocal.* VI, 4. λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς γῆς, ubi tamen *auferendi* potius, quam *accipiendi* ſignificatus obtinet. Porro ſenſus, qui ex hac interpunctione naſcitur, ad inſtitutum Pauli videtur accommodatior. Is enim ἀδελφοὺς illos hac liberalitate dignos repræſentat, qui Dei & religionis cauſa facultatibus omnibus ceſſerint, paupertati nunc & inopiæ expoſiti. Taceo a paganis hominibus, qua talibus, nihil exſpectari, nedum accipi potuiſſe. Quæ cauſa quoque videtur fuiſſe, cur *Piſcator* pro ἐθνῶν legere maluerit ἐκκλησιῶν, ſi credimus Auctori Prolegomenorum in accuratiorem N. T. editionem pag. 172. Neque enim ejusmodi quicquam in Notis Piſcatoris ad N. T. invenio.

Verſ. 8. Ἡμεῖς οὖν ὀφείλομεν ἀπολαμβάνειν τοὺς τοιούτους) Pauci codd. habent ὑπολαμβάνειν, fortaſſe ex *Actor.* I. 9. Præſtat prius, quod eodem ſenſu *Marc.* VII. 33. occurrit. Alibi uſurpatur ἀναλαμβάνειν *Actor.* XX. 13. 14. παραλαμβάνειν, *Matth.* XXIV. 40. προσλαμβάνεσθαι, *Philem.* v. 12. & προσδέχεσθαι, *Luc.* XV. 2.

Verſ. 9. Ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ) *Vulg.* vertit: *ſcripſiſſem Eccleſiæ.* Itaque legiſſe videtur ἔγραψα ἄν, quod alii aliquot codices apud *Millium* clare exhibent. Interpretatio illa probat ſe *Joanni Clerico* in Hiſtoria Eccleſiaſt. priorum duorum ſeculorum p. 506. Deſerunt vero eam ex ipſis Pontificiis *Eraſmus*, *Mauduitius* in Analyſi Epiſtolarum Pauli & Canonicarum Tom. II. pag. 705. & *Tillemontius* Tom. I. Part. III. Memoriarum Hiſtor. Eccleſiaſt. pag. 941. edit. Bruxellenſ. Poterat, fateor, τὸ ἂν ſubintelligi, quod alias fieri oſtendi *Rom.* IX. 3. ſed nihil admodum cauſæ video, cur idem h. l. factum credamus. Nihil enim obſtat, quo minus epiſtolam aliquam ad Eccleſiam ab Apoſtolo vere ſcriptam eſſe ſtatuamus. Qui ita

ſentiunt,

ſentiunt, in tres ſcinduntur partes. Alii enim de prima Joannis epiſtola, alii de ſecunda accipiunt, alii vero penitus eam periiſſe cenſent. Primam ſententiam amplexus eſt *Lightfootus* Tom. I. Operum Anglican. pag. 339. cui eadem ad Corinthiorum Eccleſiam, in qua Cajus fuerit verſatus, ſcripta videtur. Altera ſe probavit illis, qui τὴν ἐκλεκτὴν κυρίαν v. 1. epiſtolæ ſecundæ de Eccleſia aliqua ſunt interpretati. Inter hos *Mauduitium* eſſe Tom. II. Analyſeos epiſtolarum Paulinarum & Canonicarum pag. 705. ſupra monuimus. Huic enim ſecunda illa una cum tertia ad Cajum miſſa videtur, ut eam Eccleſiæ redderet, cui illam alioquin Diotrephes, tanquam ab Apoſtolo alienus, traditurus non fuiſſet. Quemadmodum vero per ἐκλεκτὴν κυρίαν Eccleſiam intelligi non poſſe, ſupra ſatis eſt oſtenſum; ita neceſſe eſt, hæc ſententia per ſe ruat. Tertia arriſit *Tillemontio* l. c. & ex noſtratibus *Sonntagio* in Hecdecadibus ad hanc epiſtolam pag. 144. epiſtolam hanc inter Canonicas nunquam receptam adeoque deperditam eſſe exiſtimanti. Probaverim eos, qui ad primam Joannis epiſtolam heic reſpici arbitrantur. Quamvis enim in illa, quod *Sonntagius* objicit, egenorum fratrum mentio non fiat, amor tamen, in fratres probandus, generatim & graviter inculcatur.

ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν) Audi *Salmaſium* de Epiſcopis & Presbyteris pag. 24. Diotrephes, inquit, *videtur unus ex collegio Presbyterorum vel Epiſcoporum fuiſſe, qui in ea Eccleſia inſtituti ab Apoſtolo fuerant. Quia autem ille nollet agnoſcere ſuperiorem aliquem, in Presbyteros habentem poteſtatem, Apoſtoli autem quaſi primi Presbyterorum, qui & eos inſtituebant, jure ipſo praeminere ipſis debebant, ideo non admittebat Joannem, qui in Eccleſia major jure ſuo futurus erat omnibus ejus Epiſcopis ſive Presbyteris. Vel ſane dicendum, illum Diotrephem inter ſuos collegas Presbyteros, h. e. Epiſcopos, φιλοπρωτεύοντα, idcirco noluiſſe admittere Johannem, qui eam ejus ambitionem & φιλοπρωτίαν non tuliſſet, ſed caſtigaſſet. Fortean hic Diotrephes a Paulo Presbyter conſtitutus inde multum ſibi tribuebat, & Johanni concedere nolebat, ut vetus Presbyter, & a maximo magnique meriti Apoſtolo creatus.* Conf. *Dav. Blondellum* de Epiſcopis pag. 13.

Διοτρεφὴς) De eo lege *Thomam Ittigium* de Hæreſiarchis pag. 86. & *Lampium* in Prolegomenis ad commentarium in Joannis Evangelium pag. 113.

Verſ. 10. Ὑπομνήσω αὐτῦ τὰ ἔργα, ἃ ποιεῖ) *Pricæus* pro αὐτῦ malebat αὐτόν. Poſito vero hoc, ſcribendum etiam fuiſſe τῶν ἔργων, opportune monet Cl. *Albertius* in Periculo Critico pag. 37. additque, ſenſum hunc eſſe, quod Joannes illis, ad quos venturus erat, in memoriam opera ejus ſit revocaturus, ſicut *Ælianus* Var. Hiſtor. V. 19. de aliis ait, ὑπεμνήσθησαν τῶν ἔργων αὐτῦ.

λόγοις

λόγοις πονηροῖς φλυαρῶν ἡμᾶς) De verbo *φλυαρεῖν* lege *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 664. Neutrum quamvis ſit, activa tamen ſignificatione pollet, ut verbum *θριαμβεύειν Coloſſ.* II. 15. Conſtruitur autem cum accuſativo perſonæ, ſicut alias verba dicendi, v. c. *κακῶς λέγειν τινα.* Vide *Sonntagium* ad h. l.

καὶ τὲς βȣλομένȣς) ſcil. *ἐπιδέχεσθαι.* Hinc puto natum *ἐπιδεχομένȣς*, quod in codicibus aliquot legitur.

καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει) i. e. *ἀποσυναγώγȣς ποιεῖ*, *Joh.* XVI. 2. Vide *Grotium* ad loc. & Tom. III. Operum p. 246. b. etiam *Camp. Vitringam* de Synagoga vetere pag. 759.

Verſ. 11. *ὁ ἀγαθοποιῶν ἐκ τȣ̃ Θεȣ̃ ἐςιν*) Illud *ἀγαθοποιεῖν* ad beneficentiam & liberalitatem, aliis teſtatam, referunt nonnulli, interque hos *Grotius* & *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 755. qui poſterior nonnulla veterum dicta in hujus virtutis laudem recitat. Præſtat tamen, phraſin de virtutis ſtudio generatim interpretari, quod omnino per *ἀγαθὸν μιμεῖσθαι*, proxime antecedens, indicatur. Id Paulus *Epheſ.* VI. 8. dicit *ἀγαθὸν ποιεῖν*, & 1. *Theſſalon.* V. 15. *τὸ ἀγαθὸν διώκειν.* Conf. 1. *Pet.* III. 11.

Verſ. 12. *Δημητρίῳ μεμαρτύρηται ὑπὸ πάντων*) Nonnulli Demetrium hunc Apoſtoli literas ad Cajum pertuliſſe exiſtimant. Rectius vero talis indicari videtur, qui ejusdem Eccleſiæ, in qua Cajus degebat, membrum exſtiterit, quique adeo Diotrephi, homini peſſime morato, opponatur, & tanquam exemplum ad imitationem proponatur.

Verſ. 13. *ἀλλ' ȣ̓ θέλω διὰ μέλανος καὶ καλάμȣ σοι γράψαι*) Vide ad v. 12. epiſtolæ ſuperioris. Phraſin hanc Hebræi ex parte civitate donarunt. Hæc enim legis in *Bereſchith Rabba* Sect. I. fol. 3. 3. טלו מלנין וקלמין לבני, *adferte calamum & atramentum filio meo.* Vide Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 1077.

PRO-

PROLEGOMENA IN EPISTOLAM S. JUDÆ.

S. JUDAM cognomine *Thaddæi*, & *Lebbæi*, (de quo poſteriori conjecturam *Theod. Haſæi* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. Faſcic. III. diſſertat. VI. & ejusdem Syllogen Diſſertationum pag. 114. ſeq. videbis) appellatum, & S. Jacobi Apoſtoli fratrem, epiſtolæ hujus ſcriptorem eſſe, & comma primum epiſtolæ & communior ultimæ antiquitatis traditio credere jubet. De vita ejus, rebus geſtis, præconio Evangelico, martyrio &c. leges Florentinium ad Martyrologium Hieronymi pag. 171. & *Joannem Albertum Fabricium* in Bibliotheca Græca lib. IV. pag. 167. ad Codicem Apocryphum Novi Teſtamenti pag. 608. 634. & 930. ad Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. IV. in Miræi Biblioth. Eccleſiaſt. p. 32. & in Luce Salutari orbi oriente p. 112.

Judæ Thaddæi non eſſe, perſuaſum ſibi nonnulli recentiorum habuerunt, tum ex veterum quorundam ſilentio, allegatoque *Enochi* libro apocrypho, tum vero ex eo, quod in verſione Syriaca olim non exſtiterit. Inter hos ſunt *Scaliger* in Scaligeranis II. pag. 72. & *Grotius*. Confer B. *Joannis Mølleri* Homonymoſcopiam pag. 181. ſeq. *Grotius* ſpeciatim pro auctore habet *Judam*, Epiſcopum Hieroſolymitanum, Barcochebæ, Pſeudo-Meſſiæ, ſub Hadriani temporibus proximum. Illi vero ſe oppoſuerunt ex noſtratibus *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, ex Reformatis *Hermannus Witſius* in copioſis Prolegomenis ad commentarium in hanc epiſtolam, Meletematibus Leidenſibus annexum, & *Campegius Vitringa* libro IV. Obſervationum Sacrarum pag. 973. ſeq. (quæ diſſertatio in Theſauro Diſputationum Novo Tomo II. pag. 982. ſeqq. recuſa exſtat) ex Pontificiis denique *Richardus Simon* in Hiſtoria Critica contextus Novi Teſtamenti pag. 201. *Grotii* veſtigiis more ſuo inſtitit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in annotationibus pag. 943. a Rev. *Leonhardo Twells* Parte II. Examinis Critici, anglice editi, confutatus. Hujus vindicias, in compendium relatas, paulo poſt Lectori exhibebimus. Ab illis abit *Daniel Papebrochius* in Actis Sanctorum Antwerpienſibus Tomo III. Junii pag. 802. ſeq. ſingulari diſſertatione contendens, epiſtolæ hujus ſcriptorem fuiſſe ex LXXII. diſcipulis, martyrioque Arariæ in Armenia perfunctum, atque adeo a Thaddæo, ratione cultus locique fatalis, diſtinguendum. Canonicam epiſtolæ hujus auctoritatem *Petrus Jurieu* in Hiſtoria Critica cultuum & dogmatum pag. 24. elevare nonnullis viſus eſt, qui tamen ſuſpicionem hanc a ſe amoliri conatur in Novis Literariis Bernardinis, an. 1704. pag. 30. menſis Julii.

De tempore ſcriptæ epiſtolæ, ut non admodum conſtat, ita poſt Petri alteram exaratam eſſe notabilis, quæ inter utramque obſervatur, convenientia evincit.

Eadem vero probat, ſcopum & argumentum ejus ab illo Petrinæ non eſſe diverſum, in cujus conditionem *Vitringam* inprimis inquiſiviſſe in Prolegomenis ad Petri illam monuimus.

Ad Ex-Judæos potius, quam Ex-Gentiles ſcripſiſſe Apoſtolum, exiſtimat *Braunius* in Selectis Sacris p. 161.

Commentariorum in hanc epiſtolam notitiam hauries ex *Schwindelii* Bibliotheca Paſtorali. Illis adde *Hugonis Broughtoni* Expoſitionem, quæ Tomo II. Operum ejus Anglicanorum pag. 402. ſeqq. legitur, Anonymi commentarium, Lugduni Batavorum 1676. 4to editum, M. *Henrici Andreæ Waltheri* Exegeſin epiſtolæ hujus, Helmſtadii 1727. 4to, Anonymi, (quem Rev. *J. F. Reimmannum* credi teſtatur Collectio rerum Theologicarum novantiqua an. 1732. pag. 639. quemadmodum eidem *Conatus* hic acceptus fertur in *Europa Erudita* Rev. Gœttenii pag. 798.) Verſuch einer neuen Entſiegelung der Epiſtel Judæ, Brunſuigæ 1731. 4to, & M. *Wilhelmi Chriſtophori Büchneri* erbauliche Erklärung des Send-Schreibens Judæ, Erfurti 1727. 4to. *Joannes Henricus a Seelen*, vir doctiſſimus, ſingulari Programmate *Judam Antifanaticum*, ſive obſervationes ad nonnulla epiſtolæ S. Judæ loca, quibus capitales quidam Fanaticorum errores refelluntur, exhibuit Lubecæ 1732. 4to.

Quæ alia heic dici poterant, ea occuparunt ex noſtratibus B. *Joannes Henricus Gœtzius* in epiſtola ſingulari, quam *Meletemata* ejus *Annæbergenſia* exhibent, pag. 413. *Joannes Wandalinus* de Judæ Apoſtoli auctoritate Canonica, Hafniæ 1663. *Mich. Frider. Quade* Progr. in epiſtolam Judæ, & vitam ejus, Gryphiswald. 1709. *Fridericus Weiſe* in Orthodoxa ſuper hanc epiſtolam commentatione, Helmſtadii 1722. (confer Annales Academ. Juliæ Semeſtri V. pag. 24.) M. *Henricus Andreas Waltherus* in diſſertatione Iſagogica, dicto ejuſdem commentario præmiſſa, *Franc. Wokenius* in Sciagraphia Theologiæ epiſtolæ Judæ, quæ Decadi Schediaſmatum ejus inſerta eſt, ex Reformatis vero *Witſius* in Prolegomenis ante appellatis, & *Joannes Millius* in Prolegom. ad N. T. §. 209. ſeq.

Promiſi modo, me Rev. *Twelſii* vindicias epiſtolæ hujus adverſus *Annotatoris* Anglicani exceptiones allaturum eſſe. Habe itaque eas in compendio, prout pag. 107. ſqq. leguntur. Annotator *Origenem* & *Euſebium* profert, tanquam tales, qui epiſtolæ hujus auctoritatem non in confeſſo fuiſſe teſtentur. At verba *Origenis* nihil inferunt aliud, quam quod illa non ab omnibus fuerit agnita. *Ἐι δὲ*, inquit Comm. in Matth. pag. 488. *καὶ τὴν Ἰούδα πρόσοιτότις ἐπιςολὴν, ὁράτω, τί ἕπεται τῷ λόγῳ, διὰ τὸ κ. τ. λ.* i. e. *ille*,

ille, qui epiſtolam Judæ recipit, videat &c. poſt quæ comma ſextum adfert. Heic vero phraſis εἰ δέ τις, non eſt conditionalis, ſed eadem, ac ſi dixeris, ὅς vel ὅςις ἄν. Itaque *Origenes* clare præſtruit, epiſtolæ hujus auctoritatem a nonnullis agnitam fuiſſe, tantum abeſt, ut ab omnibus fuerit repudiata. *Origenem* vero ipſum eam agnoviſſe, patet ex iis, quæ p. 223. Commentar. in Matthæum leguntur. Judas, inquit, *epiſtolam ſcripſit paucorum quidem commatum, plenam vero verbis, divina gratia valentibus*, &c. His adfines ſunt loci, ex homiliis ejus in *Geneſin* & *Joſuæ* librum a *Millio* allegatis, in quibus *Judæ* & *Jacobi* epiſtolæ inter canonica Nov. Teſt. ſcripta numerantur.

Origeni jungit *Euſebium*. Ille vero VI. 14. Hiſt. Eccleſ. ad quem provocat, tantum ait, epiſtolam hanc eſſe τῶν ἀντιλεγομένων γραφῶν, h. e. *ex iis ſcriptis, quibus nonnulli contradixerint*. Hæc enim perpetua phraſeos hujus apud *Euſebium* notio eſt, minime vero id infert, quod ab omnibus fuerit rejecta. Ita III. 25. & hanc & alias epiſtolas, olim controverſas, ait eſſe ἀντιλεγομένας, ſtatim vero addit, easdem fuiſſe γνωρίμας τοῖς πολλοῖς h. e. *multis probatas*.

Tertium & ultimum, quod epiſtolæ huic opponit, teſtimonium a *Sophronio* repetitur. Illud vero in *Hieronymi* Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. ubi de *Juda*, ex Græco latine converſum, his verbis exhibetur: *Et quia de libro Enoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a plerisque rejicitur*. Hic vero non acquieſcens ſtatim ſic pergit: *tamen auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter Sanctas Scripturas computatur*. Ex quibus conſequitur, epiſtolam hanc tunc temporis univerſaliter fuiſſe receptam, antea vero ſemper ab aliquibus inter Canonicas numeratam.

His tandem ſubnectit *Hieronymum* epiſt. 103. ad Paulinum, non alia de cauſa, quam quod & h. l. *Millium* exſcribit. Neque enim *Hieronymus* epiſtolæ huic adverſatur, qui ibi ſeptem Catholicas epiſtolas *Jacobo, Petro, Joanni* & *Judæ* adſcribat. Hos quidem adfert ex veteribus.

Ex recentioribus ad unum *Grotium* provocat, monentem, Judam *non addidiſſe* vocem Ἀπόςολος, *quod Apoſtoli facere ſolent in epiſtolis etiam ad privatos*. Ad hoc reſpondetur, Judam revera Apoſtolum ſe vocare, dum *Jacobi fratrem* ſe appellat. Quæ verba quamvis in codicibus & verſionibus omnibus legantur, *Grotio* tamen a librariis ideo addita videntur, ut Judas hic eſſe Apoſtolus crederetur, quod ipſum & *Simeonis* epiſtolæ, quæ ſecunda Petri ſit, uſu venerit. Heic vero principium petit *Grotius*. Nemo enim locum aliquem, tanquam a librariis interpolatum, cauſari poteſt, qui codicem, vel verſionem aliquam, ad firmandam ſententiam ſuam promere non poteſt. Alioquin tota *Judæ* epiſtola, quod recte *Rich. Simon* obſervat, expungi poſſet. Jam vero conſtat, voces, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου,

Origenis ætate in contextu lectas fuiſſe. Id apparet ex his ejus verbis comm. in *Matth.* pag. 228. Καὶ Ἰούδας ἔγραψε τὴν ἐπιστολὴν ὀλιγόστιχον μὲν, πεπληρωμένην δὲ τῆς οὐρανίου χάριτος ἐῤῥωμένων λόγων ὅστις ἐν προοιμίῳ εἴρηκεν, Ἰούδας Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου.

Annotator porro poſt *Grotium* urget, ſi epiſtola fuiſſet Apoſtolica, eam in alias linguas converſam, & ab Eccleſiis omnibus procul dubio receptam fuiſſe, cum nunc quidem res aliter habeat. Enimvero id ipſum nec *Apocalypſi* uſu venit, quam tamen ſcripti Apoſtolici loco habet *Grotius*. Porro omiſſa hujus epiſtolæ in alias linguas converſio, aut univerſalis receptio, id tantum probat, quod non omnes gentes & Eccleſiæ Apoſtolicam ejus auctoritatem agnoverint. At vel ſic Apoſtolica eſſe potuit, quemadmodum & talis a variis Eccleſiis, ſpeciatim Palæſtinæ illis, habita eſt. Neque vero epiſtola hæc in verſione vetere ulla, ſi *Syriacam* exceperis, deſiderata eſt. Cauſa in eo poſita videtur, quod verſio *Syriaca* prima tam mature facta erat, ut Syrorum Eccleſiæ in epiſtolæ hujus dignitatem inquirere ſatis non potuerint. In canone tamen Syrorum jam ſeculo IV. exſtitiſſe, atque adeo in linguam eorum converſam fuiſſe, conſtat. Eo enim tempore *Ephremus*, Diaconus, eam frequenter adhibet; cumque Syri Palæſtinæ adeo vicini fuerint, eosdem illam jam longe ante habuiſſe veri ſit ſimile. Verbo dicam: non niſi ex præjudicio quodam factum eſt, ut *Grotius* contra ipſius epiſtolæ indicia eam *Judæ*, Jacobi fratri, abjudicandam cenſeret. Multo minus ad Adriani tempora, h. e. A. C. 130. quæ ejusdem viri doctiſſimi conjectura eſt, referri poteſt. Id vero Annotator ſibi habet perſuaſiſſimum, addens, epiſtolam hanc Carpocratianis potiſſimum oppoſitam fuiſſe, quorum enormia ſcelera, extinctis candelis patrata, *Clemens Alex.* Stromat. III. pag. 430. recitet. Quod ſi vero id admittatur, *Judas* Apoſtolus, longe ante Carpocratianorum originem defunctus, epiſtolam hanc ſcribere non potuit. At vero *Clemens Alex.* qui ſexaginta tantum annis poſt, nempe A. C. 130. floruit, clare præſtruit, epiſtolam *Judæ* illa ætate, vel ſaltem hæreſi iſta antiquiorem fuiſſe. Stromatum enim libro III. epiſtolam *Judæ* ait de *Carpocratianis* vaticinari, quod omnino infert, Apoſtolum pluribus annis ante, quam hæretici illi comparuerint, ſcripſiſſe.

Auctoritate epiſtolæ hujus ab oppoſitis illi teſtimoniis vindicata, illa ex antiquitate, quæ pro ea pugnant, adferam, ut lector intelligat, Annotatorem ea heic non minus, quam in ſuperioribus epiſtolis factum eſt, omiſiſſe.

De *Clemente Alexandrino* Sec. II. & *Origene*, diſcipulo ejus, jam dictum eſt. Inter utrumque floruit *Tertullianus*, qui initio ſeculi III. epiſtolam hanc Judæ Apoſtolo diſerte vindicat. Seculo proximo *Cyrillus Hieroſol.*

ſol. & *Athanaſius* locum illi in catalogis librorum Scripturæ S. Canonicorum faciunt. *Didymus* in eandem, ſine addita cenſura, commentatus eſt. His accedit *Ephrem. Syrus*, *Epiphan. Concil. Laodicenum*, & *Gregorius Nazianz.* ejuſdem ſeculi ſcriptores. Ex Occidentali Eccleſia *Lucifer Calaritanus* Sec. IV. eam ſub nomine Judæ Apoſtoli adfert. Poſt illum *Ambroſius*, & ſub finem hujus ſeculi *Philaſtrius* ac *Ruffinus* eandem ſuis librorum Canonicorum indicibus inſeruerunt. Ex Doctoribus Afris ejuſdem ætatis *Auguſtinus* eam Canonicam reputat. Secula his inferiora commemorare nihil attinet, tanquam quibus epiſtolam hanc pro genuino Judæ Apoſtoli ſcripto habitam fuiſſe conſtat.

CAPUT UNUM.

VErſ. 1. Ἰούδας, Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου) Comma integrum explicat *Robertus Gell* in Operibus Anglicanis Tom. II. pag. 830-835. Voces, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου, a librariis additas cenſet *Grotius*, ut Apoſtolus eſſe crederetur: ſed nec unus adeſt codex, qui conjecturam ejus firmet. Apoſtolum ſe non vocat Judas, quamvis talis fuerit, quemadmodum Paulus in limine epiſtolæ ad Philippenſes ſe non ἀπόστολον, ſed δοῦλον Ἰησοῦ vocat. Petrus 2 epiſt. I. 1. utrumque ἀποστόλου & δούλου nomen conjungit. Vide, quæ ibi ſcripſimus.

τοῖς ἐν Θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις) Τὸ ἐν idem eſt quod *per*, quo ſenſu non tantum ex Hebræorum, ſed & ex Græcorum, more adhibetur. Lege loca a Cl. *Georgio* in Vindiciis N. T. pag. 151. allata. Pro ἡγιασμένοις pauci codd. habent ἠγαπημένοις. Præſtat prius. Ita *Rom.* XV. 16. ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ, & 1 *Cor.* I. 2. ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

καὶ Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις) Pro Χριστῷ quidam libri legunt Χριστοῦ. Enimvero τὸ ἐν repetendum eſt ἀπὸ κοινοῦ, ut vocati illi per Deum Patrem ſanctificati, per Chriſtum vero ſervati dicantur. Huc ſpectat precatio Chriſti ad Patrem *Joh.* XVII. 11. τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου.

Verſ. 2. Ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη, καὶ ἀγάπη πληθυνθείη) Vide ſupra ad 2 *Pet.* I. 2. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri pag. 1032.

Verſ. 3. Ἀγαπητοί, πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος γράφειν ὑμῖν) Hac phraſi familiariter utitur *Polybius*, & *Herodotus* quoque, quorum locos attulit Rev. *Raphelius.* Ille quidem pag. 877. ita: περί γε μὴν τοῦ παρ᾽ ὅλον τὸν βίον ἀληθεύειν μεγίστην ἐποιήσατο σπουδήν, hic autem lib. I. pag. 2. τὸ ἁρπασθεισέων σπουδὴν ποιήσασθαι τιμωρέειν ἀνοήτων, *amentium virorum eſſe, fœminis raptis ulciſcendis operam dare.* Vides utrinque eandem ſtructuræ rationem.

περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας —— τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει) Ut tautologia caveatur, quæ ex nonnullorum interpretationibus conſequi videtur, *Scherlockius*, Præſul Anglicanus, in diſſertatione ſuper 1 Petri epiſtolam pag. 226. hanc commatis totius paraphraſin ſuppeditat: dilecti, animus mihi erat, ſcribere ad vos de communibus doctrinis & ſpe Evangelii ad fidem veſtram & JEſu Chriſti cognitionem amplificandam; jam vero coactum me video, ut hoc inſtitutum deferam, &, ad cavendum præſens periculum, vos exhorter, ut ſerio teneatis eam, quæ vobis tradita eſt, doctrinam, contra falſos doctores, quos clanculum audio irrepſiſſe. Hoc ſenſu κοινὴ σωτηρία infert *doctrinam Evangelicam*, ſine reſpectu ad tempora aut perſonas, falſasque doctrinas habito, prædicatam; πίστις vero παραδοθεῖσα ſingularia quædam doctrinæ Evangelicæ capita ſignificat, quæ tunc temporis a nonnullis ſollicitabantur, & interpolabantur. Hanc obſervationem probat & adſtruit *A. Blakwall* in Claſſicis Sacris Tomo II. pag. 202.ſeq.

παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει) *adhortans vos, ut decertetis pro fide, quæ ſemel data eſt ſanctis.* Ita rectiſſime *Eraſmus Schmidius*, ut ſic vox τῇ πίστει in dandi, non auferendi caſu poſita, objectum inferat, pro quo ſit decertandum. De efficacia verbi ἐπαγωνίζεσθαι lege *Suicerum* Tom. I. pag. 223. & *Jac. Haſæum* in Biblioth. Bremenſe Claſſ. IV. pag. 341. ſeq. ubi verſionem *Vulgati*, per *ſupercertare* interpretantis, adſtruit, eademque opera oſtendit, iterationem & frequentiam certaminis inferri. Eo ſenſu verbum adhibet *Plutarchus* in Vita Cimonis, Tomo III. Vitarum pag. 124. edit. Londin. *Sextus Empiricus* id διαγωνίζεσθαι i. e. *conſtanter decertare* dicit lib. XI. §. 100. διαγωνίζεται μέχρι θανάτου, & §. 101. μέχρι τῆς ἐσχάτης ἀναπνοῆς διαγωνίζεσθαι. Vide ibi eruditiſſimum *Fabricium* noſtrum pag. 709. De argumento ipſo lege ex noſtratibus D. *Jo. Henr. Feuſtkingii* Theologema Sacrum de Epagoniſmo fidei, Vitemb. 1710. 4. *Caſauboni* epiſt. dedicator. ad Exercitationes Anti Baronianas, *Robert. Gellum* in Operibus Anglicanis Tom. II. pag. 836-840. & *Jo. d'Outrein* in Bibelſche Keurſtoffen pag. 168-200.

Verſ. 4. Παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι κ. τ. λ.) *Joan. Pricæus* τινὲς refert ad ſequens ἀσεβεῖς, intermedia vero, ἄνθρωποι —— κρίμα parentheſeos nota a reliquis ſeparat, & articulum οἱ ante προγεγραμμένοι *forte abeſſe debere* contendit. Vide contra hæc recte diſputantem *Albertium* in Periculo Critico pag. 38. Παρεισέδυσαν, *clam irrepſerunt. Heliodorus* lib. I. pag. 21. de furtivo adulteri adventu ita: τὸν δὲ οὕτω συγκείμενον αὐτῷ πρὸς τὸν Δημαινέτην ἄρτι παρεισδεδυκέναι. Obſervarunt locum VV. CC. *Elsnerus* & *Albertius* in Obſervatt. Sacris, qui & alios addunt, ac *Pricæum* præterea videri jubent. Quod ad rem ipſam confer *Gal.* II. 4. & 2 *Pet.* II. 1.

οἱ

οἱ πάλαι προγεγραμμένοι ἐις τῦτο τὸ κρῖμα) qui dudum ante adjudicati ſunt ad hanc condemnationem. Petrus 2 epiſt. II. 3. ita: *οἷς τὸ κρῖμα ἔκπαλαι ὐκ ἀργεῖ.* Phraſin hanc ex Scriptura Sacra & Judæorum libris copioſe exponit *Hackſpanius* in Sylloge Diſputationum Theologicarum & Philologicarum pag. 310. ſeqq. Judæi enim נכתבים למיתה, *proſcriptos ad mortem*, & כתובים לחיים, *vitæ adſcriptos* commemorant. Confer eundem de uſu librorum Rabbinicorum pag. 480. ſeq. & in Notis Philologicis ad *Luc.* X. 20. Neque tamen hanc dicendi formulam Græcis ignotam eſſe oſtendit *Elsnerus* pag. 427. Προγράφειν ait eſſe *palam ſcribere*, quod Latini dixerint *proſcribere*, vide *Cuperum* Obſervat. I. 17. *Plutarchus* de iis, qui in judicium vocati erant in Ariſtide pag. 326. ait, *οἷς πρώτοις ἡ κρίσις προεγράφη*, & in Camillo pag. 134. *τῆς δίκης προγεγραμμένης αὐτῷ*, *cum ei eſſet dies dicta.* Porro illi, quorum nomina in tabula publica notata, quibusque cædes deſtinata erat, præmio percuſſoribus propoſito, *προγεγραμμένοι proſcripti* dicebantur, teſte *Plutarcho* in Sylla pag. 472. Ex his tandem laudatus *Elsnerus* conficit, hoc loco eos homines denotari, qui non ſolum ſcelerum rationes Deo debeant, verum etiam ad pœnam promeritam deſtinati ſint, iræ divinæ victimæ piaculares. Cavendum tamen hic eſt, ne proſcriptionem hanc cum *Joanne Piſcatore* in Notis ad h. l. & in Reſponſ. Apologet. ad Vorſtii Paraſceven pag. 6. ita accipiamus, ut homines illos *æterno Dei decreto deſtinatos eſſe ad iſtam impietatem, qua ſibi judicium ſeu damnationem æternam attrahunt*, exiſtimemus. Nihil hujuſmodi phraſi Apoſtolica indicari, ex noſtratibus, ut alios taceam, evicerunt B. *Wolfg. Franzius* de interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 117. *Hackſpanius* loc. citat. & *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 502. Ex phraſeos hujus uſu apud Scriptores, Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 350. ubi eundem adſtruit, recte hæc conficit: *quare οἱ πάλαι προγεγραμμένοι ἐ. τ. τ. κ. illi ſunt, qui dudum ſunt accuſati, & in hoc judicium vocati, in quo impietatis, cujus mox mentionem facit, condemnabuntur. Si accuſatoris, qui hanc dicam jam olim ipſis ſcripſerit, nomen quæris, Moſes eſt*, Joh. V. 45. *Et cum ὁ μὴ πιςέυων dicatur ἤδη κεκρῖσθαι*, *Joh.* III. 17. *omnino etiam οἱ τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησῦν Χριςὸν ἀρνύμενοι rectiſſime dicentur προγεγραμμένοι ἐις τῦτο τὸ κρῖμα.* Rev. *Zeltnerus* in annotat. ad h. l. verſioni Lutheri Biblicæ pag. 218. ſubjecta *τὺς προγεγραμμένυς* ita accipit, ut homines ex Eccleſia jampridem in verbo Dei *proſcriptos* indicari exiſtimet, collatis *Deuteronom.* XXXII. 5. *Proverb.* XXX. 11. *Pſalm.* L. 15. & *Jeſ.* XXIX. 13. *Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 349. *προγεγραμμένυς* quaſi a Petro in epiſtola poſteriore *deſcriptos* interpretatur, cui tamen *τὸ πάλαι* obſtat. Confer *Hebr.* I. 1. & 2 *Petr.* II. 3.

τὴν τῦ Θεῦ ἡμῶν χάριν μεταλιθέντες ἐις ἀσέλγειαν) Vide *Petavii* Dogmata Theologica Tomo II. lib. III. cap. 11. §. 11. Confer nos ad 2 *Petr.* II. 18.

καὶ

καὶ τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι) Vox Θεὸς a nonnullis codicibus & *Vulg.* quoque Interprete abeſt. Vide præter *Millium*, *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti libro III. pag. 869. Alii itaque eam pia quadam fraude additam, alii ab aliis vel caſu vel conſilio omiſſam eſſe exiſtimant, alii de utroque dubii hærent. Primam claſſem Ariani & Sociniani utplurimum occupant, ne Chriſtum Dei nomine appellatum confiteri neceſſe habeant. Illos ſequuntur Auctor Prolegomenorum ad accuratam Novi Teſtamenti editionem pag. 190. & Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, qui Dei nomen in contextu poſitum in verſione omiſit. Mediam ſententiam orthodoxi tuentur. Tertiæ ſe jungit *Joannes Clericus* Artis Criticæ Parte III. Sect. I. cap. 15. §. 15. *Sive data opera*, inquit, *detracta fuerit hæc vocula*, *ſive addita a Theologis*, *quicunque ſint*, *& quacunque de cauſa*; *illa quidem fraus eſt*, *indigna bonis viris*, *& veri amantibus.* Sunt etiam, qui, vocem Θεὸς admittentes, contendunt, eam non ad Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, ſed ad Patrem referri debere, cum Servator noſter nuſquam in N. T. δεσπότου nomine appelletur. Ita ſentit *Sam. Clarke* in Reſponſione ad *Robertum Nelſonum* Anglice edita pag. 110. Cum vero Jeſus Chriſtus 2 *Pet.* I. 1. δεσπότου nomine veniat, quod fruſtra contra Grotium inficiatur *Clarckius*, argumento illi nullum ineſſe pondus per ſe apparet. Vide etiam Interpretes N. T. Gallos Berolinenſes, vocem δεσπότην ad Patrem, tanquam Patremfamilias, referentes, qui, ab auctore *epiſtolæ Paſtoralis*, gall. editæ, ideo notati, defendere ſe conati ſunt ſingulari *Reſponſione*, pag. 89. Non minus vero δεσπότου, quam Κυρίου, nomen ad Chriſtum pertinere, ex eo probari poteſt, quod veteres utrumque nomen in Imperatore deſignando adhibere & conjungere ſolebant. Ita Agrippa ad Cajum apud *Philonem* in Legatione ad eum pag. 798. *κἀγώ τις εἰμι*, ait, *εἰδότων μὲν*, *ὅτι δεσπότην ἔχω καὶ κύριον*, obſervante *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 291. Similiter h. l. Jeſus Chriſtus & δεσπότης reſpectu *creationis*, & Κύριος reſpectu *redemtionis* appellari recte exiſtimatur. Lege alia in hanc ſententiam argumenta apud *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l.

Verſ. 5. *Ὑπομνῆσαι ὑμᾶς βούλομαι εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο*) Diſputatur heic de ſignificatu vocis *ἅπαξ*, quem alii alium conſtituunt. Quidam enim referunt ad verbum *ὑπομνῆσαι*, hoc ſenſu, quod Apoſtolus adhuc *ſemel* eos ſit commonefacturus, quaſi legeretur: *ὑπομνῆσαι δὲ ὑμᾶς βούλομαι ἅπαξ τοῦτο*, *καίπερ εἰδότας ὑμᾶς* q. d. etſi ſcio, vos hæc tenere cognita, tamen ſemel adhuc (dum ſcilicet in tabernaculo hoc ſum) vos de eo commonefaciam. Sic Petrus 2 epiſt. I. 12. *Διὸ οὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν περὶ τούτων καίπερ εἰδότας.* Hæc eſt ſententia B. *Gliſſii* in Grammatica Sacra libro III. Tractat. V. can. XVI. & ante eum *Grotii*, tum vero Anonymi in Actis Eruditorum Lipſienſibus Tomo IX. Supplementorum

rum pag. 19. qui *ſemel* illud per *extremum* explicat, inprimis ideo, quod Judæ epiſtola omnes Apoſtolorum epiſtolas obſignet. Alii referunt ad vocem εἰδότας & per *omnino* interpretantur, *licet ſciatis omnino hoc.* Ita ſtatuunt *Lambertus Bos* pag. 292. Exercitationum, & *Joannes Alberti* pag. 477. ſeq. Obſervationum, qui uterque idoneis veterum locis hanc ſignificationem adſtruunt. Alii denique τὸ ἅπαξ ad ſequens σώσας per hyperbaton pertinere cenſent, ut ſic opponatur ſequenti δεύτερον, hoc ſenſu, quod Deus ſemel quidem populum ſuum ex Ægypto eduxerit, poſtea vero incredulos perdiderit. Ita ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* ad h. l. qui præterea πλεονάκις vel πολλάκις putat ſubintelligendum, & *Calovius*; ex Reformatis vero doctoribus *Joannes Hogers* in epiſt. ad Coccejum, quæ in Operibus hujus Poſthumis Tomo II. pag. 739. exſtat. Ab omnibus his abit *Elsnerus* pag. 405. Obſervationum, cui *tempus peremtorium*, *quo elapſo nullum detur ſimile*, heic indicari videtur. Mihi placet ſententia media, per quam vox ἅπαξ voci εἰδότας jungitur, & per *omnino* convertitur. Hæc interpretatio loco Petrino, phraſi ipſi, ejuſque ſtructuræ, nec minus argumento, de quo agitur, optime congruit. Nemo enim Ex-Judæorum ignorare poterat fata Judæorum, ex Ægypto eductorum, deinde vero incredulitatis ſuæ pœnas luentium. Particula ἅπαξ non opponitur voci δεύτερον, ſed hæc, quod recte *Grotius* monuit, idem valet, quod, *e contrario*, ut ſenſus ſit, Deum populum ſuum ex Ægypto quidem ſalvum præſtitiſſe, eundem vero repetitis vicibus variisque modis incredulitatis pœnas dare juſſiſſe.

ὅτι ὁ Κύριος λαὸν ἐκ γῆς Ἀιγύπτου σώσας) Pro κύριος codices quidam habent Θεὸς, alii vero Ἰησοῦς. Vide *Richardum Simonem* libro III. Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti pag. 903. & *Millium*, qui recte utrumque ex interpretamento, ad oram libri ſcripto, natum cenſet.

Verſ. 6. Ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν κ. τ. λ.) Vide huc ex noſtratibus B. *Gothofredi Olearii* diſſertationem de Angelis deſertoribus & captivis, Lipſiæ 1705. habitam, & in Theſauro Philologico Diſputationum novo Tomo II. pag. 1008. ſeq. recuſam, *Joannis Guilielmi Bayeri* Analyſin & Vindicias illuſtrium dictorum Scripturæ Sacræ pag. 111. ſqq. *Alethæi* Erläuterung Tomo VI. pag. 451. & *Amelii* Erörterung Tomo I. pag. 30. Ex Anglis inſpice *Joſ. Medum* eo loco, quem ad 2 *Petr.* II. 4. & *Bryanum Turnerum* in libro de primi peccati introitu, ſive Tentamine de lapſu Angelorum & hominum cap. I. Paradoxa ſunt, & ex Beckeriana hypotheſi nata, quæ *Joannes Adolphſz*, i. e. *Zacharias Webber*, pictor quondam Amſtelodamenſis, in v. 6. 7. & 8. commentatus eſt in libro Belgico, quem de origine, progreſſu & interitu Satanæ inſcripſit, pag. 192-241. Exſtat etiam ſingularis *Georgii Paſoris* epiſtola inter Gothanos a Venerab. *Sal. Ern. Cypriano* pag. 156. edita.

Quod ad rem ipſam attinet, alii per *ἀγγέλυς* Spiritus a Deo conditos, alii homines quosdam, tralato ſenſu ita appellatos, intelligunt. Qui de angelis accipiunt, vocem *ἀρχὴν*, vel per *principium* & *originem*, vel per *principatum* & *dignitatem*, vel per *dominium* interpretantur. Qui *originem* indicari volunt, primigeniam naturæ bonitatem; qui *principium*, prærogativas ſingulares, quibus inſtructi ab initio fuerint, ſignificari arbitrantur. Alterutrum horum noſtrates amplectuntur, quorum nonnulli utrumque conjungunt. Qui denique *dominii* ſignificatum præferunt, illi quidem id vel de *dominio Dei*, cui ſe ſubduxerint, vel de illo, quod habuerint ipſi, & amplificare per ſuperbiam conati ſint, exponunt. Dominium Dei, cui ſubjecti eſſe noluerint, intelligit laudatus *Olearius* Tomo II. Theſauri Diſputationum Novi pag. 1014. *Μὴ τηρεῖν ἀρχὴν*, inquit, *eſt καταλύειν ἀρχὴν, vel ἀθετεῖν, imperium detrectare, &, quantum in ſe eſt, evertere. Et quemadmodum μὴ τηρεῖν σάββατον, non obſervare Sabbatum, non colere & revereri eſt; ſic μὴ τηρεῖν ἀρχὴν eſt non obſervare imperium, non colere, non reverenter habere. Intelligo autem imperium Dei, quod proterve detrectantes rebelles illi Spiritus priſtina ſua gloria excidere.* Sententiæ hujus has habet rationes, quod primo quidem Apoſtolus eos redarguat, qui *κυριότητα ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσι*; h. e. *imperia contemnant, & majeſtatem conviciis proſcindant*, v. 8. atque adeo conveniens videatur, ut exempla judiciorum divinorum ejusmodi adferantur, quæ oppreſſerint protervos, illis ſimiles. Deinde idem putat patere ex loco Petrino 2 ep. II. 4. ubi *ἄγγελοι* dicuntur *ἁμαρτήσαντες*, h. e. פושעים. Jam vero verbum פשע, quod LXX. Interpretes per *ἁμαρτάνειν* paſſim convertunt, non tantum *peccare* in genere, ſed etiam *deficere* & *rebellare*, ſignificat, & ab iisdem Interpretibus per *ἀθετῆσαι*, 2 *Regg.* III. 20. 24. & *ἀφιςάναι* 2 *Paralipom.* XXI. 10. convertitur.

Ex illis, qui dominium intelligunt, quo Angeli defectores gaviſi ſint, ſed parum eo contenti majus adfectarint, eſt *Brianus Turnerus*, Anglus, libri laudati cap. I. Numen Summum & omnipotens præſidiale quoddam *dominium* ejusque adminiſtrationem Ariſtocraticam variis Archangelis commiſiſſe; hanc vero Satanam cum ſociis ſuis ſibi vindicare, & reliquos ordines ſuæ præfecturæ ſubjicere conatum fuiſſe, exiſtimat. In hanc ſententiam Judæ verba ita *παραφράζει*: Principatum proprium non ſervantes, *i. e. transgreſſi in aliorum pomœria inſilierunt, ceterasque manſiones Angelicas invaſerunt; quamobrem facti ſunt ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον, h. e. ſtationis ipſis adſignatæ deſertores.* Confer Acta Eruditor. Lipſienſ. an. 1692. pag. 516. Huc refero *Hombergium* in Parergis Sacris pag. 156. ita ſcribentem: Ἀρχὴ h. l. *eſt* origo, principium, *vel etiam, ſi quis velit*, imperium, *non quod ipſi deſertores in alios habebant, ſed cui ipſi ſubjecti fuerant. Certum enim eſt Angelos habere ſuos ordines, & capita, quod ut probemus, non opus eſt.*

Ex

Ex his ſententiis ea veriſimilis videri poſſit, quæ vel *originem*, vel *dignitatem* priſtinam indicari cenſet, & τηρεῖν per *ſervare* ſeu *retinere* explicat. Hæc enim notio magis reſpondet ſequenti phraſi, ἀπολιπόντες ἴδιον οἰκητήριον, *relicto proprio domicilio*. Neſcio porro, an Græce dicatur ἀρχὴ ἑαυτῶν, de dominio alieno, cui Angeli fuerint ſubjecti. Itaque culpa Angelorum generatim indicatur, quemadmodum & a Petro in genere ἁμαρτῆσαι dicuntur. Ad inſtitutum denique Apoſtoli utriusque ſatis erat, *peccantes* in exemplum ſiſtere, quamvis ipſum peccati genus non fuerit expreſſum.

Porro probabilior illorum, qui fugam dominii divini heic indicari cenſent, eſt ſententia, quam illa *Petri Juriei* in Hiſtoria Critica dogmatum & cultuum bonorum malorumque, Parte I. cap. IV. pag. 24. propoſita. Eum enim ſi audias, Scriptor epiſtolæ hujus pro vera habuit fabulam de angelis, qui ante diluvium mulieribus abuſi gigantes procreaſſe dicuntur; ideo, quod v. 7. Sodoma & Gomorrha, urbes, ſimili modo, quo illos, nempe Angelos, fornicatas eſſe tradat. Rectiſſime hoc profligavit *Olearius* l. c. pag. 1010. oſtendens, τούτοις non ad Angelos, ſed ad Sodomitas & Gomorrhæos eſſe referendum, de quo mox videbimus. Eandem tamen ſententiam Apoſtolo tribuere veritus non eſt *Guilelmus Whiſtonus* in Conatu contextum Hebr. reſtituendi pag. 313. ſqq. recte ideo notatus ab *A. Blackwallo* in Claſſicis Sacris pag. 20. ſeq. Taceo, *Lud. Cappellum* in Spicilegio notarum ad h. l. idem ſtatuere.

Longiſſime denique *Kippingius* a vero ſenſu aberrare cenſendus eſt, qui Angelos hos in *homines* convertit. Illi enim h. l. intelligendi videntur *filii Dei*, Geneſ. VI. qui inſtar *legatorum* Dei vices in his terris gerere debebant, ſed potentia ſua ad laſciviam hominumque oppreſſionem abutebantur. Ita ſcilicet ſtatuit in Exercit. XXIX. de Scriptura Sacra commate inprimis ſeptimo, quod modo diximus, adductus, ſed ab eodem *Oleario* pag. 1009. ſeq. confutatus. Aliud hominum genus hic invehit *Dallonius*, exul Gallus, inter Anglos commoratus, in Examine oppreſſionis Reformatorum in Gallia, apud *Balthaſar. Beckerum* lib. II. Orbis Faſcinati §. 11. Hic enim Principes tribuum intelligit a Moſe ad explorandam Cananæam *Numer.* XIII. miſſos, ſed munere ſuo male functos, ideoque ejus fructu privatos. Hanc ejus ſententiam, omni veri ſpecie deſtitutam, & enarrat amplius & examinat *Olearius* pag. 1013. poſtquam brevius eadem opera perfuncti erant *Witſius* ad h. l. pag. 470. Meletem. Leidenſium, & *Joannes Henricus Majus* Oeconom. Judiciorum divinorum Tom. I. Nihilominus tamen ea ſe probavit *Amelio* Tom. I. der Erörterung p. 30.

ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον) Per οἰκητήριον recte intellexeris beatas illas & gloriæ plenas ſedes, in quibus non acquieſcebant angeli ma-

le

le ſeduli. *Polybium* pag. 1072. regiam ſedem *οικητήριον* appellaſſe obſervavit *Raphelius*. Mireris, *Rad. Cudworthum* in Syſtemate Intellectuali hujus Univerſi pag. 816. edit. Anglican. *οικητήριον* illud de corpore Angelorum cœleſti, quod poſtea cum aëreo & obſcuro permutatum ſit, accipere potuiſſe.

ἐις κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν) Vide *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. III. ubi de Angelis lib. III. cap. 4. §. 7. *Δεσμὺς ἀϊδίυς* Poëta quidam Græcus apud *Plutarchum περὶ πολυφιλίας* pag. 96. *πέδας ἀχαλκεύτυς*, *Seneca* autem in Hercule Furente *vincla perpetua* appellat. Vid. *Lamb. Boi* in Exercitatt. pag. 293. Phraſi Apoſtoli adfinis eſt illa, quæ legitur in Enochi fragmento de Egregoris (vide D. *Fabricii* Codicem Pſeudepigraphum Vet. T. pag. 191.) ubi Deus Angelum Raphaëlem ita allocutus fertur: *πορέυυ Ραφαὴλ, καὶ δῆσον τὸν Ἀζαὴλ χερσὶ καὶ ποσὶ, καὶ ἔμβαλλε ἀυτὸν ἐις τὸ σκότος κ. τ. λ.* Atque ad hunc locum, monente ibi *Fabricio*, Apoſtolus reſpexiſſe videtur *Scaligero*, *Grotio*, *Lud. Cappello*, *Dan. Heinſio* & *Grabio* Tom. I. Spicilegii Patrum pag. 147. ſq. Ad hiſtoriam lapſus Geneſ. III. traditam reſpici putat *Surenhuſius* in libro *καταλλαγῆς* pag. 695. cum Theologi Hebræorum per ſerpentem, lapſus auctorem, intelligant Sammaëlem, dæmoniorum principem, qui non, niſi priſtino ſtatu relicto, facinus ejuſmodi audere potuerit. Id utique conſtat, Hebræos & inprimis Cabbaliſtas de mutata Angelorum quorundam conditione ſimilibus phraſibus uti. Tales exſtant in libro de morte Moſis, & in Medraſchim *τῦ Sohar* fol. 46. pag. 2. col. 2. ubi *Aza* & *Azaël*, contra Deum murmurantes, ex ſede ſancta præcipitati, aëreisque vehiculis inſtructi & catenis ferreis ad montes caliginoſos adligati dicuntur. Similiter R. *Menachem Recinetenſis* in Geneſ. VI. 2. Angelos commemorat, qui ex loco ſanctitatis ſuæ exciderint; quemadmodum in *Sohar* ſuper Exod. fol. 8. col. 32. Deus familiam cœleſtem puniturus, peccantes in fluvium igneum mittere, imperium ipſis adimere, aliosque in eorum loca ſurrogare dicitur. Vide locum apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1078. Cum perpetuorum vinculorum heic mentio fiat una cum imminente die judicii, recte hinc Theologi conficiunt, malis geniis nullam redemtionis ſpem ſupereſſe. Vide inprimis D. *Georg. Friderici Schrœeri* diſput. de *ἀποκαταςάσει πάντων* a Juda Apoſtolo negata, Vitteb. 1731.

Verſ. 7. *Ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα κ. τ. λ.*) Vide nos ſupra ad 2 *Pet.* II. 6. D. *Zieroldi* Erklärung pag. 1421. *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 729. *Surenhuſii* librum *καταλλαγῆς* pag. 696. & *Joſ. Mede* pag. 914. Opp. Anglicanorum. Particulam *ὡς* per *ſimiliter*, convenientius textui, verti poſſe cenſet *Olearius* diſputat. laudata pag. 1010. ad Obſervationes ſuas Philolog. in Matthæum provocans, ubi hoc ſignificatu particulam *ὥς* cum accentu & fine eo pollere oſtenderit. Non dicam de aliis

locis,

locis, in præſente tamen communior ſignificatus rectius tenetur propter ſequens v. 8. *ὁμοίως*.

καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον) Monuimus modo, nonnullos pronomen *τούτοις* retuliſſe ad angelos, v. 6. commemoratos, atque hoc nomine abſurdam de angelis, turpi mulierum amore correptis, ſententiam S. Judæ tribuiſſe. Putant enim, ſi de urbibus ſermo eſſet, *ταύταις* ſcribendum fuiſſe. Atque eadem de cauſa illud *τούτοις* in nonnullis codd., quos *Millius* adfert, omiſſum fuiſſe illis videtur. Sed res in vado eſt. Pronomen illud omnino pertinet ad *Σόδομα* & *Γόμοῤῥα*, ad quarum urbium exemplum circumjectæ aliæ fornicatæ dicuntur. Illa vero nomina in neutro genere poni ſolita (vide *Luc.* XVII. 29. & *Marc.* VI. 11. item *τοὺς* LXX. Geneſ. XIII. 10.) particulam *τούτοις* non ſolum admittunt, ſed etiam poſtulant. Itaque nihil opus eſt, ut ad rem potius, i. e. *πολίτας* ſeu *cives* Sodomæos & Gomorrhæos, quam ad vocem, reſpectum haberi dicamus. Neque excipi poteſt, Apoſtolum ſcribere *περὶ αὐτὰς πόλεις*, atque adeo voces Sodoma & Gomorrha in feminino genere ponere. Id enim fit propter ſequentem vocem *πόλεις*, cum Sodoma & Gomorrha æque ac ceteræ illæ inter urbes numerari poſſent. Denique nihil apud idoneos Scriptores frequentius eſt, quam illa generis in pronominibus enallage. Memini *Dav. Hæſchelium* ad Bibliothecam *Photii* pag. 920. exempla non inficianda adferre, qualia etiam videbis apud *Blackwallum* l. c. De efficacia verbi *ἐκπορνεύσασαι* lege B. *Glaſſii* Grammaticam Sacram pag. 472. & *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. lib. II. cap. 27. §. 3.

καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας) *Pro ἑτέρας* (habes verba *Olearii* ex diſputationis laudatæ §. 5. pag. 1010. Theſauri Diſpp.) *in antiquis quibusdam Codicibus lectum videtur τέφρας, quod ad ſequentia neceſſario referendum hoc modo: ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς, τέφρας πρόκειται δεῖγμα. Itaque verſionis Italæ auctorem legiſſe neceſſe eſt: nam ita hunc textum, qui ea uſus eſt, repræſentat* Lucifer Calaritanus, cinis propoſitæ ſunt exemplum; *firmareque lectionem videtur, quod in loco Petri parallelo verbum τεφρώσας legitur.* Video *Colomeſium* etiam pag. 138. Obſerv. *τέφρας* legere malle. At nulla veri ſpecie lectio hæc ſe commendat. Urbes enim illæ in exemplum cineris propoſitæ eſſe dici non poſſunt, quippe quæ mox ignis æterni pœnam luere dicantur. Itaque in genere heic urbes illæ dicuntur exemplum ſiſtere, ſicut Deus eadem ratione 2 ep. *Pet.* II. 6. *ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικὼς* dicitur. Et quamvis Petrus cineris & everſionis urbium illarum l. c. meminit, in teſtimonium vindictæ divinæ, illius quidem mentio h. l. fieri a Juda non debebat, cum *ignem* cœlitus ad evertendas illas delapſum, & *æterni* illius, reſpectu incolarum prodromum, commemoret. Recte itaque *Millius* in Prolegom. §. 77. *mutationem* illam *abſurdam* eſſe pronunciat, atque ex eo natam, quod lector aliquis ex 2 *Pet.* II. 6. e regione

 ne

ne verborum *πυρὸς αἰωνίου* ad marginem poſuerit *τεφρώσεως*, hanc autem vocem librarius alius in locum *ἑτέρας* ſuffecerit, ab Interprete per *cinis* abſurde converſam.

Non felicius conjecit *Sam. Battierus* in Muſeo Bremenſi Tomo II. pag. 198. pro *ἑτέρας* legendum eſſe *ἑτέροις*, ut *aliis* in exemplum propoſitæ dicantur. Sufficere ſcilicet putat *ὀπίσω σαρκὸς* ſimpliciter poſitum, ſicut 2 *Pet.* II. 10. dicantur *ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευόμενοι*. At recte ibidem doctiſſimus *Theod. Haſæus* in notis monuit, vocem *ἑτέρας* heic omitti non poſſe, ideo, quod de flagitio *παρὰ φύσιν* ſermo ſit, de quo Paulus *Rom.* I. 26. 27. exponat; quodque rectius vox *ἑτέροις* pro ſuperflua habeatur, cum exemplum omne per ſe ita ſit comparatum, ut *aliis* proponatur. Addidero his, Hebræos fornicatores cujusque generis appellare הולכים אחרי בשר זר *conſectantes carnem alienam*, quæ phraſis Judæ illi egregie reſpondet. Lege præterea *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. II. cap. 8. pag. 112. Phraſin, *πρόκεινται δεῖγμα*, ita explanat eruditiſſimus *Albertus* pag. 479. Obſervatt. *Δεῖγμα proprie eſt* ſpecimen, *quod de ſingulis rebus venalibus* monſtratur: *ſed olim Δεῖγμα locus erat in Athenienſium mercatu, in quem ſpecimina ferebantur. Vide* Harpocrationem. *Ita hæ urbes tanquam δεῖγμα conſiderantur, quatenus* exemplum omnibus eſſent (*ut* Terent. *Adelph.* V. 1. 9.) & *divinæ ſeveritatis* ſpecimina *ibidem proſtarent. Hoc enim notat προκεῖσθαι, nimirum* proſtare, & publice propoſitum exhiberi. *Ita apud* Ælian. V. H. I. 16. *προὔκειτο ἆθλον, proſtabat, publice propoſitum erat præmium.* Confer de voce *δεῖγμα Salmaſium* Obſervatt. ad Jus Atticum pag. 382. Hebræos vocem Græcam civitate donaſſe ex *Tanchuma* fol. 53. cap. 2. oſtendit ad h. l. *Schœtgenius* pag. 1069. ועשאוהו דוגמג & *fecerunt ipſum δεῖγμα.*

πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι) *ὑπερέχουσαι* legit Cod. *Alexandr.* quæ lectio placuiſſe videtur *Grotio*, eo quidem ſenſu, ut urbes illæ incenſæ inſtar exhibere dicantur ignis æterni. Eadem eſt ſententia *Joſ. Mede* pag. 914. Operum Anglicanorum. Enimvero, ſi *παρέχουσαι* ſcriptum ibi fuiſſet, interpretatio hæc magis forte quadraret, quamvis nondum intelligam, quomodo *δίκη* verbo ejusmodi, quod hic legimus, juncta de exemplo dici poſſit. Tenenda itaque eſt lectio recepta: eadem enim phraſi *Polybius* aliquoties utitur, obſervante *Raphelio*, v. c. pag. 1334. *τὸν Προυσίαν ἀναγκάσαι δίκας ὑποσχεῖν Ἀττάλῳ τῶν κατὰ πόλεμον ἀδικημάτων. Pruſiam pro injuriis bello illatis pœnas Attalo pendere cogerent.* Et pag. 1392. *θανάτου κρίσιν ὑπέχειν.* Similes Græcorum phraſes, *ἐκδύνειν, δοῦναι, πάσχειν δίκην* adfert *Pſochenius* de linguæ Græcæ Novi Teſtamenti puritate pag. 77. Confer nos ad 2 *Theſſal.* I. v. 9. *Ignem* illum *æternum* alii de igne naturali cœlitus delapſo, quo urbes illæ funditus & perpetuo deletæ ſint, accipiunt; inter quos eſt *Henricus Dodwellus* in libro Anglicano de diſcrimine animæ & ſpiritus pag. 49. & *Joannes*

Joannes Clericus in diſſertatione de Subverſione Sodomæ §. 8. commentario in Pentat. inſerta. Alii de igne infernali interpretantur, quo incolæ illarum urbium in æternum torqueantur, quod noſtratibus fere placet. Alii denique utrumque, & naturalem illum & æternum, ſimul innui volunt. Inter hos eſt *Witſius* ad h. l. p. 474. *At externus ille*, inquit, *atque hoc ſenſu æternus ignis, quo urbes conflagrarunt, eſt ὑπόδειγμα, exemplar aliis ad validam monelam ob oculos poſitum*, 2 *Petr.* II. 2. 6. *& ſimul figura* ignis *vere* æterni, *quo, dum hæc ſcribebat Judas, excruciabantur ſcortatorum animæ. Urbes ipſæ habent ὑπόδειγμα, vel ἀντίτυπον αἰωνίου πυρὸς, ſed improbi homines ſuſtinent δίκην πυρός.* Ultimam hanc ſententiam & mihi placere non diffiteor. Neque enim alioquin video, quomodo urbes illæ in exemplum proſtare dici poſſint, niſi reſpectus habeatur ad ignem, quo penitus everſæ omnium oculis patebant. Negare tamen nolim, ignem infernalem & æternum etiam ſimpliciter intelligi h. l. poſſe, ſi dicamus, Apoſtolum illius commemoratione alterum illum, cœlitus in urbes flagitioſas delapſum, ſubindicare. Verſio *Montenſis* Gallica ita horum verborum ſententiam exprimit: *ont été propoſées pour un exemple du feu éternel, par la peine, qu'elles ont ſouffertes.* Interpretes itaque illi vocem δεῖγμα proxime retulerunt ad voces πυρὸς αἰωνίου. Id vero per linguæ rationes fieri non poteſt. Προκεῖσθαι δεῖγμα, vel εἶναι δεῖγμα, ſine addito, Græci dicunt; eosdem vero δίκην ἀδικημάτων, vel θανάτου ὑπέχειν dicere, atque adeo *cauſam*, vel *conditionem* pœnæ ſimul exprimere modo vidimus. Lege tamen, quæ pro vindicanda hac verſione adferuntur in Defenſione ejus continuata pag. 420. ſeqq.

Verſ. 8. Ὁμοίως μέντοι) Unus *Alex.* legit ὅμως, quod malit *Grotius.* Enimvero ὁμοίως eſt ἀποδοτικὸν, & reſpicit ὡς v. 7. Recte ita verteris: *Similiter vel ſic*, vel *ſimiliter tamen.* Ὅμως illud latet jam in μέντοι, niſi in *Alex.* ſcriptum dicas ὁμῶς, id eſt, ὁμοίως. Τὸ ὁμοίως adſtruitur etiam a ſequente phraſi, καὶ οὗτοι, & ab illa v. 7. τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον.

καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι) *& hi ſomniantes*, i. e. ſomnia quædam, ſeu viſiones aut revelationes quasdam jactantes, quales Gnoſtici a veteribus jactaſſe traduntur. Lege de hac voce *Heinſium*, & ex eo *Carol. le Cene* in Specimine novæ verſionis pag. 630.

σάρκα μὲν μιαίνουσι, κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσι) Vides, particulam δὲ bis poſt antecedens μὲν repeti. Idem vero externis receptum eſſe, eo quidem ſenſu, ut δὲ illud copulandi vim habeat, oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 351. Accipe exemplum unum ex Cyropædia lib. III. pag. 233. *διαθεώμενος αὐτῶν ὅσην μὲν χώραν καὶ οἵαν ἔχοιεν, ὡς δὲ ἄφθονα τὰ ἐπιτήδεια, ὅσους δὲ θεράποντας, ὅσα δὲ κτήνη, χρυσὸν δὲ, ἐσθῆτα δέ.* Voces κυριότητα & δόξας de CHRISTI,

Domini

Domini noſtri, *majeſtate*, a profanis illis hominibus depreſſa, accipiunt nonnulli, non inconvenienter quidem; propius tamen & rectius ad Magiſtratus Politicos referri & voces ipſæ, & ætatis, qua Judas ſcribebat, conditio teſtantur. Compara quæ dicta ſunt ad 2 *Pet.* II. 10. 11. *Witſius* loc. cit. pag. 478. poſt *Grotium* per κυριότητα magiſtratum quemvis, etiam inferioris ordinis, per δόξας autem eos, qui in ſummis ſunt honoribus, ſeu ἐξυσίας ὑπερεχύσας *Rom.* XIII. 1. intelligit.

Verſ. 9. Ὁ δὲ Μιχαὴλ, ὁ Ἀρχάγγελος, ὅτε διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο κ. τ. λ.) Comma hoc, quod recte inter δυσνόητα numeraveris, interpretum induſtriam admodum exercuit. Habe indicem præcipuorum, qui illud ſibi vel data opera, vel ex occaſione excutiendum ſumſerunt. Ex noſtratibus huc ſpectant *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 18. ſeq. *Joſ. Arndius* in Miſcellan. pag. 31. D. *Philippus Buchius* de certamine circa corpus Moſis, recuſa in Theſauro Theologico-Philologico Novi Teſtamenti pag. 794. D. *Chriſtianus Chemnitius* de Michaëlis Archangeli cum Diabolo de corpore Moſis certamine, Jenæ 1653. *Thomas Crenius* Animadverſion. Parte XVIII. pag. 142. D. *Joannes Conradus Dannhauerus* in διαλέξει Angelica inter Michaëlem & Diabolum, Argentorati 1698. recuſa in Diſputationibus ejus Academicis pag. 525. *Joannes Albertus Fabricius* in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti pag. 839. ſeq. *B. H. Gebhardus* in Obſervatione ad h. l. fragmento commentarii Dorſchei in hanc epiſtolam addita, *Joannes Erneſtus Gerhardus* de ſepultura Moſis, Jenæ 1667. capite ſexto, *Matth. Zacharias Henſelius* de certamine Michaëlis &c. Wittebergæ 1676. recuſa in Theſauro Theologico-Philologico pag. 797. *Erneſtus Fridericus Neubauer* in diſſertationibus tribus, Halæ 1732. habitis,, quarum prima de Michaële Archangelo, non creato, ſed creatore JESU Chriſto, ex hoc & aliis Scripturæ locis, quorum ſunt 27, diſſerit; altera eundem Archangelum creatorem ab exceptionibus 26. vindicat; tertia denique de corpore Moſis diſſerit. Acceſſit illis quarta Gieſſ. 1733. de Michaële, Meſſia ipſis Judæorum teſtimoniis comprobato. *Nic. Nierenbergerus* in Exercitat. de corpore Moſis, Ratisbon. 1682. *Erneſt. Frid. Rahtlef* in Bibliotheca Theologica Selecta vernacula Parte LXXII. pag. 1162. ſeq. *H. B. Starckius* in Notis ad loca dubia N. T. Selecta pag. 159. *Joannes Andreas Schmidius* in diſput. de morte Moſis §. 44--62. & *Auguſtus Varenius* præfat. ad Decades Moſaicas in Geneſin pag. 6.

Ex Reformatis leges *Ruardum Andalam* in Exegeſi locorum illuſtrium pag. 255--294. *Ludovicum Cappellum* pag. 137. Operum, *Franciſcum Fabricium*, Theologum Leidenſem, in diſputatione de diſceptatione & collocutione Michaëlis cum Diabolo, Leidæ 1733. quæ enarrata eſt in Actis Academicis Lipſienſibus an. 1634. pag. 193. *Jo. Ulricum Heydenum* in diſſ. de

de reſuſcitatione Moſis, Halæ 1723. *J. C. Hottingerum* in notis ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu pag. 34. ubi ſpeciatim Michaëlem de Chriſto ex Judæorum ſcriptis accipiendum eſſe oſtendit, *Anton. Klinglerum* in Dodecade Exercitatt. Academicarum p. 128. *Fridericum Adolphum Lampe* in Exercitatt. ad Pſalm. XLV. pag. 117. ex *Zachar.* III. 1. explicantem, *Jacobum Saurinum* in Diſſertatt. Hiſtoricis ſuper Pentateuchum, (Conf. *Bibliothèque Raiſonnée* Tom. I. Parte II. pag. 400.) *Guilelmum Surenhuſium* in libro *καταλλαγῆς* pag. 698. *Franciſcum Ulricum Walterum* in Triade Diſſertationum ad h. l. Rinthelii 1727-1729. publicatarum, *Joan. van der Wæyen* in Confutatione Balthaſ. Beckeri pag. 1183. & *Herman. Witſium* in Exercitatt. Academicis n. 5. ſeu in Miſcellaneis Tom. II. Exercit. IV.

Ex Pontificiis huc ſpectant *Auguſt. Calmetus* in diſſert. de Moſis obitu & ſepultura Tom. II. Diſſertatt. Biblicarum pag. 304. verſionis Latinæ *J. S. Menochius* in *Trattenimenti eruditi* Parte II. pag. 173. *Petrus Poſſinus* in Spicilegio pag. 27. & Illuſtris *Scipio Maffeius* ad Caſſiodorii Complexiones pag. 254. ſeq.

Non fert nunc animus, diverſas Interpretum ſententias vel percenſere vel expendere. Sufficere enim puto, ſi duas commemorem, quæ & præ ceteris ſe commendant argumentis, & plurium ſuffragia tulerunt. Earum altera expoſitionis fundamentum ex *Zachar.* III. 1. 2. ubi quædam Judæ phraſis diſerte legitur, repetit, & omne hoc certamen allegorice interpretatur; altera, literæ inſiſtens, momentum aliquod hiſtoricum de corpore Moſis defuncti, tanquam diſceptationis illius argumento, a Juda recitari exiſtimat. Priorem illam *H. B. Starckius* in Notis Selectis p. 159. ita enarravit: *Quæ* (certamina) *omnium feliciſſime decertata ac compoſita fuiſſe ab iis perſuaſiſſimus ſum, qui defendunt, Apoſtolum* Judam *ad* Zach. III. 1. 2. *reſpicere, argumento luculento adverſarii utrobique ejuſdem, puta, Satanæ ſeu διαβόλȣ, & ſigni victoriæ* יִגְעַר בְּךָ יְהוָה *ἐπιτιμήσαι σοι κύριος, adeoque* 1) *materiam certaminis & rixæ eſſe non proprium & phyſicum* Moſis corpus, *quod* in valle terræ Moabiticæ ſepultum eſt, *Deut.* XXXIV. 6. *ſed figuratum & politicum, nempe* Rempublicam V. T. Judaicam, *quæ* corpus Moſis *dicitur, quod* mediator *ejus teſtamenti*, & caput *adeo ejus* populi *eſſet* Moſes, *ac propterea* corpus *ſeu eccleſia* Moſis *perinde ac Eccleſia N. T. Chriſtiana* corpus Chriſti *dicitur.* 2) *Litigantes ab una parte eſſe* Michaëlem *aliquem i. e.* principem *t. t. populi Judaici* Serubabelem, *eumque ſimul ἀρχάγγελον i. e. vi vocis* primarium legatum (*qualis vere fuit, nempe primarius Dei Cyrique ad promovendam Hieroſolymæ cultusque ſacri reſtaurationem miſſus* legatus, *una cum Joſua, ſummo Sacerdote, quemadmodum ex Eſræ & Nehemiæ hiſtoria conſtat*) *ab altera parte διάβολον &* Satanam *i. e. Judæorum adverſarios & calumniatores apud Regem Perſarum*, Tattenai & Schtarboſnai, *Syriæ Judææque regendæ Præſides, qui reſtaurationem urbis templique omnibus modis impedire*

 ſata-

ſatagebant ; & quoniam in ſua cum Judæis lite facile ſuperiores ſe evaſuros præfidebant, ideo Satan *in viſione Zachariæ* ad dextram Joſuæ ſtans *ſiſtitur.* Perſonam *autem* magiſtratum gerentem, *talem quidem, quæ Eccleſiam Dei infeſtat, ſacrumque Dei cultum impedit, immo promotores ejus acriter objurgat, διαβόλȣ nomine merito venire nemo negabit, licet propterea adverſus tales δόξας non ſit ferenda βλασφημίας κρίσις, monente non Apoſtolo tantum Juda, ſed &* Petro 2 *Pet.* II. 11. *id quod etiam* princeps Serubabel *cum Proceribus, adverſariis ſuis, verbis contendens* (*διακρινόμενος διελέγετο*) *præſtitit, dum iſtis molliſſime reſpondit, nullis admixtis conviciis, ceu apologia Judæorum edocet* Eſræ V. 11-14. *& vindictam ſoli Deo commiſit, his uſus verbis*: increpet te Deus ! *Hoc igitur exemplum modeſtiæ in Judæis antiquioribus adverſus magiſtratum Perſicum commendat* Judas, *nec minus* Petrus *Judæis converſis & Chriſtianis, ſub Magiſtratu Romano degentibus, ut ne & in hunc, licet ſe prementem, loco reverentiæ debitæ, convicia ac blaſphemias conjicerent.* Hactenus *Starckius.* Conſentientem ſibi adfert B. *J. A. Schmidium* diſput. de Morte Moſis §. 44.-62. ex parte vero aliqua *ὁμοψήφȣς Joannem Clericum* ad Hammondum, *B. H. Gebhardum* in commentatione ad h. l. quæ B. *Dorſchei* fragmento commentarii in hanc epiſtolam addita eſt, tum *Gothofr. Olearium* diſput. de Transfiguratione Chriſti pag. 20. & inprimis *Joan. Ulric. Heydenum* in diſput. de Moſis reſuſcitatione §. 16-27. qui Zachariam & Judam per omnia conciliare inſtituit. Sunt & alii, qui ex Zacharia locum hunc explicandum cenſent, & *corpus Moſis* allegorice, alia atque alia ratione, accipiunt. Vide *Zach. Nemethi* commentar. ad *Zachar.* III. 1. 2. & *Judam explicatum*, item *F. A. Lampium* ad Pſ. XLV. pag. 117. Ita *Jo. van der Waeyen* libro belgico contra *Beckerum* pag. 1183. *Pet. van Hake* in comm. ſuper Zachar. III. 1. & *Ruardus Andala* in Exegeſi locorum illuſtrium, itemque in Tractatu belgico Anti-Beckeriano §. 149. *corpus Moſis* de corpore umbrarum Leviticarum, Michaëlem autem de Chriſto, interpretantur. Alii *σῶμα* de volumine legis Moſaicæ accipiunt, inter quos eſt Anonymus apud *Witſium* pag. 483. Meletematum Leidenſium, & fere *Joannes Henricus Majus* lib. IV. Obſervatt. Sacrar. pag. 98. qui tamen pag. 99. *corpus Moſis παραφραςικῶς* pro Moſe ipſo poſitum credi poſſe, exiſtimat, quod & in Diſſert. de Pleonaſmis N. T. pag. 41. amplius adſtruit. Hæc ſufficiant de prima, quam dixi ſententia, illique adfinibus.

Alteram, quæ literæ inhæret, *Witſii* potiſſimum verbis ex l. c. pag. 483. proponam. *Omnibus*, inquit, *expenſis, ea mihi interpretatio maxime arridet, quæ ſimpliciſſima eſt, & textum Judæ legenti ex naturali dictionis genio ſua quaſi ſponte in mentem venit. Atque illud quidem primo loco obſervavi, quod quotiescunque de hominis alicujus corpore in Veteri Inſtrumento ſermo eſt, quocunque demum Hebraico nomine vocetur, toties eam hominis partem ſignificet, quæ ab anima diſtinguitur, ſive ea animæ juncta, ſive ab ea ſeparata ſit :* quod

Digitized by Google

quod & verum eſt de voce σῶματ@ in Teſtamento Novo, quando ea de homine aliquo prædicatur. Nuſquam autem ſive Moſis, ſive alterius cujuſvis hominis, σῶμα vel typi alicujus complementum, vel populum ab eo dependentem, vel Scriptorum ejus ſyntagma in ſacris notat. ——— *Magis autem in uſitata interpretatione confirmabitur lector, ſi in animum ſibi revocaverit, de Moſis corpore ſingulare aliquid narrari, quod nulli mortalium præter ipſum contigit: nimirum, illud ab ipſo Deo, incognito cunctis hominibus loco, conditum eſſe. Quod mox eam cogitationem injicit, rei tam inſolitæ notabiles eſſe rationes: & quis probabiliorem aſſignaverit, quam juſtiſſimum metum, ne vel Iſraëlitæ, vel alii, tanti Prophetæ cadavere, ſi nolis ad idololatriam, certe ad νεκρομαντείαν aliasque magicas ſuperſtitiones abuterentur? Id enim ea ætate familiare vicinis gentibus fuiſſe ex Deuter. XVIII.* 11. *res eſt notiſſima, neque a genio populi Hebraici abhorruiſſe Samuelis & Saulis hiſtoria evincit. Quæ nunc addit Apoſtolus de Michaëlis Archangeli cum Diabolo ſuper Moſis corpore diſceptatione, ea, fateor, in ſacra hiſtoria non exſtant. Sed nihil vetat credere, manſiſſe iſta in hiſtoria Iſraëlitarum ex κατηχήσει veterum, quæ longinqua traditione ad Apoſtolorum ætatem devenerit: eam autem traditionem erroneam non eſſe, ſed Spiritus S. inſtinctu, didiciſſe ac docuiſſe Judam. Quod eo minus mirum videri debet, quum non aliunde illam Henochi prophetiam habeat, de qua mox nobis erit dicendum. Undecunque habuerit, ex Deo certe habuiſſe, Chriſtianis omnibus, epiſtolæ hujus auctoritatem agnoſcentibus, in confeſſo eſt. Atque ex hac ipſa traditione ſuam fortaſſis originem traxere fabuloſæ iſtæ Hebræorum narrationes, ſupra a nobis allatæ; uti fictionibus ſolet involvi veritas. Porro cum non dicta ſolum Dei, ſed & acta ejus, ſapienti analogia ſibi invicem reſpondeant, non eſt abſurdum cogitatu, voluiſſe Deum in reſtauratione politiæ Iſraëlis, poſt reditum ex captivitate Babylonica, Joſuæ Sacerdoti viſionem aliquam exhibere, in qua replicatio analogica eſſet rei antiquiſſimæ, circa ejuſdem politiæ primordia geſtæ: ubi occurrit idem contendentium par, & Michaël eodem contra Diabolum ſermone utens: quippe idem ſemper habens φρόνημα. Neque propterea neceſſe eſt, ut idem fuerit contentionis argumentum. Neque enim apud Zachariam de corpore Moſis agitur: neque alibi in ſacris verum Chriſti Sacerdotium, vel populus Hebræus, vel legum Moſaicarum volumen corpus Moſis vocatur, vel analogo ei nomine indigitatur.* Hactenus *Witſius*, qui mox, ſcopum hujus narrationis oſtenſurus, hæc ſubjungit: *Nimirum id agit Apoſtolus, ut doceat, quam abominabile Deo crimen ſit, dignitates aſpernari & conviciis inceſſere; quandoquidem ne ipſe quidem Michaël ſuſtinuit notam maledicti impingere principi Dæmonum, reveritus eam imperii principatus ac poteſtatis ſpeciem, quam in malis ſpiritibus agnoſcit Paulus* Eph. VI. 12. *Neque abludit Petri argumentatio* 2 Pet. II. 10. 11.

Hæc poſterior ſententia, ut antiquioribus Interpretibus ſe probavit, ita & recentiorum plerorumque calculum tulit. Vide ex noſtratibus *Calovium*

vium ad h. l. *Buddeum* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ pag. 251. Anonymum auctorem **der Entſiegelung** hujus epiſtolæ, *Büchnerum* in commentario vernaculo ad h. l. & doctiſſimum *Schœtgenium* pag. 1079. ſeq. Horarum, qui, quamvis non tam de corpore Moſis, quam de Moſe ipſo, quacunque tandem de cauſa certamen hoc ſuſceptum fuiſſe exiſtimet, illud tamen, quod heic commemoratur, vere inter Michaëlem & Satanam interceſſiſſe, ejusque notitiam, Judæis tunc familiarem, ex traditione hauſtam ab Apoſtolo fuiſſe exiſtimat. Idem ex Reformatis ſtatuunt *Surenhuſius* in libro *καταλλαγῆς* pag. 699. ſeq. *Franciſcus Fabricius* in diſſert. ſupra laudata, & *Fridericus Ulricus Walterus* in diſſ. II. ad h. l. pag. 31. & 43. ſeq. ubi confutatis quatuor aliorum ſententiis, hanc ipſam adſtruit, & ab exceptionibus vindicat. Memini *Joannem Albertium*, virum elegantiſſimum, in Appendice ad Gloſſarium Græcum in ſacros Novi Fœderis libros pag. 218. ex Cod. *Coislin.* XXVI. adferre Anonymi veteris obſervationem, illam, quam diximus, ſententiam adſtruentem his verbis: *Λέγεται ἐν Ἀποκρύφοις, Μιχαὴλ τὸν Ἀρχάγγελον τῇ τȣ̃ Μωσέως ταφῇ διηκονηκέναι, τȣ̃ Διαβόλȣ τȣ̃το μὴ καταδεχομένȣ, ἀλλὰ ἐπιφέροντος ἔγκλημα αὐτῷ τȣ̃ Ἀιγυπτίȣ φόνȣ, ὡς διὰ τȣ̃το ἐνόχȣ ὄντος Μωυσέως, καὶ μὴ συγχωρεῖσθαι τυχεῖν ταφῆς.* Apud *Oecumenium* idem legi, & a Gregorio in ſcholiis ad N. T. allatum eſſe, ibidem monuit *Albertius.*

Atque huic ſententiæ ego quoque ſuffragari non dubito. Allegoricæ illius interpretationis, quam priore loco attuli, fundamentum vel unicum vel præcipuum in eo poſitum eſt, quod Apoſtolus per formulam imprecandi: *ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος* ad Zachar. III. reſpicere viſus eſt. Id vero adeo non liquet, ut *Lightfootus* Tom. II. Operum Latin. pag. 116. *abſurde nimium nonnullos ad Zachar. III. 1. 2. hæc referri exiſtimet, cum neque nomen Michaëlis, neque aliquid ſimile corpori Moſis ibi reperiantur.* Conf. ex noſtratibus *Andr. Kesleri* diſſert. de dictorum V. T. allegatione in Novo. Imprecatio hujusmodi, hoſtibus impacta, Divino Numini ſæpe in V. T. eodem, quo Zacharias utitur, verbo tribuitur, v. c. 2 *Sam.* XXII. 16. *Jobi* XXVII. 11. *Pſ.* IX. 6. LXVIII. 31. &c. quibus locis etiam *οἱ* LXX. verbo *ἐπιτιμᾶν*, quod *Judas* h. l. adhibet, utuntur. Quid igitur obſtat, quo minus Michaël Archangelus eadem formula adverſus Satanam uſus fuiſſe, & Judas id ipſum, ſine habito ad Zachariam reſpectu, narraſſe credatur? Memini, *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Part. I. cap. 19. pag. 879. ex Codice *Beracboth* obſervare, Judæos ejusdem formulæ uſum adverſus Satanam præſcripſiſſe. Ita malus dæmon in *Kidduſcbin* fol. 81. b. obſervante *Wagenſeilio* ad Sota pag. 484. coërceri ſe poſſe profitetur, ſi quis dicat: רחמנא ניגער ביה בשטן *Miſericors (Deus) imprecetur Satanæ.* Hoc fundamento deſtructo, vel ſaltem admodum lubrico facto, nihil video, quod oculos ad Zachariam referre nos jubeat. Qui porro ita rationes ſuas

as inſtituunt, in corpore Moſis allegorice interpretando admodum diſſentiunt, nunc de Republica Judaica, nunc de populo Judaico, nunc de umbris Leviticis, nunc de volumine legum Moſaicarum, nunc de illarum complemento illud interpretantes; ſicut quidam eorum per Michaëlem CHRISTUM, Dominum noſtrum, alii Serubabelem, alii vero angelum quendam creatum principem intelligunt. Qui CHRISTUM, Angelum increatum, indicari putant, illis inprimis adverſatur Petri locus, noſtro omnino parallelus, 2 ep. II. 11. *ὅπου ἄγγελοι ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν.* Vides utique poſtremam hanc dictionem reſpondere Judæ illi h. l. de Archangelo: *οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας.* Jam vero Petrus id ipſum diſerte angelis creatis tribuit: itaque & Judam de Archangelo creato loqui neceſſe eſt. Si vero hoc ponamus, novo argumento conſtabit, Zachariæ & Judæ locos ſecum invicem conferri non poſſe. Zacharias enim imprecationem illam Domino ipſi tribuit, non Angelo creato. Qui exiſtimant, Archangeli nomen nusquam in ſacris literis niſi de Domino noſtro accipi, illis liquido adverſatur Paulus 1 *Theſſalon.* IV. 16. ubi Κύριος adventans ab *Archangeli voce* manifeſte diſtinguitur. Denique non video, quomodo Dominus noſter dici poſſit vel diſceptaſſe, vel auſus non fuiſſe maledicere Satanæ, ſed judicium omne Deo permiſiſſe.

Quæ diſſentientes interpretationi literali opponunt, minoris videntur eſſe momenti. Nihil hujusmodi in ſacris literis exſtare cauſantur. At nec de illo Angelorum lapſu, pœnaque illis ſtatuta, in Veteri Inſtrumento quicquam clare pronunciatur, nec de Enochi oraculo ex illo quicquam conſtat. Et vel ſic Apoſtolus v. 6. & 15. de utroque momento commentatur. Sufficit, rei hujus geſtæ notitiam Judæis non penitus obſcuram fuiſſe. Id ſcilicet patet ex illis veſtigiis, quæ præter *Surenhuſium* Cl. *Schœtgenius* l. c. attulit. Parum vero intererit, ſive hæc ex traditione orali, ſive ex inſpiratione divina Judam hauſiſſe dicamus. Mihi quidem poſterius veri videtur ſimilius; neque tamen prius illud averſari neceſſe eſt, cum veritas rei inde ſatis pateat, quod Apoſtolus *θεόπνευστος* ad ductum Spiritus S. id omne exararit. Si cui tamen vel ſic dubium hæreat, non interceſſero, ſi pugnam illam non de Moſis mortui, ſed vivi potius corpore ſuſceptam eſſe exiſtimaverit cum *Joſua Arndio* in Miſcellaneis Sacris pag. 134. *Angelus*, inquit, *reſiſtit Moſi, ut Joſuæ Zach. III. auſusque eſt procul dubio corporis Moſis poteſtatem petere, ut Jobi a Deo. Increpuit ideo eum angelus, verbis, quæ apud Zachariam reperiuntur ſimilimis, & reſtitit ei potenter. Eo exemplo Judas, a Spiritu doctus ſancto, utitur ad retundendam blaſphemorum ſui temporis impietatem, qui auſint, quod ne Michaël quidem fuerit auſus.*

Id unum in hac cauſa prætermittendum non eſt, Vitringam lib. IV. cap. 9. §. 35. Obſervatt. Sacrar. vel Tom. II. Theſauri Novi Diſſertationum in N. T. pag. 987. locum hunc ad illum *Zachariæ* referentem, eo adductum eſſe, ut Judam h. l. ſcripſiſſe περὶ τοῦ Ἰησοῦ σώματος, atque adeo ad *Joſuam*, de quo apud Zachariam ſermo eſt, reſpexiſſe exiſtimet. *Hodiernam* itaque *lectionem a manu imperitioris bibliographi* repetit, *qui cum nihil in Scripturis memorabile legiſſet de corpore Joſuæ; ſed contra ex hiſtoria ſacra intellexiſſet, quid circa corpus Moſis ſingulare accidiſſet, nec interea de lóco Zachariæ cogitaret, Joſuæ nomen illud commutarit. Sed quam certum eſt*, ita pergit, *Judam his verbis reſpexiſſe illum Zachariæ, tam quoque certum eſt, non ſcripſiſſe, Michaëlem diſputaſſe cum Diabolo de corpore Moſis. Sic pariter* 2 Pet. II. 13. *vitioſe legitur ἀπάταις pro ἀγάπαις.* Enimvero lectionem illam Petrinam germanam eſſe, non autem librariorum lapſui deberi, ſupra ad illum locum; Zachariam autem non ſpectari, modo nobis eviciſſe videmur. Præſentem vero conjecturam nemo temere admiſerit, qui recogitet, fieri non potuiſſe, ut vox Μωσέως hodie in omnibus exemplis, & verſionibus legatur, cum eadem, quam vir doctus adfert, cauſa pluribus vel librariis ſciolis in mentem venire potuerit. Omitto alia, quæ contra eum *Andala* in Exegeſi locorum illuſtrium l. c. & *F. V. Walterus* l. c. pag. 40. ſeq. attulerunt.

Paucis verbis *E. L. Rahtleſii* ſententiam, in Bibliotheca Theol. ſelecta Parte LXXII. pag. 1162. ſeqq. propoſitam, enarrabo. Illi quidem Apoſtolus alludere ad Judæorum de Moſe, ejuſque morte & corpore fabulam videtur, ita tamen, ut eam ἀλληγορικῶς ad gentem Judaicam ejuſque de libertate ſeculari opinionem caſtigandam accommodet. Itaque corpus Moſis de gente Judaica ejuſque κυρίᾳ quadam δόξῃ parum veriſimiliter accipit. Vide inprimis pag. 1171.

Supereſt, ut de phraſibus aliquot hujus commatis dicamus.

ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο) *quando cum diabolo diſceptans diſſerebat:* vide huc *Andr. Dounaum* ad Philippicam Demoſthenis p. 165. de quo mox.

περὶ τοῦ Μωσέως σώματος) Pro Μωσέως malit *Vitringa* legere Ἰησοῦ, *Joſuæ*, de quo modo diximus. Alii σῶμα abundare putant, quod ſuperius eſt admonitum.

οὐκ ἐτόλμησε) *non auſus eſt.* Hanc verſionem, a pluribus probatam, averſantur illi inprimis, qui per Archangelum Dominum noſtrum intelligunt, tanquam ad quem hunc vocis ſignificatum minime quadrare facile perſpiciunt. Malunt itaque vertere: *non ſuſtinuit, non induxit in animum, noluit.* Inter hos ſunt *Gatakerus* in Cinno lib. II. cap. 9. *Colomeſ.* Obſervatt. Sacr. pag. 162. *Joannes Buxtorfius* in Catalectis pag. 191. *Suicerus* Tom. II. The-

Theſauri pag. 1277. *Sam. Szattmar Nemethi* ad Zachariam pag. 62. & noviſſime *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 162. Provocant illi ad *Rom.* V. 7. & XV. 18. & Scriptores externos, v. c. *Theognidem* v. 377. *Heſiodum* v. 718. *Pindarum* Pyth. IV. v. 491. ubi *τολμᾶν*, & cognatæ illi voces, mitiori ſenſu adhibentur. Præſtare tamen puto, ſi verbum hoc communiori ſignificationi relinquatur. Exemplum enim hoc angeli, poteſtate ſua in Satanam non utentis, opponitur hominibus improbis, qui Magiſtratus calumniari *audeant*. Ideo a Petro 2 ep. II. 10. appellantur *τολμηταὶ* & *αὐθάδεις*.

κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας) *Petrus* ita v. 11. *ὐ φέρυσι κατ᾽ αὐτῶν βλάσφημον κρίσιν*, i. e. *non ferunt -- blaſphemum judicium*, h. e. famam lædens. Vide, quæ ibi diximus. *Κρίσις* itaque *βλασφημίας* eſt *κρίσις βλάσφημος*, a qua abſtinuit Michaël, Deo judicium permittens. Nolim itaque audire *Andr. Dounæum*, virum alioquin doctiſſimum, ad Philippicam Demoſthenis pag. 165. ita diſſerentem: *Cujus* (commatis) *vera interpretatio petenda erit ex participio διακρινόμενος*, non eſt auſus altercationem vel diſceptationem inferre blasphemiæ. *Ἐκ τῦ κρίνομαι, κρίσις concertatio*, vel *diſceptatio, ut vel hoc evidenter oſtendit: ἀκύσατε δὲ ἔλεγχον τῦ στόματος μυ, κρίσιν δὲ χειλέων μυ προσέχετε* Job. XIII. Exiſtimaverim potius, *κρίσιν* hic omnino de *judicio* ſeu *ſententia* lata accipi debere, quæ *diſceptationem*, per *διακρίνεσθαι* jam ſignificatam, conſequi ſolet: nec video, quid ſibi velit, *altercationem blaſphemiæ inferre.* Senſus itaque eſt: *non auſus eſt conviciis, maledictis inceſſere, & condemnare.* Ideo v. 10. de hominibus, quibus hoc Archangeli exemplum oppoſitum eſt, dicitur: *ὗτοι δὲ, ὅσα μὲν ὐκ οἴδασι, βλασφημῦσι.* Ceterum ſimiliter, quod *Raphelio* eſt obſervatum, *Polybius* pag. 1381. ait: *ψευδῆ διαβολὴν ἐπενέγκας, confictà adverſus eum calumnia.*

Verſ. 10. *Οὗτοι δὲ, ὅσα μὲν ὐκ οἴδασι κ. τ. λ.*) Vide ad 2 *Pet.* II. 12. & *Seb. Schmidii* Tract. de imagine Dei pag. 255.

Verſ. 11. *Οὐαὶ αὐτοῖς, ὅτι τῇ ὁδῷ τῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν κ. τ. λ.*) Hæc cum narratione, de Caino & Bileamo in V. T. inſtituta, confert *Surenbuſius* in libro *καταλλαγῆς* pag. 703. ſq. & de *Caino* ſpeciatim ex Hebræorum ſcriptis nonnulla recitat. Conf. ſupra ad 2 *Pet.* II. 15. Homines hos Caini veſtigiis inſtitiſſe, ideo dici putat *Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 331. *quod, ſuggerentes Ethnico Magiſtratui, ut Chriſtianis idolothyta obtruderentur, hac ratione eos, ab idololatria abhorrentes, in manifeſtum vitæ diſcrimen conjiciebant, & per Magiſtratum trucidabant, quorum fratres in religione Chriſtiana videri volebant.* *Ὁδὸς τῦ Κάϊν* proverbialiter de odio in fratres dicta videtur *Druſio* in Proverbiis Claſſe II. libro IV. num. 56.

καὶ

καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν) *&* *deceptione mercedis*, qua deceptus eſt *Balaam*, *effuſi ſunt.* Ita recte, poſt *Bezam*, *Eraſmus Schmidius*, ut vox *μισθοῦ* proxime ad *πλάνῃ* referatur. Ita non opus eſt, ut cum *Grotio* *μισθοῦ* pro *διὰ μισθοῦ* poſitum exiſtimemus. Verbum *ἐξεχύθησαν* reſpondet Petrino *ἐπλανήθησαν*, atque adeo idem eſt, quod *effuſi ruerunt.* Id recte obſervatum eſt a Cl. *Elsnero* pag. 429. allatis ſimilibus veterum phraſibus. Provocat enim ad *τοὺς* LXX. *Judic.* IX. 44. *αἱ δύο ἀρχαὶ ἐξεχύθησαν ἐπὶ πάντας*, XX. 37. *Siracid.* XXXVII. 32. *Themiſtium* Orat. X. pag. 133. *οἱ δὲ ἐξεκέχυντο ἀγεληδὸν ἐπὶ τῆς ὄχθης ἥμεροι καὶ χειροήθεις, πλῆθος οὐ ῥητὸν ἀριθμῷ*, *at illi gregatim in littus effundebantur manſueti & tractabiles*, *infinita multitudo*; & alios. Oſtendit quoque, de cupiditate fervente ſpeciatim adhiberi verbum. Itaque neceſſe non eſt, ut cum *Hammondo* legamus *ἐξεκαύθησαν*, cujus verbi notio in altero illo latet. Ita *Polybius*, ab *Elsnero* allatus, pag. 1457. in Excerptis de virtut. & vitiis, *οἱ μὲν γὰρ εἰς ἐρωμένους τῶν νέων, οἱ δ' εἰς ἑταίρας ἐξεκέχυντο.* *Heſychius* *ἐξεχύθησαν* exponit *ἐφανίσθησαν*, ubi doctiſſimus *Alberti* pag. 480. Obſſ. legere mavult *ἐνεφανίσθησαν*, i. e. *manifeſtantur*, vel *pateſiant*, atque hanc ſignificationem ab hoc loco non abhorrere exiſtimat. Malim tamen, quod idem monet *ἠφανίσθησαν*. De *Balaamo* illo lege, quæ tradit *Witſius* ad h. l. & in Miſc. Sacr. ubi de Prophetis lib. I. cap. XVI. §. 23. ſeqq.

καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ ἀπώλοντο) De hac *Coræ* rebellione & clade, illi ſociiſque ejus inflicta, idem *Witſius* diligenter commentatur in Meletematibus Leidenſibus pag. 249. ſeqq.

Verſ. 12. *Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι κ. τ. λ.*) Illuſtrat hæc *Lightfootus* Tomo II. Oper. Anglican. Parte II. pag. 1043-1039.

ἐν ταῖς ἀγάπαις) In loco Petri parallelo 2 *epiſt.* II. 13. pro *ἀγάπαις* legitur *ἀπάταις*, non ex librariorum errore, quem ſibi multi perſuaſerunt, ſed Scriptoris Sacri conſilio. Vide, quæ ibi diximus. Hic de Agapis nonnulla dicere attinet. Eas *Lightfootus* ad 1 *Cor.* XI. 21. ad illum naſcentis Eccleſiæ, quem putat, morem refert, quo peregrini hoſpitio in ſingulis Eccleſiis, idque ſumtibus Eccleſiæ, fuerint excepti. Contra hanc ſententiam ſolide, ut ſolet, diſſerit *Witſius* ad h. l. rectius arbitratus, indicari fraterna Chriſtianorum convivia, tam pauperum, quam divitum, in publico conventus loco, ad conſervationem atque excitationem mutuæ charitatis celebrata. De illis ex antiquitatis monimentis complures expoſuerunt, v. c. ex noſtratibus *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 19. *Balthaſ. Stolbergius* in diſſert. ſingulari, quæ in Exercitatt. ejus Gr. Linguæ p. 280. & in Theſauro Theologico Philolog. Tom. II. p. 800. exſtat, *Matthias Zimmermannus* ad dictum Tertulliani pag. 16. ſeqq. *Joannes Hilbertus*

Digitized by Google

Hilpertus diſp. de Agapis, Helmſtad. 1656. & *Paulus Reſenius* diſputationibus duabus, Hafniæ 1600. Ex aliis vero *Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. ad h. l. *Suicerus* Tom. I. Theſauri pag. 23. *Salmaſius* Obſervatt. ad Jus Atticum pag. 88. & 148. *Martinus Lydius* in Cœna Dominica Literatorum pag. 109. ſeqq. & *J. S. Menochius* in Trattenimenti eruditi, Parte I. pag. 163. ſeq.

ὑμῶν σπιλάδες) *Σπιλάδες* aliis ſunt *maculæ*, aliis *ſcopuli maris*, qui offendiculo ſunt navigantibus. Priores illi non differre *σπιλάδας* putant a *σπίλοις*, quos Petrus appellat l. c. Imo ſunt, qui ita h. l. legere malint, nominatim *Pricæus* & *Suicerus* Tom. II. pag. 997. Alii vertunt *ſcopulos*, inter quos ex veteribus eſt *Oecumenius*, ex noſtratibus *Er. Schmidius*, ex Anglis autem *Lightfootus* l. c. cui ita ob *falſam doctrinam* videntur appellati. Uterque ſignificatus, fateor, commodus eſt, neque tamen lectio communior *σπιλάδες* deſerenda, quam codd. omnes, ſi *Veleſianas* lectiones exceperis, tuentur. Recte Cl. *Alberti* pag. 39. Periculi Critici, *rariorem hujus vocis uſum eſſe* monet, *quo ponitur pro σπῖλοι* Heſychio & Vulg. *aliquatenus confirmantibus*, *qui μεμιασμένυς* (*abſtract. pro concreto*) & maculas *reddunt* vocem *σπιλάδας*. Scilicet utraque vox a Scriptoribus utroque ſignificatu adhibetur, ut nunc *maculam*, nunc *ſcopulum* inferat. Vide, quæ in hanc cauſam *Stephanus* attulit. Fieri tamen poteſt, ut Apoſtolus data opera *σπιλάδας* in *ſcopulorum* notione vocarit, quos *σπίλυς Petrus* appellat. Neque enim, etiam de eodem argumento loquens, iisdem, quibus ille phraſibus, utitur. Ita pro *ἀπάταις* habet *ἀγάπαις*, pro *πηγαὶ ἄνυδροι*, *νεφέλαι* &c. *νεφέλαι ἄνυδροι*. *Eraſmus Schmidius* verba ita vult diſtingui: *ὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες*, *συνευωχύμενοι*, *hi ſunt, in agapis ſuis convivantes*, *veſtri ſcopuli*. Ita enim omnia cum verbis Petri ejusque ſententia concordare exiſtimat. Ex hoc vero conſequeretur, impuros illos homines agapas ſuas ſeorſim, non vero ceteris Chriſtianis junctos, celebraſſe, quod tamen adverſatur Petro, ubi dicuntur *συνευωχύμενοι ὑμῖν*. Taceo, apud Petrum legi *ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν*. Itaque recepta interpunctio teneri debet, hoc ſenſu, quod homines illi impuri, cum agapis ceterorum intereſſent, ſocietati Chriſtianorum dedecus attulerint. Pro verſione B. *Lutheri* lege *Raithii* Vindicias pag. 602.

ἀφόβως ἑαυτὺς ποιμαίνοντες) *Pricæus* malebat *ποιμαίνυσι*. Ita vero *ἀσύνθετον* præter neceſſitatem inveheretur. Participia enim illa & cetera prædicata pendent ab antecedente phraſi, *σπιλάδες εἰσί*. Recte itaque *Albertius* l. c. a *Pricæo* diſceſſit.

νεφέλαι ἄνυδροι, ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι) Vide ad 2 *Pet.* II. 17.

δένδρα φθινοπωρινὰ) *arbores fructus perdentes*, quomodo & origini vocis & argumento, de quo ſermo eſt, convenienter convertit *Eraſmus*

Schmidius, quem vide. Recte enim derivatur vox ex φθίνω, *perire facio*, & ὀπώρα, *fructus*. *Pindarus* Pyth. ε. v. 161. μὴ φθινοπωρὶς ἀνέμων χειμερία καταπνοὰ δαμαλίζοι χρόνον, *ne fructibus exitialis ventorum hybernus flatus profliget ei tempus*. Eidem Pyth. δ΄. v. 471. δρῦς φθινόκαρπος ἐοῖσα, *quercus, quæ fructus amiſit*, vel *perdidit*, appellatur, ſicut *Homerus* Odyſſ. κ΄. v. 510. ἰτέας ὠλεσικάρπους vocat. Conf. *Schotti* Adagialia Sacra Novi Teſtamenti pag. 159.

Verſ. 13. κύματα ἄγρια θαλάσσης) Eadem phraſi utitur Scriptor libri *Sapient*. XIV. 1. & fere *Oppianus* Halieutic. III. 505.

—— —— νόος δὲ οἱ ἠΰτε κῦμα
Ειλεῖται.

Monuit hoc Cl. *Alberti* pag. 480. Obſervatt. Adde *Libanii* ep. 99. inter eas, quæ nunc mea cura in Belgio prelum exercent.

ἐπαφρίζοντα) Codices quidam legunt ἀπαφρίζοντα. Sed ἐπαφρίζειν, indice *Albertio*, exſtat apud *Moſchum* Idyll. V. 5.

Ἀλλ᾽ ὅταν ἀχήσῃ πολιὸς βυθὸς, ἁ δὲ θάλασσα
Κυρτὸν ἐπαφρίζῃ, τὰ δὲ κύματα μακρὰ μεμήνῃ.

Aſt, ubi cana fremunt maria, aſſurguntque profundo
Turgentes fluctus, decumanaque dum furit unda.

Phraſin Apoſtolicam imitatus videtur *Hieronymus*: *venter*, inquiens, *mero æſtuans deſpumat in libidines*. Eodem *deſpumandi* verbo in cauſa ſimili uſus eſt *Seneca*. Vide *Grotium*.

ἀςέρες πλανῆται) *ſtellæ erraticæ*, cum quibus falſi doctores h. l. comparantur. Lege de phraſi hac Rev. *Salom. Deylingium* in Obſſ. Sacris Parte I. p. 205. ſqq. vel p. 335. edit. repetitæ auctioris, & *J. H. Seelenii* Exercitatt. Exegeticas p. 98 -- 142. tum vero *Wideburgii* Matheſeos Biblicæ Specimen VII. *Val. Henr. Voglerum* de rebus naturalibus ac Medicis pag. 396. *Zimmermannus* in Scriptura Copernizante pag. 19. homines illos cum planetis, globis terreſtribus & per ſe obſcuris ideo comparari putat, quia & ipſi vero lumine deſtituantur. Huic ſententiæ patrocinatur phraſis mox ſequens, οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηται.

Verſ. 14. Προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ κ. τ. λ.) Hoc comma una cum ſequenti illuſtratur a *Joanne Georgio Dorſcheo* in Pentade Diſſertt. Theologic. pag. 555. & *Martino Geiero* in Meditatione de adventu Domini glorioſo ad ſupremum judicium, Lipſ. 1660. 4. quæ hodie in Opuſculis ejus Philologicis legitur pag. 495. Adde *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 344. *Robertum Gell* in Reliquiis Anglicanis Tomo II. pag.

pag. 841. & *Guilelmum Surenhuſium* in libro καταλλαγῆς pag. 708. ſeqq. *Enochum* ab Hebræis & *ſeptimum ab Adamo*, & *Prophetam* appellari oſtendit *Surenhuſius* loc. cit. Amant illi hanc computandi rationem, ubi de viris ſanctis agitur. Ita Moſen ab Abrahamo, & Phineam a Jacobo ſeptimum dicunt, quod ex *Bechai* in Pentateuchum commentario ad *Num.* XXV. 12. f. 182. & *Menachemo Recanatenſi* comm. in Pentat. f. 93. 4. oſtendit *Jacobus Rhenferdius* in Operibus Philologicis pag. 718. ſeq. *Bechai* verba hæc ſunt: *Erat autem* Phineas *progenies* ſeptima *a* Jacobo, *patre noſtro*, *quemadmodum* Enoch ſeptimus *fuit ab* Adamo: *& uterque reſpondent diei ſeptimo*, *qui eſt Sabbatum*, *quod eſt dies quietis & vitæ.* R. *Menachem* in Geneſ. V. fol. 32. de *Enocho*: *Et propterea fuit ſeptimus ætatum*, *quemadmodum dixerunt Magiſtri noſtri*: Septima quæque ætas eſt æſtimatiſſima.

Phraſin, προεφήτευσε τούτοις, alii, & quidem plerique, reddunt *prophetavit de illis*; alii *prophetavit his.* Inter hos poſteriores eſt *Robertus Gellus* loc. cit. nec præter rem. Quamvis enim parum quod ad ſenſum interſit, convenientius tamen videtur, verba Apoſtoli ita accipere, ut *Enochus* non tantum ſuæ ætatis hominibus, ſed & poſteris quibusque, annunciaſſe dicatur judicium divinum, flagitiis eorum imminens. Hunc ſenſum firmat particula καὶ, quæ ad alios etiam reſpici jubet, ad quos hoc vaticinium pertineat. Ita *Matth.* XXVI. 68. προφήτευσον ἡμῖν Χριστέ.

Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ) Poſt ἁγίαις quidam Codd. ἀγγέλων, alii, ſine illo, pro ἁγίαις legunt ἁγίων. Rectius tenetur lectio μυριάσιν ἁγίαις, *cum ſanctis myriadibus*, ut ſic cœtus & Sanctorum & Angelorum infinitus intelligatur. Conf. *Zachar.* XIV. 5. *Dan.* VII. 10. & *Matth.* XXV. 31. Vox ἀγγέλων *Millio* ex *Hebr.* XII. 22. addita recte videtur.

Quæritur h. l. unde illud Enochi vaticinium innotuerit Apoſtolo? Alii ſpeciali cuidam revelationi, alii traditioni antiquæ, alii denique libro, ab *Enocho* exarato, & nunc deperdito, acceptum ferunt. Quod ad poſtremos attinet, conſtat, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus nunc vaticinium aliquod Enocho generatim tribui, nunc libros ejus allegari. Teſtimonia illa *Fabricius* noſter, more ſuo, diligenter collegit in Codice Pſeudepigrapho Vet. Teſt. pag. 160. ſeqq. Conſtat etiam, fragmenta quædam libri *de Egregoris*, Henocho tributi, circumferri, quæ idem vir doctiſſimus l. c. pag. 179. ſqq. Gr. & Lat. *Guilelmus Whiſtonus* autem (quem etiam in Tentamine contextum Hebr. reſtituendi pag. 109. & 314. videbis) Anglice in *Collection of the authentick records of the Old Teſtament* pag. 260--270. (ſubjuncta pag. 271--294. ſingulari diſſertatione, qua γνησιότητα eorum adſtruere conatur,) exhibet. Ex eodem *Fabricio* pag. 199. intelliges, quam diverſa de fonte prophetiæ hujus, ad Judam delatæ, viri docti ſenſerint. Librum aliquem Henochi ſingularem exſtitiſſe, in quo hæc lecta fuerint, ex his Apoſtolis ver-

bis

bis non apparet. Neque enim de Henocho dicit, ἔγραψε, ſed προεφήτευσε λέγων. Jam vero vaticinium voce edere potuit, quamvis literis non conſignarit. Porro nec in illis, quæ hodie circumferuntur, fragmentis quicquam huic, quod Judas adfert, ſimile legitur; ut non dicam, alia in illis eſſe, quæ ab Enocho ſcribi non potuerunt. Itaque recte illi ſentiunt, qui cum *Heideggero* in Hiſtoria Patriarcharum pag. 264. & *Witſio* ad h. l. exiſtimant, Chriſtianum aliquem, ſive ſciolus ille, ſive hæreticus fuerit, librum ejusmodi Henochi nomine inſcripſiſſe. Neque audiendum putem *Joannem Ens*, in Bibliotheca Sacra pag. 27. ſeq. tradentem, Apoſtolum fragmentum ex libro Henochi adferre, qui jam olim perierit, deinde vero ab aliis ex variis fragmentis & acceſſionibus conſarcinatus ſit & refictus.

Propius ad verum accedunt, qui cum *Witſio* & aliis ex traditione hoc ad Judam perveniſſe exiſtimant. Hanc in rem *Surenhuſius* l. c. nonnulla ex Judæorum ſcriptis recitat, quæ apud ipſum legi velim.

Magis tamen illos probem, qui ad revelationem divinam ſpecialem id omne referunt cum *Calovio* & *Pomario* ad h. l. itemque *Pfeifero* in Exercitat. de Henocho cap. IV. 8. & *Bangio* in Cœlo Orientis pag. 94. Quod enim nonnulli ex verbis Moſis de Henocho *Geneſ.* V. 22. id Judam collegiſſe & ſcripſiſſe volunt, longius petitum videtur. Lege tamen, quæ in hanc ſententiam differit *Dan. Gerdeſius*, Theologus Duisburgenſis diligentiſſimus, in Obſervatt. Miſcellaneis ad loca quædam Scripturæ Sacræ hiſtoriam Patriarcharum illuſtrantibus, Parte I. Obſerv. VI. atque hinc in Miſc. Duisburgenſ. T. I. p. 648.

Ἰδοὺ ἦλθε) Præteritum pro futuro h. l. poni per ſe patet. Confer Cl. *Georgii* Vindicias N. T. ab Hebraiſmis pag. 213.

ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων) Pro *κατὰ Pricæus* maluit *μετὰ* contra auctoritatem codicum omnium, & præter neceſſitatem, quod recte monuit Cl. *Alberti* in Obſervationibus pag. 481. & in Periculo Critico pag. 39. allata ſimili phraſi *Æliani* Variar. Hiſtoriar. II. 6. *τὴν κατ' αὐτοῦ κρίσιν* dicentis.

Verſ. 16. Οὗτοί εἰσι γογγυσταὶ, μεμψίμοιροι) De *μεμψιμοίροις*, i. e. *hominibus querulis*, lege *Caſaubonum* ad Theophraſti Characteres cap. 17. *Suicerum* T. II. pag. 841. & *Elsnerum* p. 430.

καὶ τὸ στόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα) *quorum os tumida & magnifica* loquitur. Vide eundem *Elsnerum*, &, quem idem laudat, *Tiber. Hemſterhuiſium*, V. C. ad *Luciani* Dialogos p. 20. cujus opera, ejusdem cura egregie expolita, cupide exſpectamus.

θαυ-

θαυμάζοντες πρόσωπα) Phraſis eſt *τοῖς* LXX. familiaris, ut *Gen.* XIX. 21. &c. vide *Elsnerum*, ex Scriptoribus profanis oſtendentem, *θαυμάζειν* idem eſſe, quod *nimium ſuſpicere.* Horum hominum, qui hinc ſuperbiæ, hinc aſſentationi ſerviunt, ingenium veteres notarunt quos laudat *Gatakerus* ad Antoninum IV. 31.

Verſ. 17. *Ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοὶ, μνήσθητε τῶν ῥημάτων, τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*) Judas in animum revocat ſuis præmonitiones, ab Apoſtolis vel voce vel ſcriptis jam ante factas, quales leguntur 1 *Tim.* IV. 1. 2. 2 *Tim.* III. 1. & IV. 3. 4. tum 2 *Pet.* III. 3. ad quem locum nonnulli eum ſpeciatim reſpexiſſe volunt. Quicquid hujus erit, hac ipſa appellatione Judas non magis Apoſtolorum numero ſe excluſiſſe putandus eſt, quam Paulus *Hebr.* XIII. 7. doctorem ſe eorum eſſe negavit, ſcribens: *μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.* Provocat ſcilicet ad alios Apoſtolos, tum modeſtiæ cauſa, tum ideo, ut ſe nihil ab illorum doctrina & monitis diverſum docere aſſerat, tum denique, ut cavere eos ſibi jubeat a falſorum doctorum & præceptis & moribus.

Verſ. 18. *Ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, ὅτι ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται ἐμπαῖκται*) Vide ad 2 *Pet.* III. 3.

κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν.) Ultimam vocem cum illa *ἀσελγειῶν* permutari malit, *Rich. Bentlejus*, Vir doctiſſimus, Animadverſionibus in diſſertationem de libertate cogitandi Anglice editis pag. 73. ideo ſcilicet, quod *Petrus* 1 ep. III. 3. *ἐν ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις πεπορευμένους*, & 2 ep. II. 18. *ἐπιθυμίας σαρκὸς ἀσελγείας* junctim commemoret. Id ſcilicet viro præſtantiſſimo uſu venit, quod pluribus aliis, qui nunc Petri epiſtolam ex Judæ illa, nunc Judæ ex Petrina emendandam cenſuerunt, quod ſubinde altera alteri ex aſſe reſpondeat. Valere aliquid hæc argumentatio poterat, ſi pateret, Judam Petrinam illam deſcribere penitus voluiſſe. Jam vero aliter utique judicandum eſt. Judam h. l. ſcripſiſſe *ἀσεβειῶν* vel ex eo apparet, quod paulo ante v. 15. *ἀσεβείας* & *ἀσεβεῖς* ter commemoravit in vaticinio Enochi, quod ad ejusmodi homines relatum eſſe monuerat. Habito igitur ad illam prædictionem reſpectu v. 17. monet, idem Apoſtolos quoque de ultimis temporibus prædixiſſe, fore ſcilicet homines, *κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας τῶν ἀσεβειῶν πορευομένους*, h. e. *in impiis ſuis cupiditatibus pergentes.* Notandum præterea eſt, *Petrum* ll. cc. varia flagitiorum genera nominatim recitare, *Judam* autem omnia illa *ἀσεβειῶν* nomine complecti. Omitto, quæ huic conjecturæ alii, nominatim Anonymus Anglus in epiſtolis duabus de nova editione N. T. a Bentlejo tunc exſpectata, Latine 1721. editis p. 9. & Vener. *Joannes Laurentius Moshemius* in libro I. Obſervatt. Sacrar. Amſtelod. 1721. 8. publicatarum pag.

98. ſeq. oppoſuerunt. Neque vero rectius idem ille Anonymus conjecit, vocem ἀσεβειῶν prorſus eſſe expungendam, quippe quæ nec 2 *Pet.* III. 3. nec apud *Coptum* h. l. legatur. Vox illa, fateor, abeſſe poterat, & ea ratione eſt collocata, ut abeſſe debere videri poſſit. Cum vero ſic in omnibus codicibus, adhuc inſpectis, & verſionibus quoque, ſi *Copticam* unam exceperis, legatur, dubitari non poteſt, eandem in antiquiſſimis exemplis exſtitiſſe, atque adeo ab ipſo Juda eſſe profectam. Quis enim librarius vel ſciolus adderet vocem, quæ ſalvo ſenſu abeſſe poterat? His adde, quod & v. 15. in vaticinio *Enochi* legitur, περὶ πάντων τῶν ἔργων τῆς ἀσεβείας αὐτῶν, ὧν ἠσέβησαν, ubi vox ἀσεβείας magis, quam hoc loco, ſupervacua videri poterat ob verbum ἠσέβησαν, quod proxime ſequitur; & vel ſic in paucis tantum codd. deſideratur.

Verſ. 19. Οὗτοί εἰσιν οἱ ἀποδιορίζοντες) ſcilicet ἑαυτὺς, quam vocem & editi & ſcripti aliquot libri exhibent; quod partim de præſumtione, partim de vitæ licentia cum *Witſio* accipere poſſis. Sunt tamen, qui intelligere malint ὑμᾶς, qui ſcilicet alios, ſui reprehenſores, expellant & ſegregent. Ita *H. A. Waltherus* ad h. l. cum B. *J. H. Majo* in Oeconomia Temporum ad h. l.

ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες) Vide *Vitringam* lib. III. Obſervatt. Sacr. cap. XI. pag. 167. ψυχικοὶ, inquit, ſunt, *nullum in ſe alium habentes motum, præter quem animantia cetera viva habent, qui ex corporis ſui conſervatione & carnis concupiſcentia oritur, neque ullam in ſe ſentientes operationem Spiritus S. quod eſt*, πνεῦμα μὴ ἔχειν. Confer, quæ de voce ψυχικὸς dicta ſunt ad 1 *Cor.* II. 14. Diligentius vero phraſeos hujus ſenſum inveſtigavit B. *Martinus Chladenius* diſſert. ſingulari, quam *Inſpiratos ſine Spiritu* inſcripſit, & noſtræ memoriæ hominibus, qui variis in locis inſpirationes extraordinarias jactabant, oppoſuit Witteberg. 1715. Qua quidem occaſione *Jo. Lyſii* & *Chriſt. Lud. Stieglitzii*, qui illam *Chladenii* diſſertationem, cum haberetur, defenderat, ſcripta quædam prodierunt. Ea enarrata vide in Relationibus Theologicis Novantiquis vernaculis an. 1716. pag. 894. 909. 914. 916. & 1063.

Verſ. 20. Ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοὶ, τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτὺς) Recte hæc expreſſit *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 294. *Vos autem, dilecti, ſanctiſſima veſtræ fidei ſuperædificantes vos invicem*, i. e. incitantes alter alterum ad fidem illam ſanctiſſimam, in qua tanquam in fundamento ſtatis, adaugendam & exornandam omnibus pietatis exercitiis. Recte idem monet, ἑαυτὺς idem eſſe, quod ἀλλήλυς, ſicut 1 *Theſſal.* V. 11. dicitur: οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, & V. 13. εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς, *pacem colite inter vos invicem. Heinſius* vocem ἑαυτὺς mavult referre ad ſequens τηρήσατε. Cum vero ipſa illa vox ἑαυτὺς v. 21. ante τηρήσατε occurrat, patet omnino prius illud, quod ad προσευχόμενοι referri non poteſt, ad ἐποικοδομοῦντες pertinere.

Digitized by Google

nere. Conf. *A. Blackwalli* Claſſicos Sacros Tom. II. pag. 168. Phraſi, ἁγιωτάτῃ πίστει ſimillima eſt illa, quæ exſtat in *Jalkut Rubeni* fol. 177. 3. *Quicunque eſt in perfectione* דהימנותא קדישא *fidei ſanctæ, in eo mors dominium exercere non poteſt.* Obſervavit locum *Schœtgenius* p. 1080. Horarum.

Verſ. 22. Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε) Particulis οὓς μὲν reſpondet v. 23. οὓς δὲ, non ſine auctoritate veterum Græciæ Scriptorum, quos Cl. *Georgius* in Hierocritico pag. 109. opponit *Thomæ Magiſtro*, qui τοὺς μὲν, τοὺς δὲ malit. Verbum ἐλεεῖτε, idem eſt, quod *miſeramini*, ſeu, *clementer tractate.* Hoc ſenſu verbo illo utitur *Chryſoſtomus* in libris de Sacerdotio §. 303. & 589. ed. Stutgardienſis per Cl. *Bengelium* diligenter curatæ.

διακρινόμενοι) *habito delectu.* Vide 1 *Cor.* VI. 5. XI. 29. &c. Ita *Herodotus* lib. VII. pag. 495. adhibet, διακρίνας, quod *Raphelius* oſtendit Annotatt. Herodot. pag. 666. Ceterum pro, ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, quidam codd. legunt ἐλέγχετε διακρινομένους, *convincite dubitantes.* Verborum autem ſeries id quidem averſatur. Illa enim oſtendit, *delectum* hic ſuaderi, ut alia ratione in dociles, nempe clementer, alia in refractarios, nempe rigidius, agatur. Jam vero ἐλεεῖν rectius opponitur τῷ, ἐν φόβῳ, quam ἐλέγχειν. Lectionem hanc ex eo natam putem, quod non ſatis perſpiceretur, quæ h. l. eſſet vocis διακρινόμενοι ſignificatio.

Verſ. 23. Οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε) *Alios vero per metum ſalvos facite*, h. e. incuſſo metu divinæ iracundiæ. Ita *Chryſoſt.* lib. II. c. 4. de Sacerdotio §. 118. edit. Bengelianæ de paſtore animarum : Οὐ γὰρ ἑλκῦσαι πρὸς βίαν ἐστὶν, οὐδὲ ἀναγκάσαι φόβῳ, πείσαντα δὲ δεῖ πάλιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀγαγεῖν, ὅθεν ἐξέπεσε τὴν ἀρχήν. Confer ibi *Bengelium* p. 396. & *Suicerum* Tom. II. pag. 1448. Compara 2 *Cor.* V. 11.

ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες) h. e. ex præſentiſſimi exitii periculo eripientes. Formula eſt loquendi proverbialis, de qua diximus ad 1 *Cor.* III. 15. Conf. *Amos* IV. 11. & *Zachar.* III. 2. Ita *Theocritus* Idyll. II. 131. τύ με δεύτερα ἐκ πυρὸς εἷλευ, *tu me ex igne eripuiſti.* Conf. *Blackwallum* l. c. p. 64.

μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα) *Hyperbolica*, audis *Glaſſium* in Rhetorica S. Tract. I. c. 19. p. 477. *probibitio, ab interdictis pollutionum legalium ſumta, q. d. volo, quod ſceleratos illos attinet, vos ab illorum congreſſu omni modo abſtinere, adeo, ut vel quodammodo, quicquid illi contigerunt, tanquam pollutum exſecremini.* Ita ante Glaſſium *Beza*, & *Nicol. Zegerus* ad h. l. quos merito deſerunt Vener. *V. E. Læſcherus* in Stromatibus p. 40. & doctiſſimus *Elsnerus* pag. 431. Nec propius ad verum accedit *Witſius* ad h. l., *alludi* itidem putans *ad ritum priſcum Vet. T. in quo tunica maculabatur carne, vel in caſu lepræ Levit.* XIII. 45 – 48. *vel in caſu gonorrhææ, Levitic.* XV. 4. 17. *Huc*, ita pergit, *credibile eſt reſpexiſſe Apoſtolum, propter horrendam Carpocratianorum & Gnoſticorum ſpurcitiem. Ut moneret, non ſolum a fœda iſtorum nebulonum impudicitia procul recedendum eſſe Chriſtianis; ſed & ab omnibus iis, quæ vel minimam adſinitatem & propinquitatem cum ſceleribus*

iſtis

iſtis habent. Ad *Witſii* & *Tob. Gutberlethi* in libro de Saliis Martis Sacerdotibus cap. X. pag. 48. exemplum *Amelius* Tom. II. der Erörterung pag. 268. flagitium Onaniticum heic prohiberi ab Apoſtolo putat, eumque in finem χιτῶνα de tunica interiore non polluenda, σάρκα vero de illa corporis parte, quam appellare pudor vetat, accipi vult. Idem antea feciſſe video *Jo. Piſcatorem* ad h. l. At vero parum veriſimile eſt, Apoſtolum in calce epiſtolæ ſpeciale ejusmodi peccatum notare exſerte voluiſſe. Ab altera vero parte ſatis videtur manifeſtum, *externas vivendi agendique conſuetudines, quibus pravi ſe homines ex ſæculi more quaſi amiciant*, quæ *Læſcheri* verba ſunt l. c., intelligi. In eandem ſententiam Cl. *Elsnerus* l. c. χιτῶνα *de homine externo moribusque* interpretatur, *qui a carne ejusque vitioſis cupiditatibus contaminantur.* Ita ait *Apocal.* III. 4. afferri, *qui non contaminarint veſtimenta ſua*, ab *Arriano* autem I. 25. pag. 147. τὸ τελευταῖον χιτωνάριον, τυτέςι τὸ σωμάτιον, appellari, cujusmodi phraſes plures *Gatakerus* ad Antonin. X. 1. pag. 288. recitet. Scilicet Apoſtolus, ſcribendi finem facturus, fideles graviter cohortatur ad mentes in fide, precatione, amore & ſpe, quæ quidem *internæ* ſunt dotes, conſervandos; his vero jungi etiam vult *externum* virtutis ſtudium, quod a vitæ ſordibus ſit alienum, ut ſic ἄπ]αιςοι & ἄμωμοι aliquando Domino ſiſtantur. Summam hujus admonitionis Paulus 1 *Cor.* VI. 20. his verbis repræſentat: δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώμα]ι ὑμῶν καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐςι τȣ̃ Θεȣ̃. Atque hoc ſenſu alluſio ad ritualem veſtium impuritatem, vel ſpeciatim eam, quæ ex ſanguine menſtruo oriebatur, quæ *Druſii* eſt in Proverbiis Claſſ. II. lib. III. n. 64. ſententia, admitti poſſit.

Verſ. 24. Τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι ὑμᾶς) Pro ὑμᾶς, quod *Curcellæus* & alii editi, quos affert *Eraſmus Schmidius*, habent, *Millius* exhibet αὐτȣ̀ς, & pro altero illo ὑμᾶς novem codices adfert. Senſus utrinque idem eſt, nempe *vos ipſos*; noſtra vero lectio Paulina phraſi *Rom.* XVI. 25. τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς ςηρίξαι ſtabilitur. De additamento, quod in hoc commate apud *Vulg.* exſtat, lege *Raithii* Vindicias verſionis Biblicæ B. Lutheri pag. 603.

Verſ. 25. Μόνῳ σοφῷ Θεῷ) Cum vox σοφῷ a nonnullis codd. abſit, eam ex *Rom.* XVI. 27. huc relatam more ſuo exiſtimat *Millius*.

κράτος καὶ ἐξȣσία) Similiter *Heſychius* κράτος per βασιλείαν & ἐξȣσίαν interpretatur, nec minus Gloſſarium Græcum in libros N. F. a Cel. *Jo. Albertio* nuper editum pag. 171. quem ibi videbis.

PRO-

PROLEGOMENA IN APOCALYPSIN S. JOANNIS.

INſcriptio libri hodie recepta ita in plerisque libris habet: ἀποκάλυψις Ἰωάννȣ τȣ̃ Θεολόγȣ. In eam nonnulli recentiorum data opera commentati ſunt, nominatim B. *Joannes Hermannus ab Elswich* in diſſertatione de Inſcriptione Apocalypſeos Joanneæ, Wittebergæ 1715. 4. *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* in Supplementis Actorum Eruditorum Lipſienſium Tomo VI. pag. 170. de titulo Theologi, Joanni Prophetæ tributo, *Adamus Henricus Lackmannus*, Profeſſor hodie Kilonienſis, qui *Heumanno* ſe oppoſuit, in Miſcellaneis Literariis pag. 63. ſeqq. *Joannes Henricus a Seelen* in Θεολογȣμένοις ex inſcriptionibus Biblicis pag. 21. & *Fridericus Adolphus Lampe* in Prolegom. commentarii in Evangelium S. Joannis pag. 118. ſeqq. Originem ejus alii aliam faciunt. Alii Joanni ipſi tribuunt, a quibus non diſſentire videtur B. *Joannes Gerhardus* in comment. ad h. l. Alii ab aliis repetunt, v. c. *Calovius* in Bibl. Illuſtr. ad h. l. *Theologi*, inquiens, *nomen non Joannes ſibi ſumſit, ſed qui inſcriptionem libri fecit.* Alii denique rem in medio relinquunt, utrum ab ipſo Joanne titulus ſit profectus, an ab alio. Ita olim ſenſerat idem *Calovius*, quod ex Iſagoge ejus in Theologiam patet pag. 9. Secundam illam, quam dixi, ſententiam plerique amplectuntur, & recte. Teſtantur id varietates, quæ in codicibus Græcis multæ, in verſionibus autem plures occurrunt. Teſtatur etiam Θεολόγȣ nomen, quod Joanni nunquam a Doctoribus trium primorum a Chriſto nato ſæculorum tribuitur, etiam, ubi Apocalypſin ad partes vocant. In hanc ſententiam lege ex noſtratibus *Elswichii* diſſertationem laudatam, ex Anglis *Hammondum* in h. l. & *Joannem Owenum* in Theologumenis pag. 5. ex Pontificiis *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti cap. 19. pag. 226. & *Dionyſium Petavium* in Prolegomenis ad Dogmata Theologica.

Qua ætate hoc *Theologi* nomen vel in inſcriptione hac, vel alias, vindicari cœptum ſit *Joanni* præ aliis, non liquet. Conſtat quidem, vocem ipſam uſu pridem cum inter Latinos, v. c. *Ciceronem* de Natura Deorum III. 20. tum inter Græcos, nominatim *Plutarchum* de Iſide & Oſiride, & *Sextum Empiricum* libro IX. adverſus Phyſicos pag. 593. edit. Fabrician. frequentatam fuiſſe, quod pluribus oſtendunt *Fabricius* & *Seelenius* ll. cc. tum vero *G. G. Greenius* in diſputatione de Theologis Græcorum §. 7. Eandem in nummis quoque expreſſam legi monuit Vener. *Valentinus Erneſtus Læſcherus* in Stromatibus pag. 184. Confer *Joannis Harduini* Opera Selecta pag. 939. Hactenus vero ex Doctoribus Eccleſiæ veteris nemo allatus eſt, qui ante *Euſebium*

Joannem hoc titulo inſigniverit. Is ſcilicet Præparat. Evangel. XI. 18. Joannem Ἑβραίων θεολόγον appellat. Poſt illum vero eadem appellatio magis frequentata eſt, quod apparet ex teſtimoniis a *Suicero* in Theſauro Eccleſiaſt. voce θεολόγος, & *Lampio* in Prolegom. ad commentar. in Evangel. Joannis allatis p. 118. *Grotius* quidem in Præloquio ad notas in Apocalypſ. *Chriſtianos*, ait, *poſt* Origenem *hoc titulo Joannem inſigniviſſe tradunt*. Ubi vero Origenes ita illum appellarit, nec ipſe, nec *Owenus*, eum in Theologumenis p. 5. ſecutus, indicant.

Qua de cauſa elogium hoc acceperit Vir θεόπνευστος, itidem, quamvis non æque, obſcurum eſt. Variorum ſententias recitat *Elswichius* p. 21. Inter eas communior & verior eſt illa, quæ illud a Deitate Sanctiſſimi Salvatoris noſtri, luculente a Joanne tradita & adſerta, repetit. Illius patronos plures adfert B. *Joannes Georgius Dorſcheus* in not. 46. ad Append. Sceletomaniæ, quibus ex recentioribus addes *Stephanum le Moyne* in notis ad Varia Sacra pag. 1015. *Petavium* loc. cit. & *Lampium* pag. 121. Atque hic quidem hanc ſententiam inprimis adſtruit, ex uſu vocis θεολόγος & θεολογία, Patribus ea ætate, qua titulus ille Joanni primum tributus videtur, recepto. Tunc enim doctrina de Deitate Chriſti, reſpectu ad humanitatem ejus habito, θεολογία vocari ſolebat, quod oſtendit *Elias Veielius* in egregio tractatu de Oeconomia Sacra cap. I. §. 3. Propterea & *Lampius* deſerendam cenſet illam *Elswichii* ſententiam, ſecundum quam Joannes θεολόγος eo ſenſu appellatus videri poſſit, quo Græci Theologos appellabant eos, qui θεοπνοῇ quadam agitari, & futura ſignificandi facultate valere videbantur.

Aliam ingreſſus eſt viam *Celeb. Heumannus* in Actis Erudit. T. VI. Supplement. pag. 171. ſeq. *Statuo*, inquit ille, *hoc* Theologi *titulo alium deſignari Joannem, a quo inſcriptionis iſtius auctores (perperam quidem) credebant diviniſſimam illam Apocalypſin profectam eſſe. Conſtat enim inter omnes, & inſcriptiones & ſubſcriptiones librorum Novi Teſtamenti non eſſe ab eorum auctoribus adjectas, ſed ab aliis poſterioris ætatis.* —— —— *Dico itaque* Joannem *illum* Theologum *non eſſe* Joannem Apoſtolum. *Sententiæ meæ cauſas, quæ tres ſunt, paucis exponam.* Argumenta illa poſtea ſub examen vocavit *Lampius* loc. cit. pag. 119. ſeqq. cauſam ſuam tuente *Heumanno* in Pœcile Tom. III. pag. 221. ſeqq. Ibi vero is queritur, *Lampium* diſſertationem illam ſuam eo interpretatum eſſe, *ut lectoribus videri poſſet negare, Joannem Apoſtolum eſſe auctorem Apocalypſeos.* Et hoc ſcripſerat *Lampius: Divortium tamen ab iis fecit V. C. atque eruditionis laude in Germania inſignis*, C. H. Heumannus, *qui Joannem Theologum ab Joanne Apoſtolo diverſum eſſe defendit.* Id puto, *Lampium* ex illis *Heumanni* verbis collegiſſe: *dico itaque Joannem Theologum, non eſſe Joannem Apoſtolum.* At horum verborum ſenſus æſtimandus & finiendus erat ex illis, quæ proxime antecedunt, ubi inſcri-

Digitized by Google

inſcriptionis illius auctores ab alio Joanne Apocalypſin *perperam* repetiiſſe traduntur; nec minus ex illis, quæ pag. 174. ſequuntur: *Equidem nullum dubito, imo perſuaſiſſimum habeo, Joannis Apoſtoli calamo exaratum eſſe librum Apocalypſeos, idque dilucide probavit, ut alios prætercam, Gerhardus noſter.* Sicut igitur *Heumanni* cauſa hac in parte eſt integra; ita vereor, ut ſuam illam conjecturam de origine hujus tituli ex eo repetenda, quod inſcriptionis auctores alium a Joanne Evangeliſta Apocalypſeos auctorem in limine libri pronunciare voluerint, ſatis probarit. Vide, quæ argumentis ejus oppoſuit *Lackmannus*, vir doctus, in Miſcellaneis pag. 65. ſqq. Id unum ego monebo, recte affirmaſſe *Lampium*, maximam Græcorum Chriſtianorum partem Apocalypſin tribuiſſe auctori Joanni Apoſtolo; quod probari poſſe inficiatur *Heumannus* pag. 222. Pœciles. Id ſcilicet *Leonhardus Twelſius* in illa, quam mox exhibiturus ſum, commentatione manifeſtum mihi feciſſe videtur. Addo præterea libro huic non ante initium Sæculi III., *Cajo Presbytero* ſigna tollente, motam eſſe controverſiam. Ex his duobus momentis duo conſequuntur. Primum illud eſt, quod veri non fiat ſimile, Eccleſias Græcas inſcriptionem aliquam recepturas fuiſſe, quæ communiori ſententiæ de Joanne Apoſtolo, Apocalypſeos auctore, eſſet adverſa, inprimis cum ignorare illæ non potuerint ſenſum hujus inſcriptionis, ſi quidem talis fuiſſet, qualem Vir doctus ſuſpicatur. Alterum eſt, quod de ſenſu & ſcopo hujus inſcriptionis, quem *Heumannus* vult, non ante conſtare poſſit, quam conſtiterit, quo tempore illa Apocalypſi ſit præſcripta. Si enim ante motam libro controverſiam exſtitit & recepta fuit, *Theologi* nomen *διακριτικὸν* non fuiſſe, nec alium Joannem indicaſſe, liquet. Quicquid interim vel de origine, vel de ſenſu, vel de ſcopo vocis θεολόγος ſtatuas, id certum eſt, ad eam provocari non poſſe, ut liber ipſe Joanni Evangeliſtæ abjudicetur.

Illius enim eſſe, argumentis tum internis & domeſticis, tum externis, i. e. antiquiſſimæ ætatis teſtimoniis, ita evictum eſt, ut cum ratione dubitari amplius non poſſit. Tempero mihi ab illis enarrandis, qui data opera hoc egerunt. Potiores recitant *Fabricius* in Bibliotheca Græca lib. IV. pag. 147. *Joannes Mœllerus* in Homonymoſcopia pag. 178. ſeqq. & *Lampius* Prolegomenis in Evangelium Joannis pag. 115. qui & ipſe hanc cauſam erudite agit. Relata quoque huc eſt B. *Guſtavi Schrœdteri* diſſertatio, præſide D. *Joanne Fechtio*, de canonica Apocalypſeos auctoritate, Roſtochii 1697. habita. Addidero illis ex noſtratibus Rev. *Oederum* in Centuria Conjecturarum pag. 214. ſeqq. ubi pag. 227. ex commate 2. capitis I. Apocalypſ. Joanni eam vindicare conatur; ex Pontificiis vero *Michaëlem Mauduit*, Presbyterum Oratorii, in Analyſi Apocalypſeos, Pariſiis 1714. 8vo recuſa. Hic enim in diſſertationibus decem, Analyſi illi ſubjectis, tum alia quædam momenta Apocalyptica diligenter perſequitur, tum in I. de auctore Apo-

Apocalypſeos, in II. de vita Joannis Evangeliſtæ; in III. de auctoritate libri Apocalypſeos, in IV. de ſtilo ejus, in V. de Interpretibus ejus &c. commentatur. Huic jungo *Auguſtin. Calmetum* in Prolegomenis commentarii in Apocalypſin, quæ recuſa ſunt Tomo II. Diſſertationum ejus Biblicarum, Latine ſeorſim editarum pag. 317. ſeq. Præ ceteris vero palmam nuper ſibi vindicavit *Leonhardus Twells*, Anglus, in Parte III. Examinis Critici Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, Londini 1732. 8vo edita. Hæc enim tota refertur ad γνησιότητα Apocalypſeos ab exceptionibus tum Editoris Novi Teſtamenti διγλώττου, tum Anonymi ſcriptoris *diſſertationis Hiſtoricæ & Criticæ de Apocalypſi Joannis* vindicandam. Hujus maximam partem, Latine a me converſam, mox leges.

Cur vero Apocalypſis in dubium vocata ſit, alii alias cauſas reddiderunt. Inter has ſingularis eſt illa, quam Cl. *Heumannus* primus, & ſortaſſe unus, in medium produxit in præfatione ad Lutherum Apocalypticum. Suſpicatur ſcilicet, Epiſcopos Eccleſiæ Sardicenſis & Laodicenæ, a Joanne atro carbone notatos, eorumque, ut & ceterorum, levius reprehenſorum, auditores, hanc animadverſionem ægre ferentes, effeciſſe, ut Scriptor ejus contemtim haberetur. Conjectura hæc aliquam fortaſſe ſpeciem haberet, ſi γνησιότης Apocalypſeos primo ſtatim alterove ſæculo in controverſiam adducta fuiſſet, quando Epiſcopi illi erant ſuperſtites. Jam vero conſtat, id Sæculo demum III. contigiſſe.

Habemus igitur ſat multa, nec illa levia, quæ Apocalypſeos adverſariis opponamus. Veteres quidem in Vindiciis *Twelſianis* ſecundum Sæculorum ſeriem enarratos leges. Venit in mentem recordari, illis ſe olim oppoſuiſſe Scriptorem Græcum Anonymum Procœmii in Apocalypſin, quod nuper ex Codice CCXXIV. Coisliniano Græce cum Latina verſione in lucem primus protulit *Montefalconius*, ὁ χαλκέντερος, in Bibliotheca Coisliniana pag. 276. Ex illo, brevitatis ſtudio nonnulla Latine tantum deſcribam. *Quidam dicunt*, inquit, *hanc Apocalypſin ſpuriam eſſe, & Theologo affictam, non autem genuinam, quibus reſpondemus. Quoniam, heus vos, ejus ſententiæ captum intellectus veſtri longe ſuperant, ideo fortaſſe dicitis non eſſe Theologi, id ipſum agentes, quod ii, qui, cum Deum comprehendere nequeant, ejus exiſtentiam negant. Atqui vobis ſaltem id perſuadeat magnus Theologus*, Gregorius, *in Apologetico ſuo, qui ex dictis ſuis Apocalypſin divini Joannis germanum eſſe opus declarat. Sic enim loquitur:* Puto certe alios Angelos alii Eccleſiæ præfici, ut me Joannes per Apocalypſin docet. *Similiterque in oratione de Filio, ubi ait:* qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. *Quod ſi illa in Nomocanone non poſita fuerit a ſanctis Patribus, quando libros aſſignant in Eccleſia legendos, quid inde? Nam de neceſſariis tantum ſollicitudo ipſis erat, & inſtabant ſolum, quæ magis urgebant, illamque ideo cum aliis non annumerarunt, aut quia illam minutatim non expoſuerant, aut propter obſcuritatem ejus*

ac

ac difficultatem, quod a paucis capi atque intelligi poſſet, itemque, ut exiſtimo, quod multis non expediret, neque utile eſſet ejus profunditatem inveſtigare. Hæc ille. De recentioribus quibusdam, qui vel dubitarunt vel negarunt, Apocalypſin Joannis eſſe, lege *Fabricium* in Codice Apocrypho N. T. p. 690. & *Heumannum* in Actis Eruditorum l. c. p. 174. Inter hos ipſe B. *Lutherus* rem in medio reliquit, pro quo vide quæ diſſerit B. *Hülſemannus* in Anti-Bellarmino pag. 31. Noſtra quidem ætate inter Anglos nonnulli procaces impetus in Apocalypſin facere ſuſtinuerunt, v. c. Editor N. T. Græco-Anglicani in notis, & Scriptor anonymus diſſertationis Hiſtoricæ & Criticæ de Apocalypſi, qua diſquiritur, an auctor ejus ſit Joannes Apoſtolus, nec minus de fatis libri variis, & exceptionibus, quæ per plura ſæcula illi recipiendæ oppoſitæ fuerunt. Prodiit illa Londin. 1730. 8. ex *αὐτογράφῳ* Anglicano, ſed mendoſo illo, gallice converſa. Vide *Bibliothèque Raiſonnée* Tomo V. Parte II. pag. 478. Utriusque conatibus maſcule ſe *Leonh. Twelſium* oppoſuiſſe modo diximus. Id monere h. l. fas ſit, Apocalypſin illam *γνήσιον* occaſionem feciſſe varias *ἀποκαλύψεις ἀποκρύφυς* fingendi. Dodecada earum exhibet *Fabricius* noſter in Codice Apocrypho N. T. pag. 936. ſeqq.

De *loco* & *tempore*, quo Apocalypſis exarata ſit, pridem eſt diſputatum. Adferam primum, quæ Anonymus Græcus in Bibliotheca Coislinianа pag. 276. pronunciavit. Ille quidem commentationi ſuæ hanc inſcriptionem præmittit: *περὶ τῆς ἐν Πάτμῳ, τῇ νήσῳ γραφῆς τῆς θείας ἀποκαλύψεως, ἣν ἀπεκάλυψεν ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς τῷ δύλῳ αὐτῦ Ἰωάννῃ τῷ θεολόγῳ.* Ex his apparet, ex ejus quidem ſententia Apocalypſin in Patmo Joanni non ſolum oblatam, ſed & literis conſignatam fuiſſe. Uberius hæc explanaturus, iſta ſubjungit: *Poſtquam divinum ſuum ſcripſerat Evangelium, & petentibus tradiderat, divinam vidit Apocalypſin ſeu revelationem. Quamobrem cum eam deſcripſiſſet, atque ſeptem Eccleſiis in ea memoratis miſiſſet, perque eam ſecreta quædam myſteria docuiſſet, quæ ſoli attingere poterant ii, qui, ſicut ille, ſpiritu divino afflarentur, futurarumque rerum eventum adumbraſſet, ad Epheſiorum urbem profectus eſt, ut eos Chriſti verbo illuminaret. Montefalconius* pag. 177. ſummatim teſtatur, ibidem paulo poſt tempus ſcriptæ Apocalypſeos in annum ab adſcenſione Chriſti XXXII. referri.

Noſtra quidem ætate viri eruditi in definiendo ſcriptionis *tempore* curatius verſati ſunt. Duæ vero ſunt ſententiæ potiores. Altera ad *Claudii* vel *Neronis*, altera ad *Domitiani* imperium, idque inclinans, eam refert. Poſteriorem amplectitur *Millius* in Prolegomenis §. 157. *Paucis, inquit, poſt conſcriptas has epiſtolas annis, exorta eſt Chriſtianorum perſecutio ſub Domitiano*, Euſebius *H. E. lib.* III. cap. 17. Tertull. *Apologet.* c. 5. *In hac perſecutione Joannem Apoſtolum in inſulam Patmon relegatum tradit* Euſebius H. E. III. 28. *Domitiani anno XVI. ſive ultimo* (XIV. *Kal. Octob. enim ſeu Septemb. die*

XVIII. ejusdem anni occiſus eſt Domitianus, teſte Suetonio VIII. 17.) *in inſula vero Patmo, in quam relegatus erat Joannes (Domitiani ultimo, quod dixi, ſeu anno vulgaris æra XCVI.)* propter Verbum Dei (*quod ait Apocal.* I. 9.) & teſtimonium Jeſu, *facta eſt ipſi, die Dominico*, revelatio; *quam univerſam poſtea expreſſo Chriſti mandato ſcriptis conſignavit, cap.* I. v. 11. &c. *ſcriptamque Domini ejusdem juſſu miſit ad ſeptem Eccleſias Aſiæ, Epheſinam, Smyrnæam, &c. Unde manifeſtum eſt, viſionem non modo Joanni factam fuiſſe, ſed etiam ab eo literis traditam in inſula Patmo. (Neque enim in alium aliquem locum poſt liberationem ab exſilio, ubi librum hunc ſcripſerit, conceſſit, quod legimus, ſed recto curſu petiit Epheſum.) Ex inſula ideo iſta miſſum eſt a Joanne Apocalypſeos iſtius exemplar ad Eccleſiæ alicujus Aſianæ, (puta Epheſinæ) epiſcopum cum reliquis, inibi commemoratis, communicandum. Scriptam fuiſſe ex prædictis conſtat anno vulgaris æræ XCVI. ſeu Domitiani XVI. & quidem ad finem imperii ejusdem, inquit* Irenæus V. 30. *ſeu tempore æſtivo anni æræ vulg. XCVI.* Hactenus *Millius*, qui tamen in *Emendandis* ita ſcribit: *Hic ſententiam* (nempe Apocalypſin in ipſa Patmo ſcriptam eſſe) *mutavimus. Conſtat enim ex ipſis Joannis verbis*, Apocal. I. 9. *eum poſt reditum ad Epheſios hunc librum ſcripſiſſe.* Eandem ſententiam de tempore exilii Joannis, atque adeo & viſorum Apocalypticorum, jam ante ornaverat *Vitringa* ad Apocal. I. 2. p. 7. ſq. non ſolum veterum Scriptorum auctoritate, ſed & notis quibusdam & indiciis, in Apocalypſi ipſa obviis, quæ Eccleſiarum Aſiaticarum conditionem talem ſiſtunt, qualis non *Claudii*, ſed *Domitiani* temporibus fuit, adductus. Compara præter eum *F. A. Lampium* in Prolegomenis Joanneis pag. 61. ſqq. qui omnium induſtriam in hoc argumento ſuperavit. In has partes concedere ipſe non dubito, inprimis ob illuſtria veterum teſtimonia, nominatim *Irenæi* V. 30. *Euſebii* Hiſtor. Eccleſ. III. 18. & V. 8. ad Irenæum ibidem provocantis, & *Hieronymi* de Scriptor. Eccleſ. cap. X. quorum teſtimonia aliis aliorum, magis recentium, auget *David Blondellus* de Sibyllis lib. II. cap. 4. pag. 153.

Nihilominus altera illa ſententia, quæ exilium Joannis & viſa Apocalyptica ad *Claudii* vel *Neronis* imperium refert, ipſamque adeo Apocalypſin ante exciſum templum Hieroſolymitanum ſcriptam, contendit, non paucis ſe probavit. Inter hos ſunt *Joannes Hentenius* præfat. ad Aretham in Apocalypſin, (cui ſe *Blondellus* loc. cit. oppoſuit) *Grotius*, *Lightfootus* Tom. I. Opp. pag. 799. & Tom. II. pag. 563. *Hammondus* ad Apocalypſin, *Joannes Lomeierus* Dierum Genial. Dec. II. diſſ. 3. ex noſtratibus autem *Peganius* i. e. *Chriſtianus Knorr à Roſenroth* ad Apocal. pag. 40. & *Herman. ab Hardt* in conjectura de millenario; quos omnes adfert *Fabricius* noſter in Biblioth. Græca lib. IV. cap. 5. pag. 146. Acceſſit illis *Joan. Harduinus* in Chronologia Vet. Teſt. pag. 636. locis quibusdam Apocalypticis uſus, quæ hinc, templum Hieroſolymitanum, ſcribente Apocalypſin Joanne, ſartum tectumque

ctumque fuiſſe, evincant, hinc imminens ejus excidium prædicant. Ad hæc breviter reſpondit *Lampius* in Prolegomenis pag. 131. Easdem partes adoptavit nuper *Iſaacus Newtonus*, vir egregius, in Obſervationibus ſuper Danielis vaticinium, & Joannis Apocalypſin Londini 1733. 4. anglice editis. Operæ pretium facturum me puto, ſi, quæ in hanc rem commentatus eſt, ex libro, rarius inter nos obvio, latine converſa exhibeam. *Irenaus*, inquit p. 235., auctor eſt illius opinionis, quod Apocalypſis ſcripta ſit ſub imperio Domitiani, qui idem alios aliquot Scriptorum Sacr. libros ratione temporis poſtponebat, & Apocalypſi ultimum tribuebat locum. Fortaſſe ex *Polycarpo*, doctore ſuo, perceperat, ſe librum hunc a Joanne ſub Domitiani obitum accepiſſe; aut Joannes ipſe eo tempore Apocalypſin ſuam denuo publicaverat, ut ſic *Irenæo* ſubnaſceretur conjectura, eam tunc demum ſcriptam fuiſſe. *Euſebius* in Chronico ſuo & in Hiſtoria Eccleſiaſt. Irenæum ſequitur, poſtea vero in Demonſtratione Evangelica l. 3. exilium Joannis in Patmo cum morte Petri & Pauli conjungit; idem faciunt *Tertullianus* & *Pſeudo-Prochorus*, non minus atque primus, quicunque fuerit, auctor fabulæ de Joanne a Nerone in fervens oleum conjecto, & poſtea, cum ſalvus exiiſſet, in inſulam Patmum relegato. Vide *Pamelium* in notis ad Tertullianum de Præſcription. n. 215. & *Hieron.* lib. I. contra Jovinianum cap. 14. edit. Eraſmi. Quamvis vero narratio hæc fabulæ loco ſit habenda, ſuperſtructa tamen erat Eccleſiæ veteris traditioni, Joannem ſcilicet in Patmum inſulam Neronis tempore ejectum fuiſſe. Epiphanius Evangelium Joannis, Domitiano imperante, Apocalypſin vero proxime ante Neronis tempora ſcriptam eſſe tradit. *Arethas* in limine commentarii *Irenæi* ſententiam ex *Euſebio* recitat, ſed non ſequitur: mox enim, Apocalypſin ante everſam Hieroſolymam ſcriptam eſſe, & Interpretes antiquiores ſigillum Apocalypticum ſextum de excidio ejus accepiſſe affirmat. „

Cum antiquiorum illorum Interpretum ſententia Eccleſiarum Syriæ traditio conſpirat, quam hodienum inſcriptio Apocalypſeos in verſione Syrica ſuperſtitem ſervat. Illa vero ita habet: *Revelatio, facta Joanni Evangeliſtæ a Deo in Patmo inſula, in quam a Nerone Cæſare ejectus erat.* Firmatur eadem narratione veteri ab *Euſebio* Hiſt. E. III. 23. ex *Clemente Alexandrino*, aliisque Scriptoribus antiquis, allata. Spectat illa ad juvenem quendam, quem Joannes aliquo a reditu ſuo ex Patmo tempore Epiſcopo urbis alicujus commiſerit. Hunc Epiſcopus eduxerat, inſtruxerat, & ſalutari aqua ſacris initiaverat. Illo vero a cura ſua remittente, juvenis, in peſſimorum hominum ſocietatem abreptus, vitiis ſenſim ſe dabat, quosque ſibi noctu habebat obvios, ſpoliabat, eo impietatis denique progreſſus, ut a ſociis ſuis dux cohortis latronum deligeretur. Talem vero longo tempore, teſte *Chryſoſtomo* ad Theodorum lapſum, agebat.

“ agebat. Joannes tandem in urbem illam reverſus, &, quæ geſta erant, “ edoctus, hominem maleferiatum equo adibat, & præ pudore fugientem “ perſequebatur, revocatumque Eccleſiæ reddebat. Hiſtoria hæc eſt anti- “ quiſſimæ ætatis, atque adeo evincit, Joannem ex Patmo, *Neronis* potius, “ quam *Domitiani*, tempore, eſſe reverſum, quoniam inter Domitiani & “ Joannis mortem non niſi duo & dimidius anni intercedunt, Joannes ve- “ ro ſenio ita confectus fuit, ut curru in Eccleſiam veheretur, tandemque “ nonagenario major diem obiret. Ex quo conſequitur, eum tunc tempo- “ ris illum prædonum ducem equo perſequi non potuiſſe. Vide *Hierony-* “ *mum* in epiſt. ad Galat. lib. III. c. 6.

“ Eadem ſententia præſidium invenit in phraſibus quibusdam Apo- “ calypticis, quæ ad Templum & altare, urbemque ſanctam, tanquam “ tunc adhuc ſalva, nec non Gentiles, qui mox civitatem ſanctam & atri- “ um exterius conculcaturi eſſent, reſpiciunt. Fulcitur porro ipſo Apoca- “ lypſeos ſtilo, plura Hebraiſmorum veſtigia, quam quidem in Evangelio “ exſtant, referente. Hinc enim colligere fas eſt, ſcriptam eſſe eo tempo- “ re, quo Joannes ex Judæa, in qua Syriaca lingua illi familiaris evaſerat, “ recens erat reverſus, Evangelium autem non ante fuiſſe exaratum, quam “ ex conſuetudine cum Eccleſiis Aſiaticis ab Hebraiſmis factus eſſet alienior. “ Stabilitur præterea per Apocalypſes varias, *Petri*, *Pauli*, *Thomæ*, *Ste-* “ *phani*, *Eliæ* & *Cerinthi*, ad exemplum germanæ illius confictas. Quem- “ admodum enim *Evangelia Apocrypha*, *Acta Apocrypha*, & *Epiſtolæ Apocry-* “ *phæ* ex occaſione librorum vere talium, nec titulos mentientium, nata “ ſunt; quemadmodum etiam ſcriptio Apocalypſium confictarum, earum- “ que ſub Apoſtolorum & Prophetarum nominibus venditatio præſtruit, “ veram talem & Apoſtolicam apud Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ in pre- “ tio fuiſſe; ita germana hæc Joannis Apocalypſis recte exiſtimabitur citius “ exarata, ut appareat, qui factum ſit, ut ætate etiam Apoſtolica tot aliæ “ *Petri*, *Pauli*, *Thomæ* & aliorum, qui ante Joannem fatis functi erant, no- “ minibus falſo inſcriberentur. *Cajus*, *Tertulliano* æqualis, auctor eſt, “ apud *Euſebium* Hiſtor. Eccleſ. III. 28. edit. Valeſii, *Cerinthum* Apocaly- “ pſes ſuas ad inſtar magni Apoſtoli ſcripſiſſe, viſaque ab Angelis ſibi obla- “ ta venditaſſe, millennio ſuo & deliciis ſæcularibus, quas poſt reſurrectio- “ nem Hieroſolymis exſpectari jubebat, fidem facturum. Itaque Apoca- “ lypſis ejus ad imitationem Joanneæ ſcripta erat. Jam vero *Cerinthus* ea “ ætate vixit, ut Apoſtolis ſe ante primum annum Claudii Imperatoris h. e. “ XXVI. annis ante obitum Neronis Hieroſolymis opponere potuerit, teſte “ *Epiphanio* Hæreſi XXVIII. & ante ipſum Joannem obierit, auctore *Hiero-* “ *nymo* adv. Lucifer.

Hæc

Hæc argumenta ad definiendum ſcriptionis tempus ſufficere poſ- „
ſint; in promtu tamen eſt aliud, quod cordatis idoneum, aliis vero non „
item habeatur. Adferam illud, & lectoris cujusque arbitrio permittam. „
Ad Apocalypſin in epiſtolis *Petri*, atque illa ad *Hebræos* alludi, illaque ad- „
eo ante has exarata eſſe videtur. Inter alluſiones, in epiſtola ad *Hebræos* „
factas, numero ea, quæ de Sacerdote Summo in cœleſti tabernaculo, qui „
Sacerdos pariter ac Rex ad exemplum Melchiſedeci erat, exponunt; nec „
minus illa, quæ *verbum Dei*, *gladium acutum bicipitem*, σαββατισμὸν, ſi- „
ve *mille annorum quietem*, *terram*, *quæ comburenda tandem ſit*, nempe in „
lacu ignis, *judicium & indignationem ardentem*, *adverſarios conſuinturam*, „
porro civitatem cæleſtem, *bene fundatam*, *cujus ſtructor & conditor ſit Deus*, „
nubem teſtium, *montem Sionis*, *Jeruſalem cæleſtem*, *congregationem genera-* „
lem, *ſpiritus juſtorum perfectorum*, nempe per reſurrectionem, *concuſſio-* „
nem cæli & terræ, *eorumque abolitionem*, *ut novum cælum*, *nova terra &* „
novum regnum, *quod vacillare non poſſit*, *ſuperſit*, commemorant. In prio- „
ri Petri epiſtola hæ phraſes, Apocalypticis ſimiles, occurrunt. *Reve-* „
latio Jeſu Chriſti, bis terve repetita, 1 *Pet.* I. 7. 13. IV. 13. & V. 1. *ſan-* „
guis Chriſti, (*Apocalypſ.* XIII. 8.) *ut agni*, *ante fundamenta mundi conſtituti*: „
ædificium (Apocalypſ. XXI.) *ſpirituale* (in cœlis) 1 *Pet.* II. 5. *hæreditas* „
incorruptibilis & intemerata, *& non marceſcens*, *in cælo repoſita pro nobis*, *qui* „
ſaluti ſervamur, *ultimis temporibus revelanda*, 1 *Pet.* I. 4. 5. porro *regium* „
Sacerdotium, Apocalypſ. I. 6. & V. 10. *ſanctum ſacerdotium*, Apocal. XX. 6. „
judicium a domo Dei incipiens, Apocalypſ. XX. 4. 12. & *Eccleſia in Babylo-* „
ne, Apocalypſ. XVII. Hæ quidem alluſiones, fateor, obſcuriores ſunt; „
at poſterior *Petri* epiſtola inde a v. 19. capitis I. perpetuum commenta- „
rium in Apocalypſin exhibere videtur. Ibi enim Petrus ad Eccleſias „
Aſiæ ſcribens, quibus vaticinium ſuum mittere juſſus erat Joannes, te- „
ſtatur, *habere eas verbum Propheticum firmius*, *quod obſervare debeant inſtar* „
luminis in obſcuro loco lucentis, *donec dies illuceſcat*, *& phoſphorus in cordibus* „
oriatur, h. e. donec illud intelligere incipiant. *Neque enim*, ita pergit, „
ulla prophetia Scripturæ privatæ eſt interpretationis; *prophetia non venit olim* „
pro arbitrio hominis, *ſed ſancti Dei viri locuti ſunt*, *prout a Spiritu Sancto fe-* „
rebantur. Daniel ipſe VIII. 15. 16. 27. & XII. 8. 9. profitebatur, ſe vati- „
cinia ſua intelligendo non adſequi. Eccleſiæ itaque interpretationem non „
a Propheta ſuo Joanne exſpectare, ſed ipſi prophetiis intelligendis ſtude- „
re debebant. Hæc ſumma eſt eorum, quæ *Petrus* capite I. docet. Poſt- „
ea cap. II. pergit ex *firmo illo verbo Prophetico* exponere, quomodo in Ec- „
cleſia prodituri ſint falſi Prophetæ, aut falſi doctores, qui nempe in Apo- „
calypſi nomine *falſi Prophetæ* generatim indicentur, *quique exitioſiſſimas hæ-* „
reſes ſint invecturi, *abnegantes Dominum*, *qui ipſos redemerit*, quæ *Anti-* „
chriſti eſt nota. *Et multi*, ait, *libidinibus ſuis* (ἀσελγείας, ut meliores ali- „
quot codices habent) *indulgebunt*. Scilicet illi, qui habitant terram, „

 " (*Apo-*

" (*Apocalypſ.* XIII. 7. 12.) decipientur a falſo Propheta, & ex vino fornica-
" tionis mulieris ebrii reddentur. *Per quos adeo via veritatis blaſphemabitur;*
" Beſtia enim blaſphemiis ſcatet, (*Apocalypſ.* XIII. 1. 5. 6.) *iidemque per*
" *avaritiam fictis ſermonibus vos negotiabuntur.* Hi enim homines ſunt mer-
" catores terræ, qui negotiantur cum muliere, merceſque eorum ſunt
" omnes res pretioſæ, una cum corporibus & animabus hominum (*Apo-*
" *calypſ.* XVIII. 12. 13.) *Eorundem judicium non tardatur, & damnatio non*
" *dormitat*, (Apocalypſ. XIX. 20.) ſed certiſſime extremo die ſubito illos
" opprimet, ſicut olim *mundum veterem* diluvium, ignis vero & ſulphur
" Sodoma & Gomorrha oppreſſerunt, juſtis interim ad exemplum Lothi
" ſalvis. (*Apocalypſ.* XXI. 3. 4.) *Novit enim Dominus pios ex tentationibus edu-*
" *cere, impios vero in diem judicii ſervare puniendos*, in lacu ignis; *inprimis*
" *vero eos, qui carnem in deliciis & impuritate ſectantur*, ebrii ſcilicet vino
" ſcortationis mulieris (*Apocalypſ.* IX. 21. & XVII. 2.) *homines, qui aſper-*
" *nantur magiſtratus, & majeſtates conviciari non verentur.* Beſtia enim ape-
" riebat os ſuum adverſus Deum, ut blaſphemaret nomen & tabernacu-
" lum ejus, eoſque, qui habitant in cœlo. (*Apocalypſ.* XIII. 6.) *Hi, in-*
" *ſtar naturaliter brutorum*, i. e. beſtia decem cornibus inſtructa & beſtia bi-
" cornis, ſive falſus Propheta, *qui facti ſunt, ut capiantur & deſtruantur*, in
" lacu ignis, *blaſphemant res, quas non intelligunt*, —— *in deliciis habent di-*
" *urnas conſectari voluptates, delectantes ſe fraudibus ſuis, dum vobiſcum con-*
" *vivantur*, (Apocalypſ. XVIII. 3. 7. 9.) *habentes oculos plenos adulteræ.* Re-
" gna enim beſtiæ deliciantur cum meretrice magna, & gentes vino forni-
" cationis ejus inebriatæ ſunt. *Illi* a recta via averſi ſectantur *viam Balaa-*
" *mi, filii Beor, qui mercedem injuſtitiæ amabat*, i. e. falſi Prophetæ, *Apocal.*
" II. 14. qui Balacum docebat offendiculum ponere liberis Iſraël. *Hi ſunt,*
" non fontes aquæ vivæ, ſed *fluctus ſine aqua*, non nubes Sanctorum tales,
" in quibus duo teſtes adſcendunt, ſed *nubes tempeſtate jactatæ* &c. Ita hu-
" jus epiſtolæ ſcriptor totum caput II. deſcribendæ beſtiarum Apocalypti-
" carum & falſi Prophetæ conditioni impendit; deinde cap. III. exitium
" eorum & regnum futurum deſcribere pergit. Prænunciat, fore, ut ob
" dilatum Chriſti adventum illudant aliis, dicentes: *ubi eſt promiſſio adven-*
" *tus ejus?* Proxime vero diem Domini *inſtar furis noctu*, quæ phraſis eſt
" Apocalyptica, venturum teſtatur; nec minus *millennium*, ſive *mille an-*
" *nos*, qui apud Deum ſint *inſtar unius diei; cœloſque* ait *tranſituros* cum ter-
" ra, facta per lacum ignis conflagratione, nos vero *exſpectaturos novos cœlos*
" *terramque novam, in quibus habitet juſtitia.*

" Cum itaque *Petrus* & *Joannes* Apoſtoli fuerint circumciſionis, vi-
" dentur illi mihi una cum Eccleſiis ſuis in *Judæa* & *Syria* permanſiſſe, do-
" nec Romani gentibus illis bellum inferrent, h. e. usque ad annum Nero-
" nis XII.; poſtea vero cœtus ſuos, in *Aſiam* ſe recipientes, puto ſecutos eſſe,
Petrum-

Petrumque Corintho Romam diſceſſiſſe ; Romanos porro hos cœtus pro „
hoſtilibus habuiſſe , tanquam ex Judæis ortos , atque adeo , ad cavendas „
ſeditiones , duces eorum & doctores ſibi vindicaſſe , & Joannem ſpecia- „
tim in *Patmum* inſulam relegaſſe. Veri porro ſimile mihi videtur , Apo- „
calypſin ibi eſſe conſcriptam , non multo vero poſt epiſtolam ad *Hebræos* „
& *Petri* utramque ad Eccleſias illas , reſpectu ad Prophetiam hanc , quæ „
ad eaſdem ſpeciatim pertinebat , exaratas fuiſſe. Ex ipſis enim his epi- „
ſtolis apparet , ſcriptas eas fuiſſe eo tempore , quo Gentiles calamitates „
generatim ſuſcitabant , & Romanum Imperium Judæos bello premebat. „
Uſque ad illud enim tempus Gentiles pacem cum Ex-Judæis æque ac re- „
liquis colebant. Cum enim epiſtola ad *Hebræos* mentionem faciat *Ti-* „
mothei , tanquam *Hebræis* cogniti , ad eos ſcriptam eam fuiſſe neceſſe eſt , „
poſtquam in *Aſiam* , ubi Timotheus Epiſcopum agebat , ſe recepiſſent ; „
atque adeo poſt bellum in Judæa exortum , cum *Hebræi* in Judæa *Timo-* „
theum cognitum non habuerint. *Petrus* quoque *Romam* videtur appella- „
re *Babylonem* , cum ob bellum , Judææ motum , & imminentem captivita- „
tem , Babylonicæ illi ſimilem , tum habito ad nomen illud , in Apoca- „
lypſi obvium , reſpectu. Cumque Petrus literas ſuas inſcribat peregrinis , „
per Pontum , Galatiam , Cappadociam , Aſiam & Bithyniam diſperſis , „
ſubinnuere videtur , eos nuper admodum per illud Romanorum bellum „
eo ejectos fuiſſe. Hi enim ſoli peregrini ibi erant , ad curam ipſius per- „
tinentes. „

Hæc rerum facies omnium optime reſpondet hiſtoriæ recte conſti- „
tutæ. *Juſtinus* enim (Apolog. ad Antoninum Pium) & *Irenæus* (Hæreſ. „
I. 22. confer *Tertullian.* Apologet. cap. 13.) teſtantur , *Simonem Magum* „
Romam veniſſe Claudio imperante , ibique varias impoſturas exercuiſſe. „
Pſeudo-Clemens addit , eundem , ibi volare per aërem conatum , ad *Pe-* „
tri preces cervicem fregiſſe. (vide *Euſebii* Chronicon.) *Euſebius* , vel po- „
tius *Hieronymus* , interpolator ejus , auctor eſt , *Petrum* Romam veniſſe „
anno Claudii ſecundo ; *Cyrillus* vero *Hieroſolymitanus* Catech. VI. *Phila-* „
ſtrius de Hæreſibus cap. XXX. *Sulpicius* Hiſtor. I. 2. *Proſper* de promiſſ. „
dimid. temp. cap. 13. *Maximus Taurinus* ſerm. V. in Natal. Apoſt. & *Hege-* „
ſippus junior II. 2. hanc Petri victoriam ad *Neronis* tempora referunt. Et ſa- „
ne antiquior traditio , *Petrum* , Nerone imperante , Romam veniſſe docet , „
quam in rem lege *Lactantium* de mortibus Perſecutorum cap. II. *Chryſoſtomus* „
homil. LXX. in Matth. XXII. auctor eſt, Apoſtolos diu in Judæa commora- „
tos eſſe, hinc vero, a Judæis expulſos, ad Gentiles divertiſſe. Hæc diſperſio „
in primum annum belli Judaici incidit, quando Judæi, teſte *Joſepho*, res no- „
vas ubique moliebantur, & crudeliter agebant. Omnes enim in eo conſen- „
tiunt, Apoſtolos ſimul & una in varias regiones diſperſos eſſe. *Origenes* quo- „
que tempus definit, apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. III. 25. teſtatus, Apoſtolos & „

“ diſcipulos Domini noſtri inter gentes ſub initium belli Judaici ; *Thomam*
“ quidem in *Parthiam*, *Andream* in *Scythiam*, *Joannem* in *Aſiam*, *Petrum*
“ primum quidem in *Aſiam*, ubi diſperſis verbum Evangelii prædicabat,
“ hinc vero in *Italiam* diſperſos fuiſſe. *Dionyſio Corinthio* auctore, apud
“ *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. II. 25. *Petrus* ex *Aſia* per *Corinthum Romam* venit;
“ *Petrum* vero & *Paulum* ibidem inclinante Neronis imperio religionis cau-
“ ſa trucidatos eſſe omnis tradit antiquitas. *Marcus* una cum *Timotheo Ro-*
“ *mam* venit, 2 *Timoth.* IV. 11. *Coloſſ.* IV. 10. *Sylvanus* Pauli comes erat,
“ & ex *Petri* ſociis, in priore epiſtola commemoratis, conjicimus, eum
“ *Romæ* ſcripſiſſe, quemadmodum & veteres in eo conſentiunt, eundem
“ *Romam Babylonis* nomine indicaſſe. Poſterior ejus epiſtola ad peregrinos
“ diſperſos eosdem, ad quos prior illa, data erat, 2 *Pet.* III. 1. In hoc vero
“ capite ait, Paulum de iisdem ad eos argumentis ſcripſiſſe, quemadmodum
“ & in aliis ſuis epiſtolis, v. 15. 16. Sicut vero non alia Pauli ad peregri-
“ nos illos, quam illa ad *Hebræos*, exſtat; ita in hac ipſa cap. X. 11. 12.
“ mentionem fieri videmus illorum momentorum omnium, de quibus Pe-
“ trus dixerat, & ad quæ hic provocat. Nominatim huc pertinet *tranſitus*
“ *veterum cœlorum & terræ*, & *hæreditatis immobilis largitio*, una cum exhorta-
“ tione ad gratiam, quoniam *Deus* adverſus impios *ſit ignis conſumens*, Hebr.
“ XII. 25-29. Hactenus *Newtonus*.

Non eſt mihi nunc animus, ad argumenta, a viro ſolertiſſimo in medium allata, reſpondere. Cum enim pleraque eorum nova non ſint, opera hac jam perfunctos eſſe video *Blondellum*, *Vitringam* & *Lampium* ll. cc. nec minus *B. P. Karlium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. pag. 1106. ſeqq. Propterea ſuffecerit mihi, illud tantum expendere, quod *Newtonus* proprium ſibi habet. Putat ſcilicet, epiſtolam ad Hebræos & Petrinam utramque ad phraſes Apocalypticas reſpicere, ac proinde Apocalypſin, tanquam prius ſcriptam, præſtruere. Hoc vero poſito neceſſe fuerit, librum hunc longe ante Domitiani imperium inclinans ſcriptum exiſtimare, cum Pauli & Petri epiſtolæ illud longiſſime antevertant. Gratia utique habenda erat viro illuſtri, ſi, quod ait, ſatis probatum dediſſet. Ita enim novum exſtaret argumentum pro auctoritate Apocalypſeos Apoſtolica, quippe ad quam alii Apoſtoli ſe receperint. At enimvero non efficit id *Newtonus*, quod inſtituerat. Quod enim ad phraſes epiſtolæ ad Hebræos, tanquam Apocalypticis ſimiles, ſpectat, illarum aliæ obſcuriores ſunt, aliæ Apocalypticis quod ad ſenſum non reſpondent, aliæ ex Scriptis Propheticis Vet. Teſt. non minus, quam Apocalypticæ illæ, ſunt petitæ. Eadem eſt ratio phraſium Petri. Ita v. c. ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ, a Petro allata, longe alia eſt ab ea, quæ a Joanne dicitur. Petri illa ſpectat ad revelationem Chriſti judicis & remuneratoris. Id clare apparet ex 1 epiſt. I. 7. & 9. Poſtquam enim ἀποκάλυψιν illam v. 7. commemoraverat in ſolatium Chriſtianorum, reli-

religionis cauſa tunc adflictorum, deſignat tempus, quo illa ſit eventura, & quo fideles ſolatii illius pleniſſime futuri ſint participes, nempe, quando finem fidei ſuæ, ſalutem animarum, ſint conſecuturi, *κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν, σωτηρίαν ψυχῶν.* Conf. *Coloſſ.* III. 4. *ὅταν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ, ἡ ζωὴ ἡμῶν, τότε καὶ ὑμεῖς φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ.* Ab altera parte *ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ad Joannem perlata, refertur ad res, in regno gratiæ inpoſterum eventuras, *ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει.* Altera phraſis, quæ Chriſtum ut *agnum* repræſentat, reſpectum habet tum ad agnos Veter. Teſt. expiatorios in genere, tum ad *Jeſ.* LIII. 7. quod manifeſtum eſt ex 1 *Pet.* II. 22. ubi Apoſtolus eandem phraſin adhibet, qua uſus eſt Jeſaias in innocentia Chriſti, quem ut agnum repræſentabat, deſcribenda. Porro phraſis, *προεγνωσμένος ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* conferri tuto non poteſt cum illa *Apoc.* XIII. 8. Ibi enim voces *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* multorum judicio non ad *ἀρνίου ἐσφαγμένου*, ſed ad *τὸ, ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς* referri debent. Vide quæ ibi ſcribemus. Reliquæ phraſes, quæ adferuntur, nec Prophetis V. T. nec Scriptoribus Novi alias inſuetæ ſunt, quibus proinde & *Petrus*, ſine reſpectu ad Apocalypſin habito, uti potuit. At ipſe *Newtonus* his alluſionibus, quas *obſcuriores* eſſe fatetur, in cauſæ ſuæ præſidium parum tribuiſſe videtur, multum vero illi, quod porro ſubnectit. Epiſtolam enim poſteriorem inde a v. 19. capitis I. perpetuum commentarium in Apocalypſin ſiſtere opinatur, *προφητικὸν λόγον βεβαιότερον* de Apocalypſi interpretatus. Enimvero facile apparet, Petrum non reſpexiſſe ad propheticum illum librum N. T. ſed ad Prophetica ſcripta V. T. Ad hæc enim tum ipſe in epiſtolis ſuis provocat, (conf. inprimis 1 ep. I. 10.) tum Apoſtoli ceteri, hinc in concionibus ad Judæos habitis, hinc in literis ſuis recipere ſolebant, hoc conſilio, ut intelligeretur, nihil ſe pronunciare, quod non ante, divini Numinis auſpiciis, a Prophetis, quos magni faciebant, inculcatum fuerit. Ita Paulus *Epheſ.* II. 20. *ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων καὶ Προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* De his Prophetis, atque adeo pluribus, (non vero uno Joanne,) ſermonem eſſe Petro, ex eo manifeſtum evadit, quod v. 21. *Sanctos Dei viros, tanquam a Spiritu Sancto actos*, commemorat. Ponamus vero, Apocalypſin tunc temporis jam ſcriptam fuiſſe, ut ad eam provocare *Petrus* potuerit, nonne diſerte appellaturus erat Joannem, quemadmodum *Paulum* appellat 2. III. 15? Num porro veri ſit ſimile, Petrum fideles ad ſcriptum illud Joannis Propheticum ablegaturum fuiſſe, ubi de cognitione ſalutaris doctrinæ amplificanda & animis infigenda agebatur? Apocalypſis enim non tam in tradendis fidei doctrinis, quam in fatis Eccleſiæ ediſſerendis, potiſſimum occupatur, quæ ſine jactura ſalutis ignorari poterant ab iis, qui tunc temporis ad Chriſtum erant perducti. Num etiam credi poteſt Petrus, Apocalypſeos lectionem ſuis commendare & inculcare voluiſſe, qui liber, judice *Newtono*, ita obſcu-

ſcurus eſt, ut a Joanne ipſo non ſit intellectus, nec ejus explicatio a Joanne exſpectari potuerit? Quod ſi hoc Petri conſilium fuiſſet, crediderim, eundem obſcurioribus Apocalypſeos viſis lucem in hac ipſa epiſtola allaturum fuiſſe, ut eo rectius a lectoribus intelligi poſſent. Jam vero Petrus tantum in deſcribendis falſis doctoribus & impoſtoribus generatim occupatur. Everſo ita ὑποθέσεως fundamento præcipuo, nempe quod *Petrus*, Apoſtolus, per προφητικὸν λόγον Apocalypſin indicaverit, neceſſe non eſt, ut comparationem, quam inter eam & epiſtolam Petrinam inſtituit *Newtonus*, quoad ſingula capita perſequamur. Generalia utique ſunt illa Pſeudoprophetarum & empæctarum, ſive doctrinam, ſive mores ſpectes, κριτήρια, a Petro allata, quæ non minus ad alios, quam ſpeciatim ad Antichriſtum, quod ille vult, deſignandum adhiberi poſſint. Propterea etiam in exemplum adfert homines mundi antediluviani, tum incolas Sodomæ & Gomorrhæ, denique Bileami, quos Antichriſti prodromos vel typos fuiſſe nemo dixerit. Atque hæc quidem pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant.

Supra monui, ex noſtratibus *Hermannum Hardtium*, Virum alioqui doctiſſimum, illam de Apocalypſi, ante Hieroſolymorum ruinas ſcripta, ſententiam adoptaſſe. Atque hanc idem data opera adſtruere conatus eſt primum quidem in *Friderici Ulrici Calixti* tractatu Theolog. de Chiliaſmo antiquo & renato pag. 70. ſeqq. deinde in ſuis *de Millennio Conjecturis*, aliquoties editis, denique in programmate quo *Græcarum rerum cupidos auditores* ad prælectiones in *Apocalypſin* audiendas invitavit, Helmſtad. 1722. Summa cogitatorum huc redit. *Poſt primas cœtuum Aſiaticorum cohortationes ad religionem Chriſtianam pure ſervandam*, ſtatuit, *a capite IV. & deinceps eſſe imagines ſuppliciorum, quæ Deus a Judæis ſumſerit, a nece inde Jeſu Chriſti usque ad bellum Veſpaſiani. Deinde a capite XI. ſub idea ſtatus veteris Judæorum in Babylonia, & reditus eorundem in patriam repræſentari gentem Chriſtianam ſub jugo Judæorum, &, hoc per Titum ſublato, in libertate exoptata degentem. Heic Hieroſolymam ſignificari imagine Babelis, per Cambyſem everſæ, Chriſtianiſmum vero figura Hieroſolymæ, poſt Babelem deletam ſuperantis.* His verbis Hardtiana cogitata enarrantur in Annalibus Juliis Semeſtri W. pag. 121. ſeq. Oppoſuit ſe illi, ut alios taceam, *Bernhardus Petrus Karlius* in diſſertat. de Apocalypſi, non in Judaiſmo jam olim adimpleta, qua nonnulla quoque ejus viſa (præſertim de dracone & beſtiis) illuſtrantur. Exſtat illa in Biblioth. Bremenſi, Claſſ. VI. pag. 1105. ſeqq. *Hardtii* partes amplexus eſt *Joannes Gothofredus Lakemacherus*, V. C. iisque nonnullas ſuas in viſa Apocalyptica commentationes ſuperſtruxit. Ita v. c. Parte III. Obſervationum Philolog. Obſ. VI. ſeptem montes, de quibus *Apoc.* XVII. 9. ad Hieroſolymam ſepticollem refert, & pag. 286. ait, *magnam Apocalypſeos partem ad Reipublicæ Judaicæ interitum, Hieroſolymorumque, urbis principis,*

cipis, excidium ſpectare. Confer eundem Parte IX. Obſ. II. pag. 30. ſqq. ubi numerum beſtiæ Apocalypticæ refert ad *Rabban Simeonem.* Idem Parte X. Obſerv. V. pag. 346. contendit, Joanni viſiones illas non uno eodemque tempore obtigiſſe. *Mea*, inquit, *opinione viſiones illæ ſeptem* (*tot enim numerari ſolent*) *quæ Apocalypſeos libro comprehenduntur, Joanni non uno eodemque tempore obtigere omnes, ſed, per intervalla, modo hæc, modo illa, ut eo facilius memoria retinere poſſet, quæ patefacta ipſi fuiſſent divinitus, & in literas accurate referre. Accidit ergo Joanni, quod Prophetis V. T. compluribus, e. c. Eſaiæ, Ezechieli, Danieli, quibus ſane viſa divina temporibus oblata ſunt diverſiſſimis. Concedendum igitur puto, eſſe in vaticiniis Joannis aliqua Claudiani temporibus inferiora, modo non negetur, alia, ac fortaſſe pleraque, imperante Claudio, vel ante Hieroſolymorum certe excidium fuiſſe edita.* Ita dum ſtatuit Vir doctus, primum quidem antiquitatem omnem deſerit, quæ vel *Claudii*, vel *Neronis*, vel *Domitiani* imperio viſa hæc Joanni ſimul oblata eſſe aſſeverat. Deſerit vero etiam diſerta Joannis verba, quibus I. 9. in Patmo inſula hæc ſibi conſpecta eſſe aſſeverat, quæ in ſequentibus ita connectit, ut nuſquam vel minimum intervalli, inter viſa interjecti, veſtigium conſpiciatur. Itaque mera hæc eſt Viri docti conjectura, cui nullam veri ſpeciem conciliavit. Quod enim ait, viſa hæc diverſis temporibus oblata Joanni fuiſſe, ut eo facilius ſingula memoria tenere, & literis conſignare potuerit, id quidem gratis adſeritur, cum ſcribenti adfuerit Spiritus, qui, ut cetera, a Chriſto olim audita, Apoſtolo in mentem revocabat, vi promiſſi a Domino facti *Johan.* XIV. 26. ita efficere poterat, ut in memoriam viſorum, recens oblatorum, facilis & recte rediret, ne dicam, eundem Spiritum non ſolum res, ſed & φράσεις ipſas ſcribendi ſuggeſſiſſe. Porro exemplum Prophetarum V. T., diverſo tempore diverſis viſis illuſtratorum, nihil aliud probat, quam Joanni, ſiquidem Numini placuiſſet, idem uſu venire potuiſſe; re vera autem accidiſſe, non evincit.

Conferri præterea velim, quæ pro noſtra ſententia dixit *Nicolaus Mullerius* in Exercitationibus in Apocalypſin, Exercit. I. comparatis illis, quæ *Joannes Marckius* pro contraria attulit in Exercitationibus Textualibus ad locos aliquot N. T. pag. 447. ſeqq. Interim, ſi recte rem æſtimes, inter *Mullerium* & *Marckium* non tam de eo diſputatur, utrum viſiones illæ uno eodemque die Joanni obtigerint, quam de illo, utrum illæ viſiones in ſeptem potiſſimum diſtingui, & ad diverſa tempora referri debeant. Quod ad prius enim attinet, *Marckius* rem in medio fere relinquit, & in eo acquieſcit, ut in commentario ad *Apocal.* IV. 1. §. 3. probabilia pro utraque parte argumenta adferat, & controverſiam ad liquidum deduci poſſe inficietur. Hæc itaque de *tempore* ſcriptæ Apocalypſeos ſufficere exiſtimem.

Jam

Jam de *ſtilo* pauca fuerint monenda. Eum nonnulli Cabbaliſticam ſcribendi rationem referre exiſtimant. Vide huc *Grelloti* præfat. ad Prodromum Apocalypſeos pag. 17. ſeqq. *Vitringam* lib. I. Obſervatt. Sacrarum cap. X. *Jacobum Rhenferdium* in diſſertat. ſingulari, quæ in Operibus ejus Philologicis recuſa exſtat pag. 1. item Anonymum (*Joannem Franciſcum Buddeum*) Tom. I. Obſervatt. Selectarum Hallenſium Obſ. I. Contra *Rhenferdium* hac in parte diſputavit *Joannes Clericus* in Bibliotheca Veteri & Nova Tom. XVII. Part. I. pag. 88. ſqq. quibus addes, quæ a nobis ad primum Apocalypſeos caput adferentur.

Aliis dictio viſa eſt hebraiſmis, imo & ſolœciſmis, obnoxia, atque adeo talis, quæ Joanni Evangeliſtæ & Apoſtolo, ſi cum Evangelio & epiſtolis ejus compares, tribui non poſſit. Hoc argumentum *Twelſius* in *Vindiciis*, quarum præcipua capita mox leges, expendit; nos vero ad ſingula loca, in quibus ejusmodi phraſes occurrere viſæ ſunt attingemus. Confer *Stolbergium* de Solœciſmis & Barbariſmis N. T. pag. 9. ſeqq. Cl. *Bengelius* interim pag. 878. Apparatus ita: *In ſumma Hebraiſmus toto regnat libro, prima ſpecie inſolens & aſper, ſed revera, cum aſſueveris, non ſolum tolerabilis, ſed etiam dulcis, ac plane cœleſtis ſtilo curia dignus.*

Proximum eſt, ut de *conditione* Apocalypſeos, qualis in libris editis hodie exſtat, nonnihil ſubjiciamus, præeunte inprimis eodem *Bengelio* in Apparatu Critico pag. 776. Obſervat is, *prudenter* Bentlejum *ex Apocalypſi potiſſimum delegiſſe Novi Teſtamenti Græce Latineque edendi ſpecimen, cum in hoc uno libro plus navandi locus ſit, quam in univerſo reliquo Novo Teſtamento.* Rationem afferti ex ſingulari hinc paucitate codicum, hinc varietatum copia petit. Hinc conficit, ſingulare ſtudium in expendendis receptis lectionibus collocandum eſſe, allatisque variis hanc in rem præſidiis, h. e. codicibus & verſionibus antiquis, oſtendit, quomodo in illis adhibendis, verioribusque lectionibus deligendis, verſari oporteat, viam ſibi hoc ipſo muniens, cui in exhibendo Apocalypſeos contextu inſiſtendum eſſe cenſeat. Hinc factum eſt, ut frequenter a recepta hodie lectione diſceſſerit. Quam feliciter hoc negotium illi ceſſerit, ex iis, puto, intelligetur, quæ ad potiora loca monebuntur.

Supereſt, ut de *Interpretibus* Apocalypſeos nonnihil dicamus. Ea eſt libri hujus Prophetici obſcuritas, & ſenſus tam abditus, ut *Scaliger* Scaligeranis II. pag. 14. & 15. duo tantum ejus capita nempe XIII. & XVII. intelligi poſſe exiſtimet, & *Calvinum* ſapuiſſe dicat, quod in Apocalypſin non ſcripſerit. Id tamen non prohibuit, quo minus totidem, niſi plures, in illam recentiorum inprimis commentarii exſtent, quot in ullum alium Novi Inſtrumenti librum leguntur. Indicem eorum copioſum habes in *Ge. Jac. Schwindelii* Bibliotheca Paſtorali pag. 674-689. Adde *Michaëlis Mauduit*, Oratorii Presbyteri, diſſ. V. Analyſi Apocalypſeos ſubjunctam, quæ de variis ejus Interpretibus pag. 255-260. commentatur. Plures illis, noſtræ

ſtræ potiſſimum memoriæ addi poterant, ſiquidem id ageremus. Noviſſime, quod quidem ſciam, induſtriam ſuam, ſed parca manu, huc retulit *Iſ. Newtonus*, Anglus, Mathematicis inventis magnam, & merito, nominis celebritatem conſecutus, in Obſervationibus, quas una cum illis in Danielem, poſt fata ejus Londini 1733. 4. editas eſſe conſtat. A teſtibus, fide dignis, accepi, *Newtonum* hanc operam ſuam repetita vice ad limam revocaſſe & de integro deſcripſiſſe. Vereor autem vehementer, ut exſpectationem ſuſtineat. Lege, ſi placet, *Bibliothèque Raiſonnée* Tom. XI. Parte I. pag. 193. ſeqq. & *Bibliothèque Britannique* Tom. I. Parte I. pag. 204. ſqq. & Parte II. pag. 293. ſeqq. item Bibliothecam Theologicam ſelectam, vernacula lingua editam, Parte LXXIV. pag. 169. ſeqq. Inter Anglos ipſos, *Guilielmus Whiſtonus*, qui & ipſe in Apocalypſin commentatus eſt, ſingularem illi diſſertationem oppoſuit, quæ quinta eſt inter ſex illas, quas de variis argumentis Londini 1734. 8. edidit.

Sunt præterea, qui vel ideas aliquas Syſtematis Apocalyptici, vel ſpecimina integri commentarii ediderunt. Ita Rev. *Heumannus* ſingulari programmate Analyſin Apocalypſeos uſque ad cap. XIV. exhibet, eo fine, ut oſtendat, capita XI. priora fata Eccleſiæ inde ab adſcenſione Chriſti uſque ad Sæc. XVI. perſequi, capite vero XII. Reformationem doctrinæ, Lutheri opera factam, deſcribi &c. Recuſum illud eſt in limine Lutheri Apocalyptici pag. 1. ſeqq. in cujus præfatione Auctor profitetur, in promtu ſibi eſſe interpretationem ſingulorum Apocalypſeos verborum, quam una cum integra totius libri illuſtratione aliquando ſit editurus, ſi generalem hanc Syſtematis Apocalyptici delineationem probari intelligat. In ſpecimen videri jubet obſervationem ſuam de voce θεολόγος ſupra commemoratam. Aliam ingreſſus eſt viam Rev. *J. F. Reimmanus* in Analyſi Syſtematis Apocalyptici *Ideæ Compendii Theologici*, Hildeſiæ 1714. 8. ſubjunctam. Eam integram leges in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VII. pag. 736. ſeq. cujus auctores illam fere παράδοξον nonnullis viſum iri exiſtimant. In eadem Bibliotheca exſtant variæ *Bernh. Pet. Karlii* obſervationes, maximam partem generales, in Apocalypſin, v. c. de vera ordinis ac temporis Apocalypſeos ratione Claſſe II. pag. 598. ſqq. item Conſideratio Reſponſionum Cl. *Drieſſenii* ad dubia, circa Chronotaxin Apocalypticam mota, ibid. pag. 968. ſqq. &c. Conferri præterea merentur Vener. *V. E. Læſcheri*, ni fallor, meditationes Apocalypticæ ſive Cogitata de accuratiore Apocalypſeos explicatione; quæ exſtant in Unſchuldigen Nachrichten an. 1702. pag. 267. ſqq. ubi præcipuæ Interpretum, qui adhuc proſtant, ὑποθέσεις exponuntur, ſubjecto novo conſilio, quomodo in illa illuſtranda verſandum eſſe videatur. Proſtat porro Cl. *Jo. Alb. Bengelii* delineatio accuratæ & luculentæ expoſitionis Apocalypſeos im Alten und Neuen aus dem Reiche GOTTES Parte X. pag. 3. ſqq. ubi etiam promittitur ejuſdem nova Apocalypſeos verſio Germanica & expoſitio. Sequitur vero pag. 55. ſeqq. obſervatio de *Væ tertio*,

in Apocal. XIII. Ex Pontificiis *Mich. Maudit* in Analyſi Apocal. diſſert. VI. de variis libri interpretationibus, & VII. de regulis in ea obſervandis non inepte expoſuit. Ex noſtratibus porro B. *Zieroldus* Clavem totius Apocalypſeos ſuppeditavit in Explicatione variorum locorum Scripturæ, germanice edita, pag. 550-570. quemadmodum eruditi Auctores des Freywilligen Heb-Opfers Tom. II. pag. 467. ſeqq. ſummam & ſcopum Apocalypſeos primarium expoſuerunt, & ſubinde alias aliasque obſervationes huc pertinentes inſeruerunt, quæ Sectione XVI. XVII. XVIII. XX. & XXIII. leguntur. Ex Pontificiis *Jo. G. Kerckherdere* Novum Syſtema Apocalypſeos, quanta potuit brevitate, expoſitum eruditorum judiciis, antequam prolixiores commentarii edantur, ſtitit, Lovanii 1711. 12. Specimen novi ejusmodi commentarii non ita pridem lucem vidit ſub titulo: **Monatliche Blätter vom Baum des Lebens zur Geſundheit der Heyden. Erſtes Blatt.** Berolini 1732. 4. quod ad cap. V. Apocal. refertur. Vide **Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen** an. 1733. p. 626. Poſtea duo alia ſpecimina ſub eodem titulo ibidem lucem viderunt, an. 1735. quorum primum ad caput IV. alterum ad caput XX. 1-10. pertinet, & tabulam Apocalypſeos chronologicam in calce exhibet. Auctor ſe fanaticis expoſitionibus opponit. Ibidem an. 1732. p. 1021. enarratur M. *Joan. Pet. Sigiſm. Winckleri* **Frôliche Botſchaft von der Seeligkeit der Gläubigen**, Jen. 1731. 8. Alius *Joan. Caſp. Malſchii* commentarius promittitur in *Novis Literariis* Lipſienſibus, quæ vernacula lingua proſtant, an. 1727. pag. 707. De Rev. *Sylveſtri Tappii* commentario in Apocalypſin ἀνεκδότῳ, germanice ſcripto, cujus ipſe in tractatu vernaculo de veritate religionis Chriſtianæ mentionem facit, lege Cl. *Gab. Wilh. Gœttenii* Europam eruditam Parte I. p. 816. Quæ jam pridem promiſſa eſt nova verſio & paraphraſis una cum pleniore libri expoſitione in ſchediaſmate vernaculo: **die durch Schrift und Zeit erklärte und entſiegelte Offenbahrung**, Hamb. 1716. 4. ea necdum lucem adſpexit. Auctor eſt *J. C. Seizius*, qui ſe in titulo *minimum Jeſu Chriſti diſcipulum* appellat, a chiliaſticis opinionibus, quas paſſim in ſcriptis ſuis prodidit, non alienus. Noviſſime nova verſio germanica primorum quatuor capitum Apocalypſeos lucem vidit in **Freywilliger Nachleſe bey den gelehrten und erbaulichen Monats-Schriften**, Collect. II. p. 144. ſqq. Illa vero ſtilo narratorio, neſcio, quo conſilio, eſt concinnata.

In ſuperioribus repetita vice provocavi ad *Leonh. Twells* Vicarii ad S. Mariæ, Marlburii, *Vindicias divinæ auctoritatis Apocalypſeos*, quas hinc dubiis Editoris Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, hinc Anonymi *Diſſertationi Hiſtoricæ & Criticæ de Apocalypſi* oppoſuit. Prodierunt illæ Anglice, & inſcriptæ ſunt: *a Critical examination of the late New text and verſion of the New Teſtament in Greeck and Engliſh*, Lond. 1732. 8. paginis 187. Dignas eas puto, quas heic Latine converſas ſiſtam, nunc quidem ipſa Auctoris eruditi & diligentis verba, nunc ſummam eorum, ubi res tulit, exhibens.

LEON-

LEONARDI TWELSII VINDICIÆ APOCALYPSEOS:

PARS I.

in qua variis argumentis oſtenditur, APOCALYPSIN a Joanne Evangeliſta ſcriptam eſſe.

CAPUT I.

evincens, APOCALYPSIN omnia habere indicia, quæ ad libri alicujus γνησιότητα demonſtrandam requiruntur.

NUllus liber ſpurius æſtimatus eſt, qui quatuor hæc momenta ſecum fert, ut

I. eandem, qua Scriptor ipſe, cujus nomen gerit, floruit, ætatem referat.

II. Scriptores, qui vel ſub, vel paulo poſt illius promulgationem vixerunt, ei illum adſcripſerint.

III. Nihil in libro ipſo exſtet, quod ejuſdem Auctoris ſcriptis non dubiis adverſetur.

IV. Stilus denique ipſe rationi ſcribendi, Auctori, qui creditur, alias receptæ, non aperte repugnet.

Si quis liber vetus, his indiciis & notis inſtructus, ſpurius haberi poſſit, nullius ex antiquitate monumenti, quod eruditis adhuc ſe probavit, γνησιότητα adſtruere licebit. Jam vero omnes hæ notæ in Apocalypſi, quæ *Joanni* communiter vindicatur, obſervantur. Huic itaque eam adſcribi neceſſe eſt.

SECT. I.

Apocalypſis ætate Joannis Evangeliſtæ, cui communiter tribuitur, ſcripta eſt.

In hoc diſputandi genere primum omnium in ætatem libri, de quo contenditur, inquiri debebat. Niſi enim appareat, eam, quam Scriptor,

Digitized by Google

cujus nomen refert, ætatem habere, vel, quamdiu ab altera parte contrarium ſuſpicari merito licet, omnia alia fruſtra in medium adferuntur. Jam vero dubium hujuſmodi nullum adverſus *Apocalypſin* motum fuit. Imo illi ipſi, qui Joannis Evangeliſtæ eſſe inficiati ſunt, ejus tamen ætate ſcriptam eſſe profeſſi ſunt. Ita *Cajus* Romanus, *Apocalypſin*, a *Cerintho* allegatam, ab Apoſtolo ſcriptam eſſe inficiatus, *Cerinthum* ipſum, *Joanni* æqualem, auctorem ejus credidit. Similiter *Dionyſius Alexandrinus*, oſtenſurus, *Joannem* in *Apocalypſi* appellatum, non eſſe *Evangeliſtam*, *Joannem* alium, *Epheſi* Presbyterum, & Apoſtoli æqualem, ſubſtituit. Quicunque itaque verus Apocalypſeos auctor exſtiterit, *Joanni Apoſtolo* certiſſime fuit æqualis.

SECT. II.

Scriptores, qui ad ætatem ſcriptæ Apocalypſeos *proxime accedunt, quique Scriptorem libri illius commemorant*, Joanni Apoſtolo & Evangeliſtæ *eum tribuunt.*

Ubi de rebus olim geſtis diſputatur, argumentum ipſum in eam ſententiam, quæ antiquiſſimis teſtimoniis confirmatur, pronunciare jubet. Illi enim, qui facto ejusmodi proximi fuerunt, rectiſſime de eo teſtari poſſe merito exiſtimantur. Quod ſi itaque Scriptores, Apocalypſi ſcriptæ proximi, eam *Joanni Evangeliſtæ*, nec alii ulli, adſcribunt, recte id ab aliis fieri, quoad res ex hominum teſtimonio pendet, conſtabit. Jam vero omnes Scriptores Catholici per integrum Sæculum & amplius, ex quo *Apocalypſis* apparuit, de Scriptore ejus aliquid commemorantes, *Joanni Apoſtolo* & *Evangeliſtæ* eam tribuunt; alii vero, ejuſdem ætatis, qui Auctorem non diſerte appellant, librum tamen ipſum ut *authenticum* recipiunt. Inter hos ſunt

1. *Papias* an. 110.

Epiſcopus hic antiquiſſimus, qui cum Viris Apoſtolicis diverſis verſatus eſt, quique duodecim a ſcripta Apocalypſi annis floruit, eam divinum librum eſſe cenſuit. Auctorem rei habemus *Andream Cæſareenſem* in præfatione ad commentarium ſuper *Apocalypſin.*

2. *Juſtinus Martyr* an. 140.

Hic magni nominis Scriptor in Dialogo *Epheſi*, quæ præcipuus traditionis fons, in hoc quidem argumento, habenda eſt, cum *Tryphone*, Judæo, habito, diſerte teſtatur, Joannem Apoſtolum *Apocalypſeos* eſſe auctorem. Παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ιωάννης, εἷς τῶν Αποςόλων τȣ̃ Χριςȣ̃, ἐν Αποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ, χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ιερȣσαλὴμ τȣ̀ς τῷ ἡμετέρῳ Χριςῷ πιςεύσαντας προεφήτευσε.

3. *Irenæus*

3. *Irenæus* an. 167. vel ſecundum alios an. 187.

Præſul hic illuſtris, qui fuit auditor *Polycarpi*, (v. *Euſeb.* H. E. V. 20.) diſcipuli S. *Joannis*, quique cum nonnullis, qui Apoſtolum viderant, ſuper locum aliquem *Apocalypſeos* (v. *Irenæum* V. 30. & *Euſeb.* H. E. V. 8.) diſputavit, deque viſionibus Apocalypticis, tanquam brevi ante factis loquitur, docet, *Joannem*, qui eas viderit, eum eſſe, qui in pectore Domini ad Cœnam recubuerit, i. e. *Joannem Apoſtolum. Joanne vero*, inquit IV. 57. *non ſuſtinente Viſionem*, —— *vivificans eum verbum & admonens, quoniam ipſe eſt, in cujus pectore recumbebat ad Cœnam.*

4. *Melito*, *Epiſcopus Sardenſis* an. 170.

Hic ex Canone Veteris Teſtamenti, quem collegerat, clarus, & uni ex ſeptem Eccleſiis, ad quas Apocalypticæ viſiones directæ ſunt, præfectus, certiſſime cognitam habebat traditionem de auctore libri exſtantem. Idem vero ſingularem tractatum περὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννȣ, i. e. ut videtur, commentarium in illam ſcripſit. Maxime autem veriſimile eſt, eum per *Joannem* indicaſſe Apoſtolum. Si enim *Joannem* alium voluiſſet, *Preſbyteri* nomen diſtinctionis cauſa, addidiſſet, quod *Papias*, *Dionyſius Alexandr.* & alii, de eo loquentes, fecerunt. Periit hic tractatus, quem tamen *Euſebius* IV. 26. H. E. & *Hieronymus* (lib. de Viris Illuſtribus) inter *Melitonis* ſcripta commemorarunt.

5. *Theophilus*, Epiſcopus Antioch. an. 168.

Doctor hic hæreſi *Hermogenis* (teſte *Euſebio* IV. 24.) teſtimonia aliquot Apocalypſeos oppoſuit, quod argumento eſt, librum ipſum *Canonicum* illi viſum eſſe.

6. *Clemens Allexandr.* an. 192.

Vir doctiſſimus, allato Apocalypſeos loco Stromat. VI. p. 793. edit. Oxonienſ. ſubjungit: ὡς φησὶν ἐν τῇ Ἀποκαλύψει Ἰωάννης. *Apoſtoli* quidem nomen non addit; at nec id facit, quando epiſtolam ejus primam ad partes vocat. In ſimplici enim Joannis nomine acquieſcit. Vide Pædagog. III. 11. & 13. Stromat. II. pag. 464. & III. pag. 525. Hinc vero manifeſtum videtur eſſe, *Clementem* nullum hujus nominis Scriptorem Sacrum, præter Apoſtolum, cognitum habuiſſe, atque adeo hunc non minus Apocalypſeos, quam primæ epiſtolæ, auctorem exiſtimaſſe.

7. *Apollonius* an. 192.

Erudite pariter & copioſe contra *Montaniſtarum* hæreſin ſcripſit, teſtimoniis *Apocalypſeos* contra illos uſus, quod *Euſebius* H. E. V. 18. tradit. Ibidem vero *Apollonius* teſtatur, *Joannem*, illius Scriptorem, hominem aliquem ex mortuis ſuſcitaſſe.

Digitized by Google

8. *Tertullianus* an. 198. vel ſecundum alios an. 206.

Antiquus pariter & acutus Scriptor *Apocalypſin* non minus in libris, quos, ut Catholicus, ſed & in illis, quos, ut *Montaniſta*, poſtea ſcribebat, allegat. Speciatim lib. III. contra Marcionem cap. 14. de enſe Apocalyptico loquens ait: *Apoſtolus Joannes in Apocalypſi enſem deſcribit.*

Verbo dicam: nullus Scriptor Catholicus per Sæculum integrum & amplius, ex quo *Apocalypſis* promulgata eſt, eam Auctori alii, quam *Joanni Apoſtolo*, adſcripſit. Nonnulli, qui eodem tempore vixerunt, diſerte eam illi acceptam ferunt, alii vero ut librum Canonicum allegant.

SECT. III.

Nihil eſt in Apocalypſi, *Joanni tributa, quod aliis ejuſdem ſcriptis non dubiis contradicat.*

Contradictiones ejuſmodi alia hominum ſcripta merito ſuſpecta reddunt, fidem vero librorum *ſacrorum* penitus evertunt. Homines enim, ſuis ingenii viribus tantum utentes, interdum ſententias priſtinas oblivione amittunt, interdum vero cum aliis permutant. Ex utraque vero cauſa contradictiones in ejuſdem hominis ſcriptis naſcuntur. Nihil autem hujuſmodi libris illis, qui Spiritus S. ductu ſunt exarati, accidere poteſt. Recta itaque ratio non minus, quam pietas Chriſtiana, librum, quamvis inter ſacros relatum, ut ſpurium averſari jubet, ſi quidem is ceteris ejuſdem Scriptoris libris contradicat. Hoc vero ab Apocalypſi longiſſime abeſt. Acerrimi enim ejus adverſarii nunquam cauſati ſunt, eam quicquam in rebus *fidei* vel *morum* tradere, quod Evangelio & epiſtolis S. Joannis aut ceteris libris ſacris adverſetur.

SECT. IV.

In dictione Apocalypſeos *nihil eſt, quod ab illa, in reliquis ejus ſcriptis non dubiis recepta, diſſentiat.*

S. Joannes Apoſtolus origine Judæus erat, &, quamvis linguarum dono æque, ac reliqui Apoſtoli, inſtructus eſſet, ut Græce etiam ſcribere poſſet; manifeſtum tamen eſt, eum in Evangelio & epiſtolis ſuis, Græce ſcriptis, *Hebraicam* & *Syriacam* dialectum imitari. Hoc ita perſpectum & confectum habetur, ut exemplis nihil opus ſit. Quod ſi jam ſtilus *Apocalypſeos* diverſus eſſet; ſi dictio perpetuo pure Græca eſſet; ſi nulla Hebraiſmi veſtigia in ea obſervarentur; ſuſpicio naſci poterat, Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam auctorem ejus falſo haberi. At enimvero *Apocalypſis* ab hac exceptione eſt immunis. In ea enim non minus multi & fortaſſe

taſſe plures, quam in ullo Novi Teſtamenti libro, Hebraiſmi dantur. Multa huc adferre poteram exempla: lubet tamen lectorem remittere ad *Salomonis Glaſſii* Philologiam Sacram, ubi agit de *Nomine*, Canon. 8. 12. 32., de *Pronomine* Canon. 11., de *Verbo* Canon. 2. 11. 20. 22. 26. 56., de *Adverbio* Canon. 1.

Ex his itaque apparet, omnia illa argumenta externa, quæ rem extra dubium collocare poſſunt, in promtu eſſe, quibus S. *Joanni* Apocalypſis vindicetur.

CAPUT II.

Exempla traditionis, quæ Joannem Apoſtolum Apocalypſeos auctorem profitetur, per III. IV. V. & ſequentia Sæcula continuata.

Oſtendi jam, præcipuos Sæculi II. Scriptores, ætati, qua Apocalypſis ſcripta & promulgata eſt, proximos, communibus ſuffragiis Joannem Apoſtolum Scriptorem ejus renunciare. Itaque apparet, per centum annos, ex quo Apocalypſis, tanquam ab Apoſtolo illo ſcripta, recepta fuit, fidem ejus in dubium vocatam non fuiſſe, ſi *Cerdonem* & *Marcionem*, vaferrimos hæreticos, qui, nulla habita veri æquique ratione, ſcripta omnia, doctrinis ſuis adverſa, audacter repudiabant, exceperis. Propterea γνησιότης libri nullo ex antiquitate tibicine amplius indiget. *Tertulliani* regula: *id verius, quod prius*, in omnibus ejusmodi cauſis locum tueri, & exceptiones inferioris ætatis enervare merito exiſtimanda eſt. Recta ratio, & perpetua hominum conſuetudo huic regulæ ſuffragatur; ſi vero heic fallat, totus orbis in judicandis hujuſmodi cauſis hactenus peſſime egit. Hæc vero non eo dico, quaſi teſtimonium recentiorum Scriptorum ſubterfugere debeamus. Si enim inde a primo traditionis fonte rivos etiam remotiſſimos ſcrutemur, hos ipſos maximam partem in eundem canalem confluere videbimus. Præjudicia temporum & circumſtantiæ Scriptorum aliquot curſum quidem nonnihil impediunt, veritas autem & cauſæ ipſius conditio effecit, ut traditioni illi libera & aperta ad nos via conſtaret.

Prima exceptio, quæ contra γνησιότητα & canonicam Apocalypſeos auctoritatem facta creditur, a *Cajo*, Presbytero Romano, an. 210. profecta eſt. Conſtat utique ex *Euſebio* H. E. III. 28. *Cajum* exprobraſſe *Cerintho*, quod Apocalypſin aliquam, tanquam a magno aliquo Apoſtolo ſcriptam invexerit. Utrum vero id de Apocalypſi, quam nunc habemus, an de alia aliqua, ad ejus exemplum conficta, accipi debeat, paulo poſt expendemus.

Qua-

Quadraginta vel quinquaginta annis poſt, *Dionyſ. Alexandr.* ſcriptor Catholicus, cum *Nepote*, Chiliaſta accerrimo, diſputans, divinam Apocalypſeos auctoritatem largitur quidem, eam vero a Joanne Apoſtolo ſcriptam eſſe graviter negat, eamque Joanni, *Ephesino* Presbytero, & Apoſtoli æquali, adſcribit.

Præter hos duos hiſtoria Eccleſiaſtica nullum alium nobis ex Sæculo III. offert, qui Apocalypſin Joannis eſſe negarit: a contraria vero parte ſtant, & pro canonica libri auctoritate ex eodem ſæculo pugnant ſequentes.

1. *Hippolytus* an. 220. aut ſecundum alios 240.

Inſcriptio quædam *Romæ* detecta eſt, quæ indicem librorum *Hippolyti*, atque inter eos hunc exhibet: τὰ ὑπὲρ τȢ κατὰ Ιωάννην Ευαγγελίȣ καὶ Αποκαλύψεως i. e. *tractatum pro Joannis Evangelio & Apocalypſi.* Vide *Cavei* Hiſtor. Literar. pag. 69. Hunc *Millius* putat vindicias libri utriuſque contra hæreticos illius ætatis comprehendiſſe. Sive autem defenſionem illorum, ſive commentarium in illos libros intelligas, (ſicut *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum hunc librum inter ceteros Hippolyti commentarios recenſet) id ſaltem certum eſt, *Hippolytum* Evangelium S. Joannis & Apocalypſin ab eodem auctore repetiiſſe. Hoc vero ad inſtitutum noſtrum ſufficit.

2. *Origenes* an. 230. ſecundum Caveum, vel ſecundum alios an. 249.

Pater hic doctiſſimus Joannem Evangeliſtam Apocalypſeos auctorem pronunciat comm. in *Joan.* pag. 5. & iterum pag. 50. Idem comm. in *Joan.* pag. 14. & in *Matth.* pag. 417. ait, *Joannem*, filium Zebedæi, ſcripſiſſe Apocalypſin. Porro in Catalogo librorum Scripturæ (apud *Euſeb.* H. E. VI. 25.) poſtquam Joannis Evangelium commemoraſſet, addit: *ſcripſit etiam Apocalypſin.* Dum vero ita *Apocalypſin* ſimpliciter inter *germana* ſcripta refert, ſecundam & tertiam epiſtolas, Joanni adſcriptas, non ab omnibus receptas eſſe, aperte profitetur. Interim non poterat is ignorare *Caji* exceptionem, ſupra commemoratam. Aut igitur ſententiam ejus ſiniſtram & fundamento deſtitutam cenſuit, aut, quod magis eſt probabile, jam non ad librum *Apocalypſeos*, ſed ad alium, a *Cerintho* ſuppoſitum, pertinere exiſtimavit.

3. *Cyprianus* an. 248.

Innumeris in locis *Apocalypſin* ad partes vocat, quod argumento eſt, eum inter libros Canonicos illam retuliſſe. Quamvis enim frequenter Apocryphis libris V. T. utatur, accuratiſſime tamen in libris N. T. allegandis verſatur. Non adhibet libros Chriſtianæ diſciplinæ, quorum dubia eſt inſpira-

inſpiratio. Imo rariſſime, ſi unquam, ex epiſtolis, quas canon hodiernus habet, *dubiis* quædam adfert.

4. *Victorinus Petavionenſis*, an. 290.

Exiguus hujus Scriptoris tractatus *de Fabrica mundi* in *Cavei* Hiſtor. Literar. pag. 103. excuſus exſtat. Ibi vero Apocalypſin *Joanni* Apoſtolo & Evangeliſtæ diſerte adſcribit.

5. *Methodius Tyrius*, an. 290.

Apocalypſin in *Sympoſio* ſuo allegat. Hinc vero ut & ex diſſertatione ejus *de Reſurrectione*, *Andreas Cæſarienſis* in Commentario ſuo ſuper Apocalypſin loca quædam adfert ad illius libri expoſitionem facientia.

6. *Pamphilus Cæſarienſis* an. 294.

Vir eximius, cujus ſtudium & zelus pro libris Canonicis abunde conſtat, in Apologia Origenis, Apocalypſin Joanni tribuit, *Apoſtolum* procul dubio innuens, quem *Origenes*, tanti ab eo factus, auctorem libri ſimpliciter appellaverit.

Videmus itaque, ex tribus prioribus Sæculis, quæ auream Eccleſiæ ætatem conſtituebant, quorumque ſcripta inter ſigna ſcriptæ pro Chriſtianiſmo puriore traditionis habentur, non niſi duos Catholicos Scriptores, eosque in diſputandi fervore conſtitutos, addferri poſſe, qui Joanni Apoſtolo Apocalypſin abjudicarint.

Quod ſi itaque Patres ſequentium Sæculorum librum illum in univerſum repudiaſſent, præſens tamen Chriſtianorum cœtus culpari non potuiſſet, ſi vel ſic illum in canonem recepiſſet, adductus teſtimoniis ſuperiorum Sæculorum longe validioribus, quorum conſenſus in cauſis, ad religionem ſpectantibus, rem omnem definit. At enimvero nec illud heic uſu venit.

Neque enim Sæculo IV. vel Concilium ullum, vel Doctorem aliquem invenimus, qui γνησιότητα aut canonicam *Apocalypſeos* auctoritatem expreſſe negarit. Omnia, quæ illi adverſantur, vel *negatione* abſolvuntur, vel ab aliis *mutua* ſumuntur. Ita librum in catalogis aliquot illius ætatis, ſpeciatim in illo *Cyrilli* ſenioris, in canone LX. Concilii Laodiceni, & in Gregorii *Nazianzeni* ac *Philaſtrii* illis, fruſtra quærimus. *Amphilochius* in Jambis ſuis ad Seleucum a quibusdam ait eſſe receptam, a pluribus vero rejectam. Denique *Hieronymus* in epiſtola ad Dardanum, Græcos ſuæ ætatis eam inter libros Canonicos non numerare fatetur. Nihilominus tamen Scriptor hujus Sæculi nullus *expreſſe* & ex *ſuo judicio*, Apocalypſin rejicit.

Ab altera vero parte, Patres omnium Eccleſiarum, *Græci* æque ac *Latini*, nonnullis etiam eorum, ex quorum catalogis exulat, non exceptis, argumenta pro graviſſimis fidei articulis ex ea repetunt. Ipſe *Epiphanius* (Hæreſ. LXXVII. 26.) Scriptor Græcus, quique plerarumque Eccleſiarum inſtituta probe cognita habebat, Apocalypſin plerique & optimis Chriſtianis fidem ſuam probaſſe adfirmat. Scilicet *Hieronymi* regula, in epiſtolâ ad Dardanum propoſita, apud pleroſque Sæculi IV. Scriptores obtinuiſſe videtur. Ibi enim profitetur, ſe non ſuæ ætatis mores ſequi, ſed exemplum veterum Scriptorum, qui communiter Apocalypſin allegent, non ut librum aliquem *apocryphum*, ſed ut *Eccleſiaſticum* & *Canonicum*. Proinde Græcarum aliquot Eccleſiarum & Scriptorum dubitatio, quæ tam parum apud viros ſuæ ætatis efficere poterat, apud nos, tanto intervallo ab illis remotos, nihil valere debebat.

Ceterum teſtimonia Sæculi IV. pro auctoritate Apocalypſeos allata ſunt a *Millio* in Prolegomenis n. 231. & 232. ubi lector locos invenerit, in quibus ſingula illa teſtimonia exſtant.

Initium facit a *Pſeudo-Dionyſio*, præter quem *Euſebium* quoque ad Eccleſiam Palæſtinæ refert. Hos ſequitur *Ephrem* in Syria; *Gregorius Nyſſenus* & *Nazianzenus* in Cappadocia; *Epiphanius* in Cypro; *Athanaſius*, *Didymus* & *Macarius* in Ægypto; *Victorinus* in Africa; *Ambroſius*, *Philaſtrius*, *Hieronymus* & *Ruffinus* in Italia; *Hilarius Pictavienſis*, in Gallia; *Pacianus* & *Prudentius* in Hiſpania. Nonnulli horum non ſolum allegant Apocalypſin, ut a Joanne ſcriptam, ſed & in ſuis librorum ſacrorum catalogis eandem commemorant. Inter hos ſunt *Euſebius*, *Athanaſius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Ruffinus* & *Pſeudo-Dionyſius*.

His addere *Millius* poterat ſequentes. Ex Scriptoribus Palæſtinæ *Baſilium* M. Epiſcopum Cæſarienſem, qui Apocalypſin tanquam a *Joanne* Evangeliſta ſcriptam citat lib. II. adv. Eunomium Tom. I. edit. Benedictin. & iterum lib. IV. pag. 282. *Africanis* jungere poterat *Tichonium* an. 390. qui integrum in Apocalypſin commentarium, Tom. IX. Operum *Auguſtini* adhuc exſtantem, exaravit. *Italis* addi debet *Hilarius* Diaconus, qui in commentariis ſuis ſuper Pauli epiſtolas inter *Ambroſii* opera non ſolum provocat ad Apocalypſin, ſed & *Joannem* Apoſtolum auctorem ejus appellat. *Joannes Apoſtolus*, inquit, *inſcius*, *cum Angelum ut Deum vellet adorare*, *audit ab eo*, *ne feceris* &c. Comm. in cap. IX. ep. ad Roman.

Ad ſæculum V. progreſſi *Apocalypſin* a Latinis omnibus admitti videmus, nominatim a *Salviano*, & *Alcimo Avito* in Gallia; ab *Innocentio* Pontif. in *Italia*, in epiſt. Decretali ad *Exuperium*; & a Concilio Carthagin. an. 419. denique vero ab *Auguſtino* in Africa. *Græcorum* hujus Sæculi multi, teſtimonia veterum potius, quam ſuæ ætatis dubia, ſecuti, eam Canoni-

nonicam reputarunt. Tales ſunt *Cyrillus Alexandriæ*, *Caſſianus* & *Nilus* CPoli, & *Andreas Cæſarienſis* in Cappadocia. His addere poſſumus *Iſidorum Peluſiotam*, Apocalypſin frequenter allegantem, & *Auctorem Synopſeos Scripturæ Sacræ inter opera Athanaſii*, qui catalogum librorum Novi Teſtamenti *Apocalypſi*, quam *Joanni Evangeliſtæ* tribuit, obſignat. Dignum *Athanaſio* opus eſt, quamvis non ab eo, ſed ab alio ejusdem nominis & Eccleſiæ, Sæculo V. medio, quæ ingenioſa *Millii* conjectura in Prolegomen. §. 994. profectum.

Ab his temporibus usque ad noſtra nullum ex *Latinis* Scriptorem invenimus, qui *auctorem* aut *auctoritatem* Apocalypſeos in dubium vocet, niſi *Junilium Africanum*, Sæc. VI. Scriptorem, id feciſſe credamus. Affirmat enim, dubitatum de ea valde ab Orientis Chriſtianis fuiſſe, atque adeo in ſuo librorum ſacrorum non dubiorum indice omittit. Sed de hoc plura in ſequentibus.

Græci variis Sæculis in hoc argumento a ſe invicem diſſenſiſſe videntur. Ultimus i. e. LXXXV. canon Apoſtolicus, (qui judice *Millio*, in Prolegom. §. 1004. non niſi Sæculo VI. medio apparuit,) Apocalypſin omittit. Nihilominus tamen eadem ætate *Arethas Cæſarienſis* ſingularem *Catenam* in eam collegit. Sæculo VII. *Joannes Damaſcenus* Apocalypſin inter libros *θεοπνεύςυς* collocat; ſequenti vero *Nicephorus* in *Stichometria* ſua dubiis annumerat. Ut rem ſummatim dicam, eruditi ſtatuunt Sæculo X. *Græcos* cum *Latinis* in recipienda Apocalypſi, *tacito* potius *conſenſu*, quam *Synodi* alicujus auctoritate, adductos, penitus conſpiraſſe.

Summa igitur externorum pro Apocalypſi argumentorum huc redit. Scriptores antiquiſſimæ ætatis, teſtes in ejusmodi cauſa procul dubio maximi, nemine contradicente, Apocalypſin Joanni Apoſtolo per Sæculum integrum & amplius tribuunt. Sæculo III. Patres orthodoxi omnes, duobus exceptis, idem ſentiunt. Sæculo IV. *Latini* omnes, & ex *Græcis* plerique, easdem partes amplectuntur. Sæculo V. *Latini* in univerſum, *Græci* vero paſſim, pro illis pugnant. Ab hoc vero tempore usque ad repurgatam doctrinam unus tantum ex *Latinis* Scriptor Apocalypſin in dubium vocaſſe creditur: inter *Græcos* vero *exiguam*, quæ quidem *aperte* fiat, diſſenſionem invenimus, quæ & ipſa inde a Sæculo X. penitus ceſſavit.

Ab adverſa parte *Cerdo* & *Marcion*, peſſimi Hæretici, Sæculo II. canonicam libri auctoritatem non minus, quam illam aliorum N. T. librorum, non ſuſpectorum, oppugnarunt. Sæculo III. *Cajus Romanus* & *Dionyſius Alexandr.* illum *Joanni* abjudicaſſe creduntur. Sæculo ſequenti Græci quidam privati, & *Concilium Laodicenum* Apocalypſin in catalogis librorum ſacrorum omiſerunt. Neque tamen invenimus, ullum eorum eo proceſſiſſe, ut illam ſuppoſitam & abſolute apocrypham pronunciaret. Canon

non quidam Apoſtolicus ſpurius Sæculo VI. Apocalypſin in indice librorum ſacrorum præterit. Sæculo VII. in *Hiſpania* contradictionem aliquam paſſa videtur, & Sæculo VIII. *Nicephorus* in Stichometria ſua librum *dubiæ* fidei eſſe indicat.

Ex ſummaria hac veteris traditionis, quæ canonicam Apocalypſeos auctoritatem hinc vindicat, hinc oppugnat, inſignis prærogativa ratione multitudinis teſtium, pro ea facientium, elucet. Præterea vero cordatus lector duo hæc magni ponderis momenta obſervet. Primum eſt, quod antiquiſſimi & maxime idonei teſtes pro ea omnino pronunciant, illis interim, qui ei adverſantur, magno intervallo ab eo tempore, in quod res ipſa cadit, remotis, atque adeo longe minore loco habendis. Alterum eſt, quod multi antiquiſſimorum maximeque idoneorum teſtium abſolute tradunt, eam a S. *Joanne Apoſtolo* ſcriptam eſſe, dum duo tantum, eidem adverſantes, contrariam ſententiam *diſerte* amplecti creduntur. Reliqui omnes *cauti* tantum *dubii*que, atque adeo *neutri parti* addicti apparent. Traditio itaque, quæ Apocalypſin *Joanni Evangeliſtæ* tribuit, omni modo præferri meretur illi, quæ contra eam adhuc allata eſt.

Unum adhuc monendum eſt, quod *Indices* codicum veterum Græcorum, manu exaratorum, nominatim *Alexandrini* & *Claromontani*, Apocalypſin habent, eamque S. *Joanni* adſcribunt. Uterque vero XII. Sæculorum ætatem habere videntur, atque adeo credere jubent, Eccleſias Græcas Sæculi VI. ab hoc libro non prorſus alienas fuiſſe.

CAPUT III.

ex internis aliquot indiciis *γνησιότητα* APOCALYPSEOS demonſtrans.

S. *Joannem* Apocalypſin ſcripſiſſe ex nube teſtimoniorum evidentium hactenus conſtat: neque vero in libro ipſo quicquam eſt, quod veritatem hujus traditionis dubiam facere poſſit. Imo vero eadem indicia aliquot habet, quæ Apoſtoli, nec alterius ullius, eſſe evincunt, quæque effectura erant, ut eam illi tribueremus, etiamſi *hiſtoria* ipſa id in univerſum fieri non juſſiſſet.

Primum enim Scriptor *Apocalypſeos* ſe ipſum vocat *Joannem*, ſine addita aliqua diſtinctione. Itaque maxime fit probabile, Scriptorem illum fuiſſe, qui ſub hoc nomine, ea ætate, præ aliis cognitus erat, h. e. *Joannem Evangeliſtam.*

Ita I. 1. legimus Deum revelationem per Angelum feciſſe *Joanni* ſervo ſuo. Commate 4. epiſtola ad ſeptem Eccleſias ſcripta eſt nomine *Joannis.*

Comm.

Comm. 7. legis: *ego Joannes, qui & frater veſter ſum.* Porro XXI. 2. *Et ego*, Joannes, *videbam ſanctam urbem.* Conf. XXII. 8. Hac frequenti commemoratione *Joannis*, tanquam Scriptoris *Apocalypſeos*, ſine additamento ullo, quo a reliquis ejusdem nominis diſtinguatur, adducimur, ut credamus, *Joannem* illum indicari, qui ea ætate præcipuus erat, h. e. *Joannem Evangeliſtam.* Talis enim vir communiter & ſufficienter ſolo nomine ſuo a reliquis omnibus eſt diſtinctus, nec *additamento* ullo indiget. Ita, *Ciceronem* hoc vel illud feciſſe aut dixiſſe, legentibus, perſpicuum eſt, quis indicetur. Statim enim intelligimus, *Oratorem* hujus nominis, non autem vel *Quintum Ciceronem*, fratrem ejus, vel *Marcum*, filium ejus, ſignificari. Quando vero contra hæc aliquis aliis ejusdem nominis inferior & obſcurior commemoratur, *perſpicuitatis* cauſa addi aliquid, quod errorem omnem caveat, neceſſe eſt. Hæc ratio eſt, cur veteres, *Joannem* alium, Apoſtolo æqualem, ſed eo inferiorem & *Epheſi Presbyterum*, appellantes, eum perpetuo addito *Presbyteri* nomine diſtinguant. Cum itaque per totam *Apocalypſin* is, qui viſiones illas nactus, & literis complexus eſt, *Joannes* ſimpliciter appelletur, in promtu eſt colligere, non alium niſi *Joannem* Apoſtolum & Evangeliſtam nomine illo indicari. Non dico jam, ita rem eſſe *demonſtratam*, ſed pro eo tamen argumento habeo, quod valde ſit probabile, & Apoſtolo librum ita vindicet, ut abjudicari illi non poſſit, niſi evidentia teſtimonia, aut argumentum aliquod *internum*, afferantur, quæ evincant, fieri nullo modo poſſe, ut Scriptor ejus eſſe exiſtimetur. Cum vero neutrum horum adferri poſſit; cum *teſtimonia* pro nobis faciant, nullum vero argumentum *internum* contra nos pugnet; cauſa eſt idonea, cur ex indeterminata mentione Joannis, tanquam Scriptoris Apocalypſeos, conficiamus, eam jure merito illi adſcribi.

Secundo Scriptor *Apocalypſeos teſtatus eſt verbum Dei, & teſtimonium Jeſu, atque ea, quæ vidit, Apoc.* I. 2. quæ quidem deſcriptio in nullum alium hujus ætatis *Joannem*, niſi *Evangeliſtam* illum, cadit.

Hoc Scriptoris *Apocalypſeos* indicium manifeſte eo ſpectat, ut ab omnibus aliis ejuſdem nominis & profeſſionis diſtinguatur. Quocunque enim ſenſu *teſtificationem* illam & *teſtimonium* acceperimus, voces illæ *Joannem Apoſtolum* exſerte indicant. Sive enim de Evangelio *ſcripto* interpretemur, nullus alius *Joannes*, niſi hujus nominis Apoſtolus proprie erat Evangeliſta. Sive publicam promulgationem hiſtoriæ & doctrinæ Jeſu Chriſti intelligere malimus, præconio ſalutari factam, vel ſic *Joannem Apoſtolum* indicari videbimus. Neque enim *Joannes* alius ea ætate, & in illa orbis parte tam eminenter *teſtem Dei & Jeſu Chriſti* agebat, ut illa *periphraſi* denotari poſſet. Itaque ſolus ille commate ſecundo deſcribitur. Præterea vero ultima ejusdem commatis verba, ὅσα τε εἶδε, ſine dubio omnia, quæ antecedunt, *Joanni Apoſtolo* propria faciunt. Oſtendunt enim, de quo ſermo

mo

mo eſt, *αὐτόπτην* fuiſſe rerum omnium, quas teſtificabatur; inprimis, ſi pro verbis *ὅσα τε εἶδε*, ſimpliciter legamus, *ὅσα εἶδε*, quæ lectio a *Millio* præfertur, & a Codice *Alexandr.* decemque aliis codicibus, tum vero verſionibus, *Vulgata*, *Syriaca* & *Æthiopica*, denique & a *Dionyſio Alexandr.* & editione *Complutenſi* confirmatur. Secundum hanc lectionem ſenſus hic fuerit: qui teſtificatus eſt verbum Dei, & teſtimonium JEſu Chriſti, quas res ipſe vidit. Eadem ratione vox *ὅσα* pro *ἃ*, ita quidem, ut *numerus* & *genus* vocum antecedentium diverſam ſtructuram requireret, uſurpatur 2 *Regg.* XVII. 13. apud τὺς LXX. *φυλάξατε τὰς ἐντολάς μυ ϗ τὰ δικαιώματά μυ, καὶ πάντα τὸν νόμον, ὃν ἐνετειλάμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν. ΟΣΑ ἀπέςειλα πρὸς ὑμᾶς ἐν χειρὶ τῶν δύλων μυ τῶν προφητῶν.* Pro *ὅσα* in *Hebr.* eſt אשר quod etiam v. 15. & *Eccleſ.* VIII. 15. occurrit. Similiter *Joannes Evangeliſta* *ὅσα* pro *ἃ* adhibet, c. XXI. 25. Num vero *Joannes* aliquis illius ætatis præter *Apoſtolum* noſtrum res Evangelii geſtas oculis conſpexit? Ille itaque & quidem unus fuit *Joannes* iſte, cui *Jeſus* apocalypſin Angeli miniſterio fecit.

Tertio, Apocalypſis illius *Joannis* ſcriptum erat, qui in inſula *Patmo* Evangelii, de quo teſtatus erat, cauſa detinebatur: id vero *Joanni Apoſtolo* uſu veniebat.

Joannes, Scriptor *Apocalypſeos*, cap. I. 9. dicitur fuiſſe *in inſula, quæ Patmus vocatur, propter verbum Dei & propter teſtimonium Jeſu Chriſti*, i. e. in inſulam illam relegatus erat, ob præconium Evangelii Jeſu Chriſti, quod Gentiles *ſeditionem* vocabant, cujus pœna exilium in inſulas ſteriles & deſolatas ſtatuebatur. Vide *Grotium* ad loc. Hoc ipſum vero non tantum hiſtoriæ *Joannis Evangeliſtæ* reſpondet, ſed ipſi adeo proprium eſt, perſonamque ejus tam clare deſignat, ac ſi diſerte ita appellatus fuiſſet. Veteres enim una voce teſtantur, *Joannem* hunc in hanc inſulam, inclinante Domitiani imperio, relegatum fuiſſe. Vid. *Clem. Alex.* in lib. *quis dives ſalvetur*, c. 42. p. 959. *Tertull.* lib. de Præſcript. adv. Hæret. c. 36. *Euſeb.* Chron. ad an. Domit. 14. & H. E. III. 18. 20. Idem ſtatuerunt *Epiphan.* & *Sulpic. Severus*, nec minus *Hieron.* Catal. Vir. illuſtr. & lib. I. contra Jovinian. cap. 14. Alium vero *Joannem* eo tempore in inſulam *Patmum* relegatum fuiſſe, hiſtoria Eccleſiaſtica nusquam tradit. Quoniam itaque Scriptor *Apocalypſeos Joannes* fuit, præco Evangelii, in inſulam *Patmum* religionis cauſa ejectus; quoniam *Joannes Apoſtolus*, nec *Joannes* quidam alius, eo tempore his fatis fuit obnoxius; parum abeſt, quin demonſtratum ſit, *Joannem Apoſtolum* eum eſſe, qui res hoc libro recitatas & viderit, & literis conſignarit.

Quar-

Quarto, maxime veri fit ſimile, epiſtolam *Joannis* ad ſeptem Eccleſias Aſiæ minoris vel Proconſularis, atque adeo *Apocalypſin* ipſam ab illo *Joanne* exaratam eſſe, qui ſingularem harum Eccleſiarum curam agebat, h. e. *Joanne Apoſtolo*.

Evangeliſtam noſtrum his Eccleſiis ſigillatim proſpexiſſe claris & non inficiandis ultimæ antiquitatis teſtimoniis conſtat. *Euſebius* H. E. III. 1. ex traditione auctor eſt, *Aſiam*, Apoſtolis per orbem diſperſis, *Joanni* obtigiſſe. Id certum eſt, eum ibi Evangelii præconio functum eſſe, & varios cœtus paſſim collegiſſe. Cumque *Epheſus* primaria hujus provinciæ urbs eſſet, *Joannes*, ibi rerum ſuarum ſedem figens, vicinas Eccleſias, re ita ferente, viſitabat & adminiſtrabat. Vid. *Iren.* III. 1. II. 39. & III. 3. *Clem. Alex.* Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, & *Tertull.* de Præſcript. adv. Hæret. cap. 32. Cum his conſentiunt *Euſeb. Hieron.* & *Chryſoſt.* Neque hæc traditio a Scriptore antiquo ullo in dubium vocatur. Num vero *Joannes* aliquis alius eo tempore tantam *Epheſi* & reliquarum Eccleſiarum Aſiæ minoris rationem habebat? *Papias* quidem, & poſt eum *Dionyſius Alexandr. Euſebius* item & *Hieronymus* alium *Joannem*, Apoſtoli æqualem, & *Epheſi* commorantem, ibique ſepultum, commemorant. Deſcribitur is ut vir Apoſtolicus & inſignis notæ, ſed talis tamen, qui *Presbyteri* tantum locum ſub Epiſcopo Epheſino tueretur. Credine vero poteſt, Spiritum S. alia his Aſiæ Eccleſiis, earumque Epiſcopis nunciaturum, alia vero in iiſdem reprehenſurum, alio aliquo in hanc rem uſurum, earumque primum auctorem & magnum Apoſtolum præteriturum fuiſſe? Scilicet alterutri ex his *Joanni* honor hic habitus eſt, ut ipſi aliquid a Chriſto committeretur. Jam vero conſentaneum non eſt, opinari, Sacerdotem aliquem privatum, unius Eccleſiæ rationem habentem, prælatum fuiſſe illi, qui curam totius provinciæ agebat. Propterea maxime veri fit ſimile, *Joannem* Apoſtolum Apocalypſeos Scriptorem fuiſſe.

Quinto, convenientia ſententiarum & phraſium, quæ inter Apocalypſin & reliqua *Joannis Apoſtoli* ſcripta non dubia intercedit, evincit, illa omnia unum habere auctorem. Varia hujus generis exempla a viris eruditis jam ſunt allata, v. c. a *Millio* Proleg. §. 177. *Dupinio* Hiſtor. Canon. Script. S. Vol. II. c. 2. & ab Epiſcopo Londinenſi epiſt. Paſtorali III. p. 59. 60. Talia ſunt ſequentia.

1) Scriptor Apocalypſeos I. 2. teſtatur de illis, *quæ de Verbo & teſtimonio Jeſu Chriſti viderat.* Ita Evangeliſta *vidit* gloriam Verbi, Joan. I. 14. & in epiſtola prima I. 1. 2. teſtimonium fert de iis, *quæ oculis ſuis conſpexit.*

2) *Apocal.*

2) *Apocal.* I. 5. Καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. Eodem modo Apoſtolus 1 *Joan.* I. 7. καὶ τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας. Priori in loco, *Millius* λύσαντι rectius legi quam λούσαντι ideo ſtatuit, quod prius illud *ineptum & incongruum* videatur. Et ſane, ſi neceſſe foret, dicere, alteram harum vocum origine ſua ſcholion eſſe, rectius ſuſpicari poteras, λούσαντι tale eſſe, quam λύσαντι. Mireris autem, virum doctiſſimum utramque vocem pro interpretamento marginali habere potuiſſe, quandoquidem variantis hujus lectionis ratio ex eo recte repetitur, quod librarius aliquis literam unicam vel addiderit vel omiſerit. Vocem vero λύσαντι, non λούσαντι librarii lapſum eſſe, ſequentibus argumentis putem conſtare. *Primo* enim poſterior lectio in omnibus exſtat codd. ſi *Alexandrinum* & duos alios exceperis; in Patribus omnibus, præter *Primaſium*; porro in verſionibus omnibus, ſi a *Syriaca* abeas; ac denique in editis omnibus. *Secundo*, vox λύσαντι alibi ſine dubio per errorem librarii pro λούσαντι irrepſit, nempe *Act.* XVI. 33. ubi in *Bezæ* codice, ſeu *Cantabrig.* illo, tum *Græco*, tum *Latino*, exſtat. Heic vero æque atque ibi τὸ λύσαντι magis apparet incongruum. *Millius* tamen, inſuper habito axiomate ſuo *Actor.* XVI. 33. non recipit τὸ λύσαντι, quod h. l. facit. *Tertio*, locus *Joannis* parallelus 1 epiſt. I. 7. itemque alius *Hebr.* IX. 14. lectionem λούσαντι firmant, quemadmodum alterum illud λύσαντι nec accommodatum huic loco eſt, nec paralleliſmo aliquo ſtabilitur.

3) *Apocal.* I. 7. *Oculi omnes eum videbunt, & illi quoque, qui eum confoderunt.* Verba hæc petita ſunt ex *Zachar.* XII. 10. poſterior vero eorum particula a *Joanne* itidem XIX. 37. Evangelii adfertur, nusquam vero alibi in N. F. inveniuntur.

4) *Apocal.* II. 17. Scriptor cibum ſpiritualem appellat *occultum manna* i. e. ſenſum myſticum *mannæ* illius, quo *Iſraelitæ* in deſerto nutriebantur. Similes ſententiæ frequenter inculcantur, nominatim *Joan.* VI. 32. ubi Dominus noſter cibum illum, quem perpeſſione ſua parabat, *verum panem*, h. e. antitypum panis illius, ſeu *mannæ*, quod in deſerto erat, appellat. Phraſes ejusmodi allegoricæ *Joannis* libris ſunt propriæ.

5) *Apocal.* III. 7. 14. & XIX. 11. *Chriſtus* efficaciter vocatur ὁ ἀληθινός, *qui verus eſt.* Idem vero elogium illi tribuitur 1 ep. V. 20. Confer I. 4. & XIV. 6. Evangelii in eandem admodum ſententiam. Ejusmodi vero phraſes nusquam alibi occurrunt.

6) *Apocal.* III. 20. Dominus noſter credenti promittit, *ſe ad eum venturum, cumque eo cœnaturum, ſicut illum ſecum.* Similiter Evang. XIV. 23. *Ego & Pater meus ad illum veniemus, & apud eum habitabimus.*

7) *Apocal.*

7) *Apocal.* VI. 12. *Chriſtus* vocatur *agnus occiſus*, h. e. in ſacrificium oblatus. Et ſic *Joh.* I. 29. Baptiſta eum eſſe ait *agnum Dei*, *qui tollit peccata mundi*, h. e. per ſuum ipſius ſacrificium.

8) *Apocalypſ.* XIX. 13. *Chriſtus* vocatur *verbum Dei.* Nemo vero ignorat, eum ita in ſcriptis Joannis non dubiis frequentius, quam alibi, appellari.

His addi poſſunt ſequentia exempla:

1) *Apocalypſ.* I. 15. vox filii hominis comparatur cum voce ὑδάτων πολλῶν, *aquarum multarum.* Hæc vero phraſis nusquam alibi invenitur, ſi excipias Joh. III. 23. ubi *Joannes* dicitur baptiſaſſe *Ænone*, quoniam ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ, *aquæ ibi multæ fuerint.*

2) *Apocal.* II. 10. Spiritus ad Angelum Eccleſiæ Smyrnenſis ait: γίνε πιστὸς, quemadmodum Dominus noſter *Joh.* XX. 27. poſt reſurrectionem ad Thomam ajebat: μὴ γίνε ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός.

3) *Apocal.* III. 10. Spiritus ad Angelum Eccleſiæ Philadelphienſis: ἐγώ σε τηρήσω ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ, *ſervabo te ex hora tentationis.* Huic phraſi adfinis eſt illa Domini noſtri *Joh.* XII. 27. σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης, *ſerva me ex hora iſta.*

4) *Apocal.* III. 21. Chriſtus ait: ἐγὼ ἐνίκησα, *vici ego.* Convenienter huic Joh. XVI. 33. ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, *ego vici mundum.* Porro Chriſtianorum ſub calamitatibus conſtantia frequenter vocatur *victoria* cap. II. & III. *Apocal.* quod & fieri videas 1 *Joh.* II. 13. 14. & IV. 4. item V. 5. Phraſis hæc *Joanni* eſt propria.

5) *Apocal.* XII. 9. Satanæ ex cœlo ejectio ita exprimitur: ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν. Et ſic *Joh.* XII. 31. Dominus noſter de eodem: νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω.

6) Chriſtiani, ſub calamitatibus Evangelio conſtanter adhærentes, frequenter in Apocalypſi ἔχειν τὴν μαρτυρίαν, *firmiter tenere teſtimonium* dicuntur. Quæ loquendi ratio nusquam alias in N. F. niſi 1 *Joh.* V. 10. occurrit. Teſtificatio de veritate Chriſtianæ doctrinæ nusquam, ſi *Joannis* ſcripta exceperis, μαρτυρία ſenſu eminenti appellatur. Frequenter enim in Evangelio & prima epiſtola, ſemel in epiſtola tertia, & ſæpiſſime in *Apocalypſi* occurrit.

7) *Apocal.* XXI. 6. *Chriſtus* ait: *ſitienti dabo de fonte aquarum vitæ*, alludens ad *Jeſ.* LV. 1. Nec aliter *Jeſus Joh.* XVII. 2. *veniat, qui ſitit;* &: *qui voluerit, capiat aquam vitæ libere.* Idem *Jeſus* ad eundem Scripturæ locum reſpiciens *Joh.* VII. 37. ait: *qui ſitit, veniat ad me, & bibat.* Compara IV. 10. 14. ubi Dominus noſter dona ſua ſpiritualia *aquam vivam* & *fontem aquæ vivæ* appellat. Alluſiones vero hujusmodi extra ſcripta Joannis fruſtra quærimus.

Si forte excipiatur, impoſtorem aliquem phraſes ejuſmodi & ſententias ſimiles ex ſcriptis *Joannis Apoſtoli* & Evangeliſtæ mutuas ſumſiſſe, ut

frau-

fraudi veri ſpeciem conciliaret, reſpondebimus, exceptionem hanc nullum heic locum habere poſſe. Certiſſime enim Evangelium Joannis poſt Apocalypſin ſcriptum eſt. Itaque impoſtor aliquis eo tempore, quo Apocalypſis ſcripta fuit, Evangelium S. Joannis exſcribere aut imitari non potuit. Peculiares igitur ejuſmodi ſententiæ *Joannis Apoſtoli*, quæ in Apocalypſi copioſæ exſtant, eum libri hujus Scriptorem eſſe firmiter probant.

6) Similitudo ſtructurarum & ſignificatuum verborum, in Apocal. & ſcriptis *Joannis* non dubiis exſtantium, & reliquis Scriptoribus Sacris non admodum receptorum, veriſimillimum faciunt, unum eundemque omnium illorum eſſe Scriptorem.

1) Emphatica articuli inter Subſtantivum & Adjectivum repetitio frequens eſt in *Apocalypſi.* v. c. ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, cap. I. 5. ἡ πόλις ἡ μεγάλη, XIV. 8. Confer XII. 9. XVIII. 10. & XXII. 16. Non dico, hunc articuli uſum ſcriptis S. *Joannis* proprium eſſe: ille tamen ita præ reliquis N. F. libris in illis copioſus & frequens eſt, ut copia hæc recte pro nota ſtyli Evangeliſtæ hujus ſingulari habeatur. Vide *Joh.* V. 30. VII. 6. 10. 11. XV. 1. 12. XVII. 17. XVIII. 36. 1 Joh. I. 3. II. 7.

2) *Apocal.* I. 12. *Convertebam me ad videndum vocem*, ἥτις ἐλάλησε μετ᾽ ἐμοῦ. Eandem ſtructuram invenimus IV. 1. X. 8. XVII. 1. & XXI. 9. 15. Et ſic Evangeliſta cap. IV. 25. IX. 37. & XIV. 30. Reliqui Scriptores ſacri omnes ſententiam hanc per dandi caſum exprimunt, ſi Marc. VI. 50. excipias: ἐλάλησε μετ᾽ αὐτῶν.

3) *Apocal.* V. 5. Ἐνίκησεν ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα. Idem *participium* nonnunquam additur in Evangelio Joannis v. c. I. 18. III. 13. XII. 17. Reliqui Scriptores communiter, omiſſo *participio*, articulo tantum utuntur. Ita *Matth.* VI. 23. τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, & XVI. 23. ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Solus *Lucas* bis participium illud adhibet, nempe *Actor.* V. 17. XVI. 3.

4) *Apocal.* VIII. 6. ἡτοίμασαν ἑαυτοὺς, ἵνα σαλπίσωσι, *Angeli ſe præparabant ad clangendum.* Eodem modo *Gerundium* in *dum* exprimitur ab Evangeliſta I. 19. III. 17. IV. 8. VI. 15. 28. VII. 32. X. 10. 31. XII. 47. Abſit, ut ſtatuam, hanc vocum ſtructuram *Joanni* propriam eſſe. Nemo tamen Evangeliſtarum & Apoſtolorum eam tam frequenter, quam quidem ille, adhibet. Communiter enim *Gerundium* illud per *Infinitivum* exprimunt.

5) *Apocal.* II. 5. 16. Εἰ δὲ μή idem eſt, quod *alias*; & ſic *Joh.* XIV. 2. 11. Reliqui dicere amant, εἰ δὲ μήγε, excepto S. *Marco*, qui bis habet, εἰ δὲ μή, nempe II. 21. 22.

Septimo, varia in Apocalypſi exſtant exempla ſtructuræ & ſenſus vocum, Joanni Evangeliſtæ propriarum, quæ eidem librum hunc vindicant. Ita

1) *Apo-*

Digitized by Google

1) *Apocal.* I. 1. *σημαίνειν* idem eſt, quod *veritatem aliquam divinam aut præternaturalem obſcurius indicare.* Specialis hæc verbi notio tantum in Evangelio *Joh.* XII. 33. XVIII. 32. & XXI. 19. occurrit. S. *Lucas* idem, ſed ſenſu diverſo, adhibet. Ita *Act.* XI. 28. de aperto & claro vaticinio, & XXV. 27. de notitia perſpicua per literas facta adhibetur.

2) *Apocal.* I. 2. Ὅσα exſtat pro ἃ, quem ſenſum etiam nonnunquam apud τοὺς LXX. obtinet. Unum vero non inficiandum exemplum ejuſdem notionis in N. T. exſtat *Joh.* XXI. 25. In reliquis locis omnibus ὅσα idem ſignificat, quod *quæcunque*, aut, *quanta*; vel ſaltem ſignificare poteſt. v. c. *Actor.* IX. 39.

3) *Apocal.* II. 6. *μισεῖς τὰ ἔργα Νικολαϊτῶν ἃ κἀγὼ μισῶ.* Nonne huic phraſeos ſtructuræ ſimilis eſt illa *Joh.* V. 17. *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι.*

4) *Apocal.* II. 28. *ὁ τηρῶν ἄχρι τέλους τὰ ἔργα μου.* Heic ἔργα, *opera* ponuntur pro λόγους, *verba.* Monuit id *Grotius* ad loc. Nusquam vero eundem vocis ἔργα ſignificatum alias invenimus, quam *Joh.* XIV. 10. *Τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ· ὁ δὲ πατὴρ, ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα.* Heic oppoſitio occurrit, quæ declarari non poteſt, niſi ponamus, quod phraſes, *loquens verba*, & *faciens opera*, unum idemque ſignificent. Quando enim Pater dicitur *facere opera*, eo non negatur, quod Filius non loquatur *verba* a ſe ipſo. Loci igitur hujus hæc eſt ſententia: verba, quæ loquor, non ſunt tantum mea; ſed Pater, qui manet in me, eorundem juxta mecum auctor eſt. Hunc ſenſum Dominus noſter diſerte exprimit v. 24. hujus capitis. *Verbum*, quod auditis, non meum eſt, ſed Patris, qui miſit me. Et rurſus VIII. 28. *Nihil facio a me ipſo, ſed, prout Pater meus me docuit, ita loquor.*

5) *Apocal.* III. 4. *καὶ περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ.* Similiter Joan. VI. 66. *καὶ οὐκ ἔτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν.* Reliqui Scriptores in ſimili argumento utuntur verbo *ἀκολουθεῖν.*

6) Τηρεῖν λόγον aut λόγους frequens eſt in *Apocalypſi.* Vid. III. 8. 10. & XXII. 7. 9. Eam vero phraſin nusquam in N. F. invenimus, ſi excipias *Joannis* Evangelium & epiſt. primam. Vide *Joan.* VIII. 51. 52. 55. XIV. 23. 24. XV. 20. XVII. 6. & 1 *Jo.* II. 5.

7) *Apocal.* III. 9. *καὶ ποιήσω αὐτοὺς, ἵνα ἥξωσι*: iterumque XIII. 12. 15. 16. 17. Idem ſtructuræ genus *Joan.* XI. 37. *οὐκ ἠδύνατο οὗτος ποιῆσαι, ἵνα καὶ οὗτος μὴ ἀποθάνῃ.* Reliqui hanc locutionem per *infinitivum* exprimunt, nominatim *Marc.* VII. 37. & *Luc.* V. 34.

8) *Apocal.* IX. 11. *Ονομα αὐτοῦ Αβαδδων*, & VI. 8. *ὄνομα αὐτῷ ὁ θάνατος.* Eadem loquendi ratio occurrit *Joan.* I. 6. III. 1. XVIII. 10. Reliqui ita loqui amant: *ᾧ ὄνομα*, vel etiam: *ὀνόματι δεῖνα ἢ δεῖνα.*

9) *Apocal.* IX. 5. *καὶ ἐδόθη αὐταῖς, ἵνα μὴ ἀποκτείνωσιν αὐτοὺς, ἀλλ' ἵνα βασανισθῶσι.* Poſterius *ἵνα* abundat, cujusmodi pleonaſmus exſtat etiam *Joan.* XVIII. 26. ubi legimus, Judæos non intraſſe Prætorium, *ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα.* Sic *Joh.* III. 17. Quod ſi codicem *Cantabrig.* ſequi velimus, aliud habebimus exemplum *Johan.* VI. 39. Meo quidem judicio nusquam ejuſmodi aliquid in N. T. invenimus.

10) *Apocal.* XX. 4. *καὶ εἶδον θρόνους, καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτοὺς* ſupple, *ἄνθρωποι.* Eandem ellipſin deprehendimus *Johan.* III. 23. *καὶ παρεγίνοντο καὶ ἐβαπτίζοντο.*

11) *Apocal.* II. 3. *καὶ ἐβάστασας διὰ τὸ ὄνομά μου, καὶ οὐκ ἐκοπίασας*, vel *οὐ κεκοπίακας. Tu portaſti propter nomen meum, & non defatigatus es.* Hic verbi *ἐκοπίασας* ſignificatus exſtat quoque *Joan.* IV. 6. ubi Servator noſter dicitur *κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, feſſus ex itinere.* Reliqui Scriptores Sacri hac voce in *laborandi* ſenſu utuntur. Fateor equidem, *τὸ κεκοπίακας* eundem ſenſum hoc quoque loco ſecundum hodiernum textum habere. Lectionem vero modo ſuppeditatam germanam eſſe veri eſt ſimilius. Firmatur enim ab Alexandr. & decem aliis Græcis codd. ut & *Vulg. Syriac. Arab.* & *Æthiop.* verſionibus. Invenitur præterea apud *Aretham* in textu & commentario, nec minus in *Complutenſi* & *Aldina* editt. itemque in duabus prioribus *Eraſmi* editionibus. Denique vero inter lectiones Veleſianas exſtat. Præterea cum varietas hæc ex ſcholio quodam aut interpretamento marginali orta videatur; lectio, pro qua pugno, interpretamento ejusmodi minus eſt conveniens, quia *ἐκοπίασας* ibi ſignificatum habet non conſuetum: quæ cauſa eſt, cur *κέκμηκας* ex adverſo in margine, expoſitionis inſtar, poſitum fuerit. Hinc vero, quæ & *Millii* eſt ſententia, ſuccedente tempore, librariorum lapſu, in contextum irrepſit.

Ita teſtatum feci, Scriptorem Apocalypſeos cum *Joanne* Evangeliſta egregie non ſolum in ſententiis particularibus, ſed & in rationibus loquendi conſpirare. Utrumque vero momentum argumentum, reliquis internis validius, pro *γνησιότητι* librorum ſuppeditat. Minutæ enim & exiguæ *phraſium* ac ſtructurarum conformitates a Lectoribus raro obſervantur, ideoque ab impoſtoribus & ſpuriorum librorum ſcriptoribus imitando minus exprimuntur.

Summa dictorum hæc eſt, quod *Apocalypſis S. Joanni* Apoſtolo & Evangeliſtæ iisdem, vel potius melioribus argumentis adſcripta ſit, quam quibus ſcripta antiqua in univerſum omnia ſuis vindicata ſunt auctoribus. Nonne igitur inſigne partium ſtudium teſtatur, quod homines increduli Apocalypſin pro ſpuria habent, reliqua vero illa ſcripta ut germana admittunt? Tam male vero animati ſunt illi, cum quibus nobis res eſt. Cauſæ inde a quindecim ſæculis definitæ novo examini ſubjiciuntur, nec longiſſimum temporis intervallum pro libris Canonicis valide pronunciare exiſti-

Digitized by Google

exiſtimatur. At enimvero Divini Numinis providentia idoneis ſubſidiis nos inſtruxit, quibus ſacra ejus oracula adſerere poſſimus. Tot enim teſtimonia pro libro Apocalypſeos facientia adhuc exſtant, & tot interna γνησιότητος ejus argumenta ſuperſunt, ut incredulitas nihil examine ſuo, inique repetito, ſit lucratura. *Apocalypſis*, ut ſummatim dicam, omnia veritatis & fidei indicia & argumenta habet, nec minimam νοθείας ſpeciem adfricari ſibi permittit. Aut illa itaque *germana* eſt ſcriptio, aut nullum antiquitatis monimentum eo loco haberi debet.

Huc usque exhibui Partem I. Vindiciarum *integram, qualem eam* Twelſius *dedit: reliqua, ne longior ſim, in compendium referam.*

PARS II.

qua Annotatoris ad Novum Teſtamentum Græco-Anglicanum & Auctoris Diſſertationis Hiſtoricæ & Criticæ de Apocalypſi, S. Joanni tributa, exceptiones contra argumentum a traditione ſumtum diluuntur.

CAPUT I.

teſtimonia eorum Patrum vindicans, qui inde a promulgatione ejus uſque ad Annum Chriſti CCX. quo tempore primum cauſa hæc in dubium vocata videtur, Apocalypſeos γνησιότητα & θεοπνευςίαν adſeruerunt.

SECT. I.

De JUSTINO MARTYRE.

JUſtini Martyris teſtimonium pro fide *Apocalypſeos* ab *Annotatore* & Auctore *Diſſertationis* pag. 6. tacite agnoſcitur. Uterque vero auctoritati ejus parum tribuunt ob hallucinationes quaſdam, in ſcriptis ejus obvias, quando v.c. *Simonem Magum* cum *Semone Sango* confudit, & *Herodem* Ptolemæo Philadelpho æqualem dixit. *Diſſertator* præterea credulitatem ejus nimiam ex admiſſis *Sibyllæ Cumææ* oraculis, & Interpretum Alexandrinorum LXXII. cellis patere exiſtimat. Sed poſitis his *Juſtinus M.* idoneus teſtis haberi poteſt *Apocalypſeos* ſua ætate receptæ. Neque enim hæc res a noti-

tia Linguæ Latinæ pendet, per quam factum eſt, ut Latinam inſcriptionem *Semoni Sango* dedicatam, *Simoni Mago* tribueret. Illa enim, quæ ad *Apocalypſin* ſpectant, inter *Græcos* agebantur. Erraverit etiam in negotio *τῶν* LXX. quod quatuor vel quinque Sæculis ante actum eſt, utique vel ſic vera narrare potuit de re illa, quæ ipſius ætate agebatur. Imponi porro Chriſtianis & Juſtino M. poterat carminibus, *Sibyllæ* alicui *antiquæ* ab impoſtore aliquo ſuppoſitis; idem vero non æque fieri poterat de libro, non ante annos admodum multos a Joanne ſub nomine ſuo ſcripto, & a Chriſtianis recepto. Denique errare potuit idem in admittenda ſpeciali illa de cellis *τῶν* LXX. traditione; non vero ſimiliter in adferenda ſuæ ætatis de conditione libri paulo ante ſcripti ſententia. Scilicet exempla allata oſtendunt tantum, *Juſtinum* M. in arte *Critica*, *Chronologia* & Hiſtoria remotiore ceſpitaſſe; non autem evincunt, eundem teſtari non poſſe de re ſuæ ætatis, ad quam judicandam nec *eruditio*, nec *judicium*, nec *acumen* multum requirebatur.

At enimvero nondum evictum eſt, *Juſtinum* in his omnibus, quæ illi exprobrantur, erraſſe. Ita non liquet, eum Romanis falſo imputaſſe, quod *Simoni Mago* ſtatuam dedicarint, ex eo, quod ſtatua quædam reperta eſt *Semoni Sanco* vel *Sango* erecta. Quamvis enim, quod nonnulli ſibi perſuadent, alterius nomen cum illo alterius primo intuitu a *Juſtino* confundi facile potuerit, credine poteſt, virum non ineptum rem non penitius expenſam in *Apologia* publica, ad Superiores miſſa, conſignaturum, aut Chriſtianos, qui *Romæ* verſabantur, ea legentes, de errore eum non monituros, aut Imperatorem denique & Senatum Romanum allucinationem ejus reprehenſuros & caſtigaturos non fuiſſe? Ponamus vero, eos caſtigaſſe, credine poteſt eum idem altera vice, imo etiam in *Dialogo cum Tryphone* repetiiſſe? Imo num veteres doctores, qui eum ſecuti ſunt, nominatim *Irenæus*, qui ipſe Romæ fuit, & *Tertullianus*, ſuperſtitionis paganæ adeo peritus, idem tradere potuiſſe cenſendi ſunt? Num *Euſebius* & *Cyrillus* ſenior, eundem errorem, ſi talis fuit, errare potuerint? Ipſo Sæculo V. ineunte *Auguſtinus* & *Theodoretus* idem, additis etiam circumſtantiis, ante non commemoratis, repetunt, quod, *Tillemontio* judice, in *Memoriis Eccleſiaſt.* Tom. II. pag. 482. not. 2. argumento eſt, narrationem hanc non unius viri ſed plurium auctoritate inniti. Vide ibidem alia pro *Juſtino* allata.

Diſſentientes rectius *Juſtino* id exprobrant, quod *Herodem* Ptolemæo Philadelpho, qui duobus Sæculis ante vixerat, æqualem dixerit. Si enim id Juſtinus M. ſcripſit, ſi *Herodem Magnum* indicavit, eum hiſtoriæ ſatis cognitæ ignariſſimum fuiſſe neceſſe eſt. Talis vero non fuit, cum *Cohortatio* ejus *ad Græcos* egregiam hiſtoriæ & Chronologiæ notitiam illi vindicet, *Photiusque* illum *πολυμαθείας τε καὶ ἱστοριῶν περιῤῥεόμενον πλούτῳ* appellet.

pellet. Num itaque hic talis vir hunc errorem committere, aut *Herodis* ætate Bibliothecam Alexandrinam conditam credere potuit, quam tiro quivis eo tempore flammis jam periiſſe noverat? Hæc certe efficiunt, ut credamus, parachroniſmum ejuſmodi a *Juſtino* committi non potuiſſe. Probabile itaque eſt, nomen Ηρώδη & Ηρώδης, quod hodie in libris Juſtini editis & ſcriptis conſtanter legitur, non ab ipſo Juſtino profectum, ſed a Scholiaſte aliquo in margine collocatum, inde vero a librariis incurioſis in contextum relatum eſſe. Cauſa utique eſt, cur credamus, *Juſtinum* illius nomen, qui tempore Ptolemæi Philadelphi Hieroſolymis rebus præfuerit, non diſerte appellaſſe, aut, ſi appellaverit, eum *Eleaſarem*, non *Herodem* vocaſſe. *Juſtinus* enim in hac cauſa vel *Philonem* vel *Joſephum*, ad quos lectores ipſe ablegat, fuit ſecutus. Jam vero *Philo*, ſine ullo nomine appellato, ait *Ptolemaum* πρὸς τὸν τῆς Ιȣδαίας ἀρχιερέα καὶ βασιλέα miſiſſe, (de Vita Moſis pag. 658.) *Ioſephus* autem de Antt. Judaic. XII. 2. Sumuum illo tempore Sacerdotem *Eleaſarem* poſt *Ariſteam* appellat. Num autem veri eſt ſimile, *Juſtinum* duobus illis, ad quos provocat, contradicere voluiſſe. Fortaſſe tamen dici poterat, Juſtinum *Herodis* nomen eo ſenſu adhibuiſſe, ut Regem indicaret, qui Ptolemæi tempore urbi Hieroſol. præfuerit. Quod ad *Sibyllarum* carmina & cellas illas τῶν LXXII. attinet, illa quidem *Juſtino* fraudi non ſunt, cum teſtes ſuos attulerit, quorum fide ſit nixus. Denique obſervandum eſt, errare *Diſſertatorem*, quando *Juſtinum* ad an. 170. refert, cum edictum *Antonini Pii* pro Chriſtianis, Apologia ejus prima impetratum, jam anno 140. promulgatum eſſe conſtet.

SECT. II.

De IRENÆI *teſtimonio.*

Irenaum Annotator credulum nimis fuiſſe, *Diſſertator* autem pag. 9. alienis tantum oculis vidiſſe affirmat. Neutrum fraudi nobis eſt, qui ejus teſtimonio in ejuſmodi cauſa utamur, de qua homines ejus æquales teſtabantur. Jam vero *Irenaus* non tantum lib. IV. cap. 37. *Apocalypſin* adhibet, quod Diſſertator frigide ait, ſed eandem *Joanni*, qui olim Domini pectori accubuerit, tribuit. Imo nec eo tantum loco, quo millennium tuetur, ſed paſſim alias alia occaſione adfert.

Idem prophetiam *Baruchi* allegat; ſed ex eo non conſequitur, quod eandem pro libro Scripturæ canonico habuerit.

Irenaus Hermæ Paſtorem excitans ait, *Scriptura pronunciavit.* Scilicet Patres frequenter *ſcripta*, quæ inter apocrypha numerabant, *Scriptura* nomine appellabant, quod contra *Tolandum* evicit *Richardſonus* in Canone N. T. vindicato pag. 26.

Eidem obvertitur, quod methodo parum idonea uſus ſit, ad veritatem & fidem quatuor Evangeliorum explorandam & ſtabiliendam, cum tamen

men

men longe aliis iisque magis idoneis præſidiis uti potuerit. Reſpondeo, nos teſtimonio ejus uti in cauſa illa, quæ nulla argumentatione, ſed oculis tantum indiget. Porro *Irenæus* uſurus fortaſſe erat illis, quæ diſſentiens recitat, præſidiis, aditurus Eccleſias, exploraturus tabularia, inſpecturus ἀυτόγραφα. His vero ut ipſe non indigebat, de fide eorum certiſſime perſuaſus; ita probe intelligebat, ea apud adverſarios parum eſſe valitura.

Ultimo loco Diſſertator pag. 11. oſtendere conatur, *Irenæum* Papiam & Polycarpum, Joannis diſcipulos videre, quod vulgo creditur, atque adeo γνησιότητα Apocalypſeos ex ore ejus diſcere non potuiſſe. *Papiam* enim ait ante *Polycarpi* ætatem obiiſſe, *Irenæum* vero de poſteriore hoc, tanquam viro adeo ſene, loqui, ut eum in juventute ſua videre vix potuerit. Quaſi vero, quo magis ſenex fuit Polycarpus, hoc minus ſit probabile, *Irenæum* illum in juvenili ſua ætate vidiſſe. Quo vero argumento oſtendit, *Papiam* ante *Polycarpi* ætatem obiiſſe? Sane auctor Chronici Alexandrini Papiam teſtatur anno *M. Aurelii* tertio h. e. An. C. 163. vel 164. martyrium ſubiiſſe. Tum vero, quod mox teſtatum faciemus, Polycarpus aliquot annis ante obierat. Quod ſi igitur *Irenæus Polycarpum* vidit, quod ipſe clare & diſerte affirmat, multo magis *Papiam* conſpexiſſe cumque eo verſatum eſſe neceſſe eſt. Monet idem, *Irenæum* nusquam teſtari, ſe cum alterutro eorum verſatum eſſe. At enimvero *Irenæus* in epiſtola ad Florinum, quæ exſtat apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. V. 20. diſerte affirmat, ſe Polycarpi ad populum conciones, in quibus ea, quæ cum *S. Joanne* locutus ſit, narrare conſueverit, ſedulo audiviſſe, eaque omnia memoria tenere. (*Plura in hanc cauſam affert* Twelſius, *quæ, utpote longiora, apponere nolo, cum dicta ſufficiant.*)

SECT. III.

De MELITONIS teſtimonio.

Diſſertator pag. 13. objicit, ab *Euſebio* tractatum *Melitonis* de diabolo Apocalypſeos adferri, neque tamen conſtare, cum ille perierit, utrum *Melito* auctoritatem Apocalypſeos adſtruxerit, an minus. Male ille ex duobus *Melitonis* tractatibus, ab *Euſebio* memoratis: καὶ τὰ περὶ τοῦ Διαβόλου, καὶ τῆς Ἀποκαλύψεως unum facit; quando *Hieronymus* quoque, idque clarius, duos ejus libros, *de diabolo librum unum, de Apocalypſi Joannis librum unum* adfert. Data opera ita egit Noſter, ut veriſimilius evaderet, *Melitonem* Apocalypſi non faviſſe. Idem porro *Joannis* nomen penitus tacet, quod tamen & *Euſebius* & *Hieronymus* recitat; ideo tantum, ut majori ſpecie ſuſpicari poſſet, *Melitonem* unum ex illis fuiſſe, quos *Dionyſius Alexandrinus* ait Apocalypſi eſſe adverſatos. Hæc vero conjectura exigua veri ſpecie ſe commendat, cum credibile non ſit, *Dionyſium* nomen tam illuſtre,

luſtre, ſi huc pertinuiſſet, taciturum fuiſſe, quod & *Euſebius* non magis quam *Caji* & *Dionyſii* illud, ſilentio erat prætermiſſurus.

SECT. IV.

De Apollonio & Theophilo Antiocheno.

Diſſertator pag. 15. largitur, *Apollonium* in libro adverſus *Montaniſtas*, *Theophilum* autem in Tract. contra *Hermogenem* Apocalypſin attuliſſe, negat vero, conſtare nunc poſſe, cum uterque liber perierit, quomodo illam citarint, aut num Joanni Evangeliſtæ adſcripſerint. At libri illi Euſebii ætate exſtabant, qui non taciturus erat, ſi Apocalypſis vel ut liber Apocryphus, vel ut Joannis alterius ſcriptum fuiſſet allata, cum alias veterum v. c. *Caji* de ea ſententias candide expoſuerit. Imo *Apollonius*, teſte *Euſebio*, teſtatus eſt eundem Joannem hominem mortuum divina virtute Epheſi in vitam revocaſſe. *Joannes* itaque, qui Apocalypſin ſcripſit, *Apollonii* judicio non fuit Scriptor apocryphus. Contra *Theophilum* id affertur, mirum non eſſe, quod *Apocalypſi* adverſus hæreticos utatur, cum *Sibyllina* carmina, tanquam prophetica, paganis opponere non dubitarit. At hoc ipſum pro noſtra cauſa facit. Sibyllina carmina *Theophili* ætate germana habebantur.. Eam itaque ut non deſeruit Theophilus, ita, quando Apocalypſin ut θεόπνευστον adfert, ætatis ſuæ ſententiam candide expoſuiſſe hoc magis cenſendus eſt. Jam vero Patres in hac cauſa non *judicum*, ſed *teſtium* loco a nobis adferuntur.

SECT. V.

De teſtimonio CLEMENTIS ALEXANDRINI.

Diſſertator ex variis *Clementis* locis, ubi *Apocalypſis* citatur, eum tantum affert, qui *Pædagog*. II. 10. fine addito nomine exſtat. Sed nec eo opus erat, cum ibi emphatice dicatur: ἡ ἀποκάλυψίς φησι, tanquam quæ una reliquis, quæ tunc exſtabant, ἀποκαλύψεσι eſſet eminentior, & ſola *Canonica*. Notandum porro eſt, *Clementem*, qui alias in *Stromatibus* apocrypha Chriſtianorum ſcripta paſſim citat, nullum ejuſmodi in *Pædagogo* unquam appellare.

Clementem pag. 16. ait ex *Petri Apocalypſi* locum promere. Id vero fit non in ſcriptis *Clementis* fidei non dubiæ, ſed in *Theodoti* excerptis, de quibus quid habendum ſit, inter eruditos nondum conſtat. Nec apparet aliunde, *Clementem* illi Apocalypſi multum tribuiſſe.

Obvertitur porro, eundem alibi *Baruchi* & *Hermæ* Paſtorem ut divinam Scripturam citare. Heic vero tenendum eſt, & *Clementem* & alios Patres prophetiam non ſub *Baruchi*, ſed *Jeremiæ* nomine adferre, atque adeo

illi acceptam tuliſſe videri. *Hermæ* dictum aliquod, ut *divinum*, adfert rhetorica quadam loquendi ratione, quemadmodum pag. 688. aliquid ab *Euripide* πάνυ θαυμαστῶς dictum profitetur, & Platonem μονονουχὶ προφητεύοντα pag. 714. appellat.

Tobiæ librum *Scripturam* vocat, more Patrum; neque tamen id, ut ſupra jam monitum eſt, tales libros ab ipſis pro Canonicis habitos eſſe, evincit.

Denique teſtimonia promit ex libro *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtico*, epiſtolis item *Clementis Romani* & *Barnabæ*. Sed mera illorum allegatio non efficit, ut Clemens eos inter Canonicos numeraſſe credatur, niſi idem de *Platonis* & *Euripidis* ſcriptis, ab eodem allegatis, adſerere velimus. Idem tenendum eſt de *Petri Prædicatione*, *Pauli Itineribus*, *Evangelio ſecundum Hebræos*, & *ſecundum Ægyptios* &c. Hos enim libros nuſquam vel *Scripturam* appellat, vel pro *Canonicis* venditat.

Quod vero plurimum valet, *Clemens* Apocalypſin efficaciſſime ut *Canonicam* laudat, Scriptorem ejus *Prophetam* appellans *Stromat.* III. p. 560. quo quidem nomine nullum Scriptorem librorum apocryphorum, ſive ex Judæis, ſive ex Chriſtianis fuerit, inſignire conſuevit.

SECT. VI.

De TERTULLIANI teſtimonio.

Tertulliani teſtimonium pro Apocalypſi clarius eſt, quam ut eludi ullo modo poſſit. Itaque *Diſſertator* operam dedit, ut illum hinc *odioſum* & inviſum redderet, hinc *ridendum* propinaret. Prius facit, quando eum & *Chiliaſmi* & *materialitatis animarum* patronum eſſe clamat, ac præterea cauſatur, eundem Apocalypſi ideo faviſſe, quod utriuſque hujus erroris argumenta in illa invenire ſibi videretur. Neutra vero opinio efficere potuit, ut pro Apocalypſi tanquam libro divino pugnaret. *Chiliaſmus* enim in Eccleſia non ante Sæculum III. inter errores, Chriſtiano indignos, numeratus fuiſſe videtur. Animam vero *materialem* eſſe ex parabola de divite & Lazaro ſatis ſibi colligere videbatur, quod patet ex libro de anima c. 10. Itaque non opus erat, ut Apocalypſin libris canonicis in gratiam ſententiæ ſuæ accenſeret, quam libro Can. alio ſuperſtructam putabat. Porro *ridendum* propinare conatur *Tertullianum* p. 20. ad ea provocans, quæ lib. III. adv. Marcionem cap. ult. ad regnum chiliaſticum probandum affert: *Confitemur in terra nobis regnum repromiſſum* &c. *Conſtat enim*, *Ethnicis quoque teſtibus in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis civitatem de cælo pependiſſe*, *omni mœniorum habitu evaneſcente de profectu diei.* Ponamus jam, *Montaniſtas* ven-

venditata hac viſione *Tertulliano* impoſuiſſe, num propterea fides ejus in dubium vocari debet, quando teſtatur, Apocalypſin ſua ætate pro libro Scripturæ Canonico habitam fuiſſe?

Objicitur porro pag. 21. *Hermæ* Paſtorem ut librum Scripturæ Sacræ a *Tertulliano* citari. Jam conſtat quidem, in libro *de Oratione* eum *Scripturæ* nomine adferri: at idem *de Pudicitia* c. 10. illum *canonicum* eſſe negat. *Cederem tibi*, inquit, *ſi Scriptura Paſtoris divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni Concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter Apocrypha & falſa judicaretur.*

CAPUT II.

Vindiciæ illorum Scriptorum, qui pro Apocalypſi faciunt, inde ab Anno Chriſti CCX. uſque ad Sæculum hoc medium.

SECT. I.

De ORIGENIS teſtimonio.

DIſſertator pag. 21. monet *Origenem* Apocalypſin ſub *Joannis* nomine in præfat. ad Evangel. Joannis, & in Homilia VII. ſuper librum Joſuæ, oracula vero Apocalypſeos in commentario ſuper *Matth.* allegare. Inique agit Noſter, quod hæc tantum teſtimonia adfert ex pluribus aliis ſupra Parte I. c. 2. allatis, inter quæ talia ſunt, quæ *Joanni* Apoſtolo & Evangeliſtæ Apocalypſin diſerte tribuunt.

Origenes Hermæ Paſtorem ut librum θεόπνευστον afferre dicitur. At nunquam illum inter *Canonicos* retulit. Neque enim vel in ejus Catalogo librorum ſacrorum apud *Euſebium* VI. 25. Hiſt. Eccleſ. vel in homilia XIV. ſuper *Geneſin*, ubi omnes Scriptores Nov. T. commemorantur, occurrit. Deinde librum *Hermæ* nunquam *ſimpliciter* ut *Apocalypſin* laudat, ſed ſæpe dubiæ fidei in Eccleſia eſſe profitetur. Vide v. c. Homiliam VIII. ſuper *Numer.* & confer *Richardſoni* præfat. ad Canonem N. T. vindicatum p. 9. Similiter comment. in Matth. pag. 361. ed. Huet. ait, γραφὴν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ φερομένην μὲν, οὐ παρὰ πᾶσι δὲ ὁμολογουμένην εἶναι θείαν.

Librum *Sapientiæ*, quem paſſim laudat, *Salomonis* eſſe non credidit. Nam homil. in Jerem. pag. 96. & in Johan. pag. 289. illum τὴν Σοφίαν τὴν ἐπιγεγραμμένην Σολομῶντος vocat, comm. vero in Joan. locum ex illius I. 5. hoc modo adfert: εἰ δὲ τις προσίεται καὶ τό.

Diſſertator Revelationes *Eliæ*, & *Pauli* ab Origene ait afferri, quod ad illas recte quidem, quas tamen inter libros V. T. non cenſuit; quod ad has falſo, cum illæ *Auguſtini* demum ætate h. e. 150. annis poſt in medium ſint allatæ.

Idem alia ejusmodi ſcripta ab *Origene* ad partes vocata recitat, oſtenſurus, eum *Canonica* ab *Apocryphis* ſcriptis diſtinguere non potuiſſe, ſed talia exempla adfert, quæ, inſtituto examine, contrarium potius evincant.

SECT. II.

De HIPPOLYTI teſtimonio.

Hippolytus in Homilia quadam ſua *Apocalypſin* a S. *Joanne* Evangeliſta ſcriptam eſſe tradit, at in eadem, monente Diſſertatore, *Baruchi* prophetiam *Scripturam* appellat. Ita vero Patres ſæpe agunt adverſus libros, quos tamen pro Canonicis non habent, ut taceam, *Hippolytum* ſcire & teſtatam facere Eccleſiæ tunc florentis de libris N. F. ſententiam potuiſſe, etiamſi *apocryphum* aliquem librum V. T. cum Canonico confuderit.

SECT. III.

De CYPRIANI teſtimonio.

Cyprianus Apocalypſin quidem *Joanni* aut *Joanni Apoſtolo* diſerte non tribuit, at pro Canonica & θεοπνεύςῳ omnino habuiſſe videtur. Eam enim æque frequenter atque ullum alium N. T. librum, idque additis honoris titulis, allegat. Ita ep. 34. ed. Oxon. & ep. 63. *Scripturam divinam* appellat: & in *Exhortat. ad Martyr.* §. 8. *In Apocalypſi eadem loquitur divinæ prædilationis hortatio.* Imo pag. 97. *de habitu Virginum* facta Apocalypſeos citatione: *Sic in Scripturis Sanctis, quibus nos inſtrui Dominus voluit & moneri;* ubi ſimus ad 2 *Timoth.* III. 16. alludere videtur. Negari non poteſt, eundem adferre *Tobiæ* & *Maccabæorum* libros, ſed non ſub titulo *ſcriptorum* θεοπνεύςων, quemadmodum *Baruchi* prophetiam, ſed ſub *Jeremiæ* nomine, tanquam vaticinii ejus partem, quæ plurium Patrum fuit ſententia. Imo *Eccleſiaſticum* quoque ſub *Salomonis* nomine excitat, non tam ex ſua, quam ætatis illius communi ſententia, cum cordatus nemo illum *Salomoni* tribuere poſſit, qui meminerit, cap. XLVII. Prophetas aliquot & Sanctos viros alios laudari, qui multis poſt Salomonem ſæculis vixerunt. At librum *Sapientiæ*, titulo ejus deceptus, pro θεοπνεύςῳ & germano Salomonis libro agnovit. Erravit itaque interdum, quod ad canonem V. T. quod vero ad canonem N. T. attinet, nullum omnino librum adfert, qui non in canonem ſit receptus. Ex quo demonſtrari fere poteſt, Apocalypſin ejus ætate ab omnibus Scriptoribus Catholicis ut *Canonicam* receptam fuiſſe, a qua alioquin alleganda non minus, quam à reliquis, de quo-

Digitized by Google

quorum auctoritate non ita conſtabat, temperaturus ſibi fuiſſet. Contra hæc quinquaginta *Apocalypſeos* loca, & inter hæc bene longa attulit.

CAPUT III.

De teſtimoniis APOCALYPSI contrariis, quæ DISSERTATOR inde a prima ejus promulgatione ad Sæculum III. medium promit.

SECT. I.

De ſilentio veterum aliquot Scriptorum, ratione Apocalypſeos.

IGnatium ait in epiſtolis ad *Epheſios*, *Philadelphienſes* & *Smyrnæos*, ad quos & Joannes in *Apocalypſi* ſcripſerat, nullam in illa ad Epheſios ſpeciatim mentionem vel moræ, a S. Joanne apud *Epheſios* factæ, vel *Apocalypſeos* ad preces eorum ſcriptæ feciſſe, cum tamen *Pauli* tanquam Doctoris eorum meminerit. Hinc putat conſequi, eam tunc vel nondum ſcriptam, vel pro non Canonica habitam fuiſſe. Conſtat vero, epiſtolas has ab *Ignatio* in itinere, Romam ad martyrium ſubeundum ſuſcepto, feſtinanter exaratas eſſe, neque adeo mirum, ejuſmodi res, quæ alias commemorari potuiſſent, ſilentio fuiſſe præteritas. Fortaſſe tamen *Joannis* data opera non meminit, ideo quod de Paulo jam facta erat mentio. Porro hoc *Ignatii* ſilentium nihil probat, quia nimium probat. Sequeretur enim, *Joannem* nunquam Epheſi fuiſſe vel docuiſſe. Utrumque vero *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Dionyſius*, *Alexandrinus*, *Euſebius* & *Hieronymus* teſtatum fecerunt. *Epheſinæ* denique Eccleſiæ precibus ad Apocalypſin ſcribendam *Joannes* adduci non potuit, (quod nec ullus veterum tradit,) cum ipſius Domini mandato ad eam conſignandam ſe permotum profiteatur.

Papiam ait pag. 30. Apocalypſeos non meminiſſe. *Andreas* vero *Cæſarienſis* qui Anno Chriſti D. floruit, in præfatione ad commentar. in Apocalypſin auctor eſt, *Papiam* honorificam ejus mentionem feciſſe. Nec obſtat, quod *Euſebius* eam inter libros N. T. a *Papia* agnitos, omittit. Nam *Euſebius* non omnes tales recitare voluit, niſi dicere velimus, *Papiam* præter *Acta Apoſt. Matthæi* & *Marci* Evangelia, *Petrique* & *Joannis* epiſtolas, (hos enim libros tantum *Euſeb.* adfert,) nullum alium librum N. T. ut Canonicum agnoviſſe. *Euſebius* porro, ubi *Papiæ* meminit, Apocalypſin, tanquam ab eo agnitam, non commemorat, vel oblivione rei adductus, vel, quod ea *Papiæ* ſcripta non vidit, quæ poſtea ad *Andreæ Cæſarienſis* manus pervenerunt.

SECT. II.

De Anonymis Scriptoribus, ad quos, tanquam Apocalypſi *adverſantes, provocat DIONYSIUS ALEXANDRINUS.*

Exſtat *Dionyſii Alexandrini* apud *Euſebium* fragmentum, quo traditur, nonnullos, ætate ejus ſuperiores, in Apocalypſin calamum ſtrinxiſſe. Cum vero *Dionyſius* nomina eorum non appellarit, obſcurum eſt, cujus vel *ætatis* vel *conditionis* fuerint. Jam vero cauſa eſt, cur ſuſpicemur, eos vel *hæreticos*, vel exiguæ auctoritatis, vel unum fortaſſe *Cajum* fuiſſe, qui 40. annis ante *Dionyſium* floruit. Si enim *Catholici* Scriptores fuiſſent, aut ratione *ætatis*, *conditionis*ve ſuæ multum valuiſſent, num credibile eſt, *Dionyſium* nomina illorum omiſſurum fuiſſe, qui e contrario ſimpliciter τινὰς τῶν πρὸ ἡμῶν appellat? Quod ſi etiam ullus Scriptor Catholicus præter *Cajum* Apocalypſi ſcriptum oppoſuiſſet, quomodo factum eſt, ut rei hujus memoria *Euſebium* & *Hieronymum* ſubterfugerit?

SECT. III.

De CAJI teſtimonio, quod non ad Apocalypſin Joannis, *ſed ad aliam ipſi a* Cerintho *ſuppoſitam ſpectare videtur.*

Cajus, Romanus Presbyter, A. C. 200. ut *Diſſertator* pag. 33. ait, vel potius 210. apud *Euſebium* H. E. III. 28. contra Chiliaſtas diſputans, *Cerinthum* ait Apocalypſes, tanquam a magno Apoſtolo ſcriptas, producentem nihil niſi prodigioſas ſuas de regno Chriſti in his terris per millennium duraturo adferre. Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος, ὁ δι ἀποκαλύψεων, ὡς ὑπὸ Ἀποςόλȣ μεγάλȣ γεγραμμένων, τεραλολογίας ἡμῖν, ὡς δι ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάςασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τȣ͂ Χριςȣ͂, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερȣσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δȣλεύειν. Καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τȣ͂ Θεȣ͂ ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς θέλων πλανᾷν λέγει γίνεσθαι. Ex his verbis apparet, inter Apocalypſin S. Joannis, & eam, quæ a *Cajo* tribuitur *Cerintho*, magnum intercedere diſcrimen. *Chriſti* enim regnum a *Joanne* mille annis definitur; a *Cajo* vero tempus durationis ejus non determinatur. *Hieroſolyma* a *Joanne* commemorata, appellantur *nova*, ut a *vetere* & *terreſtri* urbe diſtinguantur; repræſentatur eadem urbs nova, tanquam ex cœlo deſcendens, cum e contrario *Cerinthus* ex *Caji* narratione, docuerit, homines aliquando eandem urbem πάλιν, *altera vice*, nempe *veterem* illam inſtauratam eſſe habitaturos. Porro S. *Joannes* urbem illam ſuam Hieroſol. deſcribit, ut a viris ſanctis tantum habitatam, cap. XXI. 27. XXII. 14. 15. At Cerinthi illa hominibus terrenis & genio indulgentibus patere debebat.

Cives

Digitized by Google

Cives ejus voluptatibus, *Joannis* vero illi *Deo* & *agno* ſervire debebant. *Apocal.* XXII. 3. Denique *Cerinthus*, Scripturæ diviniori adverſans, *mille annos* in nuptialibus feſtivitatibus tranſigendos ſperare poſt reſurrectionem jubebat, quando Joannes ab altera parte deliciarum ejusmodi carnalium nullam ſpem fecit, nec per Scripturam facere potuit, quæ doceat, homines poſt reſurrectionem *nec ducere uxores*, *nec nubere*. *Matth.* XXII. 31. Diſſertator fruſtra ſuſpicatur, *Cajum* ad *nuptias agni*, in Apocalypſi memoratas, alludere. Nemo enim tam poterat eſſe ſtupidus, ut nuptias has ſenſu *proprio* acciperet, cum agni ſponſa non unum aliquod *individuum*, ſed nova Hieroſolyma conſtituatur. Neque porro *Cajus* ob nuptias ejusmodi ſpirituales Cerinthum Scripturæ inimicum pronunciaturus erat, quæ ipſa conjugii inter Chriſtum & Eccleſiam perpetui meminerit *Epheſ.* V. 29. 32. Summatim dicam: *Cajus* vel recte repræſentavit illam *Cerinthi* Apocalypſin, vel minus. Si recte, diverſa omnino fuit ab illa *Joannis*, nec teſtimonium ejus auctoritati illius obſtat. Si minus recte, *Cajum* vel *exigui* vel *mali* ingenii hominem fuiſſe neceſſe eſt, qui rem hanc perſpicere non potuerit, aut librum illum fictis falſisque coloribus deformare voluerit. Utrinque vero teſtimonio ejus nihil prorſus fuerit tribuendum.

Cajum tamen non germanam illam Joannis Apocalypſin notaſſe ex eo præterea recte colligas, quod a Romana Eccleſia conſtanter fuit recepta. Si enim *Cajus*, cujus magna Romæ erat auctoritas, eam *Cerintho* vere adſcripſiſſet, fieri non poterat, quin judicium ejus civibus ſuis omnia alia perſuaſiſſet. *Romanæ* itaque & *Latinæ* in univerſum Eccleſiæ præclarum de Apocalypſi judicium argumento eſt, *Cajum* de Apocalypſi quadam, a *Cerintho* fabricata eſſe locutum.

SECT. IV.

De DIONYSII ALEXANDRINI in Apocalypſin animadverſionibus.

Dionyſii Alexandrini de Apocalypſi judicium legitur apud *Euſebium* Hiſtor. Eccleſ. VII. 25. quod Diſſertator male admodum & ſiniſtre repræſentat. De eo itaque ſic habendum eſt. Pauci aliqui ante *Dionyſium* Apocalypſin rejecerant & contemtim habuerant: ipſe vero, communioris Chriſtianorum, pro libro θεοπνεύςῳ habentium, ſententiæ ratione habita, eam non rejicit: Ἐγὼ δὲ, inquit, ἀθετῆσαι μὲν ὐκ ἂν τολμήσαιμι τὸ βιβλίον, πολλῶν αὐτὸ διὰ σπȣδῆς ἐχόντων ἀδελφῶν. *Ego quidem librum rejicere non audeam, cum multi fratrum illum in pretio habeant.* Hoc poſito neceſſe ait eſſe, ut liber ſententias habeat Spiritu Sancto dignas, quæ cum in *literali* ſenſu non inveniantur, *ſublimiorem* aliquem & *abſtruſiorem* ſtatuendum exiſtimat,

iſtimat, quamvis eundem a ſe non perſpici fateatur. Hæc generatim monuiſſe ſufficiat. Jam vero exceptiones a *Dionyſio Alexandrino* ex mente aliorum, qui ante ipſum vixerant, allatas, expendam, oſtenſurus, nihil in illis eſſe, quod vel γνησιότητι, vel *auctoritati* Apocalypſeos fraudi eſſe poſſit.

Primo loco illi titulum libri: Αποκάλυψις Ιωάννȣ oppugnant, negantque, hinc, *eſſe revelationem*, hinc, *Joannis* eſſe, ſed a *Cerintho* potius ad chiliaſmum ſuum ſtabiliendum confictam. *Revelationem* male ajunt dici librum cujus argumentum ſit *obſcuriſſimum*. Reſpondeo autem, non omnia Apocalypſeos momenta ita comparata eſſe, cum varia morum præcepta, & in vitia animadverſiones, intelligentiæ cujuſque obvias, comprehendat. Ponamus autem, librum, quantus quantus eſt, *myſteria* tradere; vel ſic ἀποκάλυψις appellari poterat, eo ſenſu, ut illa revelari, ſive id claris, ſive obſcuris verbis fiat, dicantur. Ita Paulus 2 *Cor.* XII. 1. etiam ἄῤῥητα ῥήματα appellat ἀποκαλύψεις Κυρίȣ.

Cerinthi eſſe fœtum, ad firmandum millennium ſuppoſitum, ideo rectiſſime negaveris, quod primo doctrinas tradit *Cerinthi* illis prorſus contrarias, deinde vero adeo millennium illud *Cerinthi* non firmet, ut potius evertat.

Quod ad prius attinet, *Cerinthus*, auctore *Irenæo* I. 25. negavit, orbem a Deo ſupremo eſſe conditum. Huic errori adverſatur *Apoc.* IV. 12. *Cerinthus Chriſtum*, eodem teſte, a *Jeſu* diſtinxit, cumque hoc paſſum eſſe negavit, contra *Apocal.* I. 5. & 7. ubi non *Chriſtus*, ſed *Jeſus Chriſtus* ſanguine ſuo nos à peccatis laviſſe, & confoſſus eſſe traditur.

Quod ad poſterius, *millennium* Cerinthi, quale ab Adverſariis Apocalypſeos deſcribitur, ab illo Joannis permultum differt. Τȣ̃το γὰρ εἶναι (ita apud *Euſebium* Hiſtor. Eccleſ. VII. 25.) τῆς διδασκαλίας αὐτȣ̃ τὸ δόγμα, ἐπίγειον ἔσεσθαι τὴν τȣ̃ Χριςȣ̃ βασιλείαν, καὶ ὧν αὐτὸς ὠρέγετο, φιλοσώματος ὢν καὶ πάνυ σαρκικὸς, ἐν τȣ́τοις ὀνειροπολεῖν ἔσεσθαι· γαςρὸς γὰρ καὶ ταῖς ὑπὸ γαςέρα πλησμοναῖς, τȣ̃τ᾽ ἔςι σιτίοις, καὶ γάμοις, καὶ δι᾽ ὧν εὐφημότερον ταῦτα ᾠήθη ποριεῖσθαι ἑορταῖς καὶ θυσίαις καὶ ἱερείων σφαγαῖς. Num vero Scriptor Apocalypſeos, etiamſi literali ſenſu capiatur, delicias ejusmodi ſperare jubet, nec potius eas ab aditu loci Sancti prohiberi teſtatur? Nulla præterea in Apocalypſi feſtorum mentio injicitur, quæ ut ad *templum* erant adſtricta, ita in novis illis Hieroſolymis locum habere non poſſunt, in quibus nullum ſibi templum conſpectum eſſe *Joannes* Apoc. XXI. 22. teſtatur. Hæc ſunt, quæ *Dionyſius* ex aliorum, ſe antiquiorum, mente obvertit. Jam vero audiemus, quæ ipſe ſenſerit.

Librum

Librum *divinum*, & præterea *Joannis* alicujus, hominis ſancti, & *θεοπνεύςυ* largitur. Negat vero eſſe *Joannis*, filii *Zebedæi*, cui Evangelium & epp. Catholicæ debeantur. Rationem ita ſentiendi hanc primam adſert, quod Joannes Apoſtolus & in Evangelio & in tribus epiſtolis ſuis prorſus taceat, cum illud in Apocalypſi frequenter occurrat. Alia vero ratio eſt Evangeliſtæ, alia Prophetæ. Evangeliſtæ ceteri ante Joannem ut & Paulus in epiſt. ad *Hebr.* nomen ſuum omiſerant; nemo vero V. T. Prophetarum ſimiliter egit, imo *Daniel*, cujus rationes Apocalypſeos Scriptor inprimis imitatur, nomen ſuum frequenter appellavit.

Secundo monet *Dionyſius*, inter Evangelium & epiſtolas *Joannis* miram eſſe & ſententiarum & dictionum adfinitatem; nullam vero talem in Apocalypſi, cum illis comparata, obſervari. Contra hæc ſupra variis, nec inficiandis, exemplis oſtenſum eſt, Apocalypſi cum Evangelio & epiſtolis Joannis egregie convenire.

Tertio obvertit, mirum fore, ſi Joannes Apocalypſin ſcripſiſſet, nec tamen vel ejus in epiſtola ſua, vel hujus in Apocalypſi mentionem feciſſet, quando Paulus in epiſtola revelationem ſibi factam, quamvis literis non conſignatam, commemoravit. Enimvero non erat occaſio epiſtolas in Apocalypſi excitandi, hæc vero, ſi *Millii* judicio ſtamus, ante epiſtolas ſcripta fuit, nec proinde in iis Apocalypſeos mentio fieri potuit.

Quarto, dictionem Evangelii & epiſtolarum ab illa *Apocalypſeos* ait eſſe diverſiſſimam; in illis enim *pure Græcam*, in hac vero minus talem, imo *Barbariſmis* & *Solæciſmis* plenam obſervari. Abſit, ut dictionem Apocalypſeos pure Græcam eſſe dicam, hodie tamen eam, quam *Dionyſii* ætate, pejorem eſſe non dubito, qui alioquin contextum, multis hodie Solœciſmis ſcatentem, non πῦ ſed *πολλαχῶς σολοικίζοντα* appellaturus fuiſſet. * Quod autem noſtra ætate Apocalypſis Solœciſmis abundet, inde natum puto, quod illi Apocalypſeos Scriptori familiariſſimi cenſebantur, nec propterea librariorum vitia ſolicite amovebantur. Interim *Dionyſius* Græcæ dictionis in Evangelio & epiſtolis caſtitatem nimis extulit, cum nec in illis Hebraicæ aut Syriacæ locutiones deſint. Earum exempla habes apud *Millium* Prolegom. §. 180. quibus & aliæ addi poſſunt. Phraſes igitur ejusmodi non efficiunt, ut Apocalypſin Joanni abjudicemus. Quod ſi enim illis præ ceteris Joannis ſcriptis abundare videatur, duæ rationes adferri poſſunt. Cum enim primo liber ſit Propheticus, Spiritui Sancto conſultum viſum eſt, Propheticis atque adeo *Hebraicis* phraſibus frequentius uti. Deinde Prophetica loquendi ratio ut plurimum non tam elegantiam & perſpicuitatem, quam argumentum ipſum ſpectare ſolet,

* *Cave, heic* TWELSII *judicium probes. Omnem enim Solæciſmorum ſuſpicionem ab illis, qui illorum poſtulantur, locis alienam eſſe infra ex notis apparebit.*

ſolet, adeoque mirum non eſt, in Apocalypſi dictionis minorem, quam in Evangelio & epiſtolis curam habitam fuiſſe.

Denique nulla veri ſpecie *Joannem*, Epheſinum Presbyterum, auctorem Apocalypſeos eſſe ſuſpicatur. Primo enim veri non eſt ſimile, Spiritum S. non per Apoſtolum quendam, qualis erat Joannes, ſed per Presbyterum Epiſcoporum, quibus ille ſubjectus erat, vitia fuiſſe reprehenſurum. Deinde Scriptor Apocalypſeos expreſſe ea, quæ refert, in inſula *Patmo*, in quam religionis cauſa ejectus erat, vidiſſe dicitur, cujusmodi quicquam de Joanne Presbytero nusquam relatum legimus.

Quæ *Diſſertator* pag. 43. adfert, quod ſcilicet *Dionyſius Alex.* de Apocalypſi mitius & præclarius ſenſerit non ſuo judicio, ſed in ſæculi ſui gratiam, id omne calumnia abſolvitur. *Athanaſii* enim locus, quem in hanc ſententiam affert, ad omnia alia pertinet, & phraſis *κατ' οἰκονομίαν* non ſignificat *accommodationem ad aliorum mentem*, quam *Diſſertator* tribuit *Dionyſio*, ſed ad *Chriſtum* refertur, quem *Dionyſius* in epiſtola ad *Ammonium* & *Euphranorem creaturam* appellaverat *κατ' οἰκονομίαν*, i. e. in quantum ὁ λόγος naturam humanam adſumſerat, ut officio ſuo fungi & homines redimere poſſet.

Idem *Diſſertator* pag. 44. obvertit, ex Patribus, qui Apocalypſin citarint, probari non poſſe, eam inter *Canonicos* libros fuiſſe relatam, cum iidem Patres alios libros certiſſime *ſpurios*, tanquam θεοπνεύστους, attulerint. Reſpondeo, nullum ex Patribus, ſi *Cyprianum* exceperis, libros ſpurios ut divinitus inſpiratos, citaſſe. Id itaque argumento eſt, eam pro *Canonica* illis ſæculis, quibus a Patribus laudatur, habitam fuiſſe. Urget porro, cum illi, qui Apocalypſin aperte olim rejecerint, inter hæreticos non ſint numerati, vel hinc conſtare, quod tunc in canonem non fuerit admiſſa. Qui vero illi ſunt, qui eam ante *Dionyſii Alex.* ætatem aperte olim rejecerint? Supra enim oſtendi, *Cajum* non Apocalypſin Joannis, ſed aliam, a *Cerintho* confictam, damnaſſe. Reliquos vero illos, a *Dionyſio* ſine nomine in hanc cauſam productos, penitus ignoramus, nec ſcimus adeo, utrum illi fuerint hæretici, vel, ſi Catholici, utrum ob rejectam Apocalypſin hæreticis non fuerint adſcripti. Quod ad *Dionyſium* attinet, ille quidem propter ſuam de Apocalypſi ſententiam hæreſeos non eſt poſtulatus; at ex eo non conſequitur, quod tunc non fuerit in canonem recepta. Ipſe enim *Dionyſius* pro θεοπνεύστῳ, atque adeo digno habuit, qui in canone exſtaret. Imo ponamus, & *Cajum* & *Dionyſium* librum etiam ſine hæreſeos dica rejeciſſe, vel ſic negari non poſſet, illum ut *Canonicum* ab Eccleſia agnitum fuiſſe. *Junilius* enim, Epiſcopus Africanus, illum ſine inflicta hæreſeos nota averſatus eſt Sæculo VI. quamvis jam ante Sæculum unum & amplius in canonem Eccleſiæ Africanæ fuiſſet illatus. Non obſtat denique, quod Apocaly-

plis

pſis in *Apoſtolicorum Canonum* ultimo non inveniatur. Id enim non efficit, ut Sæculo III. ad quod illi referuntur, in canone fuiſſe negemus. Canones enim illi non ſunt ejuſdem antiquitatis, ultimus vero eorum, quo catalogus librorum ſacrorum continetur, Sæculo demum V. *Millii* judicio acceſſit.

SECT. V.

De teſtimoniis, quæ Apocalypſi vel favent, vel adverſantur, usque ad Sæc. III. medium.

Diſſertator, teſtimonia illa inter ſe comparans, obſervat, eos, qui *Apocalypſin* receperint, eam allegare ſimpliciter, nec exponere uſquam, quomodo ad ſe pervenerit; diſſentientes autem expendere omnia, in vetera monimenta inquirere, & varia ſcripta inter ſe invicem conferre. Sed nugæ hæ ſunt. Quomodo autem veteres illi libri γνησιότητα adſtruere debebant ante, quam in dubium vocaretur? Illorum hæ erant partes, qui primi diſſentiebant. Num vero quiſquam eorum ad antiquitatis conſenſum provocat? num quis vetus aliquod monimentum affert? Nonne omnes argumentis internis, iiſque admodum infirmis, aut etiam falſis, innituntur? *Dionyſius* quidem ad nonnullos Apocalypſeos adverſarios, ſe antiquiores, provocat; illi vero Sæculo integro inferiores videntur illis, quorum ætate in canonem erat recepta.

Illi itaque, qui Sæculo III. Apocalypſin oppugnarunt, ceteris longe ſunt inferiores, ſive *numerum*, ſive *auctoritatem*, ſive *ætatem* denique reſpicias. Accedit & illud, quod iidem, qui Apocalypſi adverſabantur, chiliaſmum quoque oppugnabant, veriti ſcilicet, ne auctoritas ejus in patrocinium hujus ſententiæ abriperetur. Hoc vero argumentum Diſſertator non nimis urgeri ſuadet, cum ipſi illi, qui Apocalypſin receperunt, chiliaſmo addicti fuerint. Inter hos *Juſtinum Martyrem*, *Irenæum* & *Tertullianum* numerat, ſolumque excipit *Origenem*. Enimvero nemo ex Chriſtianis orthodoxis Sæculi II. Apocalypſin rejeciſſe videtur; neque tamen omnes Chiliaſmo faverunt. *Juſtinus Martyr* doctrinam hanc a variis ait eſſe rejectam, quibus tamen animum ab Apocalypſi alienum non exprobrat. Similiter *Clemens Alex.* honorifice ejus meminit *Pædagog.* II. 12. de Hieroſolymis novis præcipiens; at eadem opera monet, ſe verba illa συμβολικῶς, atque adeo non ex mente Chiliaſtarum, accipere. Apocalypſis itaque ſaltem per integrum a promulgatione ejus ſæculum ab omnibus Chriſtianis, recte ſentientibus, ſive chiliaſmo faverint, ſive minus, approbata eſt; prima vero controverſia illi mota eſt ab iis, qui nimio quodam fervore ſe chiliaſtis opponebant.

CAPUT IV.

Fata Apocalypſeos inde a Sæculo III. medio uſque ad finem IV.

SECT. I.

De teſtimoniis *Methodii*, *Victorini Petavionenſis* & *Lactantii.*

M*ethodio*, qui Apocalypſi favit, opponitur, quod & Chiliaſmo faverit. At idem martyr fuit, atque adeo & *pietatis* & *veritatis* ſtudioſior merito habendus eſt, quam ut doctrinam ſuam libro, qui ab Eccleſia pro *Canonico* non ſit habitus, ſuperſtruere voluerit.

Victorinus Petavionenſis in Apocalypſin commentatus eſt, ſed non primus, quod *Diſſertator* opinatur. *Melito* enim centum annis ante idem fecit, & *Origenes* commentarium in eandem pollicitus eſt, quem & abſolviſſe videtur. *Hieronymus* ad nutum amici ſui præfationem præmiſit, in qua profitetur, *periculoſum eſſe*, *de tanti viri opuſculis judicare*, quod *Victorino* laudi potius, quam vitio verti poteſt. Nec eidem fraudi eſt, quod *Hieronymus* in epiſt. ad *Magnum* ait: *Victorino Martyri in libris ſuis licet deſit eruditio*, *non tamen deeſt eruditionis voluntas.* Senſus enim eſt, *Victorinum* in libris ſuis non alienum ab eruditione animum oſtendiſſe, quamvis ea non ſit uſus. Idem in Catalogo Virorum illuſtrium *opera ejus grandia ſenſibus*, *viliora* vero *compoſitione verborum* appellat. Sed nihil horum *Victorinum* ut exigui ingenii hominem, quæ Diſſertatoris eſt opinio, repræſentat. Imo ipſe ille commentarius, qui ſub *Victorini* nomine in *Bibliotheca Patrum* extat, quique Diſſertatori levis videtur, non eſt *Victorini Petavionenſis*. Hic enim *Chiliaſmo* favebat; contra quem auctor commentarii illius in calce calamum ſtringit. Interim *Victorinus* noſter omnino in Apocalypſin ſcripſit, quemadmodum & in alios, ſed *Canonicos*, commentatus eſt; quod ipſum indicio eſt, hunc quoque librum tunc inter *Canonicos* eſſe numeratum.

Lactantius a Diſſertatore pag. 50. res raro dicitur examinaſſe. Sed nec examine opus erat, ut intelligeret, quid Eccleſia ſuæ ætatis de libris & Scriptoribus Sacris ſentiret.

SECT. II.

De EVSEBIO incerto quidem, *quod ad Auctorem libri*, *ſed de divina ejus auctoritate certiſſimo.*

Diſſertator *Euſebii* verba ex Hiſtor. Eccleſiaſt. III. 25. affert, ſed adeo male & mutile converſa, ut nec de ipſius, nec de illorum, quorum tempore

pore vixit, ſententia ſatis conſtare poſſit. *Euſebius* eo in loco ſuam de Apocalypſi ſententiam non dicit, quod in aliud tempus differt; ſed illi locum alium atque alium inter ſacros libros adſignat pro diverſis, quæ tunc prævalebant, ſententiis. Quando vero eandem inter ſcripta *νόθα* ibidem numerat, vox *νόθα* non *ſpuria*, ſed *dubia*, & talia, de quibus diſputatur, ſignificat. Patet illud ex phraſi: *ταῦτα μὲν πάντα τῶν ἀντιλεγομένων ἂν εἴη. His enim omnibus contradicitur.* Inter *ἀντιλεγόμενα* enim illa iſta omnino ſunt, quæ antea *νόθα* vocaverat. Quando enim de ſcriptis *penitus ſpuriis* agit, ea quidem non *νόθα ſimpliciter*, ſed *παντελῶς νόθα* appellat, v. c. III. 31. Verum eſt, *Euſebium* lib. III. cap. ult. ſuſpicari, Apocalypſin a *Joanne Presbytero* eſſe ſcriptam. Dubium tamen ſe profitetur. De utroque enim Joanne, *Apoſtolo* & *Presbytero* loquens addit, *poſteriorem viſiones illas vidiſſe videri, niſi quis eas priori malit adſcribere.*

SECT. III.

De ATHANASII teſtimoniis paſſim exſtantibus.

Athanaſium Diſſertator pag. 53. ait ſemel tantum afferre Apocalypſin, qua tamen contra Arianos, quibus ſe frequenter oppoſuit, frequentius uti poterat. Falſum hoc eſſe, & *Athanaſium* octies Apocalypſin oppoſuiſſe Arianis patet ex ſequentibus locis. Eam enim, & quidem contra Arianos utplurimum citat: nempe I. 4. Orat. 1. contra Arian. Vol. I. pag. 415. edit. Benedict. I. 8. Orat. III. contra eoſdem pag. 554. & epiſt. 2. ad Serapionem Vol. II. pag. 684. item lib. de Synodis pag. 762. Vol. II. VIII. 9. Orat. 2. contra Arianos pag. 513. Vol. I. XXII. 1. ſub nomine *magni Evangeliſtæ Joannis* lib. de Trinitate & Spiritu Sancto Vol. II. pag. 979. & XXII. v. 9. Orat. II. contra Arianos Volum. I. pag. 941. Longa quoque ejuſdem capitis paraphraſis, a v. 13. incipiens legitur Orat. IV. contra Arianos Vol. I. pag. 639.

Idem obſervat, exſtare in *Athanaſii* Operibus fragmentum epiſtolæ, quæ catalogum librorum Veteris & Novi Teſtamenti, & in calce ejus *Apocalypſin* exhibeat, cui tamen in uſum Catechumenorum ſubnectantur *Doctrina Apoſtolorum* & *Hermæ Viſiones*. Fragmentum hoc omnino germanum eſt, libri vero illi apocryphi ab antecedentibus clare diſtinguuntur his verbis: *ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται.* Hoc itaque teſtimonium pro *γνησιότητι* & auctoritate Apocalypſeos prorſus pugnat, maleque noſter ex *Basnagio Athanaſium* inter eos numerat, qui de fide ejus dubitarint. Innititur *Basnagius* verſioni Latinæ ita habenti: *his additur & ipſa Joannis Apocalypſis.* Græca vero hæc ſunt: *καὶ πάλιν Ιωάννου Αποκάλυψις*, ubi *τὸ πάλιν* idem eſt, quod *εἶτα, μετὰ ταῦτα, πρὸς τούτοις, καὶ εὐθὺς*, quibus vocibus in ſuperioribus utitur, libros ſacros ſibi invicem ordine ſubnectens.

SECT. IV.

Oſtendens, Catalogum librorum ſacrorum, qui in Concilio Laodiceno *exſtat, & Apocalypſin omittit, non perfectum librorum Canonicorum indicem, ſed eos tantum ſiſtere, qui in Eccleſia legi debebant.*

Annotator pag 55. urget, *Concilii Laodiceni*, anno 360. ab Epiſcopis Aſiæ XXXII. habiti, canonem LIX. præcipere, Canonicos tantum libros, inter quos tamen ibidem *Apocalypſis* non numeretur, legi debere. Ex hoc vero conficit, librum hunc eo in loco, in quo ſcriptus cenſebatur, agnitum non fuiſſe. Contra hæc notandum eſt, Patres Laodicenos duos ultimos canones de libris ſacris eo conſilio attexuiſſe, ut lectio ſcriptorum privatorum in Eccleſia caveretur. Itaque ſcopus eorum non erat, ut oſtenderent, quinam libri ſint Canonici, ſed, qui ex *Canonicis* in Eccleſia legi deberent. Propterea ultimus canon non ait: *hi libri ſunt, quos recipere oportet*: ſed: *hi libri ſunt, quos legere oportet* (in Eccleſia.) Cauſa itaque, cur *Apocalypſis* in catalogo illo ſit omiſſa, in eo poſita eſt, quod propter obſcuritatem legi in Eccleſia non conſueverit, non autem, quod ab Epiſcopis Aſiæ Laodicenis inter libros Novi Teſtamenti non numeraretur.

SECT. V.

De *Macarii*, *Gregorii Nyſſeni*, *Baſilii*, *Didymi* & *S. Ephrami* teſtimoniis.

Macario Diſſertator nihil niſi contemtum aliquem, aliunde ſumtum, opponit. *Gregorii* vero *Nyſſeni* fidem ex eo elevat, quod *miracula* quædam, ab aliis edita, ſibi tribuerit, in Oratione quadam ſcribens: *οἰκειοῦμαι τῶν ὁμοδούλων ἡμῶν τὰ κατορθώματα*. At hæc phraſis nihil aliud vult, quam, quod miracula illa in uſum Eccleſiæ convertat, tantum abeſt, ut ea ſibi ipſi vindicarit.

Baſilii, *Didymi* & *Ephræmi* teſtimoniis id tantum obvertit, quod allegatio libri ab illis jacta non evincat, librum ipſum a tota Eccleſia *canonicum* eſſe pronunciatum. At nemo eſt, qui illud hinc efficere conetur, ſed id tantum, quod Apocalypſis Sæculo IV. variis in locis, ut liber Joannis Evangeliſtæ & canonicus, agnitus ſit.

SECT. VI.

De *Cyrilli*, Senioris, *Nazianzeni*, & *Amphilochii* catalogis librorum ſacrorum, item de *Epiphanio*, *Alogis*, Apocalypſeos adverſariis, ſe opponente.

Cyrillus ſecundum Diſſertatorem pag. 58. ait præter IV. Evangelia, Acta, VII. Epp. Catholic. & XIV. Epp. Pauli nullum librum eſſe in Canone,

Digitized by Google

ne, nec in Eccleſia legi. Hinc noſter conficit, Apocalypſin tunc inter Canonicos locum non habuiſſe, nec publice lectam fuiſſe. Verba *Cyrilli* hæc ſunt: *τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω κείσθω, καὶ ὅσα μὲν ἐν ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα καὶ μηδὲ κατὰ σαυτὸν ἀναγίνωσκε.* Ex his vero intelligitur, *Cyrillum* non dicere, nullos libros præter eos, quos ipſe appellarit, in Eccleſia lectos fuiſſe. Nam & alios in Eccleſiis Palæſtinæ lectos fuiſſe, ſuo exemplo docet, qui ipſe libros, in indice hoc omiſſos, in orationibus ſuis allegat. Credine vero poteſt, privatam eorum lectionem prohibuiſſe, quos ipſe in ſuis concionibus adferebat?

Gregorius Nazianzenus ſuum librorum ſacrorum indicem obſignat *Judæ* epiſtola, & reliquos *ὐκ ἐν γνησίοις*, h. e. *dubiæ auctoritatis*, numerat. *Amphilochius* vero in ſuo indice ait, Apocalypſin ab aliis recipi, ab aliis vero, iisque pluribus, rejici. Sed, ut non dicam, hujus Sæculi teſtes non præferri poſſe illis ſuperiorum ſæculorum; conſtat utique, *Apocalypſin* hac ipſa ætate a *Latina* Eccleſia in univerſum, a *Græca* vero paſſim ut germanam fuiſſe receptam.

Alogi porro pag. 59. objiciuntur, qui negarint, *Thyatiræ* Apoſtoli ætate Eccleſiam collectam fuiſſe, quibusque, quod pag. 5. urgetur *Epiphanius* nihil aliud reſponderit, quam quod *Joannes* de ea *prophetice* ſit locutus. Enimvero *Thyatiræ* tunc Eccleſiam Chriſti fuiſſe conſtanter tuemur, quamvis in *Actis* nulla ejus fiat mentio. *Lydia* enim, inde *orta*, & *Actor.* XVI. celebrata, non videtur permiſiſſe, ut lux Evangelii patriam quoque ſuam non colluſtraret. Vel ſaltem *Joannes*, per multos annos in Aſia verſatus, operam dediſſe merito creditur, ut in præcipuis ejus urbibus, atque adeo etiam *Thyatiræ* cœtus ſacri conſtituerentur. *Epiphanius* vero ita *Alogis* reſpondet, quod exiſtimabat, *Apocalypſin* Joanni Claudii tempore factam eſſe. Eo vero tempore Eccleſiam ibi fuiſſe difficulter oſtendi poterat. At illa difficultas exſpirat, ſi Joannem inclinante *Domitiani* imperio ſua illa vidiſſe & ſcripſiſſe dicamus.

SECT. VII.

De Latiniis Sæculi IV. Scriptoribus, Hilario *item* & Ambroſio.

Diſſertator pag. 60. largitur, *Latinos* Sæc. IV. magis quam Orientis populos, *Græcos*que ad Apocalypſin recipiendam fuiſſe proclives. Dicere vero potius debebat, *Græcos* aliquos *γνησιότητα* libri negaſſe, *Latinos* autem ubique recepiſſe. De *Hilario* ſiniſtre, ſed præter rem, judicat, nec aliter de *Paulino*, *Victorino Afro*, & *Ambroſio*, tanquam Apocalypſeos teſtibus. *Ambroſium* ſpeciatim, & alios nonnullos ait Apocalypſin ſimpliciter citare. Id vero falſum eſſe ejus Expoſitio Pſalm. XL. evincit. Ibi enim ait *Joan-*

nem

nem Evangeliſtam viſiones illas vidiſſe : nec aliter *Hilarius* lib. VI. de Trinit. prope finem. Nimium pag. 64. tribuit *Sulpicii Severi* verbis : *liber Apocalypſis a plerisque aut ſtulte aut impie non recipitur.* Ex his enim efficit, *Sulpicii* ætate plures Apocalypſeos adverſarios, quam patronos fuiſſe. Senſus autem verborum hic potius eſt, pleroſque eorum, qui Apocalypſin rejiciunt, aut ſtultos aut impios eſſe.

SECT. VIII.

De *Concilio Carthagin.* & *Laodiceno*, itemque *Auguſtino.*

Diſſertator pag. 64. largitur, Concilium *Carthaginenſe* An. C. 397. Apocalypſi locum inter libros Canonicos feciſſe, male autem primo affirmat, *Laodiceno* A. C. 360. habito, hoc ipſo contrariari. Supra vero jam admonitum eſt, non conſtare, illam a *Laodiceno* ut apocrypham eſſe rejeꝛtam. Duo itaque Concilia illa in eo tantum differunt, quod *Carthaginenſe* eam publice in Eccleſia legi permiſerit, *Laodicenum* autem vetuerit. Deinde ait, *Laodicenum* illud Scripturæ canonem arctioribus limitibus conſtrinxiſſe, quos *Carthaginenſe* nimis *late* extenderit, non ſolum *Apocalypſi*, ſed & *Eccleſiaſtico*, *Sapientiæ*, *Tobiæ*, *Judithæ* & *Maccabæorum* libris in eum relatis. Enimvero Carthaginenſes Patres ut Apocalypſin ita & reliquos libros *canonicos* appellant, hoc vero nomine non θεοπνεύστους indicant, ſed eos quos in Eccleſia *Africana* publice legi fas erat, quique adeo libris *ſuppoſitis*, *apocryphis* & *hæreticis* opponebantur. Hoc enim ſenſu *Auguſtinus*, quem Noſter Africanæ Eccleſiæ animam appellat, voce *canonicus* utitur. Neque tamen propterea Concilii hujus teſtimonium pro auctoritate *Apocalypſeos* minus valet. Quamvis enim lectionem variorum V. T. librorum apocryphorum permiſerit, non tamen *Barnabæ* aut *Clementis* epiſtolas, *Hermæ* Paſtorem aliumve librum *Eccleſiaſticum* in canonem retulit. Hoc vero argumento eſt, *Apocalypſin* quoque omiſſurum fuiſſe, niſi eum pro libro ſtricte *canonico* habuiſſent. Accedit, *Auguſtinum*, cujus magnæ in hoc Concilio partes erant, de Apocalypſi præclare ſenſiſſe.

Hac vero occaſione Noſter pag. 66. ſeqq. variis modis in *Auguſtinum* animadvertit. Ita eum de *Canone* Judæorum contemtim ait judicaſſe, ideo ſcilicet, quod illi libros *Tobiæ*, *Judithæ*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſt.* & *Maccab.* addiderit. At *Auguſtinus* omnes quidem illos libros *canonicos* appellat, ſed non eodem loco, quo Judæi ceteros habent, collocat, quod patet tum ex *Regulis generalibus*, quas ad judicandos & diſtinguendos ſacros libros ſuppeditat, tum ex ſententia, quam de libris illis, quos modo appellavimus, fovit. Inter *Canonicos* enim eos primo loco haberi vult, qui ab Eccleſia *Catholica* in univerſum ſint recepti : id vero non niſi de illis dici poteſt, qui in canone Judaico exſtant : reliquos enim illos variæ Eccleſiæ ante *Au-*

guſti-

guſtinum, & ipſius quoque ætate, rejecerunt. Quod ſi vero *Auguſtinus* per libros Canonicos θεοπνεύςυς intellexiſſet, quomodo fieri poterat, ut alios aliis prætuliſſet? Idem porro negat, librum *Judith* a Judæis in canonem eſſe receptum *de Civit. Dei* XVIII. 26. item librum *Sapient.* & *Eccleſiaſtic.* ibid. XVII. 20. Conf. de Prædeſtinat. Sanctorum c. XIV. & de cura pro mortuis c. 15. & quod ad *Maccabaeorum* libros ſpectat, *de Civit. Dei* XVIII. 36. Itaque *Auguſtinus* canonem Scripturæ Judaicum non vilipendit, ſed libros, in eo non exſtantes, laxiore ſenſu *canonicos*, h. e. *ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legantur, vel audiantur, receptos*, quæ verba ejus de libris *Maccab. contra ep. Gaud. Donatiſtæ* cap. 23. leguntur, appellat, minime vero *divinam* illis *auctoritatem* tribuit.

SECT. IX.

Hieronymus vindicatus.

Diſſertator *Hieronymum*, quamvis *Auguſtino* eruditiorem, & artis Criticæ peritiorem, non majorem tamen lucem huic cauſæ dare ait, qui Apocalypſin tantum propter allegationem ejus, a veteribus factam, receperit. At hæc non una cauſa fuit, ſed illa potius, quod veteres ad Apocalypſeos auctoritatem provocare videret eodem modo, quo ad *Canonicos* & *Eccleſiaſticos* libros, eosque fidei non dubiæ, non autem eo, quo ad *apocryphos* interdum, ſe recipiunt. Vide ejus ep. 129. ad Dardanum. Quæ vero lux major in hoc argumento poteſt deſiderari? Elogium, quod *Hieronymus* in Apocalypſin confert in ep. ad *Paulinum*, Noſter male exhibuit, additis de ſuo nonnullis. Itaque accipe illud ex *Hieronymo* ipſo. *Apocalypſis Joannis*, inquit, *tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis latent multiplices intelligentiæ.*

Hieronymus Hermæ Paſtorem eodem loco, quo Apocalypſin, habuiſſe falſo dicitur. Sed id quidem ut non probatur, ita aliud merito colligas ex iis, quæ de eo in *Catal. Viror. Illuſtr.* habet, quæque cap. VII. commentarii in Hoſeam leguntur. Poſtquam enim ibi ad *Hermam* provocaſſet, ſubjungit: *ſi cui tamen placet recipere illius lectionem.*

Idem doctor non ſemper ea, quæ ſentiret, expoſuiſſe dicitur; ex iis, quæ lib. 1. cap. ult. *contra Ruffinum* leguntur. At ſi verba ipſa legeris, nihil hujusmodi inveneris. In præfat. ad *Danielem hiſtoriam Suſannæ, Canticum trium infantum*, & *hiſtoriam Beli & draconis* inter figmenta numeraverat. Hoc vero nomine reprehenſus reſpondet: *Non quid ipſe ſentirem, ſed, quid illi* (Hebræi) *contra nos dicere ſoleant, explicavi.* Nec rectius Noſter repræſentat ea, quæ *Hieronymus* aliquando *Auguſtino* reſponderat, qui in ſententiam ejus, de *Pauli* & Petri diſſenſione cap. II. commen-

Hhh tarii

tarii in Galat. c. II. propoſitam, animadverterat. Si quis locum ipſum inſpexerit, longe alia invenerit, quam quæ Diſſertator in fraudem Hieronymi finxit.

Hinc pag. 73. ad *Apocalypſin* noſter revertitur, & *Hieronymum* ait in *Catal. illuſtr. Viror.* teſtari, quod *Dionyſ. Alexandr.* in *Apocalypſin juſtam diſſertationem criticam ſcripſerit.* (*had written a very juſt Critique*) Mirum foret, *Hieronymum* ita ſcripſiſſe, qui Apocalypſin *Joanni Evangeliſtæ* tribuat, eam ut canonicam recipiat, & tot myſteriis refertam dicat. Sed non ſcripſit ita. Hæc enim ejus verba ſunt: *de Apocalypſi Joannis diligentiſſime diſputat;* quæ quantopere a verſione Noſtri diſtent, per ſe patet. Nec facit pro Noſtro, quod idem *Hieronymus* ibidem refert, Græcas ſuæ ætatis Eccleſias eam rejicere. Heic enim recogitandum eſt, hoc Græcæ Eccleſiæ præjudicium Sæculo demum IV. natum eſſe.

CAPUT II.

De fatis APOCALYPSEOS Sæc. V. & ſequentibus.

DIſſertator pag. 74. monet, *Innocentium* I. Pontif. Rom. *Apocalypſin* Sæc. V. ineunte, ſuo librorum ſacrorum catalogo inſeruiſſe, eundem vero honorem *Eccleſiaſtico*, & libris *Sapient. Tobiæ*, *Judith* & *Maccab.* habuiſſe. Num vero propterea *Innocentius* teſtis minus eſt idoneus ſententiæ & conſuetudinis, ſua ætate receptæ? Falſo quoque tradit, Concilium Carthaginenſe An.C. 397. vel ſecundum alios 419. habitum inprimis effeciſſe, ut Apocalypſis in partibus orbis occidentalibus approbaretur. At idem liber jam ante his in locis receptus erat, quod ipſe pag. 93. agnoſcit, *Sæculo IV. eum a Latinis in univerſum receptum fuiſſe profeſſus.*

Cyrillum Alexandrinum ait a Græcis ad Latinos defeciſſe, quando *Apocalypſin* ut librum Canonicum allegat. *Cyrillus* vero ita ex more Eccleſiæ *Alexandrinæ*, quæ *Apocalypſin* ſemper inter Canonicos libros numeravit, agebat, quod & aliæ ex Græcis Eccleſiæ ſine reprehenſione eodem ſæculo faciebant. Noſter autem temperare ſibi non potuit, quin viri egregii memoriam variis, præter verum & ſiniſtre narratis, adfligeret.

Pſeudo-Dionyſius, i. e. is, qui *Dionyſio Areopagitæ* nomen libris ſuis præfixit Sæculo V., Apocalypſin in ſuo librorum ſacrorum indice exhibet. *Dupinius* hoc ipſum pro argumento νοθείας horum librorum habet, *cum primitivis temporibus de eo, utrum canonicus liber ſit, an minus, valde fuerit diſputatum.* Noſter hæc ita affert, quaſi ipſo Sæculo I. de γνησιότητι & auctoritate libri fuerit diſputatum; imo paulo poſt gloriatur, ſe oſtendiſſe, orbem Chriſtianum per quinque priora Sæcula dubium de Apocalypſi fuiſſe.

Quaſi

Quaſi vero orbem Chriſtianum conſtituant *Cerdo* & *Marcion*, hæretici peſſimi Sæc. II. *Cajus* vero & *Dionyſius* Sæc. III. quorum tamen prior Apocalypſin a Cerintho fictam oppugnat, poſterior autem librum θεόπνευστον eſſe profitetur. Sæculo ſane primo controverſia eidem moveri non poterat, cum duobus demum vel tribus annis ante finem ejus ſcriptus ſit, nec niſi Sæc. II. ineunte ad plurium manus pervenerit.

Ad Sæc. VI. delatus Noſter miratur, *Junilium Africanum*, relicto Concilio *Carthaginenſi*, ad Græcos hac in parte defeciſſe. Scire vero debebat, *Junilium* in libro ſuo non ſuas, ſed *Pauli* cujuſdam, Perſæ, ſententias exhibuiſſe, cujus regulas Chriſtianæ Inſtitutionis tranſtulerit, & dialogi forma, *Primaſii* nutu, ceu ex Dedicatione illi inſcripta patet, exhibuerit. Itaque *Junilius* cum Concilio Carthaginenſi favere poterat Apocalypſi, quamvis *Paulus* de ea dubitarit. *Primaſius* certe Apocalypſin inter libros *Canon.* cenſuit, eamque in præfatione ad ſuum ſuper eam commentarium Joanni Apoſtolo & Evangeliſtæ adſcripſit. Ex quo merito ſuſpiceris, *Junilium*, amicum ejus, idem ſenſiſſe. Præterea Noſter non ſatis intellexit *Junilii*, vel *Pauli* potius *Perſæ*, de judicandis & diſtinguendis ſacris libris ſententiam, quam ex *lib. I. cap. 7. de part. divin. Leg.* diſcere poterat.

Andream porro *Cæſarienſem* pag. 86. nullo loco habet, qui Apocalypſin primo impetu, ſine inſtituto ullo examine, receperit, & in præfat. ad commentarium ſuum, in *Gregorii*, *Cyrilli Alex.* ante vero illos *Papiæ*, *Irenæi*, *Methodii* & *Hippolyti* conſenſu acquieverit. At enimvero *Andreas* hac in parte non incurioſus fuit, ſed pro auctoritate libri tum in prooemio commentarii, tum in commentario ipſo diſputat, *ſupervacaneum* vero *arbitratur*, quæ verba ejus ſunt, *de libri hujus fide & auctoritate* NB. *prolixe diſſerere.* Περὶ μέντοι τοῦ θεοπνεύστου τῆς βιβλου περιττὸν μηκύνειν τὸν λόγον ἡγούμεθα. Confer eundem cap. LXIX. ubi Apocalypſin Joanni ex eo vindicat, quod in Evang. XXI. 22. & *Apoc.* XXII. 8. eadem phraſis occurrit. Fallit porro Noſter, quando negat, *Papiam* Apocalypſin citaſſe. *Andreas* enim in præfat. ad commentar. ſuum in Apocal. profitetur, ſe legiſſe *Papiam*, & ex eo non minus quam ex ceteris, quos diximus, Patribus ſua hauſiſſe. Imo pag. 1572. *Papiam* allegat in eo argumento, de quo nusquam copioſius, quam in *Apocal.* agitur, nempe de lapſu Angelorum, ejusque cauſis. Fallit quoque, quando ait, *Gregorium Nazianz.* Apocalypſin ex librorum Canonic. numero excluſiſſe. Fateor, illam in ipſius catalogo librorum ſacrorum non exſtare. Exſtat tamen in alio ejuſdem, qui *Amphilochii* nomen refert, ubi docet, eam ab aliis in canonem recipi, ab aliis vero rejici. Omiſerit autem inter libros *Canonicos*, & vel ſic pro libro divino habere potuit, quod *Andr. Cæſar.* ſcribit. Id ipſum vero firmari ex eo poteſt, quod Orat. XXXV. *de filio* divinitatem ejus probat ex *Apocal.* I. 4. ad quem locum eum *Andreas* ipſe excitat, ſicut ejuſdem ad I. 15. & ultimum, item-

 que

que ad III. 15. meminit. Maxime vero in *Andream* injurius Noſter eſt, dum S. Joannem ad opem ſibi ferendam invocaſſe teſtatur. Nusquam enim hoc fieri videas. Videtur vero ille huc torſiſſe, quod in fine proœmii legitur: σὺ δὲ, ὦ τῦ Θεῦ ἄνθρωπε, εὐχαῖς τὸν πόνον ἀμείψον. Hæc autem verba ad *Macarium*, amicum ejus adhuc ſuperſtitem, ſpectant, qui ipſum ad commentationem hanc ſuſcipiendam permoverat. Denique falſo affirmat pag. 88. primum eſſe hunc *Andreæ* commentarium, qui in Apocalypſin a Græcis ſcriptus ſit. *Origenes* enim & *Hippolytus* jam ante Sæc. III. in eam commentati videntur. *Andreas* vero ipſe c. 10. priſcos in eam commentatores commemorat, utrumque fortaſſe illorum, ac præterea *Nazianzenum*, & alios, innuens.

Aretham aliquot annis poſt in Apocalypſin ait eſſe commentatum, ſed ita ut *Andream* exſcripſerit, & in ejusdem verba quod ad libri auctoritatem, jurarit. Qui vero commentarium utrumque compararit, intelliget, *Aretham* obſervatis *Andreæ* non pauca de ſuo addidiſſe. Idem quoque *Andreæ* non debet, quod cap. I. obſervat, nonnullos veterum Apocalypſin Joanni abjudicaſſe ob differentiam ſtili, quæ inter illam & reliqua ejus ſcripta intercedat. Ad hoc vero, ut allato primum *Gregorii Nazianz.*, Joanni eam tribuentis, teſtimonio reſpondet; ita commode monet, *Apocalypſin* æque ac Evangelium & epiſtolas Joannis ab aſſertione divinitatis Chriſti incipere.

Quod *Apocalypſis* Sæculis ſequentibus communi *Græcæ* & *Latinæ* Eccleſiæ conſenſione recepta ſit, Diſſertator pag. 89. *Pſeudo-Dionyſio*, qui tum inter Græcos pro *Dionyſio Areopagita* ſit habitus, tribuendum cenſet. Si vero hæc rei cauſa ſit, neceſſe erat, ut uno vel duobus Sæculis ante reciperetur. *Pſeudo-Dionyſius* enim ille multis jam Sæc. V. & VI. impoſuit. Vide *Pearſonii* Vindic. Ignatian. Part. I. c. 10. Veri eſt ſimilius, quod, quemadmodum fervor controverſiæ Chiliaſticæ γνησιότητα libri hujus primum in dubium vocavit, eodem ſopito, auctoritas ejus poſtliminio agnita & vindicata fuerit.

Nihili eſt, quod pag. 93. inculcat, plerosque Patrum Latinorum, qui *Apocalypſi* faverint, aut *Hiſpanos* fuiſſe aut *Gallos*. Falſum vero itidem. Quatuor enim Patribus, ex illis regionibus ortis, *Hilario* Pictavienſi, *Paulino*, *Paciano* & *Prudentio* opponere poſſumus longe plures aliarum regionum, *Lactantium* ſcilicet, *Victorinum*, *Tychonium*, ex Africa; *Hilarium Diaconum*, *Ambroſium*, *Philaſtrium*, *Hieron.* & *Ruffinum* ex Italia. Non rectius eodem loco negat, Græcos primos recepiſſe Apocalypſin. *Papias* enim, *Juſtinus Martyr*, *Irenæus* & *Clemens Alexandrinus*, Scriptores antiquiſſimi, contrarium probant.

Conci-

Concilium Toletanum pag. 94. ait γνησιότητα hujus libri decretis Pontificum ſuperſtruxiſſe. Per illos vero *Innocent.* I. & *Gelaſium* intelligendos putat, & vel ſic ſtatuit, *Gelaſium* decretum illud, quod nomen ejus refert, non publicaſſe, cum non ante an. 840. citetur. Quomodo igitur ad illud reſpicere potuit Concilium *Toletanum* A. C. 633. habitum?

Concilium Conſtantinopolitanum An. C. 692. ejusdem judicio pag. 97. parum ſibi conſtat, quando & *Laodicenum* & *Carthaginenſe* Concilium approbat. Vi enim prioris Apocalypſin rejiciunt, poſterioris autem recipiunt. Imo vero ex eo cordatus quisque merito collegerit, Patribus CPolitanis Apocalypſin non viſam eſſe in *Laodiceno* Concilio rejectam. Scilicet *Carthaginenſe* Apocalypſin in canonem diſerte recepit, *Laodicenum* vero non diſerte aut expreſſe ejecit.

Sæc. VIII. unum *Jo. Damaſcenum* pag. 99. ait fuiſſe, qui Apocal. libris Canonicis inſeruerit. At ille unus ex hoc Sæculo eſt, qui indicem ejusmodi dederit, ex quo tamen non conſequitur, Græcos reliquos agnoviſſe.

Sæc. IX. *Nicephorus* eam inter libros, quorum auctoritas dubia ſit, collocat. Id vero nihil amplius probat, quam, quod illa a *tota* Eccleſia Græca tunc in canonem nondum fuerit recepta.

Heic Auctor *Criticæ* ſuæ *diſſertationis* finem facit, ſummatim obſervans, Sæc. X. in caligine quaſi Apocalypſin ſenſim in canonem irrepſiſſe. Contra hæc obſervandum eſt, hoc ſæculo tenebras non *Græcam* ſed *Occidentalem* potius Eccleſiam occupaſſe, librum vero ipſum hac ætate ſecunda vice univerſaliter fuiſſe receptum. Per integrum enim a promulgatione ſæculum nulla illi controverſia in Oriente mota fuit; hac vero poſtea exorta, ſemper fuerunt ex Græcis, qui illum reciperent, donec Sæculo X. toti huic controverſiæ finis imponeretur.

CONCLVSIO.

Summa dictorum hæc eſt. Traditio eccleſiaſtica pro Apocalypſi pugnat, Patribus γνησιότητα ejus valide teſtantibus. Si in ejusmodi cauſis *antiquitas* ſpectetur, a noſtris partibus ſtat ultima: ſi *doctrina* & *nullum partium ſtudium*; *Clemens Alex. Origenes* & *Hieronymus* nos tuentur. Illi enim a chiliaſmo, cujus præſidium in illo libro maxime quæritur, fuerunt alieniſſimi. Si *pietas* & conſtans *veritatis* ſtudium teſtes commendat, *martyres* & *confeſſores* patronos habemus. *Numero* etiam teſtium vincimus diſſentientes. Chriſtiani enim Orientales *plerumque*, Occidentales vero *ſemper* noſtram cauſam defenderunt. Denique unus vel duo ſunt, qui librum apocryphum appellant, reliqui dubii ſunt, plerisque omnibus γνησιότητα ejus profitentibus.

Hactenus *Twelſius*; cujus tamen cogitata non omnia mea facio, quod tum ex Prolegomenis meis, tum ex iis, quæ ad nonnulla Apocalypſeos loca dicentur, adparebit.

CAPUT I.

VErſ. 1. Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Revelatio Jeſu Chriſti* hæc eſt; ut recte vertit *Eraſmus Schmidius*, obſervans præterea, idem ferme eſſe initium hiſtoriæ Herodoti: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἀπόδεξις ἥδε. Revelationem propheticam, Joanni, CHRISTO auſpice, factam indicari ut vox ipſa, Gal. II. 2. eodem ſenſu adhibita, ita λόγος τῆς προφητείας v. 3. evincit. Vocem bene Græcam eſſe, & ab externis quoque Scriptoribus, ſicut & verbum ἀποκαλύπτεσθαι, uſurpatam, contra *Hieronymum*, commentario ad Galat. I. 12. id inficiantem, oſtendit *Joannes Henricus Maius* in Obſervationibus Sacris lib. IV. p. 145. *Porphyrii* eſt locus de vita Plotini cap. XVI. Γεγόνασι δὲ κατ' αὐτὸν τῶν Χριστιανῶν πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι· αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς Φιλοσοφίας ἀνηγμένοι —— ἀποκαλύψεις τε προσφέροντες Ζωροάστρου καὶ Σωστριανοῦ καὶ Νικοθέου κ. τ. λ. Videri tamen ille poſſit, quando de Chriſtianis loquitur, vocem, illis receptam, data opera adhibuiſſe. Confer, quæ de eadem commentatur B. *Joannes Diecmannus* ad Rabanum Maurum pag. 46. *Iſaacus Voſſius* in Reſponſ. ad tertias *Simonii* objectiones pag. 85. Hieronymum, in Gal. I. *ἀποκαλύψεως vocem proprie Scripturarum eſſe, & a nullo Sapientum ſeculi apud Græcos uſurpatam eſſe*, tradentem, erroris poſtulat, neque tamen ipſe ullum ex Græco antiquo adfert exemplum. Verbum tamen ἀποκαλύπτεσθαι pro *detegere* ſeu *revelare* adhibuiſſe *Plutarchum* de Placitis Philoſ. I. 7. alios autem eodem ſenſu διακαλύπτεσθαι vel ἐκκαλύπτεσθαι dixiſſe, commode obſervat doctiſſimus *Fabricius* noſter in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti Vol. II. pag. 935. *Julius Pollux* VI. 207. ut ſynonyma recitat verba διακαλύψαι, ἐκκαλύψαι, ἀποκαλύψαι, δηλῶσαι &c.

δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει) *Dionyſius Alexandrinus* apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. VII. 25. phraſin, ἃ δεῖ γενέσθαι, omittit; eam vero *Beza* expunctam ſuſpicatur ab aliquo, cui mirum viſum ſit, iſta cito futura dici, quæ tam longo tempore poſt facta non fuerint. At Rever. *Oedero* Dionyſius non aliter, quam hodie fit, legiſſe, & mentem tantum ſuam, illa phraſi omiſſa, indicare voluiſſe videtur, quod ſcilicet voces ἐν τάχει, *celeriter*, cum δεῖξαι, vel cum ἔδωκε, non autem cum verbo γενέσθαι ſint conjungendæ. Vide ejus Centuriam conjecturarum de difficilioribus S. Scripturæ locis pag. 212. Senſus foret, *longiſſimam rerum ſeriem Joanni celeri repræſentatione divinitus eſſe præmonſtratam.* Ita vero idem putat optime occurri *Hammondo* & aliis, qui ex phraſi, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, efficere conantur, viſiones, de quibus in Apocalypſi agitur, ad tempora proxime ſequentia pertinuiſſe. Mihi quidem illorum rationes ſe probant, qui τὸ, ἐν τάχει, referunt ad γενέσθαι, & *celeriter* illud ſecundum divinam computandi rationem,

nem, a *Petro* 2 epiſt. III. 8. indicatam, explicandum arbitrantur. Quamvis enim Vir doctus & illum Petri locum aliter interpretetur, ſunt tamen, quæ ipſi illi interpretationi opponi poſſint, quæ ſupra ſuo loco attulimus. Accedit locus Joannis parallelus XXII. 6. *ἀπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει.* Quamvis enim & heic voces *ἐν τάχει* ad antecedens *δεῖξαι* referre malit; vereor tamen, ut multos conſentientes inveniat. Statim enim v. 7. ſequitur: *ἰδοὺ ἔρχομαι ταχὺ*, i. e. *ἐν τάχει*, quæ phraſis utique indicat, per ea, quæ proxime ante *celeriter* eventura dicuntur, ad celerem illum adventum ſpeciatim pertinere. Similiter XI. 14. *ἡ οὐαὶ ἡ τρίτη ἔρχεται ταχὺ* & XXII. 11. *ἰδοὺ ἔρχομαι ταχὺ*, item v. 20. *ναὶ ἔρχομαι ταχὺ*, ubi tamen de illis rebus ſermo eſt, quæ longo tempore poſt evenerunt, & partim inpoſterum evenient. Nolim igitur mutari receptam interpunctionem.

καὶ δούλῳ αὐτοῦ Ἰωάννῃ) de elogio *δοῦλος* vide ſupra ad Judæ v. 1.

Verſ. 2. *Ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅσα τε εἶδε*) Ex hoc commate Interpretes tantum non omnes argumentum petierunt, quo conſtare poſſit, Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam Apocalypſeos eſſe Scriptorem. Iidem vero alia atque alia ratione rem inſtituerunt, ceu diligenter exponit *F. A. Lampius* in Prolegomenis ad commentar. in S. Joannis Evangelium pag. 155. ſq. *Coccejus* quidem, *Vitringa* & alii tria momenta, heic commemorata, a ſe invicem diſtinguunt, & *λόγον τοῦ Θεοῦ* in *Evangelio* Joannis, *μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ* in ejuſdem *epiſtolis*, cetera vero, *ὅσα τε εἶδε* in Apocalypſi hac teſtata facta eſſe exiſtimant. Hos ex noſtratibus ſequitur B. *Juſtus Weſſelus Rumpæus* in Commentat. Critica ad libros N. T. in genere pag. 111. *Lampius* l. c. pag. 157. per *verbum Dei* totam doctrinam, in nomine Dei, de Deo a Joanne tam voce, quam ſcriptis, publicatam, ſub qua commode ipſæ quoque epiſtolæ ejus, præcepta veræ ſanctimoniæ continentes, comprehendi poſſint; per *teſtimonium vero Jeſu Chriſti*, ipſa verba Jeſu Chriſti, ipſam doctrinam filii Dei, intelligit. Noviſſime autem Rev. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 228. relictis eorum veſtigiis, Joannem ad ſolum Evangelium ſuum & tria ejus præcipua momenta reſpexiſſe contendit. In eo enim ait Apoſtolum 1) Chriſtum *λόγον* profeſſum eſſe cap. I. 2) teſtimonium Chriſti, coram Pilato editum, ſolum ex Evangeliſtis tradidiſſe cap. XVIII. 37. 3) quædam ab reliquis Evangeliſtis præterita, quæ ipſe ſuis oculis viderat, ſcripta reliquiſſe Joan. XVIII. 4--9. & XIX. 34. Recte omnino verba hæc ad vindicandam Joanni Evangeliſtæ Apocalypſin urgentur, & ab *Oedero* quoque ad ſolum Evangelium ejus, in quo de Chriſto teſtatus eſt, referuntur. Nolim tamen de eodem *τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ* de Chriſto, tanquam *Verbo Dei*, aut *μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ* de *teſtimonio*, a Domino noſtro coram Pilato edito, accipere. Phraſes enim illæ *ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ*, &, *μαρτυρία Ἰησοῦ Χριστοῦ*, aliquoties

Digitized by Google

quoties ab Apoſtolo ad indicandam divinam & evangelicam de Chriſto doctrinam, ab aliis teſtatam, & receptam, conjunguntur, v. c. I. 9. VI. 9. & XX. 4. In his vero locis μαρτυρία Ἰησοῦ Χριστοῦ non poteſt ſpeciatim de teſtimonio Chriſti coram Pilato accipi. Ita v. c. XX. 4. dicuntur πεπελεκισμένοι διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ſicut Apoſtolus ipſe I. 9. teſtatur, ſe in Patmum relegatum, & calamitatibus ſubjectum fuiſſe διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Jam vero ab iis, qui Chriſtianis vel doctoribus, vel confeſſoribus, infenſi erant, non ſpeciatim de illo teſtimonio Chriſti adverſus Pilatum, quod fortaſſe penitus ignorabant, edito, ſed de eo potius quærebatur, quod ipſi illi doctrinam Chriſti hinc propalabant, hinc profitebantur. Pro Viri docti ſententia nil facit locus 1 *Tim.* VI. 13. ubi Chriſtus dicitur μαρτυρήσας ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου καλὴν ὁμολογίαν. Ad illud enim teſtimonium Paulus ſpeciatim Timotheum reſpicere jubebat, ut & ipſe καλὴν ὁμολογίαν, quam ante coram multis teſtibus ediderat, profiteri pergeret. Ex eo non conſequitur, in locis illis Apocalypticis, quod Vir doctus vult, ſemper ad teſtimonium illud Chriſti ipſius reſpici. Imo vero, quoties alias vox μαρτυρία in Apocalypſi occurrit, toties teſtimonium de Chriſto, ab aliis editum, ſignificat. Ita XI. 7. καὶ ὅταν τελέσωσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν, XX. 11. καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου, καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν, & v. 17. καὶ ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Nihil denique cauſæ eſt, cur phraſin ultimam: ὅσα τε εἶδε, ad ea tantum referamus, quæ Joannes ſolus in Evangelio, tanquam ſibi viſa, commemoravit. Itaque de toto hoc commate ita putem ſtatuendum. Apoſtolus teſtatur, ſe doctrinam divinam omnem, ſpeciatimque illam, quæ ad CHRISTUM pertinet, alias tum voce, tum ſcripto Evangelio eſſe profeſſum, atque ea tradidiſſe, quæ ipſe oculis viderit. Ad hanc ſcilicet αὐτοψίαν idem 1 ep. I. 3. diſerte provocat: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, & v. 2. καὶ ἑωράκαμεν, καὶ μαρτυροῦμεν καὶ ἀπαγγέλλομεν. Neque mirum cuiquam videri debet, Joannem λόγον τοῦ Θεοῦ & μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ diſtincte exprimere, quamvis de eadem doctrina ſermo ſit. Ut enim taceam, alteram phraſin latiorem, ſtrictiorem alteram eſſe, Joannes procul dubio id innuere voluit, quod Dominus noſter ait *Joan.* XIV. 24. καὶ ὁ λόγος, ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμός, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. Eodem conſilio commate primo hujus capitis viſiones ſuas ἀποκάλυψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεός, appellat. Qui *viſa* Joannis de viſionibus, in Apocalypſi hac recitatis, accipiunt, non recogitant, Apoſtolum per verbum ἐμαρτύρησε ea indicare, quæ jam ante, quam librum hunc conſignaret, profeſſus fuerit. Alioquin enim ſcripturus erat μαρτυρεῖ, non autem ἐμαρτύρησε.

ὅσα τε εἶδε) ita editi pleríque poſt *Eraſmum*, & *Millius* quoque, qui tamen in Prolegomenis §. 710. mavult εἶδε, ſine τε, quod in codd. ſcriptis variis,

variis, & verſionibus quoque, *Vulg. Syr.* & *Æthiop.* deſideretur. Omiſit idem Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani & nuper Cl. *Bengelius*. Recte id fieri contendit *Leonbardus Twells* in Vindiciis Apocalypſeos pag. 33. cujus verba ſupra attulimus pag. 398. Quod ad ſenſum, nihil refert, utram lectionem ſequaris. Si tamen illud τε omittas, conſtabit ſimul, *viſa* illa non ad Apocalyptica iſta, ſed ad ea pertinere, quæ Joannes tanquam ſpectata & cognita ſibi promulgaverat. Videri poterat illud τε ab illis profectum, qui crederent, ὅσα non quadrare in antecedentem vocem *μαρτυρίαν*. Enimvero non tam ad vocem, quam res, teſtimonio illo comprehenſas, reſpici per ſe patet, quod & fieri videas a τοῖς LXX. 2 *Regg.* XVII. 13. Ὅσα vero idem eſt, quod ἃ *Job.* XXI. 25. & apud Græcos *Eccleſiaſt.* VIII. 15.

Verſ. 3. Μακάριος ὁ ἀναγινώσκων, καὶ οἱ ἀκούοντες) Hæc numeri diverſitas Hebraiſmum ſapere viſa eſt *Bezæ*. Eadem vero loquendi ratione *Ariſtotelem*, *Xenophontem*, & *Iſocratem* uſos eſſe oſtendit diligentiſſimus *Georgius* in Vindiciis N. T. pag. 230. *Ariſtoteles* Eudem. VII. 10. pag. 358. εἰ μὲν γὰρ ἴσον ἀριθμῷ εἰσήνεγκεν ἀργύριον, ἴσον καὶ τῷ ἴσῳ ἀριθμῷ διαλαμβάνουσι.

αὐτοῦ λόγους τῆς προφητείας) Per ſermones hos Propheticos *ſcripta Prophetica*, *dudum in Eccleſia cognita & lecta*, intelligi vult Rev. *Oederus* in Conjecturis pag. 232. ad quæ legenda cohortetur Apoſtolus. Rationem hujus ſententiæ hanc habet, quod per *ἀναγινώσκοντα anagnoſten*, ſive lectorem publicum in ſingulari numero, per *auditores* autem in plurium numero eos indicari exiſtimat, qui prælegenti in ſcholis ſeu conventibus ſacris attendant. Addit præterea, Joannem, ſi ſuum Apocalypſeos librum indicare voluiſſet, ſcripturum potius fuiſſe: τοὺς λόγους τῆς προφητείας ταύτης, vel τούτους, non autem τῆς. Enimvero articulus τῆς recte a *Beza*, *Eraſmo Schmidio*, & aliis, per *hujus* expreſſus eſt, quemadmodum idem fieri debet *Rom.* XVI. 22. ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν & 1 *Theſſalon.* V. 27. Confer, quæ ſcripſi ad 1 *Cor.* V. 9. Porro ſcripta Prophetica V. T. intelligi non poſſunt. Quo enim fine ad illa legenda h. l. cohortari exiſtimandus eſt Apoſtolus, qui ejusmodi vaticinia editurus erat, quæ a Prophetis vel prorſus non, vel obſcurius tradita erant? Τὸν ἀναγινώσκοντα de lectore publico, præſentibus aliis, interpretari nihil opus eſt, cum idem verbum frequentiſſime de lectore privato quovis in N. T. v. c. *Matth.* XII. 3. 5. XXIV. 15. *Marc.* II. 25. occurrat. Nec obſtant *audientes* in plurium numero appellati. Plures enim utique erant, qui vel literarum ignari & rudes, vel ipſo libro, inprimis ea ætate, deſtituti, doctrinam, eo comprehenſam, fando accipere potius, quam legere ipſi poſſent. Non juvat Virum doctum phraſis, ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς. Neque enim eam cum ipſo de vaticiniis Prophetarum, ad tempora N. T. & tum maxime gliſcentem gentium converſionem relatis, & tum partim impletis, accipe-

Iii re

re poſſumus. Præconium enim Evangelii ad Judæos & Gentiles per ſexaginta circiter annos eo tempore, quo librum ſcribebat Joannes, perlatum erat, atque adeo *tempus* hoc non tam *prope eſſe*, quam *adeſſe* dici debebat. Præterea ſunt alia, quæ Joannem Apocalypſin ſuam phraſi hac indicaſſe evincant. Quam enim v. 1. ἀποκάλυψιν appellat, eam alia voce λόγον προφητείας cur non appellet? Quæ ibidem dicuntur *cito futura*, cur illis non tribuatur καιρὸς? Cumque ipſe non neget, *Apocal.* XXII. 18. τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου de Apocalypſi eſſe accipiendos, qui tandem fieri potuit, ut phraſin fere eandem h. l. aliter interpretaretur? Ita v. 9. c. XXII. commemorantur τηροῦντες τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου, quemadmodum præſente loco dicuntur τηροῦντες τὰ ἐν αὐτῇ (προφητείᾳ) γεγραμμένα. Ad verum itaque propius accedemus, ita ſtatuentes, Joannem in limine libri ad legendum illum vel audiendum quosvis cohortari, in calce vero ſolicite cavere, ne quis eidem lecto & cognito manus violentas, hinc addendo, hinc detrahendo, inferre audeat. Τοὺς ἀκούοντας *Pſochenius* §. 49. de Stylo N. T. per *intelligentes* interpretatur. Præſtat autem, ut conſuetum *audiendi* ſignificatum retineamus, eo ſenſu, ut vel *legentes*, vel *audientes* lecta vel audita fideli memoria tenere jubeantur. Conf. *Luc.* XI. 28.

ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγὺς) Tempus propinquum de illis accipere poſſis vaticiniis, quæ proxime ad Eccleſias Aſiaticas deferebantur, & brevi erant implenda. Cum vero ad lectores quosvis atque adeo cujusvis ætatis hæc admonitio ſpectet, recte & ea vaticinia intelligere poſſis, quæ longo poſt tempore eventu erant confirmanda. Lectoribus enim nonnullis, pro diverſa, qua vivebant, ætate implementum illorum vaticiniorum, quæ ad remotiora tempora ſpectabant, prope erat futurum.

Verſ. 4. Ἰωάννης ταῖς ἑπτὰ Ἐκκλησίαις, ταῖς ἐν τῇ Ἀσίᾳ) Quæ heic ſummatim indicantur, & mox ſequuntur, ad ſeptem Eccleſias epiſtolæ, eas alia atque alia ratione Interpretes accipi volunt. Eorum tres ſunt claſſes. Quidam enim *hiſtorias* tantum eſſe volunt, quæ ſimpliciter ad Eccleſias, quarum nomen referunt, earumque conditionem ſpectent. Alii pro *myſticis* habent, ita quidem, ut vel Eccleſias illas quaſi emblemata Eccleſiæ Catholicæ omnium locorum & temporum ſiſtere; vel prophetias de ſeptemplice variante Eccleſiæ ſtatu continere exiſtiment. Alii denique *hiſtoricum* & *myſticum* ſenſum conjungunt, de literali primum, hinc de ſublimiori ſenſu cogitantes, ſive epiſtolas illas ex ipſa Jeſu Chriſti intentione directe ad Eccleſiam univerſalem omnium locorum & temporum, ſive ad diverſos unius Eccleſiæ univerſalis ſtatus referant. Has claſſes *Vitringa* in commentario pag. 27. ſeqq. conſtituit, & ſingulas ſuis munit auctoribus. Ipſe vero p. 32. ad illos accedit, qui Spiritum S. ſub typo & emblemate VII. Eccleſiarum Aſiæ myſtice & prophetice *ſeptem variantes ſtatus Eccleſiæ Chriſtianæ, quibus ſucceſſive conſpiceretur, usque ad adventum Domini,*

&

Digitized by Google

& omnium rerum finem, depingere voluiſſe contendunt. *Vitringam* ex Reformatis doctoribus nonnulli ſequuntur, cui, ut alios taceam, diſſertationem oppoſuit M. *Joannes Juſtus Spieer* Witteberg. 1730. habitam. Ex Anglis *Henricus Morus* in Operibus Latinis pag. 781. ſeqq. expoſitionem ſeptem harum epiſtolarum ita adornatam dedit, ut appareret, *eas inde ab initio Eccleſiæ usque ad finem ejus pertingere*. Ex noſtratibus plerique omnes literalem ſenſum, Luthero in præfat. ad Apocal. præeunte, recte præferunt, quem tenendum eſſe *Hermannus Witſius* quoque libro ſingulari ſeptem epiſtolis Apocalypticis Franequ. 1678. 12. edito, & nunc in Miſcellan. Sacris lib. III. cap. 3. legendo, contendit. Numerus itaque ſeptenarius proprie hic adhibetur, quem alias ad ſanctitatem & eminentiam indicandam uſurpari conſtat. Vide, quæ Judæorum loca huc adfert Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1082. & quæ ad Judæ v. 14. dicta ſunt. De ſeptem his Eccleſiis lege alia infra ad v. 11.

χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη) de hac ſalutandi formula lege *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 98. & *Petavii* Dogmata Theologica Tom. I. lib. I. cap. 6. §. 5.

ἀπὸ τοῦ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος) *a Qui eſt, Qui erat, & Qui venturus eſt*, ut reddunt *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, qui ſimul oſtendunt, voces has non ut participia, (ſic enim ſcribendum fuiſſet *ἀπὸ τοῦ ὄντος* &c.) ſed ut nomen proprium, quod ab Hebræis per אהיה & יהוה exprimitur, eſſe accipiendas. In eandem ſententiam doctiſſimus *Joannes Conradus Schwarzius* in Solœciſmis diſcipulorum Jeſu Chriſti antiquatis pag. 42. ait, minus bellum ſupplementum eſſe participii *λεγομένου*, vel *ὄντος*, quod nonnulli adferunt. *Satius eſt*, ita pergit, *vocabula τεχνικὰ, a Philoſophis ad certam rem ſignandam adſtricta, ad quam vulgo non adſtringi ſolent, ſolere apud Græcos nominativo caſu & ſine ulla inflexione poni, eam ipſam ob cauſam, ut poteſtas vocabuli, non vulgari quadam & communi, ſed propria ac philoſophica ſignificatione induti, acrius, apertius, nervoſius oſtendatur: id quod ſatis elucet ex illo Procli exemplo, quod ex ejus Theologia Platonicæ libro II. repetiit* Stolbergius pag. 14. Idem pag. 101. ſimiles Platonis locos ex Phædro pag. 345. & Parmenide pag. 60. extrema adfert. Poſterior ita habet: *τί οὖν; τὸ, ἦν, καὶ τὸ γέγονε, καὶ τὸ ἐγίνετο, οὐ χρόνου μέθεξιν δοκεῖ σημαίνειν τοῦ ποτε γεγονότος; καὶ μάλα. Τί δέ; τὸ ἔσται καὶ τὸ γενήσεται καὶ τὸ γενηθήσεται οὐ τοῦ ἔπειτα, τοῦ μέλλοντος; Ναί. Τὸ δὲ δὴ ἔστι καὶ τὸ γίγνεται οὐ τοῦ νῦν παρόντος; πάνυ μὲν οὖν, κ. τ. λ.* *Plato* ibidem: *εἰ τὸ ἔστι τοῦ ἑνὸς ὄντος λέγεται. Si verbum* eſt *de uno dicitur. Ergo jam*, ita *Schwarzius*, *liquet ὁ ἦν dici poſſe Græce. Nam ſi de rebus dicitur τὸ ἐστὶ, de perſonis oportet dicere liceat ὁ ἦν. Apertum eſt autem, Joannem de perſona verba facere, ſeu potius de Deo, cujus interminata eſt* exiſtentia. *Nam quin nomen Dei Hebraicum* יהוה *ſignetur, quum Joannes dicit, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, vix dubitârit quisquam.* Atque

que hæc recte ita dici, & dictioni Joanneæ ſatis eſſe conſultum, nec ſupplemento eam ullo indigere exiſtimem, quale v. c. illud eſt, quando Vir doctus ad librum *Lambert. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 148. articulum ὅς ſubintelligi vult, hoc modo: *ἀπὸ τοῦ* (ὅς) *ὁ ὢν*, *καὶ ὁ* (pro ὅς) *ἦν*, *καὶ* (ὅς) *ὁ ἐρχόμενος*. Confer præterea *Stolbergium* de Solœciſmis & Barbariſmis Novi Teſtamenti pag. 5. ſeqq. & *Oſtermanni* Poſitiones ad Novum Teſtamentum Diſputat. II. §. 10. qui uterque poſt *Danielem Heinſium* in Exercitationibus ante tria illa nomina ſingula ſubintelligi volunt *τοῦ λεγομένου*. Cl. *Elsnerus* pag. 434. Obſervatt. *ἀπὸ τοῦ* idem eſſe putat, quod *ἀπὸ τούτου ab eo*, ita ut *ὁ ὢν* non pendeat ab illo *τοῦ*, ſed proxime ſubintelligatur *ἐστι*, ut ſenſus ſit *ὁ ἐστι ὢν*, ut v. 5. *ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, (*ὁ*) *ἐστι μάρτυς ὁ πιστὸς*, ſicut in Oratione Dominica, *πάτερ ἡμῶν*, *ὁ* (*εἶ*) *ἐν τοῖς οὐρανοῖς*. Equidem non crediderim, articulum *ὁ* ante verbum finiti temporis v. c. *ἐστὶ* idem eſſe, quod relativum ὅς, quemadmodum in Oratione Dominica poſt *ὁ* non ſubintelligi poteſt *εἶ*, ſed *ὢν*. Ceterum Judæos quoque eadem ratione Deum Summum exprimere idoneis locis oſtendit *Schœtgenius* loc. citat. pag. 1083. v. c. ex *Schemoth Rabba* Sect. III. fol. 105. 2. *Dixit Deus S. B. ad Moſen: Dic ipſis:* אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתיד לבא. *Ego fui, & adhuc ſum, & ero in poſterum.* Adde locum ex *Salom. f. Gabirol* libro כתר מלכות a *Ludovico Cappello* in Spicilegio Notarum ad Novum Teſtamentum pag. 138. allatum. Imo & apud Gentiles de Jove tales occurrere phraſes, v. c. apud Pauſaniam: Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστι, Ζεὺς ἔσσεται, oſtendunt *Heinſius* Exercitatt. pag. 545. *Bulengerus* in Eclogis Arnobian. pag. 28. *Almeloveenius* in Opuſculis pag. 107. & *Bruningius* in Antiquitatibus Græc. pag. 155. Confer, quæ de appellatione hac adferunt *Amelius* Parte I. der Erörterung, pag. 629. *Joannes Pearſonus* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 220. verſionis Latinæ, & B. *Chriſtophorus Sonntagius* in Obſervationibus in ſex *ἅπαξ λεγόμενα* N. T. pag. 31. Quomodo phraſis illa vim nominis יהוה ſecundum tres temporis differentias exprimat, oſtendunt *Joannes Henricus Majus* in Diſſertationibus Sacris pag. 112. *H. B. Starckius* in Notis Selectis ad loca difficiliora Novi Teſtamenti pag. 161. & *Stephanus le Moyne* in Diſſertatione ad Jerem. XXIII. pag. 155. Abit tamen ab his Rev. *G. G. Zeltnerus* in diſſertatione erudita de Evangelio tetragrammato (i. e. nomine יהוה) ex N. T. exulante pag. 29. Nomen enim ἐρχόμενος non in *futuri*, ſed *præſentis* temporis notione accipit, & ad adventum Chriſti, tanquam Meſſiæ, qui tunc comparuerat, refert, quo etiam alias *Matth.* XI. 3. *Joh.* VI. 14. & *Matth.* XXI. 9. appelletur, eo fine, ut intelligatur, ſacratiſſimi nominis יהוה (quod, *ad Meſſiæ adventum breviter prænunciandum*, relatum eſſe exiſtimat pag. 12.) myſterium non implendum amplius, ſed completum eſſe. *Equidem*, ita pergit, *ſi Apocalypſin loc. citat. conſideremus cum ſtudio & attentione, colligi hinc poſſe videtur, participium ἐρχόμενος, formam referens præſentis temporis, futurum ſonare, quia cum præſenti, atque præterito, ὁ ὢν*

καὶ

καὶ ὁ ἦν, conjungitur, Deoque Patri cap. I. 4. deſcribendo, & a Spiritu ſeptiformi atque Jeſu Chriſto aperte diſtincto, tribuitur. Sed quemadmodum dubio poſteriori occurremus ſuo loco, atque breviter jam paulo ante rem ipſam ſubindicavimus; ita, quod ad primum attinet, tametſi non abnuamus, uſurpari hoc vocabulum interdum futuri ſenſu, uti Joh. XVI. 13. & Actor. XVIII. 21. ex quorundam ſententia; tamen hic inhærere malumus uſitatiſſimæ certiſſimæque ſignificationi, eo magis, quo clariora præſto ſunt ſigna hujus vocabuli, de rebus Novi Teſtamenti & complemento veterum in Chriſto, ut vidimus, quaſi in ſumma καὶ ἐν ἀνακεφαλαιώσει congregatorum agentis. Quemadmodum etiam plane perſuaſi ſumus, hac nomenclatura integra minime omnium ad æternitatem divinam, jam per α & ω ſatis explicatam, reſpici, quam, quod in Vetere & Novo Teſtamento pariter Dei ſumma & communis gratia agnoſcenda, prædicandaque & reverenter habenda ſit, indicari. Non deſunt, quæ conjecturæ Viri doctiſſimi obverti poſſint. Cum vero id paucis fieri nequeat, alii loco & tempori hæc relinquenda, & lectoris judicio permittenda eſſe exiſtimo.

Sunt, qui commatibus his 4. 5. & 6. ad Cabbalæ Judaicæ doctrinam de decem *Sephiroth* reſpici volunt. Inter hos primus, ni fallor, eſt *Henricus Morus* Parte II. Cabbalæ Denudatæ pag. 54. *Quæ quidem*, inquit, *earum* (Sephirarum) *in tres & ſeptem diviſio mihi ſupponi videtur* Apocalypſ. I. 4. *Eſt enim ὁ ὢν, ϰ̀ ὁ ἦν, ϰ̀ ὁ ἐρχόμενος, periphraſis Jehovæ, qui triunus ille Deus eſt, ac proinde tres primas* Sephiroth, *ſive Numerationes occupat; ſeptem autem Spiritus, qui dicuntur ante thronum illius, reliquas ſeptem.* Eum ſecutus eſt *Jacobus Rhenferdius*, vir doctiſſimus, in diſſertatione de ſtylo Apocalypſeos Cabbaliſtico, quæ in Operibus ejus Philologicis primum locum occupat. Poſtquam enim is ea, quæ de *Sephiroth* illis Cabbaliſtæ tradunt, congeſſerat, pag. 32. non dubitat adſerere, *integram fere Cabbalam Sephirothicam tribus his commatibus ὡς ἐν κεφαλαίῳ eſſe comprehenſam. Johannes enim*, ita pergit, *in hoc ſuo voto tantum Tetragrammato utitur, ejusque explicationem more, Cabbaliſtis uſitato, inſtituit. Primo enim ſimpliciſſimam vocis ſignificationem de ſimpliciſſima & immutabili Dei eſſentia exponit, quæ cum tribus Sephiroth communis ſit, & ipſe alibi eandem unitatem docuerit 1 epiſt. V. 7. illas minime excluſiſſe cenſendus eſt; eoque minus, cum mox τῶν ἑπτὰ meminerit, quas alibi iisdem nominibus inſignit, quibus a Cabbaliſtis inſigniri ſolent, atque inde ſe ad ultimam convertat, quæ Meſſiæ, filio Dei, reſpondet. Porro cum ab his ſolis quidem, ſed omnibus, benedictionem Eccleſiis comprecetur, dubitare vix quisquam poterit, quin hic ad Cabbalam reſpexerit, eamque, ſaltem Sephirothicam, maximam partem propoſuerit.* Habes ſummam eorum, quæ Vir doctus ſibi in ſuperioribus ex ſcriptis & mente Cabbaliſtarum demonſtraſſe viſus eſt. Vix dubito, *Joannem Meyerum* in Diſſertatione de Myſterio Trinitatis, ex Veteris Teſtamenti libris demonſtrato, alter-

utrum horum virorum eſſe imitatum, quando per elogium illud, ὁ ὢν &c. *tres primas*, per ſeptem vero Spiritus, *ſeptem reliquas Sephiroth indicatas videri* ſcribit. Non ita pridem *Joannes Jacobus Scheurmannus*, V. D. Miniſter Clivenſis, in concionibus de Vita fidelium poſt hanc vitam vernaculis pag. 169. ſeq. idem approbat. Confer Collectionem Nov-antiquorum Theologic. an. 1732. pag. 130. Ex noſtratibus Auctor Obſervationis I. Tomi I. Obſervationum Hallenſium pag. 20. ab illa ſententia non alienum ſe eſt profeſſus. At enimvero conjecturæ ejusmodi ut longius petitæ ſunt; ita vix veri ſpeciem habent, tantum abeſt, ut cum *Rhenferdio* pro veriſſimis haberi poſſint. Quam incerta ſit illius doctrinæ Cabbaliſticæ de Sephiroth origo, quam incerta item ſecundum ipſos Judæos vis earum & ſententia, ex iis apparebit, quæ in Bibliotheca Hebraica Vol. II. pag. 1221. ſeqq. tradidi. Adde illis, quæ a *Joanne Clerico* in Bibliotheca Veteri & Nova Tom. XVII. Parte I. pag. 88. ſeqq. contra *Rhenferdii* ſententiam diſputantur. Recte itaque eandem deſeruit Cl. *Schœtgenius* l. c.

καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων) *Hofmannus* in commentar. ad h. l. legi malit, *ἀπὸ τοῦ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, ab eo, qui auctor eſt ſeptem Spirituum*, ſeu donorum Spiritus Sancti, ideo ſcilicet, quod alioquin gratia & pax ab Angelis expetita videri poſſit. Sed non admittenda eſt hæc conjectura, quam & univerſalis codicum conſenſus, & ipſa verborum ſeries averſatur. Tria ſcilicet ſunt, a quibus pacem & gratiam Joannes precatur Eccleſiis, nempe *Jehova*, *ſeptem Spiritus*, & *Jeſus Chriſtus*. Singula vero illa deſcribuntur ab adjunctis aliquot. Itaque alterum illud, nempe *ſeptem Spiritus*, ad primum non eſt referendum. Illos vero ſeptem Spiritus Interpretes alia atque alia ratione acceperunt, quorum diverſas ſententias a *Joanne Honerto*, Theologo hodie Leidenſi, in diſſertatione de ſeptem Spiritibus Apocalypticis Trajecti ad Rhenum 1733. habita, enarratas leges. Confer *Miſcellan. Duisburgenſ.* Tom. II. pag. 189. Plerique omnes veteris & recentioris memoriæ non ſeptem Archangelos, quos *Joſ. Medus* in Operibus Anglicanis pag. 42. heic videre ſibi viſus eſt, ſed ipſum Spiritum Sanctum a varietate donorum gratiæ, cum fidelibus communicandæ, ita appellatum intelligunt. Recte utique & ſtilo Scripturæ Sacræ convenienter. Ita *Jeſ.* XI. 2. Spiritus Jehovæ, ut Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & potentiæ, Spiritus ſcientiæ & reverentiæ Jehovæ appellatur, quo quidem loco non ſex Spiritus Sancti dona, ſed ſeptem potius prædicari *Honertus* exiſtimat, ita ſcilicet, ut per *Spiritum Jehovæ*, primo loco commemoratum, & per accentum *athnach* a ſequentibus diſtinctum, Spiritus propheticus, ſeu *donum prophetandi* intelligatur. Similiter in Novo Inſtrumento Spiritus adoptionis *Rom.* VIII. 15. Spiritus fidei 2 *Corinth.* IV. 13. Spiritus gratiæ & gloriæ 1 *Petr.* IV. 14. Spiritus ſapientiæ & revelationis *Epheſ.* I. 17. adſertur. Ad ipſam Spiritus S. perſonam recte hanc phraſin referri

Digitized by Google

referri oſtendunt præterea ex noſtratibus B. *Juſtus Chriſtophorus Schomerus* in Aſſertione endoxa fidei Chriſtianæ de Spiritu S. contra novam hæreſin ſub ſchemate Problematis orthodoxi, Francofurti 1679. 8. edita, & Sandio oppoſita pag. 69. ſeqq. *Sebaſtianus Schmidius* in Myſterio Gratiæ divinæ pag. 550. *Joannes Steuberus* in diſp. de ſeptem Spiritibus, Marpurg. 1633. *J. F. Buddeus* programmate ſingulari, de quo *Fama erudita* Tom. II. p. 408. exponit, & *Amelius* Tom. II. der Erörterung pag. 806. ſeqq. ex ceteris vero *Chriſtophorus Wittichius* in Cauſa Spiritus S. pag. 156. & in Cauſa victrice pag. 227. Confer præterea *Zeltneri* Hiſtoriam Crypto-Socinismi Altorfini pag. 554. & ibidem *Ruarum* in epiſtolis pag. 610.

Verſ. 5. Καὶ ἀπὸ Ἰησῦ Χριςῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς) Scribendum videri poterat τῦ μάρτυρ© τῦ πιςῦ. Sunt itaque, qui hic & in ſequentibus *impeditam, ſingularem & Ebraiſmis ſcatentem orationis ſtructuram* cum *J. H. Majo* lib. IV. Obſſ. Sacrar. pag. 124. agnoſcere, quam multa, non ſuffectura, conquirere malunt. Idem pag. 125. hanc, quam putat, *ſermonis novitatem*, ex eo repetit, quod, *cum Apocalypſin narrare incepiſſet, dixiſſetque:* Ἰωάννης ταῖς ἑπ͂ὰ ἐκκλησίαις κ. τ. λ. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη, *illico ſublimia quædam & myſtica Kabbaliſticaque menti obvenerint, quæ non omittenda videbantur, quibus iterum adſperſit nonnulla alia, ex occaſione ſubnata, donec tandem, mole illa rerum graviſſimarum ſe ipſum quaſi liberans, redeat commate nono ad id, quod dicere fuerat aggreſſus, inquiendo:* ἐγὼ Ἰωάννης, ὁ καὶ ἀδελφὸς ὑμῶν. —— *Idem deprehendimus in prioris epiſtolæ initio, ubi ſimulac* τῆς ζωῆς *mentionem injeciſſet, non pauca e veſtigio animum ſubierunt, ad eandem* ζωὴν *pertinentia, commate ſecundo legenda, quibus adpictis priora reſumit verba:* ὁ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν. Adfert denique ſirempſeos ejusmodi exemplum ex *Polyæno* cap. XL. libri ultimi. Ἀνακόλυθόν τι h. l. etiam largitur *Gatakerus* ad M. Antonin. III. 4. cujusmodi & apud externos Scriptores occurrere ibidem oſtendit. *Leonhardus Twells* in Vindiciis Apocalypſeos comma quintum totum & initium ſexti ſolœciſmi poſtulat.

Alii tamen & hujus & ſequentium aliquot phraſium ſtructuræ commode conſuli poſſe exiſtimarunt. Ita, ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς, in nominativo ἀκλίτως ad immutabilitatem Chriſti in regno ſuo & teſtimonio indicandam ſcripſiſſe Apoſtolus videtur *Grotio*, eodem modo, quo paulo ante nomen Dei ineffabile eodem fine expreſſerat. *Eraſmus Schmidius*, *Starckius* & *Schœtgenius* ll. cc. ſubintelligunt ὅς ἐςι, *Elsnerus* vero poſt ὁ ſimpliciter ἐςὶ. Alii interpunctionem mutari volunt. Sic *Oederus* pag. 227. Conjecturarum phraſin totam, ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς, per parentheſeos notam a reliquis ſeparari cupit, ut quantus ſit Jeſus Chriſtus, eo attentius conſideretur. *Stolbergius* denique de Solœciſmis l. c. poſt voces Ἰησῦ Χριςῦ poſita τελεία ςιγμῇ, novam incipi vult ſententiam, hoc modo: *Hic teſtis eſt ille verus,*

Digitized by Google

verus, *ille primogenitus e mortuis*, & *princeps Regum terræ*. Poſita vero heic iterum στιγμὴ, ita pergi vult: *Qui dilexit & lavit nos a peccatis noſtris per ſanguinem ſuum*, & *fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo*, *ei*, *inquam*, *ſit gloria & imperium in ſecula ſeculorum.* Eandem interpungendi rationem ſecutus eſt in ſua editione *Eraſmus Schmidius*, qui etiam v. 6. poſt καὶ ſubintelligi vult ὃς, & *qui fecit nos*, cum alioquin ſcribi debuiſſet ποιήσαντι. Ab utroque nonnihil diſcedit *Schwarzius* loc. cit. pag. 104. Hic enim, στιγμὴ itidem poſt voces Ἰησοῦ Χριστοῦ poſita, reliqua usque ad finem commatis ſexti indivulſo nexu conjungenda putat in hanc ſententiam: *Gratia vobis & pax ab eo*, *qui eſt*, *erat*, & *erit*, *a Spiritu*, *auctore bonorum divinorum*, & *a Jeſu Chriſto*. *Teſtis ille fidelis*, *primus excitatorum ab inferis*, & *princeps Regum terræ*, *ei qui amavit nos & a peccatis noſtris ſanguine illius lavit*, *etiam nos Deo & Patri ſuo Reges & Sacerdotes efficit*, *cui ſit gloria & robur &c.* Præcipuum impeditioris ſtructuræ momentum in eo poſitum eſt, quod poſt participium λούσαντι &c. pro ποιήσαντι legitur καὶ ἐποίησε &c. Solœciſmum tamen apparentem Cl. *Elsnerus* pag. 435. amolitur canone illo Grammaticorum, qui *conjunctionem non ſimiles caſus & conſtructiones*, *ſed ſententias tantum & orationes jungere* docet. Adfert idem ſimilem *Thucydidis* locum in limine hiſtoriæ ita habentem: τεκμαιρομένοις, ὅτι ἀκμάζοντές τε ἦσαν εἰς αὐτὸν ἀμφότεροι παρασκευῇ τῇ πάσῃ, καὶ τὸ ἄλλο ἑλληνικὸν ὁρῶν ξυνιστάμενον πρὸς ἑκατέρους. Heic enim, ſi καὶ eadem ſemper tempora conjungeret, pro ὁρῶν ſequi debuiſſet ἑώρα. Vide ibidem alia hujusmodi etiam ex Latinis Scriptoribus. Mihi quidem *Eraſmi Schmidii* rationes inprimis probantur. Atque hæc de ratione ſtructuræ ſufficiant. Jam pergemus ad phraſes ipſas explicandas.

ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς) De hoc Chriſti elogio lege *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 421.

ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν) Vide nos ad *Coloſſ.* I. 18. Adde *Buddei* Programma Paſchale Jenæ 1724. promulgatum, & in Meditationibus ejus ſacris pag. 176. recuſum, item Rev. *Ewaldum* in Emblematibus lib. I. pag. 160. Verſionem Lutheri Germanicam a *Trilleri* cenſura vindicat *Schœnlandius* in Reſponſione vernacula illi oppoſita p. 58.

τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς) Pro ἀγαπήσαντι *Bengelius* ex paucis aliquot codicibus exhibet ἀγαπῶντι, fortaſſe ideo, quod ſic perpetua indicetur dilectio, quæ *Grotii* ad h. l. eſt obſervatio. Malim tamen in receptiore lectione acquieſcere, tum ob proxime ſequens ejusdem ſtructuræ verbum λούσαντι, tum, quod Scriptores Sacri, amorem Chriſti in homines commemorantes, eadem utuntur. Ita *Rom.* VIII. 37. διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. *Gal.* II. 20. ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ ἀγαπήσαντός με, καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ. Adde *Epheſ.* II. 4. V. 2. &c. Scilicet hic non amor, quo

CHRI-

CHRISTUS in credentes perpetuo fertur, innuitur; ſed ille, quo homines prior amavit, quique eum ad homines, a peccatis ſanguine ſuo abluendis, impulit, quemadmodum Deus Pater mundum amavit, & in amoris hujus argumentum Filium ſuum donavit, *Joh.* III. 16.

ϗ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν) Tres *codices* habent *λύσαντι*, quod & *Syrus* expreſſit. Approbat hanc lectionem *Millius*, tanquam veram, ut idem ſit, quod *λυτρωσαμένῳ*. Eam ſcilicet a ſtudioſo aliquo, cui inepta & incongrua viſa ſit, cum altera illa in margine permutatam, inde vero in contextum relatam eſſe, ſuſpicatur. Vide eum ad *loc.* & in Prolegom. §. 1007. Recte vero *Kuſterus* in præfatione ad repetitam Novi Teſtamenti Milliani editionem p. 6. *τὸ*, *λύσαντι* tanquam naturæ ipſius rei, & genio ſtili ſacri pulchre conveniens, præfert, quamvis *Plato* in Cratylo p. 266. editionis Lugdunenſ. de purgatione animæ a peccatis loquens *ἀπολύειν* & *ἀπολούειν* conjungat. *Οὐκοῦν*, inquit, *ὁ καθαίρων θεὸς ϗ ὁ ἀπολούων τε ϗ ὁ ἀπολύων τῶν τοιούτων κακῶν οὗτος ἂν εἴη*. Plura pro hac lectione afferunt *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tomo II. pag. 287. & *Leonardus Twells* in Vindiciis Apocalypſeos ſupra exhibitis pag. 400. Confer intra VII. 14. 1 *Joh.* I. 7. & *Hebr.* IX. 14. ubi ſimiles huic phraſes inveneris. Scilicet librarii h. l. æque facile labi potuerunt, quam *Actor.* XVI. 33. *ἔλυσεν* pro *ἔλουσεν* errore non inficiando ſcripſerunt. Ablutionis a peccatis, h. l. commemoratæ, iſtam reddit rationem *Stephanus le Moyne* ad Varia Sacra pag. 393. *Quia nimirum*, inquit, *Sacerdotes & Reges lavabantur ante, quam Reges renunciarentur; & quia recens nati ſolebant etiam aqua lavari, ideo dicit Apoſtolus, nos omnes eſſe lotos in ſacro baptiſmate, ſed lotos non aqua tantum, ſed ſanguine Chriſti, ut Sacerdotes Deo conſecraremur, & Regia dignitate ornaremur, æternum cum Chriſto, Rege Regum, regnaturi.*

ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ) Ita editi fere omnes, & *Millius* quoque, qui nec ullum codicem pro lectione *αὑτοῦ* adfert. Hanc tamen prætulit *Eraſmus* in tribus ſuis editionibus, & vertit, *in ſanguine ipſius*, atque adeo phraſes antecedentes ad Patrem retulit, qui nos dilexerit & ſanguine Filii ſui laverit. Noviſſime Cl. *Bengelius* itidem habet *αὑτοῦ*, ſine facta alterius lectionis mentione. Illam vero nempe *αὐτοῦ* præferendam, amoremque & ablutionem de Chriſto intelligendam eſſe, vel ex eo patet, quod is, qui amaſſe nos & laviſſe dicitur ſauguine ſuo, mox dicatur nos Reges feciſſe coram Deo & Patre ſuo.

Verſ. 6. *Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς*) i. e. *ϗ ὃς ἐποίησεν ἡμᾶς*, vide dicta ad verſ. 5. Vel ipſum illud *ϗ* pro *ὅς*, *qui*, poſitum cenſeatur, ut *Luc.* XV. 15. & 25. ubi vide quæ ſcripſimus, *Joſ. Mede ϗ* illud per *ut* convertit in Operibus Anglicanis pag. 113.

Kkk *βασιλεῖς*

βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ) Codices aliquot legunt *βασιλείαν*, quod & verſiones aliquot & Patres exhibent. Hanc lectionem præfert *Grotius*, *Millius*, & *Bengelius*, in contextu eam exhibens. Cum vero & infra V. 10. *βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς*, ubi unus tantum codex *Alexandr. βασιλείαν* habet, occurrat, & hoc loco non *ἱεράτευμα*, ſed *ἱερεῖς* legatur, non video, cur lectionem receptiorem deſeramus, quamvis alioquin quod ad ſenſum nihil interſit. *Coptus* utramque vocem per *regnum ſpirituale* expreſſit. De re ipſa vide *Joannis Guilielmi Baieri* diſputationem de regno Chriſtianorum ſpirituali, Jenæ 1691. & *J. B. Carpzovii* de regali fidelium Sacerdotio, Lipſ. 1695. quæ in Academicis ejus diſputationibus p. 1180. recuſa eſt. Adde nos ad 1 *Pet.* II. 5. ubi *βασίλειον ἱεράτευμα* vocatur.

αὐτῷ ἡ δόξα) ſcilicet *τῷ ἀγαπήσαντι*. Pronomen *αὐτῷ* heic non tam *πλεονάζει*, ut *ᾧ Rom.* XVI. 25. 27. quæ *Eraſmi Schmidii* eſt ſententia; quam vim orationis auget, ſicut 1 *Corinth.* VI. 4. *τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τούτους καθίζετε.* Vide, quæ ibi ſcripſimus, & quæ infra ad II. 7. ſcribemus.

Verſ. 7. *Ἰδοὺ ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν κ. τ. λ.*) Vide *Joannis Lomeieri* Dies Geniales Decade II. pag. 85.

καὶ ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμὸς, καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν) Reſpiciunt hæc ad *Zachar.* XII. 10. Compara *Guſſetii* Commentarios L. Hebr. rad. נבט. C. & in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. capite 36. §. 74.

καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν) Pro *κόψονται Pet.* 3. apud *Millium ὄψονται*, quod etiam *Coptus* Wilkinſii expreſſit, procul dubio ex eo, quod *ὄψεται* proxime anteceſſit. Poſteriores duas voces in editis omittunt *Ald. Colin.* & *Eraſmus*; habent reliqui & recte quidem: ita enim & *οἱ* LXX. *Zachar.* loc. cit. Itaque nec legendum *ἐπ' αὐτῷ*, quod *Pricæus* ad Luc. XIX. 41. ſuſpicatur. Confer Cl. *Jo. Alberti* pag. 39. Periculi Critici.

πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς) Similiter *Anacreon* carm. 3. v. 4.

Μερόπων δὲ φῦλα πάντα.

Vide eundem pag. 481. Obſervatt. Sacr.

ναὶ, ἀμήν) Has voces *Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 246. ad initium commatis octavi referri vult, & ipſi Deo Patri, tanquam interloquenti & confirmanti una cum v. 8. tribui. Conſilii hujus ratio facile cuique apparet, in eo nempe poſita, ut ne Chriſtus initium & finis, itemque *Jehova* dici videatur, quod v. 8. factum eſt. Fruſtra vero verba ita torquet *Artemonius*. Illa enim, *ναὶ, ἀμήν*, ipſius Joannis eſſe, adventum Domini glorioſum, ut certiſſimum confirmantis æque ac deſiderantis, patet ex *Apocal.* XXII. 20. ubi Joannes itidem phraſin Domini,

ναὶ

καὶ ἔρχομαι ταχὺ, eadem ratione obſignat: ἀμὴν, ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ. Et qua tandem veri ſpecie Deum Patrem, tanquam priora illa confirmantem, invehit? Quod enim infra cap. XXI. & XXII. eadem verba tanquam a Patre pronunciata ait adferri, id precario dici ſuo loco oſtendemus. Nonne porro magis in proclivi eſt, credere, Chriſtum, de cujus adventu glorioſo v. 7. actum erat, v. 8. ita adferri, ut ſpem illam, tanquam Jehova & Omnipotens, confirmet?

Verſ. 8. Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος) Vide huc *Dan. Henrici* diſput. de aphoriſmo Apocalyptico, Lipſ. 1641. & aliam *Jo. Philip. Pfeiferi*, Regiomonti 1677. tum *J. B. Beyſchlagii* illam de ſigillo Numinis Dei-hominis, quæ utraque in Theſauro Theolog. Philologico N. T. fol. 806. recuſa exſtat. Rationem, cur Dominus noſter Α & Ω appelletur, expoſuerunt ex noſtratibus *Jo. Nicolai* in diſſertat. de Moſe, Alpha dicto, quinque poſtremis capitibus, *J. C. Dietericus* in Antiquitatt. Biblicis N. T. pag. 1-4. *Martin. Feſſelius* Adverſar. Sacr. Tom. II. pag. 34. *Urſinus* Analect. Sacr. Parte I. pag. 4. *Spenerus* in commentatione vernacula de Deitate Chriſti pag. 538. *Polemannus* in Exercitat. Programmatica XV. pag. 10. ſqq. *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 627. & Auctor Programmatis Natalitii, Jenæ de majeſtate æternitatis Jeſu, in tempore nati, per α & ω deſignata an. 1718. in lucem editi. Ex Reformatis idem agunt Rev. *Ewaldus* in Emblematibus lib. II. pag. 196. ſeqq. & nuper Cl. *Chriſtianus Gerhardus Offerhauſius* diſquiſitione ſingulari, quæ exſtat in Miſcellaneis Duisburgenſ. Tom. I. pag. 181. Ex Pontificiis comparentur *J. S. Menochius* in *Trattenimenti eruditi* Parte II. pag. 168. *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l. & *Petavius* in Dogmatibus Theologic. Tom. II. lib. II. cap. 9. §. 7. *Offerhauſius* ſpeciatim §. 14. ſqq. oſtendit, Dominum noſtrum ἄλφα appellari, quod hæc litera, *in ſe* conſiderata, neceſſariam ejus *exiſtentiam* & *immutabilitatem* inferat, ratione *ordinis* vero, ut prima omnium literarum, doceat, Chriſtum eſſe *primum* natura, tempore, operatione, dignitate, cognitione, & loco; ratione denique *poteſtatis* ſuæ, eundem *vitam electorum* & *Spiritum Scripturæ* eſſe evincat. Id certum eſt, nomine illo ad *initium* & *finem*, ἀρχὴν καὶ τέλος, quæ expoſitionis loco addita ſunt, & ex ipſo harum literarum ordine fluunt, reſpici, atque adeo perfectionem ſignificari. Atque ita & Hebræi primam & ultimam alphabeti Hebraici literam א & ת adhibent. Vide locos a Cl. *Schœtgenio* in Horis Hebraic. pag. 1086. & a *Ludovico Cappello* in Spicilegio notarum in N. T. allatos. Sic *Jalkut Rubeni* fol. 174. Adamus totam legem transgreſſus eſt מא' ועד ת' *ab* Aleph *usque ad* Tau, h. e. ab initio usque ad finem. Ibid. fol. 128. 3. Deus Iſraëlitis dicitur benedicere ab *Aleph* usque ad *Tau*, i. e. perfecte. Ceterum varias hujus appellationis, τὸ Α καὶ τὸ Ω rationes, a variis allatas, diligenter recenſet Cl. *Ewaldus* l. c. ipſe vero cum *Cluvero* & *Grœnewegio* ad h. l. item

Digitized by Google

Lampio de fœdere gratiæ Tom. II. cap. 3. §. 5. ſtatuit, reſpici hac phraſi ad *Scripturam Sacram*, cujus α & ω initium & finis, imo totum argumentum ſit Servator noſter. Α & Ω in numis quoque expreſſum inveniri oſtendit Vener. *Valentinus Erneſtus Luſcherus* in Stromatibus pag. 168. Conf. infra ad XXII. 13.

Verſ. 9. Ἐγὼ Ἰωάννης, ὁ ϗ ἀδελφὸς ὑμῶν ϗ συγκοινωνὸς ἐν τῇ θλίψει, —— Ἰησοῦ Χριστοῦ) Θλίψις Ἰησοῦ Χριστοῦ recte explicatur per *calamitatem propter Chriſtum* ſuſtinendam, ſicut *Coloſſenſ.* I. 24. ubi vide quæ ſcripſimus.

ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ, τῇ καλουμένῃ Πάτμῳ) De hoc Joannis exſilio lege *Chriſtophori Cellarii* Diſſertatt. Academic. pag. 423. ſqq. & *Friderici Adolphi Lampe* Prolegomena in Evangel. Joannis lib. I. cap. 4. pag. 59. ubi ſtatuit, Joannem in exſilium a *Domitiano* anno imperii XV. miſſum eſſe. De *Patmo* inſula, a *Plinio* IV. 12. Hiſt. Natur. inter *Sporadas* numerata, pauca ex veteribus conſtant. Vide, ſi placet, ſingularem *Abr. Alani* de ea diſſertationem Aboæ 1708. habitam, & *Pet. Bellonium* lib. II. c. 11. Obſervationum. *Tournefortius* Tom. I. Itineris ſui Orientalis pag. 168. teſtatur, eam ab incolis hodie *Patino* & *Palmoſam* vocari, nec niſi unum habere oppidulum, arce aliqua conſpicuum, quod monaſterium S. Joannis appelletur, & ducentos alat Monachos; hos porro oſtentare ſarcophagum, Joannis corpus complectentem, & ſpeluncam, in qua idem Evangelium ſuum ſcripſiſſe credatur. Nomen ΠΑΘΜΟΣ in numis cum Θ. occurrere viſum eſt, quo poſito *Pathmus* ſcribi deberet. Vide *Ezechielem Spanhemium* de Uſu & Præſtantia Numiſmatum pag. 902. edit. in 4to. Adde *Lampii* Prolegom. in Evangelium S. Joannis pag. 59. notis.

διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ϗ διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ) Vide ad verſ. 2.

Verſ. 10. Ἐγενόμην ἐν πνεύματι) Phraſin hanc Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1087. confert cum illa Judæorum, ברוח הקדש, vel ברוח הנבואה, qua utuntur de viſionibus, vigilanti oblatis. Confer *Alethæi* Erläuterung Tomo VI. pag. 711. Hanc viſionem, Joanni oblatam, exponit *Joannes Joachimus Zentgravius* in diſſertatione de Enthuſiaſmo divino & diabolico, Argentorati 1702. & *Joannes Marckius* in Hiſtoria Exaltationis Chriſti cap. XVI.

ἐν τῇ Κυριακῇ ἡμέρᾳ) Per diem dominicum Interpretes illum, quem Solis diem hodie appellamus, intelligunt: hunc enim antiquiſſimæ memoriæ Patres dominicum vocant. Vide *Joannis Pearſoni* notas ad Symbolum Apoſtolicum verſionis Latinæ pag. 470. *Briſſon.* ad L. Dominic. de Spectaculis & Feriis Tomo VI. Antiquitatum Græcarum pag. 2367. *Joannis Alberti Fabricii* Bibliographiam Antiquariam pag. 325. *Zornii* Bibliothecam Antiquario-

Antiquario-Exegeticam pag. 275. *Baſchii* diſſertationem de interpretatione Novi Teſtamenti ex Patribus Apoſtolicis pag. 32. *Alethæi* Erläuterung Tomo III. pag. 416. & *Lud. Cappelli* Opera Critica pag. 283. b. At *Hugo Broughtonus* in Concentu Sacræ Scripturæ pag. 164. & *Colomeſius* non eum Solis diem, qui per annum quinquagies & bis (ita enim loco mox citando ex emendatione Cl. *de la Monnoye* legendum eſt,) recurrat, ſed illum præciſe diem, quo Dominus noſter reſurrexit, intelligendum putat in Obſervationibus Sacris pag. 100. quia *Chryſoſtomus* Paſchatis diem *ἡμέραν κυριακὴν* appellet. Utramque ſententiam deſeruit nuper Cl. *Jo. Honertus* in diſſertatione de die Dominica, Traj. ad Rhenum 1733. habita, eum diem potius indicari putans, qui Judæis per Romanos interitum attulit. Hunc ait in Scriptura frequenter diem Domini appellari, hunc *Matth.* XVI. 28. indicari, hunc etiam maxime omnium idoneum ad regnum Evangelicum provehendum fuiſſe, quo Joannes viſa hæc acciperet, cum eodem Dominus demonſtraverit, ſe, abolita Judæorum Republica, ſuam Eccleſiam nunquam eſſe aboliturum. Confer Miſcellanea Duisburgenſia Tomo II. pag. 193. ſeq. Mihi quidem hæc ingenioſe & pie, ſed non æque vero convenienter, cogitari videntur.

καὶ ἤκουσα ὀπίσω μου φωνὴν μεγάλην ὡς σάλπιγγος) Ex his & ſequentibus nonnullis *Nicolaus Nonnen*, Theologus Bremenſis, colligit, Salvatorem noſtrum fere eodem ſub ſchemate Joanni apparuiſſe, ſub quo Typhonem repræſentarint Ægyptii. Vocis enim, tubæ ſimilis, ſonitum, igne rutilantes oculos & coruſcantes pedes, capillos lanæ inſtar implexos, gladium ancipitem, ex ore prodeuntem, alia denique cum eis fere convenire, quæ & Mythologi de eo, & ex figuris Kircherianis *Basnagius* in Hiſtoria Judaica Tomo III. pag. 486. tradiderint. Vide hæc & alia, quæ fidem rei mihi non faciunt, expoſita in Muſei Bremenſis Tomo I. pag. 514. ſeq. Non crediderim, ejusmodi circumſtantiarum rationes ſemper reddi poſſe, aut a profanarum gentium ſacris repeti debere.

Verſ. 11-13. illuſtrantur Programmate ſingulari, Lipſiæ 1698. a Carpzovio edito, quod exſtat in *Gabrielis Terne* Sylloge Programmatum pag. 838.

Verſ. 11. *Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος καὶ*) Hæc deſunt in multis codicibus & verſionibus, ideoque expungenda viſa ſunt *Artemonio* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 247. Omiſit eadem Cl. *Bengelius*, editor vero Novi Teſtamenti Græco-Anglicani parentheſi incluſit. Mirum eſt, hæc in tot codicibus deſiderari, quæ tamen ſtilo Joanneo ita conveniunt, quod *Beza* recte monuit, ut pro germanis merito habeantur. In ſequente capite Dominus nunquam alloquitur Eccleſias, niſi præmiſſo aliquo ſui titulo. Credasne igitur Dominum, qui Joannem

 primum

primum alloquebatur, eo abſtinuiſſe. Suſpicor fere, ideo heic eſſe omiſſa, quod jam ante v. 8. ex parte lecta, heic ſuperflua videbantur.

ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος) Phraſis petita eſt ex *Jeſ.* XLI. 4. & oppoſita fortaſſe illi, quam Gentiles fingebant, Deorum genealogiæ. Vide *Amelium* Tomo II. der Erörterung pag. 852. Scholiaſtes ἀνέκδοτος Homeri, quem manu exaratum habeo, in Iliad. ί. v. 34. ἀλκὴν μέν μοι πρῶτος, vocem πρῶτος per μόνος explicat his omnino verbis: οὐ πρῶτον, ἀλλὰ πρῶτος. δηλοῖ δὲ τὸ μόνος, οἷον μετὰ σεαυτοῦ οὐκ ἔχων ἕτερον. οὐ γάρ τίς φησι καὶ ἄλλος ὕβρισεν, ἀλλὰ σὺ πρῶτος, ἤτοι μόνος αὐτὸς καὶ τέλος καὶ ἀρχή. Pro his, explicatius traditis, *Conradus Hornejus*, qui eadem Anonymi ſcholia non contemnenda in Iliados ί, ſed paſſim manca & corrupta edidit, hæc tantum habet: πρῶτος, ἀντὶ τοῦ εἷς μόνος. Suſpicor fere auctorem illorum Chriſtianum fuiſſe, qui phraſin ἀρχὴν καὶ τέλος, quam ſupra v. 8. legimus, ad interpretandam vocem πρῶτος adhibeat.

γράψον εἰς βιβλίον) *Herodotus* libro I. pag. 59. γράψας ἐς βιβλίον, τὰ ἐβούλετο, nec aliter lib. III. p. 201. obſervante *Raphelio*.

ταῖς Ἐκκλησίαις, ταῖς ἐν Ἀσίᾳ) De ſeptem his, quæ nominatim appellantur, Eccleſiis lege *Jacobi Uſſerii* commentationem de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine pag. 20. & alteram de Aſia Lydiana, ſive Proconſulari pag. 40. ſeq. ubi ſeptem has urbes Aſiæ metropoles fuiſſe contendit, repugnante tamen ex parte Illuſtri *Ezech. Spanhemio* de Uſu & præſtantia Numiſmatum Tomo I. pag. 630. Adde ſingularem *Chriſtophori Cellarii* diſſertationem Tom. II. Theſauri Diſputationum Novi, quem *Theodori Haſæi* & *Conradi Ikenii* induſtriæ debemus, pag. 1033. recuſam. Præſentem illarum conditionem cognoſces ex *Thomæ Smithi* Notitia ſeptem Eccleſiarum Aſiæ. Adde, quæ de iisdem tradidit præſtantiſſimus *Joannes Albertus Fabricius* noſter in Luce Evangelii ſalutari toti Orbi exoriente cap. V. pag. 83. Utrum epiſtolæ hæ myſtice an literaliter ſint intelligendæ, ſingulari diſſertatione diſquiſivit *Salomon van Till*, quæ Operi ejus Analytico, Trajecti 1720. edito, ſubjuncta eſt pag. 748. Eas non literali, ſed myſtico ſenſu induendas eſſe, atque adeo ad præſentem ætatem ſpectare nuper ſingulari tractatu Anglicano oſtendere conatus eſt *Sam. Johnſon.* Titulum habes in *Bibliothèque Britannique* Tom. III. pag. 461. In easdem commentarium Emblematico-Propheticum promiſit Rev. *Wilhelmus Erneſtus Ewaldus* in Muſeo Bremenſi Vol. II. iterumque in præfatione ad libros duos priores Emblematum Sacrorum, in quibus & quædam ejus ſpecimina leguntur. Similiter *Petrus Zornius* Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 42. in notis Hiſtoriam VII. Eccleſiarum Aſiæ ex antiquis Inſcriptionibus, gemmis & numis ad illuſtrationem trium primorum Apocalypſeos capitum collectam pollicetur.

εἰς

Digitized by Google

εἰς Ἔφεσον —— εἰς Σάρδεις) Tridui itinere Epheſum a Sardibus diſtare teſtis eſt *Herodotus* lib. V. pag. 351. & *Xenophon* lib. III. pag. 381. obſervante *Raphelio.*

εἰς Πέργαμον) de ſitu ejus alii alia tradunt. Vide laudatum *Raphelium* in Notis Xenophonteis pag. 352.

Verſ. 12. καὶ ἐπιστρέψας εἶδον ἑπτὰ λυχνίας χρυσᾶς) Schema ſeptem candelabrorum repræſentavit *Dan. Kleſch* 1691. fol. Ibi, ut & alias, de ſeptem his Eccleſiis ita ſtatuit, quod Epheſina *Gracam*, Smyrnenſis *Abyſſenam*, Pergamenſis *Moſcoviticam*, Thyatirenſis *Pontificiam*, Sardenſis *Reformatam*, Philadelphienſis *Lutheranam*, Laodicena vero *Lutheranos* tepidos ſignificet. Lege de his & aliis ejus cogitatis vel ſomniis potius Apocalypticis Novantiqua Theologica, germanice edita an. 1705. p. 518. ſq. De candelabris illis lege etiam *Henr. Dodwelli* Diſcurſum Anglican. de uno Sacerdotio & uno altari cap. 12.

Verſ. 13. Καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου) Ex viſione hac Chriſtum Eccleſiæ ſuæ præſentem eſſe oſtendit *Feurbornius* Tom. V. Diſputatt. Gieſſenſ. pag. 421. Adde B. *Mart. Geieri* librum vernaculum de omnipræſentia Dei, Meditat. V.

υἱῷ ἀνθρώπου) Probo eos, qui per *filium hominis* non Chriſtum definite intelligunt, ſed *perſonam humanam*, cui ſimilis Chriſtus apparuerit. Alioquin enim Joannes ſcripſiſſet τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου. Vide ex noſtratibus B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, tum vero *Gatakerum* in Cinno, pag. 310. & *Vitringam* ad h. l.

ἐνδεδυμένον ποδήρη) *indutum veſte talari.* Ita veſtis Pontificis Max. V. T. repræſentatur *Exod.* XXVIII. 31. in τοῖς LXX. a *Joſepho* item & *Philone*, imo & *Plutarcho* lib. IV. Sympoſiac., quorum locos affert Cl. *Elsnerus*, monens præterea, paganis quoque *veſtem talarem* divinitatis notam fuiſſe. Adde *Braunium* de veſtitu Sacerdotum Hebræorum lib. II. cap. 5. B. *Lutheri* verſionem a cenſura Emſeri vindicat *Raithius* pag. 604.

καὶ περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν) Accuſativum verbis ejusmodi paſſivis non minus quam ablativum jungi a Græcis Scriptoribus, copioſe oſtendit Cl. *Georgius* in Hierocritico pag. 75. ſeq. De zonis, & Sacerdotibus & Regibus receptis, lege *Braunium* l. c. lib. II. cap. 3. *Relandum* Antiquitt. Hebr. pag. 145. *Vitringam* lib. I. Obſſ. Sacrar. pag. 123. (qui ex ipſo hoc commate viri, veſte talari induti, & zona cincti, effigiem repræſentans Sephiroth Cabbaliſticas ad eandem accommodat) & *Amelium* Tom. I. der Erörterung pag. 210. Cl. *Elsnerus* l. c. Ægyptiorum Sacerdotes tanquam περιεζωσμένους σινδόνας ὑποκάτω τῶν μαστῶν a *Diodoro Siculo* lib. I. pag. 65. deſcriptos adfert. Confer quæ de *Zona* habet *Suicerus* Tom. I. Theſauri pag. 1306. & 1310.

Verſ.

Verſ. 14. Ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ, καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ) Vid. Cl. *Alberti* pag. 482. De crinibus diſſerit *J. H. Urſinus* Analect. Sacror. Part. II. pag. 372.

καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ὡς φλὸξ πυρὸς) Vide eundem *Urſinum* pag. 376. Paganos quoque & Diis ſuis, & iis, quos Diis ſimiles reputabant, fulgentes, radiantes, ardentes oculos tribuiſſe oſtendunt *Majus* lib. IV. Obſſ. Sacrar. pag. 95. & *Elsnerus* pag. 437. ſq. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa.

Verſ. 15. Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ) Quid χαλκολίβανον ſit, allatis diverſis eruditorum ſententiis erudite diſputavit magnus *Bochartus* in Hierozoico pag. 883. ſqq. quem vide. Χαλκοκλίβανον legendum eſſe, contendit ex noſtratibus *Joannes Tobias Major* commentar. in Apocalypſin, inſiſtens fortaſſe *Cloppenburgii* & *Salmaſii*, quem in Reſponſione ad calumniatoriam Cloppenburgii epiſtolam pag. 17. leges, veſtigiis. Cum vero codices in univerſum omnes repugnent, vocique, ut ſcripta eſt, commodus ſenſus conſtet, conjecturam hanc merito repudiavit *Aug. Pfeiferus* in Operibus Philologicis pag. 632. *Bochartus* pro voce hybrida, ex χαλκὸς & Hebr. לבן *albus*, ut *æs album* ſignificetur, conflata habet. Cl. *Tobias Eckhardus* in Technic. Sacr. pag. 128. ita: *Crediderim ego, vocem iſtam Epheſi, ubi commoratus eſt Johannes, multique fuerunt aurifabri, & id genus artifices, qui Dianæ Epheſiæ ædiculas ſacras fecerunt* Act. XVIII. 24. ſq. *notiſſimam fuiſſe, eoque ab Apoſtolo adhibitam, etſi apud auctores, quia technica quaſi fuit, & arti ærariæ propria, non adhibita. Malim vero deducere a voce λίβανος, ut* montem Libanum, *non, ut* thus *ſignificat, uti* G. Paſor *derivat; nam & ὀρείχαλκος ab ὄρος* mons, *dicitur, ut ſpecies pro genere, Libanus pro monte quolibet, in verbo noſtro ponatur, fortaſſe quod Libanus dederit ejusmodi genus metalli.* Heſiodus *Herculi tribuit pedes ex* orichalco φαεινῷ lucente, Aſpid. v. 112. *Joannes ait pedes fuiſſe ſimiles χαλκολιβάνῳ ſeu* electro, *inſtar ignis fulgentes, ut hinc liceat conjicere, fuiſſe munimenta pedum ex orichalco confecta: ita fere Moſes de tribu* Aſer, *quæ ad radices* Libani *domicilium habuit*, ferrum & æs calceamentum ejus, *Deuteron.* XXXIII. 25.

Alia via rem nuper aggreſſus eſt eruditiſſimus *Joh. Conradus Schwarzius*, Theologus Coburgenſis, in monimentis Ingeniorum Tom. III. pag. 284. ſqq. Hic enim χαλκολίβανον cum חשמל *Ezech.* I. 4. confert, atque ita porro commentatur: *Statuamus igitur, nomen λιβάνου ex verbo λείβειν vel λίβειν natum eſſe, & ejusdem eſſe poteſtatis, ac λιβάδα. Nam ut ab ἵκω ἱκανὸς, a λείχω λιχανὸς, a τείνω τετανὸς, a πείθω πιθανὸς duci cœpit: ita a λείβω quoque λιβανὸς duci potuit. Hoc quis neget? Ergo χαλκολίβανον* æs fluidum, *ſeu* in fornace conflatum *eſſe, apertum eſt.* Parum abeſt, quin hanc ſententiam amplectar: talis certe eſt, quæ præ ceteris linguæ Græcæ rationibus & argumento ipſi reſpondeat. Conf. infra ad II. 18.

Verſ.

Verſ. 16. Καὶ ἔχον ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ χειρὶ ἀστέρας ἑπτὰ) Spectat huc *Petri du Boſc* concio ſingularis de ſtellis cœli Eccleſiæ, gallice edita. Emblemate hoc ad annulos gemmis, quæ cum ſtellis comparari ſoleant, fulgentes, reſpici ſtatuit *Ludov. ab Alcaſar* in Veſtigatione arcani ſenſus in Apocalypſi pag. 235. Confer *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam pag. 359. ſeq.

καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ῥομφαία δίστομος) Lege *Vitringam* lib. I. Obſervatt. Sacrar. pag. 138. Similiter in *Pircke R. Elieſer* Parte I. *Jalkut Schimoni* fol. 52. 1. Moſes Ægyptium illum *gladio oris* ſui legitur occidiſſe, obſervante *Schœtgenio* pag. 1087.

καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος φαίνει ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ) Eadem phraſis exſtat *Judic.* V. 31. & apud Moſen & Aaronem accommodatur in *Jalkut Schimoni* Parte I. fol. 55. 4. apud *Schœtgenium* l. c. *Demetrium Phalereum* a nonnullis ἡλιόμορφον vocatum eſſe, ex *Athenæo* XII. 9. monet Cl. *Albertius.*

Verſ. 17. 18. Καὶ ὅτε εἶδον αὐτὸν κ. τ. λ.) Lege *Jacobi Altingii* Opera Tom. IV. in calce pag. 171. ſqq. item Rev. *Jo. Jac. Quandt*, Theologi Regiomontani, Programma Paſchale de Chriſto Triumphatore, Regiomonti 1723.

Verſ. 17. ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος) Hæc de ſe Chriſtus, Dominus noſter, Joanni apparens. Vide vero, & mirare, qua opera *Artemonius* in Initio Evangelii Joannis reſtituto pag. 248. phraſeos hujus notionem enervet, ne divinam ejus majeſtatem ſignificare videatur. *Cum Joannes*, inquit, *perſecutionem propter Jeſu teſtimonium paſſus, in inſula Patmo procul ab humaniori ſocietate verſaretur, atque ſic indigno modo tractaretur; ac tunc, viſa Filii hominis majeſtate, perculſus pro mortuo ad pedes ejus procidiſſet, ille, Joannis ſui amantiſſimus, inclinato ad eum capite & corpore, imponit ei dextram, ſeptem ſtellis fulgentem, & his verbis eum affatur, atque erigit:* Ne time, ego ſum ille primus, & ille ultimus, *videlicet inter filios hominum, ego ille præſtantiſſimus omnium, a mundo adeo contemptim habitus & deſpectus, ſimul fui ille ultimus & abjectiſſimus; ne igitur, homo mihi dilectiſſime, animum deſponde: licet te mundus ultimo habeat loco, & deſpiciat omnino, es tamen mihi chariſſimus, in oculis meis primus, & dextra mea ſeptem ſtellis ornata coronaris.* Itane vero Joannes erigi & a timore liberari non poterat, niſi in memoriam ipſi revocaretur abjecta quondam Chriſti hominis conditio? Itane torquenda erant hæc verba, ut, quæ Dominus de præſente ſua majeſtate docet, ea aliquam ſui partem ad priſtinam abjectamque conditionem revocarentur? Si hoc ſibi voluiſſet Dominus, dicturus erat: ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος, καὶ ἐγενόμην ἔσχατος. Sic enim v. 18. καὶ ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρός. Nonne magis in promtu eſt, ita ſtatuere, quod ſummum hoc

elogium divinæque & omnipotentis naturæ indicium h. l. ideo commemoretur, ut fides ſimul fieret, ea certiſſime impletum iri, quæ in iisdem tradantur, tanquam ab Omnipotente Deo, qui primus ſit & ultimus, profecta? Rectius itaque alii heic agnoſcunt divinæ Chriſti naturæ argumentum, inprimis ſi comparentur loci paralleli *Jeſ.* XLI. 4. XLIV. 6. & XLVIII. 12. ad quæ commata *Vitringæ* commentarium velim conferri. Adde quæ infra ad XXII. 13. dicentur.

Verſ. 18. *Καὶ ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*) Ita in *Mechilta* f. 19. 2. vocatur חי העולמים *vivens in ſecula.* Vide locum apud *Schœtgenium* pag. 1088. Ceterum placet *Vitringæ* in hæc verba obſervatio, quæ ita putat vertenda: *Et qui ſum Vivens,* (h. e. Deus ille vivens, vere vivens,) *licet mortuus fuerim*, (in humana natura) *& ecce vere vivo in ſæcula ſæculorum. Alluditur enim* (ita pergit) *hic manifeſte ad titulum* Viventis in æternum, *quem Deus ſibi tribuit* Deuteron. XXXII. 4. *& copula καὶ ad exemplum Hebræorum* ו *hic ſumenda eſt adverſative, ut in aliis accidit S. Scripturæ locis, Geneſ.* XVIII. 27. *Zachar.* XII. 3. *Act.* VII. 5. *Luc.* XVIII. 7.

ἀμήν) Deſideratur hæc vox in variis codd. Græcis, & verſionibus, *Æthiop. Arab. Lat. Copt.* nec minus Eraſmi editionibus omnibus, & noviſſima *Bengelii.* Editor N. T. Græco-Anglic. parentheſeos notis eam incluſit, & B. Lutherus prorſus omiſit. Recte utique. Continuatur enim hic oratio: *καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ἅδου καὶ τοῦ θανάτου.* Illa vero male & ſine ullo alio exemplo interrumpitur adjecta vocula *ἀμήν.* Porro hic non eſt doxologia, cui alias ſubjici ſolet, v. c. Rom. IX. 3. Itaque non dubium eſt, eam irrepſiſſe ſtudio librariorum, qui vocem, alias in doxologiis, vel votis inprimis, poſt vocem *αἰῶνος* obviam, temere infarſerunt. *Eraſmus Schmidius*, probe videns, *ἀμὴν* illud in frequentiore ſignificatu locum heic habere non poſſe, eo progreſſus eſt, ut articulum *ὁ, τῷ Ἀμὴν* præfigeret, & verteret, *Amen ille*, adductus tum aliis argumentis, tum inprimis *Apocal.* III. 14. Sed non par eſt utriuſque loci ratio, nec mirum eſt, alios id non obſervaſſe, quod fatetur & miratur *Schmidius.* Recte enim illi abſtinuerunt tum ab articulo illo, tum a voce ipſa, quia neutrum in probationibus & pluribus libris invenerant.

καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ἅδου, καὶ τοῦ θανάτου) Vide huc *Amelii* Erörterung Tom. I. pag. 516. &, qui idem eſt, *Pet. Zornium* Tom. I. Biblioth. Antiquar. Exeget. pag. 506. & 1062. quo poſtremo loco ad Hecaten triformem, ſive Dianam reſpici putat. Conſtat ſcilicet, Gentiles quoque *κλεῖς τοῦ ἅδου* commemorare, eaſque Plutoni tribuere. Illuſtris eſt *Pauſaniæ* locus lib. V. cap. 20. *ἔχει δὲ ὁ Πλούτων κλεῖν, καὶ λέγουσιν ἐπ᾽ αὐτῇ τὸν καλούμενον ἅδην κεκλεῖσθαί τε ὑπὸ τοῦ Πλούτωνος, καὶ ὡς ἐπάνεισιν οὐδεὶς αὖθις ἐξ αὐτοῦ. Habet*

bet autem Pluto clavim, & ajunt, ea clauſum eſſe a Plutone locum, qui ᾅδης dicitur, & neminem ex eo reverti. Locum hunc ſimilesque ei alios adfert *Lamb. Bos* in Obſervatt. Sacr. pag. 285. Adde Cl. *Cleſſelium* in Bibliothec. Lubecenſ. Tom. IV. pag. 671. Conſtat quoque, eosdem paganos Diis & Deabus ſuis claves varii generis tribuere, ubi poteſtatem illis propriam indicare inſtituunt. Vide huc eruditiſſimi *Pet. Weſſelingii* Obſervatt. lib. I. cap. 3. de Diis Deabusque κλῃδούχοις, *clavigeris*, & inprimis luculentam de *Diis clavigeris Chriſt. Gottlieb Schwarzii* diſſertationem Altorfii 1728. editam, de qua exponunt *Acta Franconica*, germanice edita Parte XVI. pag. 293. Et ſunt, qui cum *Lamb. Bos*, *Zarnio*, & aliis phraſin hanc Apocalypticam, aliasque illi ſimiles, ex illis paganorum locutionibus ſententiisque partim petitam, partim illuſtrandam opinantur. Nolim vero ex longinquo peti, quæ in propinquo poſita ſunt. Phraſis enim hæc ex ſacris literis Vet. Teſt. æque claram lucem accipit, in quibus nec clavium nec ᾅδυ nomen, quod apud τοὺς LXX. Hebræorum שאול reſpondet, ignotum eſt. *Claves* autem poteſtatem, ut *Jeſ.* XXII. 22. *claves domus Davidis*, ſicut ᾅδης nunc infernum nunc ſtatum hominis poſt mortem, inferunt. Cum porro apud gentes plurimas claves poteſtatis ſymbolum fuerint, non video, cur ad Græcorum ſpeciatim mythologiam confugere velimus. Si qua ampliore luce opus foret, ad Judæorum ſcripta provocare mallem. Illi enim in *Targum Hieroſol.* Geneſ. XXX. 12. quatuor Deo claves tribuunt, nempe *pluviæ*, *cibationis*, *ſepulchrorum* & *mulieris ſterilis*. Vide locum, eique ſimiles alios apud *Schœtgenium* pag. 1088. ubi in altero מפתח קבריא *clavis ſepulchrorum*, in altero מפתח תחיית המתים *clavis reſuſcitationis mortuorum* appellatur. Atque hinc phraſis noſtra & nata & explicanda videtur Cl. *Weſſelingio* loc. citat. pag. 11. Ex Judæorum monimentis alia, quæ huc ſpectant, adfert *Jac. Windetus* de vita functorum ſtatu, in limine. Pro noſtra, quam diximus, ſententia, lege etiam laudatum modo *Schwarzium*.

Verſ. 19. *γράψον, ἃ εἶδες, καὶ ἅ εἰσι, καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα*) Ex phraſi, *ἅ εἰσι*, cordatiores Interpretes recte conficiunt, hoc libro non tantum vaticinia de rebus, longo tempore poſt eventuris, ſed de iis quoque, quæ tunc proximæ erant, & ex parte jam agebantur, contineri.

Verſ. 20. τὸ *μυςήριον τῶν ἑπτὰ ἀςέρων*) Vide *Joan. Vorſtii* Diſſertatt. Sacras lib. I. pag. 234.

ἑπτὰ ἀςέρες ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ Ἐκκλησιῶν εἰσι, καὶ ἑπτὰ λυχνίαι ἃς εἶδες ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσι) Lege *Grotium* de Imperio ſummarum Poteſtatum circa Sacra Tom. III. Opp. pag. 282. ubi inter cetera recte obſervat, errare eos, qui per Angelos ipſas Eccleſias intelligunt, cum candelabra hic Eccleſiæ, ſtellæ autem angeli ſeptem Eccleſiarum appellentur. Confer eun-

Digitized by Google

dem pag. 619. Nihilominus tamen *Walo Meſſalinus*, i. e. Salmaſius, de Epiſcopis & Presbyteris pag. 183. cum *Areta* & *Andrea Cæſar.* per *Angelos* Eccleſias ipſas intelligit. *Non enim*, inquit, *Angelis*, *nec Angelorum nomine ipſis ſingularum Eccleſiarum præſidibus hic ſermo dirigitur. Ipſæ Eccleſiæ totæ*, *non earum ſinguli præpoſiti*, *vel Epiſcopi*, *hæc ſoli peccarunt*, *propter quæ pœnitentiam agere jubentur.* Enimvero hæc ſecum invicem non pugnant. Poterant enim vel ſic epiſtolæ hæ & admonitiones ad Præpoſitos illarum Eccleſiarum dirigi, qui partim & ipſi iisdem vitiis erant obnoxii, partim cavere debuerant, quo minus ea in cœtus ſuos irreperent, partim efficere debebant, ut ab illis ſibi inpoſterum caverent. Compara, quæ contra illam *Salmaſii* ſententiam diſſerit *Jac. Uſſerius* in Prolegomenis ad Ignatium pag. 136. & *Petavius* paſſim. Præpoſiti Eccleſiarum ſive Epiſcopi illi, ſive Preſbyteri, ſive alio quocunque nomine tunc temporis ſint appellati, de quo nunc quidem diſputare non vacat, angelorum nomine inſigniuntur, phraſi ex Synagoga Judaica deſumta. In ea enim שליח ציבור i. e. *nuncius* ſeu *legatus Eccleſiæ* dicebatur is, cui munus prælegendi, orandi & docendi ab integro cœtu erat creditum. Vide, quæ in hanc cauſam copioſe diſſeruit *Campeg. Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Parte II. cap. 2. & 3. copioſius autem nuper Cl. *Schætgenius* pag. 1089 – 1094. Horarum. Adde Ven. *Chriſtoph. Matth. Pfaffii* Origines Juris Eccleſiaſt. pag. 58.

CAPUT II.

VErſ. 1. Τῷ ἀγγέλῳ τῆς Ἐφεσίνης Ἐκκλησίας γράψον) De *Epheſo* & Eccleſia Epheſina diximus in Prolegomenis ad epiſtolam Pauli, Epheſiis inſcriptam. Confer nunc, quæ habet præſtantiſſimus *Fabricius* noſter in Luce Evangelii ſalutari toti Orbi exoriente pag. 87. Epheſinam Eccleſiam primo loco commemorari putant eruditi, quod Epheſus non ſolum Aſiæ fuerit *metropolis*, ſed, cum plures Aſiæ urbes v. c. *Smyrna* & *Pergamus* de eadem dignitate & primatu quoque diſputarent, ipſa πρώτην μητρόπολιν ſe appellarit, quod patet ex *Ulpiano* lib. 1. Dig. tit. 16. de Offic. Procoſ. leg. 4. Vide, quæ in hanc rem ex *Jo. Harduino* in Numis antiquis populorum & urbium illuſtratis, *Laur. Theodoro Gronovio* ad marmoream baſin Coloſſi Tiberii cap. 23. pag. 497. Tomi VII. Antiquitt. Græcarum *Jacobi Gronovii*, aliisque adfert *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquar. Exegetica pag. 41. ſeq. qui & pag. 42. in notis monet, *Epheſum*, *Smyrnam* & *Pergamum* heic ſe invicem ordine excipere, quod tres illæ urbes de primatu inter ſe contenderint. Propius huc facit, quod *Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 129. ſeq. obſervat, inter tres illas urbes concordiam ſive ὁμόνοιαν, in numis quoque celebratam, viguiſſe, imo & πρώτας Ἀσίων appellatas fuiſſe. De *Epheſo* vide præterea *Schelſtrateni* Antiquitates Eccleſiaſticas

Parte

Parte I. pag. 37. & *Beveregium* pag. 234. Codicis Canonum vindicati. Epiſtolam ipſam primario ad unum Eccleſiæ Epheſinæ Præpoſitum, non plures, porro vero ad totum cœtum directam eſſe, hinc ex inſcriptione *τῷ ἀγγέλῳ*, in ſingulari numero conformata, hinc ex argumento epiſtolæ recte colligitur. Quis vero ille Præpoſitus fuerit, non æque conſtat. Pro *Timotheo* vel ſucceſſore ejus pugnat *Uſſerius* in limine opuſculi de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine. Timotheum indicari *Calovius* ex noſtratibus ad h. l. cenſet, pluresque hujus ſententiæ patronos adfert, quæ tamen parum ſe probat B. *Jo. Fechtii* in Theſibus Miſcellaneis §. 5. In ſenſum hujus epiſtolæ inquirit B. *Joannes Guilelmus Janus* capite II. diſſertationis de Nicolaitis, de qua in ſequentibus dicemus.

Verſ. 2. *καὶ ὅτι ἐ δύνῃ βαςάσαι*) *Δύνασαι*, non autem *δύνῃ* Græce dici *Thomas Magiſter* pag. 51. præcipit, injurius utique in *Demoſthenem*, *Iſocratem*, *Xenophontem* & *Platonem*, quos ab eadem verbi forma non alienos fuiſſe oſtendit *Georgius* in Hierocritico N. T. p. 118.

καὶ ἐπειράσω) ita editi libri; ſcripti vero nonnulli *ἐπείρασας*, quod in ſua editione prætulit Cl. *Bengelius*. Utraque verbi forma Græca eſt, quamvis diverſæ originis. Noſtra illa ex forma verbi *πειράω* media repetenda eſt, quæ & *Actor.* IX. 26. & XXVI. 21. occurrit. Altera vero, in N. T. frequentior ex *πειράζω* derivanda.

τὲς Φάσκοντας εἶναι ἀποςόλες καὶ ἐκ εἰσὶ) *Eccleſiarum fundatores*, inquit *Salmaſius* de Epiſcopis & Presbyteris pag. 185. *quos Apoſtoli ad hoc mittebant*, Apoſtolorum *nomine vocavit Eccleſiæ antiquitas, imo vel ipſi Apoſtoli ita nuncuparunt. Sic Epaphroditum Paulus nominavit in epiſtola ad* Philippenſes, *quia eum Philippos miſerat, ad Philippenſium Eccleſiam conſtituendam. Qui ſibi hoc munus vindicabant abſque ullius Apoſtoli miſſione, hoc quoque nomine vocabantur; quorum falſos pleroſque, nec legitime vocatos fuiſſe, certum eſt. De his Joannes Apocalypſ.* II. 2. Quodſi tamen 2 *Corinth.* XI. 13. conferamus, videntur illi homines, de quibus heic ſermo eſt, ad Chriſtum ipſum, tanquam cujus juſſu & auſpiciis veniant, provocaſſe. *Οἱ γὰρ τοιοῦτοι*, inquit, *ψευδαπόςολοι, ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποςόλες Χριςοῦ.*

Verſ. 3. *Καὶ ἐβάςασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις. καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας, καὶ ἐ κέκμηκας*) Ita poſt *Eraſmum* editi plerique, quos & *Millius* cum *Stephano*, in contextu, ſequitur. *Complutenſis* tamen, *Pariſina* Johannis Benenati an. 1584. & *Antwerpienſes* omnes, teſte *Petro Fabro* lib. II. cap. 8. Agoniſtic. legunt ſimpliciter *καὶ ἐκ ἐκοπίασας* ſine ſequenti, *καὶ ἐ κέκμηκας*. Eidem huic lectioni ſuffragantur præter codices aliquot, (inter quos *Alexandr.* habet *ἐ κεκοπίακας*) a *Millio* & *Bengelio* allatos, *Arethas* in textu & commentario, adſtipulantibus verſionibus *Vulg. Syr. Arab.* & *Æthiopica.*

thiopica. Ex quo factum eſt, ut nonnulli poſteriorem hanc lectionem tanquam germanam amplecterentur. Inter hos eſt *Grotius*, *Millius* in Prolegomenis §. 1109. *Leonh. Twells* in Vindiciis Apocal. ſupra pag. 404. tum vero editor N. T. Græco-Anglic. & Cl. *Bengelius*, quorum ille οὐκ ἐκοπίασας, hic οὐ κεκοπίακας in ſua uterque editione exhibent. Rationem ſententiæ ita exhibet *Millius* l. c. *Ob repugnantiæ neſcio quid hoc in loco, ubi Eccleſia Epheſina, quæ verſiculo proxime præcedente laudatur, ob* κόπον, *Chriſti nomine ſuſceptum, dicitur* οὐ κοπιάσαι, *ſtudioſus quiſpiam e* regione τοῦ, οὐκ ἐκοπίασας *adſcripſerat ad marginem* οὐ κέκμηκας, *interpretamenti gratia. Hæc ad textum pertinere putans librarius, adpoſuit reliquis in contextu, expuncto* οὐ *ante* ἐκοπίασας, *quo omnia quadrarent.* Interim pro recepta lectione pugnat *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 75. *Sed illud*, inquit, οὐκ ἐκοπίασας *non immerito, quod ad vim ac proprietatem verborum attinet, vitii ſuſpicionem habet, utpote quod nullo modo convenit cum eo, quod Apoſtolus commate præcedenti dixit:* οἶδα τὰ ἔργα σου, καὶ τὸν κόπον σου. *Nam argumento a conjugatis deducto, neceſſe eſt, eum* κοπιάσαι, *cujus* κόπος *ſit cognitus, ideoque dicere talem* οὐ κοπιάσαι, *a vero abhorreret. Quin etiam veriſimile non eſt, ne dicam, videri abſurdum, ut in tam modico interſtitio ac intervallo* κόπος *quidem laborem,* κοπιάσαι *vero in ſequenti ſtatim verſu, non* laborare, *ſed in ipſo labore* defetiſci *laborique cedere ſignificet.* &c. Non contemnenda, fateor, eſt codicum, ab adverſa parte allatorum, auctoritas, nec leves, quas iidem habent, ſententiæ ſuæ rationes. Malim tamen in communiori lectione acquieſcere. Scilicet Apoſtolus v. 3. omnino ad v. 2. reſpicit. In hoc autem a tribus nominatim capitibus laudaverat Eccleſiæ Epheſinæ Præſulem, nempe a κόπῳ, ab ὑπομονῇ, &, quod non βαςάσαι poſſit nialos. Jam vide, quomodo eadem illa tria prædicata v. 3. repetantur facto a poſtremo initio, & ſic in ceteris retrogrediendo: καὶ ἐβάςασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ διὰ τὸ ὄνομα μου κεκοπίακας. Ubi notandum eſt, quod poſterius illud κεκοπίακας ad toleratas adflictiones referatur, quas libentius, quam malos homines, tulerit. Accedit præterea communior & perpetuus fere in N. T. ſignificatus, verbo κοπιάω ita ſubjectus, ut ad *laborem* indicandum adhibeatur. Si enim unum *Joannis* locum cap. IV. 6. exceperis, quem *Twelſius* inprimis urget, in ceteris omnibus altera illa notio obtinet. Imo Joannes ipſe ejuſdem capitis comm. 38. ὃ οὐχ ὑμεῖς κεκοπιάκαʃε, ἄλλοι κεκοπιάκασι eadem ratione verbum repetita vice adhibet. Ne dicam v. 6. participio κεκοπιακὼς addi ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, quod ſenſum verbi definit: hujuſmodi vero nihil quicquam heic invenitur, ut merito dubites, Apoſtolum in hoc Apocalypſeos loco de illa verbi ſignificatione cogitaſſe. Similiter enim *Ariſtophanes* in Avibus v. 735. verbum κοπιᾶν defatigationis ſenſu adhibet, addito ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν. Porro familiare eſt *Joanni*, phraſin aliquam cum illa, quæ ipſi ratione rei oppoſita eſt, addita negandi particula, conjungere. Heic ait: κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας. Similiter cap. III. v. 7. ὁ ἀνοίγων, καὶ

οὐδεὶς

ὐδεὶς κλείει, καὶ κλείει, καὶ ὐδεὶς ἀνοίγει, & v. 8. καὶ ἐτήρησάς μυ τὸν λόγον, καὶ ὐκ ἠρνήσω τὸ ὄνομά μυ. Omitto alia. Denique verbum κέκμηκας ad hoc argumentum accommodatiſſimum eſſe mox oſtendemus, quemadmodum heic poſt *Vitringam* obſervamus elegantem dictionis figuram, quam Grammatici ἀντανάκλασιν vocant. De alterius illius lectionis origine ita ſtatuerim, quod phraſis, καὶ ὐ κέκμηκας, tanquam in N. T. infrequentior (hoc enim ſenſu *Hebr.* XII. 3. tantum occurrit) adeoque inſolentior viſa, in nonnullis codicibus ſit omiſſa, hinc vero factum, ut verbo ἐκοπίασας τὸ ὐκ præfigeretur.

καὶ ὐ κέκμηκας) *& non defatigatus es.* Κάμνειν, ἀποκάμνειν & καμεῖν eos dici, qui vel in pugna, vel in lucta, vel in ſtadio animum deſpondent, *Jacobus Lydius* loc. cit. & *Cornelius Adami* in Obſervationibus Theologico-Philologicis pag. 406. oſtendunt. Ita *Plutarchus* in Coriolano pag. 218. Coriolanum hunc, vulneribus & laboribus confectum, monitumque, ut in caſtra ſe reciperet, reſpondiſſe narrat: ὅτι νικώντων ὐκ ἔςι τὸ κάμνειν, *laſſitudine confici non eſſe vincentium.*

Verſ. 4. Ἀλλ' ἔχω κατὰ σῦ, ὅτι τὴν ἀγάπην τὴν πρώτην ἀφῆκας) Spectat huc *Franciſci Wœrgeri* Exercitatio de Præſule Epheſino, charitatem primam relinquente, Lubecæ 4to ſine anni indicio edita. Illius cap. I. oſtendit acerbitatem hujus epiſtolæ vix adſequi commentatores, cap. II. ſevere nihilominus hypocritis eſſe inculcandam, cap. III. nec aptius quicquam retundendis affectibus Theologorum vel explicari hodieque poſſe, vel repeti. De eadem hac reprehenſione exponit etiam *J. S. Menochius* in *Trattenimenti eruditi* Parte III. pag. 285. Per primum illum amorem alludi ad primos conjugum amores, qui puri & ardentes eſſe ſoleant, reſpici ex *Jerem.* II. 2. ſtatuit poſt *Ambroſium Anſbertum* libro II. in Apocalypſ. Tom. XIII. Bibliothecæ Patrum pag. 403. *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica pag. 187. not. Vide &', quæ habet *Saldenus* in Otiis Theologicis pag. 413. In phraſi, ἔχω κατὰ σῦ ſubintellexerim τι, vel ὀλίγα, quod poſterius infra exprimitur v. 14.

Verſ. 5. Μνημόνευε ὖν, πόθεν ἐκπέπτωκας) Codices aliquot habent πέπτωκας. Interim Græcis ἐκπίπτειν in ejuſmodi argumento æque familiare eſt, atque Latinis *excidere.* Vide locos a Cl. *Albertio* pag. 482. allatos. Sic *Ariſtænetus* lib. I. epiſt. 21. τῶν ἐπιτετραμμένων ἐκπίπτων, *conceſſis bonis excidens.* Seneca de vita beata cap. 21. *magnis tamen excidet auſis. Notandum*, idem ait, ἐκπτώσεις, *vel* ἐκπτώματα *a Medicis Græcis vocari articulorum ex ſede ſua prolapſiones & luxationes, quod deinde ad errores & lapſus tansfertur. Ita Eccleſia Epheſina quaſi articulus corporis Chriſti dimotus conſiderari poteſt.* Æſchinem Athenienſi Republica ſponte emigrantem, video ἐκπεσόντα dici a *Philoſtrato* in procemio ad Vitas Sophiſtarum pag. 481. Ita non caſu, aut fato

fato quodam, ſed deſtinato conſilio cœtus Epheſinus priſtinam conditionem deſeruerat. De nave, ad litus impingente, alias dici oſtendit doctiſſimus *Elsnerus* Tom. I. Obſervatt. pag. 484.

καὶ μετανόησον) Lege *Balthaſ. Bebelii* diſp. de lapſorum pœnitentia, Argentor. 1684. qua & comma quartum explicatur. Adde B. *Joannis Henningii* Diſſertatt. Exegeticas in Selecta Scripturæ S. oracula, num. I.

καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον) Omittuntur hæc ab Interpretibus, *Copto* Wilkinſii, & *Æthiope*.

εἰ δὲ μὴ, ἔρχομαί σοι ταχὺ) Pœnitentiam, quæ heic ſuadetur, tunc temporis inſecutam eſſe, ex eo apparet, quod lux Evangelii per longum ſatis temporis intervallum poſtea Epheſiis ſplenduerit. Interim minæ hæ poſtea eventu confirmatæ ſunt, quo tempore & illa Aſiæ metropolis, & ceteræ, in ſequentibus commemoratæ, & lumine illo privatæ ſunt, & ad miſeram conditionem redactæ. In hac vero illas etiamnum jacere itinerum Scriptores una voce teſtantur. Eos appellatos vide a *Fabricio* in Luce Evangelii ſalutari toti orbi exoriente pag. 87.

καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς) Phraſin hanc ex Hebraica antiquitate illuſtrat B. *Theodor. Daſſovius* in Emphaſi Sacrarum Vocum diſput. II. pag. 22.

Verſ. 6. *Ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν*) De *Nicolaitis* his multi præter Hæreſiologos & Eccleſ. Scriptores ex recentioribus commentati ſunt. Ex noſtratibus huc ſpectant *Auguſt. Balthaſar*, in ſingulari diſput. de priſca hæreſi Nicolaitarum, Gryphiswald. 1682. *Joan. Franc. Buddeus* in Eccleſia Apoſtolica cap. V. pag. 385. *Joannes Fechtius* in Examine Theologiæ Indifferentiſticæ pag. 430. ſeq. *Andreas Hemmius* diſput. de Nicolaitis Hafniæ 1714. *Chriſtophorus Auguſt. Heumannus* ſingulari Obſervat. *Actis Eruditorum Lipſienſibus* an. 1712. pag. 179. ſq. inſerta (conf. ejuſdem Pœcilen Tom. II. pag. 393.) *Joannes Guilelmus Janus* diſſertat. ſingulari, de Nicolaitis ex hæreticorum catalogo expungendis, Wittebergæ 1723. primum edita, hinc vero Theſauro Diſputationum Novo Amſtelod. 1732. edito Tom. II. pag. 1016. ſeqq. recuſa, in cujus capite I. vulgaris de hæreſi Nicolaitarum traditionis originem & progreſſum ob oculos ponit, cap. II. vero eam nullo idoneo fundamento niti docet, denique cap. III. epiſtolas apocalypticas, ad Epheſinam & Pergamenſem Eccleſias datas, a perverſa earum expoſitione, tanquam ex qua fabula de Nicolaitis, hæreticis practicis, auctorem *Nicolaum* quendam habentibus, orta ſit, vindicat. Confer de ea Relationes Theologicas Novantiquas, vernaculo ſermone editas anno 1723. pag. 1089. Bibliothecam Theologicam ſelectam, itidem vernaculam Tom. I. pag. 183. & Acta Academiæ Wittebergenſis anno 1723. & 1724. pag 11. ſeqq. *Joannes Laurentius Moshemius* in Bibliothe-

ca

ca Bremenſi Tom. I. Faſcic. IV. pag. 381. atque hinc in Volumine diſſertationum ejus ad Hiſt. Eccleſiaſt. pertinentium, quod Altonav. 1733. 8. prodiit, diſſert. ſexta. (Compara Relationes, quas modo dixi, an. 1733. pag. 999. & Notitiam Scriptorum ac diſſertationum Moshemii pag. 29.) & *Eberhard. Rudolphus Rohtius* in diſſertat. Jenæ 1668. hinc 1679. auctiore edita, poſtea vero Theſauro Theologico-Philologico Novi Teſtamenti fol. 816. inſerta.

Ex Reformatis huc pertinent *Jo. Valkenier* diſputat. Franequ. 1664. publicata, & *Campeg. Vitringa* lib. IV. Obſervatt. Sacrar. cap. 9. ubi de argumento epiſtolarum Petri poſterioris & Judæ exponit, copioſius vero in commentario ad h. l. Ex Pontificiis *Nicol. le Nourry* Tom. I. Apparatus Diſſertat. I. cap. 8. Ex Socinianis denique *Artemonius*, ſive *Sam. Crellius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 329. ſq. & 380. in notis. Hic vero opinatur, *Nicolaitas* illos ſe ſub primam ſectæ ſuæ originem hoc nomine tanquam *victores mundi* appellaſſe, poſtea vero, & inprimis Sæculo II. deſtinatis ſuis fruſtratos, ejusdem nominis originem a Nicolao, homine ſanctiſſimo, repetere cœpiſſe.

Illi, quorum indicem adhuc dedi, in eo potiſſimum capite a ſe invicem diſſentiunt, quod alii eorum hæreſin *Nicolao* quodam auctore invectam, & ab ejus nomine appellatam, notari cenſent, alii vero idem nomen æque ac illud *Bileamitarum*, de quibus v. 14., myſtice accipiunt, ut non dux & auctor gregis aliquis, ſed hominum ita agentium conditio & perſuaſio, quaſi *victores populi* eſſent, ſignificetur. Qui priorem ſententiam tuentur, illi in eo diſſentiunt, utrum a *Nicolao* quodam, Diacono quondam Hieroſolymitano, quem veteres commemorant, an ab alio, illi ὁμωνύμῳ, nomen acceperint. Vide hanc in rem B. *Thomæ Ittigii* commentationem de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici pag. 87. ſqq. & in Selectis Hiſt. Eccleſ. capitibus Sec. I. cap. 5. pag. 314. præter eum vero *Joannem Mœllerum* in Homonymoſcopia pag. 189. ſeqq. Hanc ſententiam ut plerique antiquioris & recentioris ætatis tenent, ita noſtra memoria non defuerunt, qui alteram amplecterentur. Inter hos ex Anglis primus *Jo. Lightfootus* in Horis Hebraic. ad Act. VI. 5. & ad 2 *Cor.* VI. 12. myſticam nominis ſignificationem parum veriſimiliter ex verbo Hebraico ניכולא *comedamus*, repetit, *quaſi beluæ iſtæ ad comedenda idolothyta ita ſe animarint*, ut illi, *Jeſ.* XXII. 13. quorum hoc erat ſymbolum: *edamus carnem* &c. Poſt eum *Jo. Coccejus* Cogitat. in Apocal. II. 6. *Nicolai*, atque adeo & *Nicolaitarum* nomen cum Hebraico בלעם i. e. בעל עם, *dominus populi*, comparavit. Poſtea *Campeg. Vitringa* locis ſupra citatis cogitata hæc amplius ornavit, conſentientem nactus *Sal. van Till* l. c. Hæc amplius expoſita lege a *J. G. Jano* in calce diſſertationis laudatæ. Iisdem veſtigiis ex noſtratibus inſtiterunt *Heumannus*, *Janus*, (quem ex ſuo fonte hauſiſſe ſuſpicatur, neſcio quam re-

cte,

ĉte, *Heumannus* Pœciles Tom. II. pag. 393.) *Petrus Zornius* in Opuſculis Sacris pag. 634. & *Joannes Fridericus Mickelius* in Obſervationibus Sacris, de quibus Relationes Theolog. Nov-antiquæ an. 1730. pag. 136. Easdem partes & ſibi placere teſtatur *de la Roche* in *Mémoires Literaires de la Grande-Brétagne* Tom. I. pag. 251. *Joannes Clericus* in Hiſtoria Eccleſ. duorum primorum Seculorum pag. 494. nihil admodum definit, nec olim de eo, an Nicolaus, ab Apoſtolis diaconus conſtitutus, ſectæ illius conditor fuerit, ſatis conſtitiſſe, affirmans, imo ex *Clemente Alexandrino* Stromatum III. pag. 436. patere exiſtimans, non Nicolaum, ſed eos potius, qui nomine ejus abuſi ſunt, ſectæ auctores exſtitiſſe. Neque tamen deſunt ex recentioribus, qui priorem illam ſententiam tuentur. Ex his præcipui ſunt *Mosbemius* & *Buddeus* ll. cc. quorum hic pag. 378. ſq. ad *Artemonii* ſpeciatim argumenta reſpondet, ipſe in eo acquieſcens, quod ſecta hæc a Nicolao Diacono, cujus imprudens factum & dictum in impuriorem doctrinam & vitæ licentiam abripuerit, & nomen & originem ſuam acceperit. Adde, ſi placet, D. *Joachimi Langii* Hæreſiologiam Seculi I. & II. Diſſertat. III. Artic. II. §. 12. ſeqq. Utraque ſententia non contemnendis nititur argumentis, quorum pondus utrinque expendere nobis quidem non licet. Non diffiteor tamen, me hactenus communiorem ſententiam ideo inprimis amplecti, quod v. 15. diſerte mentio fit τῆς διδαχῆς τῶν Νικολαϊτῶν, quam iidem hi mordicus tenere affirmantur. Heic vero id inprimis notari velim, quod οἱ κρατῦντες τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, de quibus v. 14. non ſint diſtinguendi ab illis, qui dicuntur κρατῦντες τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν. Iidem enim duplici hoc nomine ob convenientiam dogmatum & morum inſigniuntur. Quemadmodum vero Bileamitæ illi auctorem & ſuaſorem vere *Bileamum* habuerunt, ita & Nicolaitæ illi *Nicolaum* aliquem, ad quem provocarint, habuiſſe videntur.

Verſ. 7. Ὁ ἔχων ὖς, ἀκυσάτω κ. τ. λ.) Comma integrum illuſtrat *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 842. ſeq. De phraſi prima lege *Joannem Albertium* pag. 483. qui inter cetera ex *Clemente Alex.* τὰς ὦτα κεκτημένυς Protrept. pag. 7. & ex *Æliano* Var. Hiſt. XIV. 47. ὦτα πεπαιδευμένα huc adfert.

Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ) Hebraiſmum in pronomine αὐτῷ cum *Vorſtio* fruſtra quærunt nonnulli, cum ita politiſſimi Scriptores loqui ament, quos adfert *Elsnerus* pag. 439. nominatim *Herodianum* lib. III. cap. 10. pag. 154. τῦτον γὰ μὲν πρῶτα τῆς ἡλικίας ἐυτελῆ γινες αὐτὸν καὶ πεφυγαδεῦσθαι ἔλεγον, *hunc ineunte juventute tenui fortuna & exilio multatum dicunt.* Confer nos ſupra ad I. 6. Adde Cl. *Georgium* in Vindiciis N. T. pag. 262. Quis per νικῶντα & heic & in ceteris epiſtolis Apocalypticis intelligatur, ſingulari disquiſitione inquirit *Joan. d'Outrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. pag. 605. ſeqq.

δώσω αὐτῷ φαγεῖν) Ad Melchiſedecum, qui Abrahamum victorem pane & vino exceperit, heic alludi nonnulli putant. Vid. Hiſtoriam Criticam Reipubl. literar. Tom. III. pag. 117. Romanos quoque ſtrenuis militibus cœnam paraſſe ex *Plutarcho* in Craſſo pag. 536. Cl. *Elsnerus* pag. 440. docet, & *Pet. Fabrum* Agoniſtic. II. 18. videri jubet de athlothetis, qui victores Olympicos ſplendido convivio exceperint. Malim tamen ob phraſin ſequentem ad arborem vitæ, in ſacris literis memoratam, ſimpliciter reſpicere.

ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς) *ex arbore vitæ.* Eadem phraſi frequenter utuntur Judæi, quando divinæ gratiæ fructum ad homines perventurum pollicentur. Sic in *Jalkut Rubeni* fol. 19. 2. *Quando Deus judicat judicium veritatis, tunc animam deducit in paradiſum, eique guſtandam præbet arborem vitæ.* Vide hunc aliosque ei ſimiles locos apud *Schœtgenium* pag. 1095. Horarum Meſſiæ temporibus ſpeciatim id eventurum Cabbaliſtæ tradunt apud *Fabricium* noſtrum in Codice Pſeudepigrapho V. T. p. 5. Cibum arboris vitæ opponi hic idolothytis, a quorum uſu abhorrebat eccleſia Epheſina, Nicolaitas averſans, opinatur *Alex. Morus* pag. 215. De hac vitæ arbore confer *Cocquii* Phytologiam. Arborem a probatis Græciæ Scriptoribus *ξύλον* appellari, oſtendit *Gerhardus Outhovius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 450.

ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ) Confer eundem *Cocquium* pag. 1096. ubi Judæorum habes de paradiſo cœleſti, quem פרדס למעלה appellant, teſtimonia. De voce *παράδεισος* ſatis diximus ad *Luc.* XXIII. 43. Confer jam *Georgii* Hierocriticum pag. 259. Græcos veteres, ea voce uſos, præferentem.

Verſ. 8. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας Σμυρναίων κ. τ. λ.*) Nonnulla commode huc adfert *Pet. du Boſc* Vol. II. concionum gallice editarum pag. 289. ſqq. Smyrnam ære expreſſam exhibet, & de præſenti ejus ſtatu exponit *Cornel. Brun* Itinere in Ægyptum pag. 20. ſq. Confer & *Fabricium* noſtrum in Luce Evangelii Salutari pag. 91.

Verſ. 9. *ἀλλὰ συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ*) Vide *Caſp. Barthii* Adverſaria lib. III. cap. 12. pag. 133.

Verſ. 10. *Μηδὲν φοβοῦ, ἃ μέλλεις πάσχειν κ. τ. λ.*) Vide huc *Sebaſt. Schmidium* in Appendice ad Formul. Concord. pag. 14. ſeq. *Joan. Bened. Carpzovii* conciones funebres Tom. IV. pag. 647. & *Jul. Franc. Lutkenii* conciones funebres num. XX.

μέλλει βαλεῖν ἐξ ὑμῶν) ſcilicet *τινας*, more veterum Scriptorum, quos adfert Cl. *Georgius* in Vindiciis N. T. pag. 185. Sic *Ælianus* Var. Hiſt. XII. 9. *Τιμησίας ὁ Κλαζομένιος καλῶς ἐξηγήσατο τῶν Κλαζομενίων. ἦν γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν*, ſcilicet *τις*.

καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς) Stephanephororum dignitatem Smyrnæ receptam fuiſſe ex *Philoſtrato* de Sophiſtis lib. II. cap. 26. oſtendit *Theod. Haſæus* in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 239. atque hinc pag. 241. olim ſe ſuſpicatum ait S. Joannem eo phraſi hac alluſiſſe, quam tamen conjecturam eo loco recte deſerit. Scilicet familiare eſt libris ſacris V. T. & Judæis quoque, id omne coronæ nomine appellare, quod præclarum & honorificum eſt. Ita Hebræi *coronam ſapientiæ & juſtitiæ* celebrant, quam duabus diſſertationibus perſecutus eſt B. *Joannes Henricus Majus.* Corona itaque vitæ appellatur vita beatior, ut bonis aliis, ita gloria inprimis pleniſſima.

ὁ νικῶν οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου δευτέρου) Mors ſecunda, ad priorem illam naturalem habito reſpectu, appellatur æterna illa cum cruciatibus conjuncta; quod patet ex *Apocal.* XX. 13. *Jo. Vorſtius* in diſſertat. de Paradiſo, quæ in Faſciculo IV. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectantium recuſa eſt, pag. 318. phraſin hanc Judæis olim, & quidem Joannis ætate, receptam fuiſſe, ex eo colligit, quod eadem in Paraphraſibus Chaldaicis *Jeſ.* LXV. 6. 15. *Jerem.* LI. 39. 57. alibique legitur. Appellant illi מותא תנינא. Confer *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum, pag. 1181. & *Adriani Relandi* Palæſtinam pag. 353. De verbo *ἀδικεῖν* lege infra ad IX. 4.

Verſ. 12. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Περγάμῳ ἐκκλησίας γράψον*) De *Pergamo* vide *Thomam Smithum* & alios ad cap. I. 11. appellatos. Epiſtolam hanc illuſtrat B. *Jo. Guil. Janus* in diſſertatione erudita de Nicolaitis ex hæreticorum catalogo expungendis cap. II.

τάδε λέγει ὁ ἔχων τὴν ῥομφαίαν τὴν δίστομον, τὴν ὀξεῖαν) Confer *Suicerum* Tomo II. pag. 908.

Verſ. 13. *ὅπου ὁ θρόνος τοῦ Σατανᾶ*) Cur Pergamo heic *thronus Satanæ* tribuatur, disquiſiverunt interpretes, quorum plerique *ſedem idololatriæ, ſuperſtitionisque* &c. ibi collocatam indicari cenſent. Nonnulli ad *Æſculapium*, ſolemni feſto ibi cultum, reſpici inprimis cenſent, nec minus ad templum ejus, ad quod cuncta Aſia teſte *Philoſtrato* in vita Apollonii Tyanei lib. IV. pag. 192. confluxerit. Idoneis veterum locis id evicit vir eruditiſſimus *Michaël Roſſal* in diſſertatione de regno Pergameno, ex qua excerpta huc ſpectantia habes in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 94. ſeq. Ibidem pag. 96. monetur, Græcos Aſiaticos ipſum hunc Æſculapium, quem *σωτῆρα*, & *σωτῆρα θεὸν* appellabant, optimo *Salvatori* noſtro oppoſuiſſe videri. Compara, quæ ibidem pag. 104. ſequitur *Theod. Haſæi* obſervatio ad h. l. ubi ſex adferuntur hujus appellationis cauſæ, nempe primo cultus Æſculapii, deinde idololatria, aliis quoque Diis ibidem exhibita, porro Chriſtianorum in cultu Æſculapii imitatio, præterea cultus Æſculapii ſub imagine

Digitized by Google

imagine ſerpentis, hinc perſecutiones contra Chriſtianos excitatæ, denique cultus Hygeiæ. *Throni* ſpeciatim mentionem ideo fieri cenſet, quod Æſculapius in throno ſedens cultus fuerit. De hoc Æſculapii, ſub ſerpentis ſpecie, cultu adde, quæ adſert *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 689. ſeqq. non omiſſis, quas idem ſub *Amelii* nomine edidit, obſervationibus in varia Scripturæ loca vernaculis Tom. I. pag. 147. Opuſculis item Sacris, Tom. II. pag. 255. Ex his ſimul intelligitur, eundem ſententiam ſuam, quam olim ſingulari diſſertatione de h. l. Plœnæ an. 1716. 4. edita adoptaverat, deſeruiſſe. In ea enim *Muſeum Pergamenum* reſpici hac phraſi putat, Sophiſtarum cathedris ſeu thronis celebratum. Cum enim Sophiſtæ illi ſua dicendi arte abuterentur, peſſimisque vitiis indulgerent, præterea vero Chriſti ſacra conviciis inſectarentur, factum putat, ut Pergamenis *thronus Satanæ* tribueretur. Vide, quæ in hanc conjecturam recte animadvertit *Haſæus* loc. cit. pag. 127. ſeqq. Adferam, quæ V. C. *Joannes Maſſonus* in Vita Ariſtidis, hujus Operibus Oxonii 1722. & 1730. 4to editis, præmiſſa, plagula k. 1. col. 2. obſervat. Monet ille, *Ariſtidem* Tomo I. pag. 541. ſuum iter, ad templum Pergamenum ſuſceptum, ita innuere: καὶ παρελθόντος ἐνιαυτοῦ καὶ μηνῶν ἐπὶ τὴν ἐν Περγάμῳ καθέδραν ἤλθομεν. Quæ ibi καθέδρα vocatur, heic θρόνος audit. *Utroque enim*, ita pergit, *vocabulo eadem ſignatur* ſedes, *quæ totius* Aſiæ *communis ac veluti* Metropolitana, *ſeu, ut poſtea Chriſtiani vocabant*, Cathedralis; *ſacra ſcilicet* Æſculapio, *quem non ſecus ac alia id genus falſa paganorum Numina Scriptores Chriſtiani tanquam malum habebant Genium ſive Dæmonem, qui ſæpe* Satanæ & Diaboli *nomine illis venit; quique Apocalypſ. XII. 9.* Draco eſt ille magnus, ſerpensque ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas. *At vero Pergamenus iſte Genius, ſeu* Æſculapius, *haud raro in antiquorum monumentis ſub Serpentis Draconisve figura repræſentatur, ejuſque perpetuum fere ſymbolum eſt* ſerpens, *qui ſacer ipſi paſſim erat. Vide* Pauſaniam *libro* II. cap. 28. Cl. Spanhemium *de præſtantia numiſmatum* Tom. I. pag. 213. ſeq. *Arnobium* libro VII. pag. 249. Hæc ille. *Vitringa* ex hac phraſi contenderat, Pergami nomine prophetice *Alexandriam* ſignificari. Contra eum lege *Cornelii Adami* Exercitationem Exegeticam I. pag. 55.

καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις) Codices aliquot καὶ omittunt, quos *Bengelius* in ſua editione nuper eſt ſecutus. Malim illud καὶ tenere, hoc ſenſu, *etiam in diebus illis.* Intenditur enim heic oratio, & fides Eccleſiæ Pergamenæ eo nomine laudatur, quod nec difficillimis temporibus eam probare neglexerit. Neque vero inſolens hæc notio eſt τοῦ καὶ, quæ *Luc.* XIX. 42. bis occurrat: ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καίγε ἐν ἡμέρᾳ σου ταύτῃ. Notandum porro eſt, *Eraſmum* in tribus ſuis editionibus, omiſſo illo καὶ, novam inchoare ſententiam, atque ita legere: Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐμαῖς, & ὃς ante ἀπεκτάνθη omit-

omittere. Lectionem hanc B. *Lutherus* noſter ſequitur. Cum vero nullus adhuc codex inventus ſit, qui illi patrocinetur, recepta autem illa commodum ſenſum fundat, nihil cauſæ eſt, cur ab hac recedamus: *καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου ὁ πιστός*, i. e. *etiam illis diebus, in quibus Antipas, teſtis meus fidelis fuit*. Ellipſis verbi ἐστὶ effecit, ut de altera illa lectione cogitaretur, ſine quo ſubintellecto non patebat, quid ſibi vellet ſequens ὅς, cum Ἀντίπας ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς commode ad verbum ἀπεκτάνθη referri poſſet. At enimvero ſimili ratione in ipſo hoc commate idem verbum, ἐστὶ omittitur in phraſi: ὅπου ὁ θρόνος τοῦ Σατανᾶ.

ἐν αἷς Ἀντίπας) Nomen *Antipæ* deeſt in *Copto* Wilkinſii, qui & in Prolegomenis teſtatur, in verſionibus Orientalibus omnibus idem deſiderari. Ipſe porro Coptum ita reddit: & *in diebus prodidiſti teſtem fidelem*. Ejuſdem alibi, quod ſciam, mentio non exſtat. Miror, *Eraſmum Schmidium* nomen *Antipæ* myſtice accipere, ut hominem *Papæ contrarium*, qualis v. c. *Huſſus* fuerit, denotet.

Verſ. 14. Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, κ. τ. λ.) Ad hoc & ſequentia aliquot commata lege B. *Joannis Henrici Maji*, Patris, diſſertationem de calculo albo, quæ in Exercitationum ejus ſelectiorum Tomo II. num. XII. recuſa eſt, & inter cetera Nicolaitarum hiſtoriam perſequitur. Adde *Vitringam* in diſſertatione de argumento epiſtolarum Petri poſterioris & Judæ Tomo II. Theſauri Diſputationum Novi pag. 986. nec omitte *Moshemium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 437. ubi recte hujus & ſequentis commatis ſenſum ita expreſſit: *Sicuti homines quondam erant ſub lege, qui, auctore Balaamo, ſtupra & idolorum cultum peragi juberent ſecure; ita tibi ſunt viri, quibus neſandi Nicolaitarum errores, idem fere cum Balaamo ſentientium, placent.* Scilicet non duplex hominum factio, ſed una, cui Eccleſia Pergamena faverit, innuitur, ita quidem, ut Nicolaitæ illi cum illis Bileami ſociis conferantur. Vide, quæ ſupra ad verſ. 6. diximus. Ceterum confert hunc locum cum *Numer.* XXV. 1. 2. *Franciſcus Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 150. ſeq. Atque ibi quidem Moſes non diſerte teſtatur, Bileamum conſilii hujus auctorem fuiſſe, teſtatur autem clare *Numer.* XXXI. 16. *nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt Iſraëlitas ad ſuggeſtionem Bileami?* Confer huc *Adriani Relandi* Diſſertationes Miſcellaneas Parte II. pag. 70. ſeqq. qui ex Chronico Samaritano, (de quo & *Hottingerus* in Smegmate Orientali pag. 446.) *Joſepho* item Antiquitatt. IV. 6. & *Philone* Sermone I. de vita Moſis oſtendit, hos, quos diximus, Scriptores Bileamo conſilium hoc ferre acceptum.

ὃς ἐδίδασκε τὸν Βαλάκ) ita *Curcellæus* & editi alii; at horum plerique habent ἐδίδασκεν ἐν τῷ Βαλάκ, quod & B. *Lutherus* in verſione ſua expreſſit.

Cl.

Digitized by Google

Cl. *Bengelius* ſcripſit ἐδίδασκε τῷ Βαλὰκ ad unum *Alexandr.* ſecundum *Millii* in edit. prima (in altera enim ex eodem codice eſt: ἐδιδ. τὸν Βαλὰκ) indicium, provocans. Lectio noſtra τὸν Βαλὰκ videtur expeditiſſima, quam & malit *Eraſmus Schmidius*; altera vero ἐν τῷ Βαλὰκ eo ſenſu accipi poteſt, ut Bileamus Balaco, tanquam inſtrumento, uſus dicatur, per quod Moabitas doceret, Iſraelitis offendiculum objicere. Vide *Joannem Vorſtium* de Hebraiſmis Parte II. pag. 196. comparato *Georgio* in Vindiciis pag. 339. Tertia τῷ Βαλὰκ græce vix dici poſſit cum verbo διδάσκειν, niſi dativum commodi locum heic habere exiſtimes, ut ſenſus ſit, *Bileamum* conſilium hoc in uſum & ad preces Balaci dediſſe, quæ *Grotii* eſt interpretatio, qui ex codice eodem *Alexandr.* hanc adfert lectionem, ἐδίδασκε τῷ Βαλὰκ βασιλεῖ, ſine verbo βαλεῖν. Mihi quidem prima, quam exhibui, lectio placuerit. Altera tamen, ἐν τῷ Βαλὰκ teneri etiam hoc ſenſu poſſit, ut allegari dicatur paraſcha ſeu ſectio illa Moſaica *Numer.* cap. XXII. 1. ſeqq. quæ illam Balaci, Bileami &c. hiſtoriam exponit, & hodienum a Judæis Balaci nomine appellatur. Simile allegandi Scripturam exemplum habes *Marci* XII. 26. ἐπὶ τῆς βάτε, i. e. ubi hiſtoria rubi ardentis enarratur. Vide, quæ ibi ſcripſimus.

Verſ. 15. Οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν) Vide ſupra ad v. 6.

Verſ. 17. Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν) Vide ſupra ad v. 7. Verbum διδόναι *concedendi* & *largiendi* ſignificatum ſine Hebraiſmi imitatione h. l. habere oſtendit *Georgius* in Vindiciis pag. 99.

ἀπὸ τῦ μάννα τῦ κεκρυμμένυ κ. τ. λ.) Tria hic vincentium præmia commemorantur, nempe *manna abſconditum*, *calculus albus*, & *nomen novum*. In illa omnia inquirit D. *Valentin. Alberti* diſput. de tergemino victoriæ ſpiritualis præmio, Lipſ. 1693. & *Joannes Schmidius* de triplici brabeo, fidelibus promiſſo, ibid. 1722. Adde *Amelii* Erörterung Tom. I. pag. 11. ſeqq. & *J. H. Urſini* Analecta Vol. II. pag. 109. ſeqq. De *manna* vero *abſcondito* ſigillatim commentatus eſt B. *Joannes Henricus Majus* diſput. de *triplici manna*, quæ in Exercitationibus ejus Selectioribus Tom. II. n. 13. pag. 605. ſqq. recuſa exſtat. Manna illud triplex eſt, nempe *Iſraeliticum*, *vulgare*, & hoc *apocalypticum*. De hoc poſtremo quid ſentiant interpretes diverſi, exponitur pag. 637. ſeqq. ipſa vero *Maji* ſententia his ediſſeritur verbis pag. 639. *Concedunt plurimi Interpretum, calculo albo deſignari juſtificationem, ſeu hominis reſipiſcentis liberationem a peccato, maledictione legis, & æternis ſuppliciis; nomine vero novo adoptionem in filium Dei, & conceſſionem juris ad regnum cæleſte. Tanta hac bona ex immenſa & benevola Dei gratia in nos derivari inter orthodoxa veritatis confeſſores ſub controverſiam nullam cadit. Quid ergo prohibebit manna illud abſconditum determinate accipe-* re

re de gratia Dei in juſtificatione & jure filiationis impertiendo ſe exſerente ? Ad firmandam hanc ſententiam id inprimis adſertur, quod gratia Dei cum cibo comparetur Pſ. XC. 14. *exſatia nos gratia Dei*, porro vero Scripturæ familiare ſit, id, quod generatim antea dictum ſit, mox per partes tradere, interpoſita particula καὶ, quæ ſæpe ſit ἐξηγητικὴ, & per, *id eſt*, explicari debeat. Quibus poſitis hunc denique verborum ſenſum promit: *dabo vincenti edere ex manna abſcondito*, id eſt, *dabo illi calculum album*, & *cum* (ἐπὶ hic idem, quod σὺν, *Apocalypſ.* VII. 15. & XXI. 3.) *calculo illo nomen novum.* Hæc ſatis convenienter tradita exiſtimo. Exſtat præterea *Joannis Jacobi Halleri* de manna hoc diſſertatio, Leidæ 1677. præſide Friderico Spanhemio habita, & in Theſauro Diſputationum Novo fol. 1029. recuſa, & *Godofredi Jungstii*, Bremenſis quondam Theologi, de eodem diſſertatio, Bremæ edita. Adde *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 1098. qui ut guſtum rerum ſacrarum & gaudium ſpirituale, conjunctum cum ſpe vitæ æternæ, intelligit, ita *abſconditum* appellari putat, habito ad manna Iſraëlitarum reſpectu, quod poſt ingreſſum in terram promiſſam vaſculo ſingulari, in arca vel juxta arcam repoſito, fuerit ſervatum, atque adeo κεκρυμμένον, nec ullius vel uſui expoſitum. Addit etiam ex *Tanchuma* in *Jalkuth Schimoni* Part. I. fol. 73. 4. locum, quo manna juſtis in ſæculo futuro dicitur præparatum, ut, quicunque credat, dignus habeatur, qui illud comedat. Alia Judæorum loca adfert *Amelius* Tom. II. **der Erörterung** pag. 628. ſeq. ubi & de eo, cur *abſconditum* appelletur. Non omittendus præterea eſt *Alethæus* Tom. II. **der Erläuterung** pag. 477. cui communio cum Chriſto, fructusque ejus in vita æterna indicari videtur.

καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν) De calculo albo lege ex noſtratibus *Chriſtiani Dav. Funccii* diſſert. de calculo albo veterum, recuſam in Theſauro Theol. Philolog. N. T. p. 829. *J. H. Maji* aliam ad v. 14. allatam, & M. *Sigiſmundi Friderici Dreſigii* illam de uſu alborum calculorum apud veteres, Lipſ. 1731. nec non *Eraſmi Vindingii*, Hafniæ 1712. Diverſas interpretum ad h. l. ſententias collegerunt *Majus* & *Guilelmus Saldenus* in Otiis Theologic. lib. I. pag. 164. ſq. quibus remiſſio peccatorum videtur intelligenda. Præter hos conferri poſſint *Canterus* in Novis Lectionibus lib. V. cap. 21. Tom. III. Theſauri Critici Parte I. pag. 633. *Jacobus Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 141. *Arrowſmithus* in Tacticis Sacris pag. 263. ſeq. *Stephan. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 681. *Joannes Dougtæus* in Analectis Sacris pag. 154. *Cornel. Adami* pag. 251. Obſervatt. Theolog. Philologic. *Alex. Morus* pag. 217. Notarum, *Mich. Roſſal* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 102. *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 445. ſeqq. qui *Saldeni* obſervata ſuis auget. *Alethæus* Tom. II. **der Erläuterung** pag. 570. & Cl. *Schœtgenius* l. c. pag. 1099. qui ad ſortem alludi credit, quæ jacienda erat Sacerdotibus, ſacrificium oblaturis. Plerique

ad

ad teſſeras *victorum* athleticas, (de quibus poſt *Fabrum* Agoniſticorum II. 33. videbis *Laur. Pignorium* de Servis pag. 342.) reſpici volunt, alii vero ad *judiciales*, quoniam calculi albi hinc *victoriæ*, hinc *abſolutionis* indicium præbuerunt. Utrasque conjungi vult *Funccius* diſſertatione laudata. Cl. *Elsnerus* pag. 441. phraſin ſimpliciter ad forum & *judicia* refert, in quibus calculos albos abſolviſſe teſtetur Scholiaſtes Ariſtophanis ad Veſpas v. 106. quosque reus non ſolum accipere, ſed etiam vincere dictus ſit. Ita *Theophraſto* Character. c. 17. pag. 78. *δίκην νικήσας καὶ λαβὼν πάσας τὰς ψήφους*, ſicut *νικῶντες τῇ ψήφῳ Æſchini* de falſa legatione pag. 258. dicuntur. His poſitis Chriſtus diceret, ſe victores pronunciaturum eſſe eos, qui in judiciis humanis aliisque diſcriminibus fuiſſent magno cum animo periclitati. *Claud. Sarravius* epiſt. 122. pag. 125. edit. Ultrajectinæ non tam calculos abſolutorios, quam teſſeras *σιτήσεως* cum *Petito* Variar. Lect. I. 8. intelligit, & *Salmaſii* de iis ſententiam requirit. Ineptiunt utique, qui de lapide philoſophorum, quem vocant, cogitarunt. Vide *Michaëlis* notas ad Gaffarelli Curioſitates inauditas pag. 11. & *J. M. Dilherrum* in Farragine rituum lib. III. cap. 21.

καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον) Quale illud ſit, & unde phraſeos origo repetenda videatur, disquirunt *J. H. Urſinus* in Analectis Sacris Vol. II. pag. 111. *Fridericus Adolphus Lampe* in Exercitatt. ad Pſalm. XLV. pag. 567. *Alex. Morus* pag. 217. Notarum, *Pet. van Sarn* Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VII. pag. 940. ſq. Cl. *Elsnerus* pag. 442. & Cl. *Schœtgenius* pag. 1099.

Verſ. 18. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Θυατείροις ἐκκλησίας γράψον*) Per angelum illum S. *Irenæum* quidam intelligunt, contra quos leges *Theophilum Spizelium* in Vetere Academia JEſu CHriſti pag. 44. De urbe *Thyatirenſi* lege Curas has ad Act. XVI. 14.

ὁ ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὡς φλόγα πυρὸς) Phraſi hac ad columnam nubis & ignis alludi, quod ad rem vero Flii Dei *omniſcientiam*, *ſanctitatem*, *majeſtatem*, *amorem* in Eccleſiam, *iram* vero in hoſtes ſignificari cenſet Rev. *Wilhelmus Erneſtus Ewaldus* in Muſeo Bremenſi Volum. II. pag. 628. ſeqq.

καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ) Per *pedes* innui *robur*, *facta* & *dominium* idem exiſtimat p. 642. ſq. deinde vero, relatis aliorum de voce, *χαλκολίβανον* ſententiis, eam cum חשמל *Ezech.* I. 27. comparat, & per *æs lucidiſſimum*, quale eſt *aurichalcum* interpretatur. Vide ſupra ad I. 15.

Verſ. 20. *Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα*) Vocem *ὀλίγα* omittunt codd. aliquot, quos Cl. *Bengelius* in ſua editione ſequitur. Sic ſupra II. 4. Cum

tamen utrinque vocem aliquam ſubintelligi neceſſe ſit, non video admodum, cur ab ea, quæ heic legitur, diſcedere velimus. Videtur vero vox ὀλίγα, hic adjuncta eſſe, reſpectu habito ad πλέιονα, quorum mentio eſt v. 18. ut ſimul indicetur, inter multa illa præclara hoc unum deſiderari, quod impiis Jeſabelis conatibus non reſiſtat.

ὅτι ἐᾷς την γυναῖκα Ιεζαβὴλ, τὴν λέγυσαν ἑαυτὴν προφῆτιν, διδάσκειν καὶ πλανᾶσθαι ἐμὺς δύλυς) Hæc ita exhibet Cl. *Bengelius*: ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ιεζάβελ, ἡ λέγυσα ἑαυτὴν προφῆτιν, ϗ διδάσκει καὶ πλανᾶ τὺς ἐμὺς δύλυς. Hactenus quidem non intelligo, quomodo ἀφεῖς Græce dici poſſit, cum Græcæ Linguæ rationes vel ἀφίης, quod etiam *Aretas* heic habet, vel, ſi pro conjunctivo habere velis, ἀφῇς, quod *Grotius* mavult, requirant. Præterea non video, quis horum verborum futurus ſit ſenſus. Quem enim *Grotius* ex illa lectione exſculpit, quaſi Dominus vellet, ut Epiſcopus uxorem ſuam Jeſabel dimitteret, eum admittere non poſſis. Primum enim τὸ ὅτι h. l. non aliud ſignificare merito cenſetur, quam quod ſupra v. 4. indicat. Ibi vero denotat aliquid, quod Domino in Præſule Eccleſiæ Epheſinæ diſpliceret, non quod fieri juberet. Deinde aliquid præſtruitur, quod veri ſpeciem non habet, id nempe, quod Jeſabel illa Præſulis conjux fuerit. Itaque hactenus in recepta lectione, cujus ſenſus obvius eſt, acquieſco. Id unum offendere aliquem poſſit, quod τὸ πλανᾶσθαι ſenſu activo *ſeducere* ſignificet, ſine exemplo Novi Fœderis ſimili, cum alias paſſivam habeat ſignificationem. Propterea *Eraſmus Schmidius* legere malebat πλανᾶσαι. Enimvero vel medii verbi forma hic agnoſcenda fuerit, vel ita ſtatuendum, quod πλανᾶσθαι vere paſſiva notione polleat, hoc ſenſu: *quod pateris uxorem Jeſabel docere, atque adeo ſeduci ſervos meos.* Nempe Eccleſia Thyatirenſis non opponebat ſe, prout poterat, doctrinæ & exemplo Jeſabelis cujusdam, ad ſcortationem & idolothytorum eſum ducentis. Quod enim *Vitringa* & alii Jeſabelis nomen myſtico ſenſu accipiunt, non magis probem, quam quod iidem de Nicolaitis tradunt. Neque tamen Sacerdotem aliquam gentilem intelligi poſſe putem, nominatimque Ulpiam Marcellam, quæ in inſcriptione quadam Thyatirenſi Græca, ut Sacerdos Dianæ, laudatur. Ea a *Paulo Ricauto* in Statu hodierno Eccleſiæ Græcæ pag. 87. inde vero in Relationibus Theologicis Novantiquis an. 1701. pag. 16. allata eſt. Confer *Amelii* Erörterung Tom. I. pag. 27. & *Zornium* Tom. I. Opuſcul. Sacr. pag. 304. Jeſabelis nomen Hebraicum eſt, atque adeo indicium facit, feminam hanc Ex-Judæam fuiſſe: neque credi præterea poteſt, Chriſtianos Thyatirenſes paganæ Sacerdotis conſiliis audientes futuros fuiſſe, etiamſi prophetiſſam ſe jactaret. Conſtat alias, Lydos, ad quos ex veterum teſtimonio Thyatirenſes pertinebant, luxu & ſcortatione infames fuiſſe. Vide quæ hanc in rem adferuntur in Bibliotheca Bremenſi Claſſe VI. pag. 1046. ſeq.

Verſ.

Verſ. 21. Καὶ ἔδωκα αὐτῇ χρόνον, ἵνα μετανοήσῃ) Ita *Polybius* pag. 646. χρόνον δοῦναι, i. e. *ſpatium & moram concedere*, dixit. Vide *Raphelium* pag. 717.

Verſ. 22. Ἰδοὺ, ἐγὼ βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην, καὶ τοὺς μοιχεύοντας μετ᾽ αὐτῆς εἰς θλῖψιν μεγάλην) *Knatchbullus*, voces εἰς κλίνην trajectas cenſens, proxime ante phraſin εἰς θλῖψιν μεγ. collocandas putat, hoc ſenſu: *ecce ego mittam eam, & eos, qui mœchantur cum ea in lecto, in adflictionem magnam.* At *Hombergius* τὸ, εἰς κλίνην, proxime jungit τῷ, εἰς θλῖψιν. Neutro opus eſt, ſed utrumque prædicatum ſuo utrinque ſubjecto relinqui commode poteſt, ita ut prius illud εἰς κλίνην, *in lectum*, a poſteriori, εἰς θλῖψιν, explicetur, perque *lectum* morbum & alia, quæ ægrotantes premunt, mala ſignificari indicetur. Hujusmodi vero locutiones in Pſalmorum & Proverbiorum libris frequentantur. Ceterum per *lectum* alludi ad lectos, in quibus luxui & libidinibus indulſerat femina illa cum ſuis, ab Interpretibus recte eſt obſervatum, inter quos *Vitringa* reſpici ſpeciatim putat ad lectum, in quem ſe Achab, Jezabelis maritus, ægritudine confectus 1 *Regg.* XXI. 4. conjecerat; ideo ſcilicet, ut nomen Jezabelis myſtice capiendum eſſe eo minus dubitaretur. Propius ad verum accedere videntur, qui cum *Grelloto* in Prodromo Apocalyptico lectos tricliniares ſpectari putant, quos pagani in fanis ſuis, ex reſiduis victimarum partibus epulaturi, inſtruere ſolebant. Vide quæ in hanc rem copioſe adfert *Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 553. De lectis ferreis, ſive cataſtis, in quibus primi Chriſtiani adfligi ſolebant, cogitat Cl. *Schœtgenius* ad h. l.

Verſ. 23. Καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ) Phraſis eſt pleonaſtica, externis quoque Scriptoribus non inſueta, de qua leges *J. H. Majum* de Pleonaſmis N. T. pag. 24 & Cl. *Georgium* in Vindiciis N. T. ab Hebraiſmis pag. 334. *Xenophon* in Hierone pag. 718. dixit βιαίῳ θανάτῳ ἀποθνήσκειν, & *Homerus* Odyſſ. λ'. v. 411. ὣς θάνον θανάτῳ οἰκτίστῳ.

ὅτι ἐγώ εἰμι ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας) Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 1211. Sunt, qui hac phraſi ad 1 *Chron.* XXVIII. 9. reſpici putent, quod inficiatur *Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Parte II. pag. 227.

οἵτινες οὐκ ἔχουσι τὴν διδαχὴν ταύτην) Scribendum videri vi antecedentium poterat, οἵτινες οὐκ ἔχετε. At vero frequens eſt & Sacris Scriptoribus & externis illa verborum enallage. Vide Cl. *Georgium* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 255. Neque tamen ad illam provocare hoc loco neceſſe eſt, quoniam illud ἔχουσι non ad ὑμῖν, qui ſpeciatim compellantur, ſed ad λοιποῖς referendum eſt.

καὶ οἵτινες ὐκ ἔγνωσαν τὰ βάθη τῦ Σαλανᾶ) Fieri poteſt, ut ad ſacra paganorum ſacerrima, quæ, ut in abditis locis fieri ſolebant, ita myſteria Satanæ inprimis pandebant, reſpiciatur. Vide huc Relationes Theologicas Nov-antiquas an. 1701. pag. 18. ſeq. *Amelium* Tomo I. der Erörterung pag. 27. &, qui idem eſt, *Petrum Zornium* Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 304. & Tom. I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 470. Alii tamen Gnoſticorum doctrinas, quas ſublimiores illi jactabant, & ad carnales libidines referebant, cum *Grotio* & *Vitringa* notari cenſent. Vide eundem *Zornium* Tom. I. Opuſcul. p. 782.

ὡς λέγυσιν) ſcilicet harum doctrinarum præcones & myſtæ. Sic gentiles ſacra illa ſua arcaniora *μυστήρια* vocabant, Gnoſtici vero *alta myſteria*, teſte *Irenæo* lib. I. cap. 1. & *Tertulliano* adverſus Valentin. cap. 1. *Si bona fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio*, altum eſt, *ajunt.*

Verſ. 26. *Καὶ ὁ νικῶν, καὶ ὁ τηρῶν ἄχρι τέλυς τὰ ἔργα μυ, δώσω αὐτῷ*) Per hebraiſmum hæc ita dici pro *τῷ νικῶντι —— δώσω*, multi ſibi perſuadent, interque eos *Grotius*, *Wyſſius*, *Vorſtius* Parte I. pag. 239. alii. Contra hos vero lege *Raphelium* Annotatt. ex Xenophonte pag. 353. *Georgium* in Vindiciis pag. 232. *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 80. & *G. W. Kirchmaierum* de paralleliſmo dictionis Novi Teſtamenti & Polybii pag. 61. Ita prorſus *Xenophon* Oeconom. pag. 648. *οἱ δὲ φίλοι, ἤν τις ἐπίστηται αὐτοῖς χρῆσθαι, ὥστε ὠφελεῖσθαι ἀπ' αὐτῶν, τί φήσομεν αὐτὺς εἶναι*; Neque adeo opus eſt ſupplemento, quod *Herzogius* in diſſertatione de certitudine Hermeneuticæ Novi Teſtamenti §. 5. ita adornat: *ἐάν τίς ἐστιν ὁ νικῶν.* Nominativus abſolute eſt poſitus, cujus vim Latine ita expreſſeris: *quod vero ad vincentem* &c. *attinet.* Confer infra ad III. 12.

Verſ. 27. *καὶ ποιμανεῖ αὐτὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ*) Per Doriſmum ſcribi *σιδηρᾷ* pro *σιδηρῇ* *Wyſſius* exiſtimat, cui recte ſe opponit *Georgius* in Hierocritico Novi Teſtamenti pag. 157. tum argumentis, tum auctoritate *Demoſthenis* adverſus Ariſtogitonem pag. 494. *καὶ μονονυχ' ἁλύσει σιδηρᾷ δεδεμένος ὑποδύῃ*; & *Thucydides* libro IV. §. 25. *καὶ χειρὶ σιδηρᾷ ἐπιβληθείσῃ μίαν ναῦν αὐτοῖς ἀπώλεσαν.* Rem ipſam ita exponit *Stephanus le Moyne* ad Varia Sacra pag. 387. *Promittitur*, inquit, *fidelibus eadem, quam Chriſtus geſtat, virga Regia, ſymbolum dominationis & imperii æterni, adeo ut iſta virga videatur communis & Chriſto & fidelibus, quos in ſocietatem imperii admittit Chriſtus, quaſi non diviſum, ſed unum idemque imperium cum eo fideles haberent.* Quomodo verba hæc, quæ *Pſalm.* II. 9. de Chriſto dicuntur, & *Apocalypſ.* XIX. 15. de eodem pronunciantur, h. l. transferantur ad fideles, diſquirit B. *Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Parte II. pag. 250. ſeq. Exiſtimat autem, h. l. non tam illud Pſaltæ dictum excitari,

ri, quam phraſin ibi obviam adhiberi, & ad fideles accommodari. Verbum *ποιμαίνειν* idem Græcis eſſe, quod *regere*, *gubernare*, oſtenſum eſt Volumine I. harum Curarum pag. 35. & 909.

Verſ. 28. *καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀστέρα τὸν πρωϊνόν*) Et hanc phraſin ad imperium ante commemoratum refert *le Moyne* loc. cit. pag. 387. *Pollicetur vero*, inquit, *non ſolum virgam, ſed virgam & ſtellam, ut imperium ſymbolis apud Orientales & Ægyptios familiaribus melius repræſentaretur. Nam* virga *&* oculo *ſolebant Regiam majeſtatem repræſentare Ægyptii: imo & divinitatem, uti patet ex Cyrillo Alexandrino contra Julianum libro IX.* Conf. idem pag. 389. in hæc verba: *Suſpicabar aliquando, illum ſtellam polliceri, alluſione vel ad Vrim ac Tummim, ornamentum Summorum Sacerdotum, vel ad ſtellarum ſigna, quibus victorum toga ornata micabant, vel ad faces & lampadas, ante victores ferri ſolitas, quod olim conceſſum Duillo: vel ad ignem, Regibus præferri ſolitum apud Orientales, imo & apud ipſos Romanos, vel ad heroum ſtellas, quæ tanquam ſolia & ſedes perpetuæ Heroibus tribui, & adſcribi conſueverant. Sed veriſimilior mihi videtur illa conjectura, qua alludi ad ſceptrum & oculum, apud Orientales imperii ſymbolum, ſupra aſſeruimus.* Malim tamen per *ſtellam* illam *matutinam* cum *Vitringa* ad h. l. Chriſtum ipſum intelligere, *quatenus auctor eſt illius beneficii, cujus emblema ſtella matutina ſuſtinere poteſt.* Beneficium vero illud eſt *glorioſi diei*, cujus indicium aurora præbet, apparitio, quæ cum æterna luce in cœlis erit conjuncta. Firmatur hæc expoſitio eo inprimis, quod Dominus noſter infra cap. XXII. 16. ſe ipſum vocat, *τὸν ἀστέρα λαμπρὸν καὶ ὀρθρινόν.* Compara *Amelium* Tomo II. der Erörterung pag. 835. ſeq. Abſit vero, ut cum *Victorino Petavionenſi* in Tractatu de Reſurrectione, *reſurrectinem primam*, i. e. chiliaſticum regnum heic promitti cenſeamus, ad quod victores illi citius, quam alii, ſint reſurrecturi. Non alienum ſe ab hac expoſitione profitetur *Artemonius* in præfatione ad Initium Evangelii S. Joannis reſtitutum pag. 22.

CAPUT III.

VErſ. 1. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας γράψον) *Sardes* hodie vicum ignobilem referre, in quo pauci ſint Chriſtiani, Eccleſia nulla, nullus Epiſcopus, teſtatur *Thomas Smithus* in Notitia Eccleſiarum Aſiæ pag. 31.

Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ.) Vide ſupra ad cap. I. verſ. 14.

ὅτι τὸ ὄνομα ἔχεις, ὅτι ζῇς) *Herodotus* libro VII. pag. 485. ἡ ϛρατηλασίη, ἡ βασιλέος, ὄνομα μὲν εἶχε, ὡς ὑπ' Ἀθήνας ἐλαύνει, κατίετο δὲ ἐς πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα. Vide *Raphelium*. Paulus 1 *Timoth*. V. 6. ζῶσα τέθνηκε, ubi nos vide. *Seneca* in Anacephalæoſi de Claudio Imperatore defuncto ait: *deſiit videri vivere*. Confer *Picinelli* Lumina Reflexa p. 759.

Verſ. 3. Μνημόνευε οὖν, πῶς εἴληφας, καὶ ἤκουσας) Vide *Curas* has ad 1 *Corinth*. XI. 23. & *Suicerum* Tomo II. pag. 582. Pro, καὶ ἤκουσας *Coptus* Wilkinſii habet, *& erraveris*. Rectam eſſe receptam lectionem vel ex eo patet, quod τὸ ἀκούειν explicet antecedens λαμβάνειν, utrumque vero hoc verbum in μνημονεύειν egregie quadret.

ἐὰν οὖν μὴ γρηγορήσῃς, ἥξω ἐπί σε,) Alludi heic ad cuſtodiam templi Hieroſolymitani, a Sacerdotibus & Levitis maxima cura noctu obſervatam, qua qui negligenter fungebantur, graves ſocordiæ pœnas dederint, teſte *Maimonide* de Domo electa cap. 8. exiſtimat *Amelius* Tomo II. der Erörterung pag. 875. ſeq. & *Zornius* in Opuſculis Sacris Tomo II. pag. 172. Vide tamen, quæ infra dicentur ad XVI. 15. Ante verbum γρηγορήσῃς *Coptus* Wilkinſii habet: *egeris pœnitentiam.*

ὡς κλέπτης) Confer nos ad *Matth*. XXIV. 43.

καὶ οὐ μὴ γνῷς, ποίαν ὥραν ἥξω ἐπί σε) ποίᾳ ὥρᾳ legi malit *Pricæus*; ut *Luc*. XII. 39. non recogitans, κατὰ ante voces ὥραν, ἡμέραν vel χρόνον frequenter omitti. Id recte monet Cl. *Alberti* in Periculo Critico pag. 40.

Verſ. 4. Ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα καὶ ἐν Σάρδεσιν) Codices multi & verſiones quoque habent: ἀλλ' ἔχεις ὀλ. ὀν. ἐν Σάρδεσιν, quæ & Cl. *Bengelius* in contextum recepit. Senſum eundem, quem hæc lectio fundit, expreſſerunt *Beza* & *Eraſmus Schmidius*: *habes tamen pauca nomina.* Per ὀνόματα *homines*, ſeu *perſonas*, quas dicunt, intelligi, vix opus eſt, ut moneatur, cum illa vocis notio ex Novo Teſtamento ſatis conſtet. Neque tamen cum *Launæo* & aliis de Hebræis, vocem שם eodem ſignificatu adhibentibus,

bentibus, ſimpliciter cogitandum eſt, cum nec externis uſus hic ſit inſuetus. Vide nos ad *Actor.* I. 15. *Erasmum Schmidium* ad Matth. X. 41. *Guil. Canterum* Nov. Lection. VIII. 10. Celeb. *Dav. Millium* in Miſcellaneis Philologicis pag. 15. *Georgium* in Vindiciis pag. 275. & *Zornium* Tomo II. Opuſculorum Sacrorum pag. 691.

ἃ οὐκ ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν) *qui non inquinarunt veſtimenta ſua.* Poſt *ἐμόλυναν Coptus* Wilkinſii inſerit, *cum mulieribus.* Phraſi illa ad *tincturam purpurariam veſtium*, Sardenſibus inprimis receptam, alludi exiſtimat *Jac. Haſæus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. pag. 255. ſeqq. erudita opera oſtendens, *μολύνειν ἱμάτια* optime notare poſſe *veſtes purpura tingere*; Sardibus porro & in univerſa Lydia *officinas* ejusmodi *purpurarias* frequentiſſimas fuiſſe; veſtes *purpureas* & heic & alibi *albis* opponi; purpureas veſtes in codice ſacro hominibus, vitiorum ſordibus pollutis, tribui, & apud ipſas gentes purpuram delicioſorum luxurioſorumque indumentum fuiſſe. Hæc viri docti cogitata in ſummam retulit & ſuis auxit *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 942. Cum tamen *inquinata veſtimenta* in ſacris literis hominibus, vitiorum ſordibus contaminatis, paſſim v. c. *Jeſ.* LXIII. 1. ſq. & *Zachar.* III. 3. 4. tribuantur, eo potius reſpici crediderim, inprimis cum eadem loquendi ratio Hebræis quoque Scriptoribus ſit recepta. Vide quæ præter *Vitringam* attulit *Schœtgenius* pag. 1100. Horarum.

καὶ περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς) Hanc loquendi rationem ex antiquitate Hebraica illuſtrat Rev. *Salomon Deylingius* Parte III. Obſervatt. Sacrarum pag. 382. ſq. edit. prioris, quæ Obſervatio in poſteriore edit. legitur Parte II. pag. 604-617. Adde *Franc. Wokenii* Meditatt. Privatas Tom. II. pag. 153. ſqq. Veſtes illæ albæ & virgines, & reſurrectionis candidatos, & Sacerdotes veri Dei indicant, judice *Steph. le Moyne* in epiſtola de Melanophoris, *Gisberti Cuperi* Harpocrati ſubjecta, pag. 267. & 278. Confer *Chriſtiani Bruningii* Antiquitates ex ſacris Græcas pag. 36.

Verſ. 5. *Ὁ νικῶν οὗτος περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις λευκοῖς*) Vide Rev. *Sal. Deyling.* Obſſ. Sacras lib. III. num. 49. Ad Hebræorum Sacerdotes heic reſpici exiſtimat *Schœtgenius* l. c. Alia in eandem ſententiam lege apud *Amelium* Tom. II. der Erörterung pag. 248. Conf. infra ad VII. 13. De phraſi *ὁ νικῶν οὗτος* lege ſupra ad II. 7. & confer *Georgii* Vindicias p. 233.

καὶ οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς) Per librum vitæ ad tabulas Genealogicas, in quibus Sacerdotum omnium nomina, natales, conjugia & ſucceſſiones conſignata erant, & in quibus adeo omnis Sacerdotum ſalus repoſita fuerit, alludi cum *Vitringa* exiſtimant plures, quos laudatos vide a *Zornio* l. c. Conf. *Adrian. Relandi* Antiquitates Hebraic. pag. 180. & *Schœtgen.* l. c. De *libro vitæ*, quod ad rem ipſam ſpectat,

Digitized by Google

ctat, ad h. l. diſſerit *Jo. Arrowſmith* in Tacticis Sacris pag. 266. ſqq. Confer, quæ ſcripſimus ad *Philippenſ.* IV. 3. Ceterum ἐξαλείφειν ἐκ τȣ̃ καταλόγȣ dixit etiam, obſervante *Raphelio*, *Xenophon* Hiſt. Græc. lib. II. pag. 366. & VI. pag. 464.

Verſ. 7—13. illuſtrare pro ſua hypotheſi inſtituit *Paul. Gyongyoſi* diſſertat. de fatis ſexta Novi Teſtamenti ætate militantis Dei Eccleſiæ, Franequeræ 1700. Exſtat etiam *Joannis Chriſtophori Plætzii* Lubeca Philadelphica in diſſertat. epiſtolica ad D. *Georgium Henricum Gœtzium*, Roſtoch. 1715. 8. edita, quæ ad explicanda commata 7 - 11. refertur.

Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Φιλαδελφείᾳ ἐκκλησίας γράψον) *Qudratum* heic indicari poſt alios expoſitores cenſet *Lyranus*. Eos vero in errorem hunc ex male intellecto *Euſebii* quodam loco incidiſſe oſtendit *Grabius* Tom. II. Spicileg. Patrum pag. 121. Primum Philadelphenſis Eccleſiæ Præſulem a Petro conſtitutum fuiſſe Conſtitutiones Apoſtolicæ VII. 46. tradunt.

ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τȣ̃ Δαβὶδ) Obſcurum viſum eſt interpretibus, quid per *clavem Davidis* intelligatur. Id vero D. *Wilhelm. Erneſtum Trillerum*, qui & ingenium & doctrinam eruditis alias probavit, eo adduxit, ut de emendatione quadam verborum cogitaret. Accipe verba ejus, quæ olim per literas mecum communicavit. *Quando*, inquit, *conſidero*, *præſentem locum manifeſte reſpicere ad præcedentem cap. I. 18.* καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τȣ̃ ᾅδȣ καὶ τȣ̃ θανάτȣ, *& alibi ſæpius* τῆς ἀβύσσȣ, *hæc autem cum* τῷ Δαβὶδ *nihil plane habere conſonum; apparet, aliam vocem loco* τȣ̃ Δαβὶδ *eſſe ſubſtituendam. Quæ autem illa? Putem ego* Τεφὲθ, *aut, ut LXX. Intt. 2 Regg. XXIII. 10. exprimunt*, Τωφὲθ, *quod melius huc facit. Hoc autem Hebræum eſt* תפת, *proprie tympanizatio; & locus erat in valle filii Hinnom, prope Hieroſolyma, ubi veſani Iſraëlitæ horrendo illi & boviformi Ammonitarum idolo Molocho pueros ſuos deteſtanda religione immolabant. Ne igitur miſellorum infantum ejulatus a Parentibus exaudirentur, cum illi ignitis monſtri brachiis eſſent impoſiti, tympana* (תפים *a* תף) *pulſabantur; hinc locus iſte* Tophet. *Quæ ut notiſſima; ita primum & obvium ſenſum* τȣ̃ Tophet *præbent. Alter, ſive allegoricus, quique huc maxime pertinet, eſt, quod Topheth pro loco exitii æterni ſumatur, ut apparet ex Jeſ. XXX. 33. Job. XVII. 6. & alibi. Conf. Buxtorf. in Lexico & Guſſetium, &c. ut Rabbinorum commenta taceam. Sicut igitur ipſa vox gehenna toties in N. T. occurrens, ut pro loco damnatorum ſumta, facta eſt ex* גיא הנום *Gehinnom, ſive vallis Hinnom, ut omnes* ὁμοθυμαδὸν *confitentur: (vide Bocharti Chanaan lib. I. cap. 28. pag. 528. ubi ita inquit:* תופת *apud Hebræos eſt* אש גי הנום *ignis gehennæ, vel inferorum, quomodo ſumi volunt Job. XVII. 6. & Jeſ. XXX. 33. translatione ſumta ex valle Topheth, quæ & Gehennom, in qua in honorem idoli Moloch pueros vivos in ignem conjicere moris erat 2 Regg. XXIII. 10. Jerem. VII. 31. 32. XIX. 5. &c.) ita etiam*

nullum

nullum eſt dubium, quin τὸ Tophet, quod idem cum valle Hinnom, ut ipſe ille exſecrandus eſt locus in illa valle, ubi filii comburebantur, pro loco æterni ſupplicii & ſumi poſſit & ſumatur, ut modo fuit probatum. His omnibus accedit, quod quidam codices, Arethæ inprimis tempore ſcripti, teſte Pfaffio *in Diſſert. Critica de Var. Lect. N. T. pag.* 151. *& inprimis* Millio *ad noſtrum Joannis locum pro τῷ Δαβὶδ legunt ᾅδȣ, quæ vox mihi videtur ſcholion vocis Ταφὲθ. Quod enim putat* Millius, *per incuriam librarii contractum Δὰδ, (h. e. per compendium ſcripturæ Δαβὶδ,) mutatum fuiſſe in ᾅδȣ, mihi non videtur veriſimile. Nihil ceterum magis cum Δαβὶδ conſpirat, quam Ταφὲθ. Sunt enim ſono utræque voces eædem; ſunt & fere ſcriptione. Literæ enim homogeneæ ſunt τ, θ, & δ. item φ & β, ut ſatis omnibus conſtat. Videtur igitur, ut breviter omnia complectar, aliquis pro ignoto paulo Ταφὲθ notius Δαβὶδ in contextu Joannis ſubſtituiſſe. Hæc vero noſtra conjectura a cordato & pio lectore non laudem ſibi expetit, ſed veniam.* Pro hac conjectura facit etiam *Coptus* Wilkinſii, pro nomine *Δαβὶδ abyſſi* exhibens: ad quem locum Rev. *Wilkinſius* in Prolegomenis pag. XXXVIII. alios videre jubet, an olim ſcriba aliquis pro ἄβυσσος ſcripſerit Δαβὶδ. Qua tamen eſt modeſtia vir eximius, pro ea diſſenſum meum facile feret. Absque loco *Jeſaiæ* XXII. 22. ſi foret, facilius ad partes ejus accederem. Jam vero ibi noſtra hæc totidem fere verbis leguntur: *καὶ δώσω αὐτῷ τὴν κλεῖδα οἴκȣ Δαυὶδ ἐπὶ τῷ ὤμῳ αὐτȣ͂· καὶ ἀνοίξει, καὶ ȣ̓κ ἔςαι ὁ ἀποκλείων, καὶ κλείσει, καὶ ȣ̓κ ἔςαι ὁ ἀνοίγων.* Ad hunc locum reſpici *Grotius*, *Vitringa* & alii recte monuerunt, poſterior vero inprimis manifeſtum fecit, quomodo, quæ ibi de Eliäkimo, quod ad literam, dicuntur, in Dominum noſtrum ſenſu ſublimiore cadant. Hæc apud ipſum legi malim. Hoc unum monebo, *κλεῖδα Δαβὶδ* h. l. idem eſſe, quod *κλεῖδα οἴκȣ Δαβὶδ*, ut Jeſaias diſerte habet, qui tamen paulo ante *δόξαν Δαυὶδ* itidem dixerat, fortaſſe pro *δόξαν οἴκȣ Δαβὶδ*, ita enim habet *Catena* vetus in Jeſaiam Græca, quæ hodie exſtat in codice membranaceo Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis, cum quo τȣ̀ς LXX. comparavit Vir præſtantiſſimus, *Joannes Grammius.* Negari quidem non poteſt, in ſeptem his epiſtolis ea plerumque elogia ſub initium adferri, quæ cap. I. 12. ſeqq. leguntur. Id tamen non obſtat, quo minus eadem, ex parte ſaltem, quod h. l. fit, reſpectu habito ad I. 18. immutentur, atque adeo pro vocibus *κλεῖς τȣ͂ ᾅδȣ καὶ τȣ͂ θανάτȣ* legantur illæ *τὴν κλεῖδα τȣ͂ Δαβὶδ.* Ratio hujus mutationis in promtu eſt. Capite primo v. 18. Dominus ſe repræſentat ut mortuum quondam, ſed ut inpoſterum perpetuo victurum, atque adeo ut mortis & inferorum Dominum. Heic vero ſe ſiſtit ut Dominum *domus Davidis* i. e. Eccleſiæ, atque adeo talem, qui illius habeat curam. Hinc fit, ut mox v. 8. ad Præſulem illum dicat: *ἰδȣ̀ δέδωκα ἐνώπιόν σȣ θύραν ἀνεῳγμένην, καὶ ȣ̓δεὶς δύναται κλεῖσαι αὐτὴν*, i. e. *dedi tibi amplam prædicandi Evangelii, & Eccleſiæ amplificandæ occaſionem, quam nemo tibi eripere poſſit.* Conf. 1 *Cor.* XVI. 9. & 2 *Cor.* II. 12. Jam facile patet,

tet, ad hoc quidem inſtitutum & illam in Eccleſiam poteſtatem vel illam ejus curam non adferri potuiſſe claves ſeu poteſtatem in mortem & infernum. Itaque in recepta lectione perſiſto, illam vero τȢ ᾅδȣ lectionem ab illis natam puto, qui phraſeos hujus Jeſaianæ parum memores, verba noſtra ad cap. I. 18. refingenda cenſuerunt. Confer quæ de hoc loco tradit *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. pag. 645.

Verſ. 8. *ἰδȣ̀ δέδωκα ἐνώπιόν σȣ θύραν ἀνεῳγμένην*) Vide nos ad 1 *Corinth.* XVI. 9.

Verſ. 9. *Ἰδȣ̀ δίδωμι ἐκ τῆς συναγωγῆς τȣ̃ Σατανᾶ τῶν λεγόντων*) i. e. *patiar, ut ſint quidam ex Synagoga Satanæ, qui dicant &c.* Ita II. 17. *δώσω φαγεῖν.* Poteſt tamen *δίδωμι* illud eodem ſenſu, quo ſequens *ποιήσω*, accipi. Poſt *τῶν λεγόντων* ſubintellige *τινὰς*, quod ſupra monuimus. *Satanæ* nomen heic a B. Luthero omiſſum eſſe in verſione, falſo criminatur *Emſerus*. *Raithius* ſaltem in Vindiciis p. 606. nullum ejuſmodi exemplum ſe adhuc vidiſſe teſtatur.

Verſ. 11. *Ἰδȣ̀ ἔρχομαι ταχὺ, κράτει, ὃ ἔχεις, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν ςέφανόν σȣ*) Vide huc *Joannis Stephani Menochii* Trattenimenti eruditi Parte III. pag. 212. Quid per *coronam* intelligatur, diſputant interpretes. Alii enim, interque eos noſtrates inprimis, coronam vitæ æternæ, tanquam a Deo promiſſam, repoſitam, & ſpe certa præceptam; alii dignitatem illam, quam doctrinæ puritate, & vitæ ſanctitate inſtar Regum & Sacerdotum ſpiritualium ſibi paraverant, intelligunt. Poſteriores has partes amplectitur Cl. *Wilhelmus Erneſtus Ewaldus* in Muſeo Bremenſi Vol. II. p. 215. ſeqq. alludi præterea hac *φράσει* exiſtimans ad *ςεφανηφόρȣς*, coronis ornatos & in celebrioribus Aſiæ minoris urbibus frequentes, quorum alii Pontifices & judices in ſacris annui erant, alii vero Sacerdotes honorarii & perpetui. Ex his porro illi, qui munere ſuo minus recte fungebantur, abdicare ſe Magiſtratu, & ponere coronas jubebantur, teſte *Demoſthene* II. contra Ariſtogit. His poſitis, Vir doctus per coronam hanc *officia* & *privilegia* fidelium ſignificari exiſtimat. *Officia* ſunt *Propheticum*, *Sacerdotale* & *Regium*; *privilegia* autem ſeu prærogativæ *majeſtas*, *libertas*, *lætitia*, & *laus*. Lege hæc ibi copioſe expoſita; & adde, quæ ſequuntur, *Theodori Haſæi* de Stephanephoris Analecta pag. 237. ſeqq. At idem ille recte p. 241. monet, caute in ritibus ejusmodi, ad illuſtrationem Apocalypſeos advocandis, verſandum eſſe, dubitare ſe etiam profitetur, an *Apocal.* II. 10. ad Stephanephoros Smyrnenſes alludatur, cum ibi de ejuſmodi corona ſermo ſit, quæ non niſi poſt mortem ſit conferenda. Atque eadem hæc ratio me adducit, ut & hoc loco eo non reſpici, ſed potius de corona gloriæ, fidelibus Chriſti confeſſoribus promiſſa, ſermonem eſſe exiſtimem. Dominus ait: *ἔρχομαι ταχὺ*, quam phraſin non niſi de adventu Domini ad judicium, atque

Digitized by Google

que adeo pleniſſimam brabei hujus diſtributionem accipi poſſe puto, quod & *Vitringa* ipſe agnoſcit, quamvis coronam illam de dignitate præſente, quam Philadelphenſes tenebant, interpretetur. Idem vero patet ex v. 12. ubi teſtatur, fore, ut victor quisque conſtituatur columna in templo Dei, h. e. in cœlis. Porro vitæ æternæ brabeum *coronæ* nomine frequenter inſigniri ſolet, v. c. ſupra II. 10. 1 *Cor.* IX. 20. 2 *Tim.* IV. 8. *Jac.* I. 12. &c. Quemadmodum vero his in locis ad illos Aſiæ ϛεφανηφόρους reſpectus non fuit habitus, ita nec hoc loco habitum fuiſſe exiſtimaverim. Neque objici poteſt, h. l. coronam indicari, quam quis jam habeat, non autem de ea, quæ inpoſterum ſit exſpectanda. Credentes enim coronam vitæ, quam exſpectant, in tantum habent, in quantum eam certiſſime exſpectant. Paulus ait *Rom.* VIII. 24. τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν. Ad *Timoth.* 2 ep. IV. 8. coronam illam ſibi repoſitam intuebatur, λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης ϛέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος. De ea vero non dubitabat, reſpectu *fidei*, quam *ſervaverat* v. 7. Atque huc reſpicit phraſis, κράτει, ὃ ἔχεις, hoc loco. Ea vero ipſa expoſitioni ſuffragatur. Sicut enim per id, quod habebat, præclara illa, quæ Eccleſia Philadelphenſis tum doctrina tum vita probabat, intelliguntur; ita per coronam præmium aliquod exſpectandum indicari oportet. Patrum ſuffragia pro noſtra ſententia leges apud *Suicerum* Tom. II. p. 1016. Non averſor interim penitus ejusmodi ex antiquitate apparatum, modo ne cogitata hujusmodi ipſis Scriptoribus Sacris tribuantur. Alioquin enim fieri poteſt, ut a vera ipſorum mente aberremus.

Verſ. 12. Ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν) Vide ſupra ad II. 26. & adde heic Cl. *Albertium* pag. 484. clariſſimum *Æliani* locum ex Hiſtor. Animal. III. 41. adſerentem: ὁ πιὼν, οὐδὲν ἡ ἐπιβουλὴ λυπήσει αὐτόν. Quæ alia ex antiquitate huc attulit *Petrus Zornius* Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ p. 977. ea apud ipſum legi malim.

ποιήσω αὐτὸν ϛύλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ μου) Ita libri & editi & ſcripti, pro quo *Curcellæus* habet λαῷ, *populo*, in quam vocem ϛύλος non quadrat. Cl. *Bengelius* eam ex ſphalmate in editione *Bezæ*, ab ipſo tamen correcto, natam, atque hinc in varias editiones translatam eſſe monet. Templum illud Dei alii de *eccleſia*, tanquam templo Dei ſpirituali, & perpetua in eo perſeverantia, inter quos ex noſtratibus eſt Cl. *Schœtgenius* pag. 1102. alii de *regno cœleſti*, ut noſtrates, v. c. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, qui & *Simonis Epiſcopii* ac *Gomari* pro hac expoſitione argumenta adfert; alii de Eccleſia tam credentium in his terris, quam juſtorum conſummatorum in cœlis, cum *Vitringa* ad h. l. intelligunt. Mihi quidem media ex his placet ſententia. Sermo enim eſt de victore; quamdiu vero aliquis in Eccleſia militante eſt, tamdiu ad victoriam adſpirat, nondum autem retulit. Alluditur, quod plerique interpretes recte monuerunt, ad duas co-

 lumnas

lumnas Jachin & Boas, in porticu templi Salomonis inſtar ornamenti collocatas, 1 *Reg.* VII. 15. Illud vero templum non tantum Eccleſiæ militantis, ſed & triumphantis figuram exhibet. Mentio porro fit novæ & cœleſtis Jeruſalem, cujus nomen columnis illis ſit inſcribendum. Eam vero Paulus *Hebr.* XII. 22. de urbe cœleſti accipere videtur. Per *ςύλον* Epiſcopus aliquis aut doctor Eccleſiæ intelligi non poteſt, quod nonnullis placuit, cum h. l. non ſit ſermo de Epiſcopo aut aliis Eccleſiæ Philadelphenſis doctoribus, ſed de *vincente* quovis, quemadmodum etiam conſtat, epiſtolas has Apocalypticas non præciſe ad Præſules, ſed in univerſum ad Eccleſias earumque membra ſpectare.

καὶ ἔξω ἐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι) Id ita convertit B. *Olearius* de Stylo Novi Teſtamenti pag. 350. *& foras non ejicietur amplius*, h. e. *æterna & nulli mutationi obnoxia beabitur gloria*; ſimul vero *Syriaſmi* veſtigia agnoſcit. Interim & externos Scriptores verbo *ἐξελθεῖν* hanc notionem tribuere oſtendit *Schwarzius* ad Olearii librum, & *Georgius* in Hierocritico Novi Teſtamenti pag. 201. Sic *Ariſtoteles* in Hiſtor. Animal. lib. VI. cap. 13. pag. 972. *ὅταν ἤδη ὥρα ᾖ τῦ τίκτειν, διαρρήγνυται, καὶ ὕτω τὰ ὠὰ ἐξέρχεται*, *quando autem tempus pariendi venit, diſrumpitur, & hoc modo emittuntur* (ejiciuntur) *ova.* Sed præſtat in conſueta *egrediendi* ſignificatione acquieſcere, ut ſcilicet *τὸ ἐξέλθῃ* non ad *ςύλον*, ſed ad *τὸν νικῶντα* referatur. Vide plura apud *Georgium.*

καὶ γράψω ἐπ' αὐτὸν τὸ ὄνομα τῦ Θεῦ μυ, ϗ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τῦ Θεῦ μυ τῆς καινῆς Ἱερυσαλὴμ) Placent *Adriani Relandi* verba in Palæſtina pag. 834. *Hinc quoque in* Apocalypſ. III. 12. *cum Templo mentio fit nominis urbis novæ Jeruſalem, & regio, quam beatæ animæ incolent, ubi ex hac vita exceſſerint, nomine Jeruſalem aptiſſime inſignitur, ubi non tantum alta pax ſit, ſed & æterna ac immutabilis vitæ poſſeſſio.* Oſtenderat in ſuperioribus Vir doctiſſimus, nomen *Jeruſalem* rectiſſime ex ירוש, *hereditas, poſſeſſio hereditaria*, & שלם, *Schalem*, i. e. *pax*, derivari, atque adeo *poſſeſſionem pacis hereditariam* inferre. Inſcriptionem illam *nominis Dei* ita accipit Cl. *Schœtgenius* pag. 1102. Horarum, ut idem ſit, ac ſi diceres: *erit mihi loco ſacerdotis*, ideo, quod hujus frontali inſcriptum erat קודש ליהוה i. e. nomen ipſius Dei. Idem inſcriptionem Hieroſolymæ ad Eccleſiam Chriſtianam refert, quæ in locum duodecim tribuum, quarum nomina pectorali inſculpta ſacerdos ſummus circumferebat, ſucceſſerit.

ἡ καταβαίνει ἐκ τῦ ὐρανῦ) Ita *Curcellæus*, plerique vero & editi & ſcripti codd. *ἡ καταβαίνυσα*, quæ verior videtur, & ab aliis ideo mutata, quod antecedens *τῆς καινῆς Ἱερυσαλημ*, vel *τῆς καταβαινύσης*, vel, *ἡ καταβαίνει*, requirere videretur. *Eraſmus Schmidius* confert cum phraſi ſimili I. 5. ubi poſt *καὶ ἀπὸ Ἰησῦ Χριςῦ* legitur: *ὁ μάρτυς ὁ πιςός.* Vide quæ ibi ſcripſimus.

Verſ.

Verſ. 14. *καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς Ἐκκλησίας Λαοδικέων γράψον*) de Laodicea lege *Fabricium* noſtrum in Luce Evangelii ſalutari pag. 89. Archippus primus fuerat Laodicenſium Epiſcopus, ab Apoſtolis ordinatus, ſi credimus Conſtitutionibus Apoſtolicis VIII. 46.

Τάδε λέγει ὁ Ἀμήν) Cur Dominus noſter ita vocetur, diſquirit *Amelius* Tom. II. der Erörterung pag. 803. ſq. Confer *Guſſetii* Commentarios L. Hebr. pag. 76. b. & *Vitringam* lib. III. Obſervatt. Sacrar. cap. 1. p. 4. cujus verba apponemus: *Sane oportet τὸ ἀμὴν heic ita interpretari* (hæc dicit Amen ille) *ut poſſit habere ſignificationem* teſtis, quia mox ſequitur: *ὁ μάρτυς, ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς*, teſtis ille fidus & verus, h. e. עד נאמן, *teſtis conſtans, bene fundatus in ſuo teſtimonio; quod tamen paucos facere video Interpretes. Teſtis igitur Chriſtus hic dicitur* Amen, *quia ille teſtabatur hominibus, Deum ita eſſe, uti ſe futurum promiſerat. —— —— Atque hinc eſt præſertim, quod ipſe præ tot Prophetis & Apoſtolis Dei ſpeciatim acceperit nomen τοῦ* מאבן Amen, *quia non modo, quod illi, dicebat*; *ἀμὴν*, promiſſiones Dei impletæ, vel implendæ ſunt; *ſed ἀμὴν*, impletæ *ſunt* in me, *& ego is ſum, qui oſtendo, Deum eſſe ἀληθινὸν*, verum *&* veracem *in omnibus ſuis pollicitationibus.* Vide ibi cetera, ubi & rectiſſime locum hunc cum *Jeſ.* LXV. 16. confert, de quo parallelismo etiam *Jo. Jac. Schudtius* in Deliciis Hebræo-Philolog. videri meretur.

ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς) Exſtat quidam Laodicenſium numus ab *Harduino* in Numis antiquis populorum & urbium pag. 92. allatus, in quo *Ζεὺς* vocatur *Φιλαλήθης*. Hinc factum putat *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exeget. Tom. I. pag. 54. ut Dominus non in aliis epiſtolis, ſed in ſola ad Laodicenſes *ἀληθινὸν* ſe appellaret, Jovi ſcilicet *Φιλαλήθει* ſe opponens. Non recogitavit Vir doctus, idem nomen legi in epiſtola ad Philadelphenſes proxime antecedente v. 7. Taceo, Joanni in Evangelio & epiſtolis idem nomen de Domino noſtro, rebuſque ad eum pertinentibus, tam frequenter adhiberi, ut hæc loquendi ratio ipſi fere propria videatur. Sic infra XIX. 11. *καλούμενος πιστὸς καὶ ἀληθινὸς* & XXI. 5. de verbis Domini noſtri: *οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοὶ καὶ πιστοί εἰσι.*

ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ) i. e. *principium* (nempe activum) *creationis Dei*, qui, ut a Patre genitus eſt, non autem conditus, ita omnia ipſe condidit. Hoc ſenſu vocatur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως Col.* I. 15. ubi vide, quæ ſcripſimus. Itaque non habent vel *Ariani* vel *Sociniani*, cur ex hac phraſi Dominum noſtrum in creaturarum ordinem referant. Ita verſio Æthiopica: *fuit ante omnia, quæ creavit Deus.* Hæc vocis *ἀρχὴ* notio eſt apud Græcos, v. c. *Platonem* in Phæd. edit. Stephani pag. 245. *ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ᾽ ἐξ ἑνός.* Confer *A. Blackwalli* Claſſicos Sacros pag. 177. *J. H. Majum* in Diſſertatt. Sacris. p. 439. & *Vitringam* in Archiſynagogo pag. 35.

Verſ. 15. Οἶδά σου τὰ ἔργα. ὅτι οὔτε ψυχρὸς εἶ, οὔτε ζεστὸς) Exſtat B. *Gottlieb Wernſdorfii* diſputat. de fervore, tepore & frigore Theologico, Vitembergæ 1707. habita & 1721. recuſa. Adde *Pet. Zornii* Biblioth. Antiquar. Exegetic. Tom. I. pag. 1150. & *And. Schotti* Adagialia N. T. Nuper admodum *Pet. Janſſenii* in v. 15-17. commentatio in Miſcellaneis Duisburgenſibus, bonæ frugis plenis, Tom. II. pag. 507. ſqq. prodiit. In ea id inprimis agit Vir doctus, ut oſtendat, *frigus* in bonam partem accipi debere. Sententiæ ſummam pag. 512. his verbis repræſentat: Utinam frigidus eſſes, aut fervidus! *i. e. utinam inſtructus eſſes illis animi dotibus, & virtutibus, quibus quoquo modo mihi poſſes placere, delectationemque afferre, atque adeo ſitim meam reſtinguere, tali potione, quæ naturæ meæ ingenioque eſt conſentanea, ſive illa ſit frigida ad æſtum deſiderii, quo in ſalutem feror meorum, ſedandum, inque membris meis ſitientibus, ſolatiaque anhelantibus, humanitatis, benevolentiæ, caritatis officiis me recreandum: ſive illa ſit calida, fervido precum, veritatis, virtutis, omniumque laudabilium actionum ſtudio, amoris tui erga me magnitudinem demonſtrando. Sed, quia neutrum præſtas, & tepidus es, nullaque adeo ratione deſideriis meis reſpondes; futurum eſt, ut ex ore te meo, tanquam tepidam aquam evomam, & caſtigationibus ſeveris diſplicentiam tibi meam nauſeamque aperiam.* Speciem habet hæc interpretatio, & digna eſt, quæ curatius expendatur.

ὄφελον ψυχρὸς εἴης, ἢ ζεστός) Similiter *Epictetus* in Enchiridio cap. 35. ταῦτα οὐ συμφωνεῖ· ἕνα σε δεῖ ἄνθρωπον, ἢ ἀγαθὸν, ἢ κακὸν εἶναι. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 717.

Verſ. 16. οὕτως, ὅτι χλιαρὸς εἶ) Hos homines Hebræi בינונים i. e. *intermedios* vocant. Ita in *Sohar* Geneſ. fol. 83. col. 327. *Tres dantur hominum claſſes: ſunt enim vel juſti perfecti, vel impii perfecti, vel intermedii.* Confer *Schœtgenium* pag. 1102.

μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου) Hæc ſcilicet aquæ tepidæ vis eſt, ut vomitum cieat. Vide *Vincent. Butii* librum de calido, frigido & temperato antiquorum potu cap. XIV. Tom. XII. Antt. Romanarum, item *Freinshemii* diſſertat. de calidæ potu cap. I. §. 2. & 6. ibidem Tom. IX. ex quibus quæ huc pertinent, attulit *Zornius* loc. cit. Adde *Joſuæ Arndii* Miſcellanea pag. 87. ſeq.

Verſ. 17. 18. Utrumque comma explicat B. *Jo. Wilh. Zieroldus* in Illuſtratione locorum aliquot Scripturæ vernacula pag. 829.

Verſ. 17. Ὅτι λέγεις ὅτι πλούσιός εἰμι) Poſterius ὅτι pleonaſticum eſt. Senſus eſt: *dicis divitem te eſſe.* Pleonaſmi hujus exempla varia paſſim in N. T. & externis quoque Scriptoribus exſtant, quod alibi in his Curis monui. Adde nunc *Franciſcum Vigerium* de præcipuis idiotiſmis Græcæ dictionis pag. 432. & *J. H. Maji* diſput. de Pleonaſmis Græc. L. in N. T. pag. 68. ſqq. Omittunt codd. nonnulli & cum iis *Bengelius.*

πλού-

πλούσιός εἰμι, ϗ πεπλούτηκα, ϗ οὐδενὸς χρείαν ἔχω) Gradationem heic agnovit *Grotius*. Similia ex *Æliani* Var. Hiſtor. I. 31. & *Cebetis* tabula pag. 36. adfert laudatus modo *Majus* pag. 75. *Ælianus* ita: *ὄντες ἐν γεωργίᾳ, καὶ περὶ γῆν πονούμενοι, καὶ αὐτουργοὶ πεφυκότες.*

καὶ ἐλεεινὸς καὶ πτωχὸς) Targum *Pſalmi* XLIX. 3. verba, *dives & pauper*, vertit זכאה וחייבא *juſtus & peccator*, obſervante *Shœtgenio.*

ϗ πτωχὸς ϗ τυφλὸς) *Marco Antonino* IV. 29. *τυφλὸς, ὁ καταμύων τῷ νοερῷ ὄμματι* & *πτωχὸς* junctim appellatur. Conferatur idem II. 13. & utrinque *Gatakerus.*

Verſ. 18. *Συμβουλεύω σοι ἀγοράσαι παρ' ἐμοῦ χρυσίον κ. τ. λ.*) Ad hoc comma copioſe commentatur *Amelius* Tomo I. **der Erörterung** pag. 829. ſeqq.

πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς) *igne probatum*, vel, *defæcatum.* Vide *Suicerum* Tomo II. pag. 895. & *Raithii* Vindicias verſionis Lutheri Germanicæ pag. 606.

καὶ κολλούριον ἔγχρισον τοὺς ὀφθαλμούς σου) *collyrio inunge oculos tuos*, per ellipſin *τοῦ κατὰ* ante *ὀφθαλμοὺς*. Vide huc omnino *Petri Zornii* Programma de Chriſti ophthalmici noſtri collyriis, quod exſtat in Opuſculis ejus Sacris Tomo II. pag. 552. ſeqq. ubi ſpeciatim pag. 583. ſeqq. de voce *κολλούριον*, quam alii codices *κολούριον* vel *κολύριον* ſcribunt, ex *Salmaſio* in Exercitatt. Plinianis pag. 182. 649. & 936. & *Henr. Stephano* in Appendice librorum ad Theſaurum Gr. Linguæ pertinentium pag. 1257. diligenter commentatur, ipſe in ſcriptione *κολλύριον*, a quo *κολούριον* cum *Salmaſio* diverſum eſſe ait, acquieſcens. At vide tu *Dan. Clericum* in Hiſtor. Medicinæ gallice edita, Parte III. lib. II. cap. 1. pag. 63. ſeqq. qui contra illam diſtinctionem non inepte diſputat. Id certum eſt, Judæos *κολλούριον* civitate ſua donaſſe קולורין eodem ſenſu dicentes. Vide *Schœtgenium* p. 1103. Horar. Hebr. & nota inprimis, quod in *Vajikra Rabba* Sect. 12. f. 156. 1. legitur: *Verba legis corona ſunt capiti, torques collo, tranquillitas cordi,* קולורית לעינים collyrium oculis, *poculum ſalutare viſceribus.* Adde de eadem voce *Alex. Morum* in Notis ad Novum Teſtamentum pag. 216. & 218. item Bibliothecam Bremenſem Claſſ. VIII. pag. 794. De antimonio ſeu ſtibio accipit *Chriſtophorus Helwigius* in Specimine Pharmacologiæ Sacræ, Gryphiswald. 1708. edit. Confer Nova Literaria Maris Balthici an. 1708. p. 132. *Steph. le Moyne* commentatione ad Jerem. XXIII. 6. pag. 259. ad mores Laodicenorum, mercatura inclytorum, vel ad navigationem Salomonis Ophiriticam alludi, per collyrium vero cognitionis Chriſtum ut Prophetam, per aurum purgatum ut Regem, per veſtimenta denique ut Sacerdotem repræſentari exiſtimat.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 19. Ἐγὼ ὅσȣς ἐὰν φιλῶ, ἐλέγχω καὶ παιδεύω) Ad Præfectos certaminum, quos proſtatas, ſive epiſtatas, item μαςιγοφόρȣς, μαςιγονόμȣς & ῥαβδȣ́χȣς appellabant veteres, quique homines ſegnes, & contra leges certaminum peccantes virgis vel flagellis caſtigare ſolebant, alludi exiſtimat *Zornius* Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 876. Cum vero nihil tale antecedat, quod ad ejuſmodi certamina referri poſſit, quemadmodum nec ſequens phraſis ζήλωσον ϰ̀ μετανόησον eo pertinet, conjectura illa parum veriſimilis videtur.

Verſ. 20. Ἰδȣ̀ ἕϛηκα ἐπὶ τὴν θύραν, κ.τ. λ.) Lege, ſis, eruditam Rev. *Joannis Jacobi Quandt*, Theologi hodie Regiomontani, diſputationem inauguralem de Chriſti, oſtio pulſato, ad cœnam ingreſſu, Roſtochii 1715. habitam, *Petri du Boſc* Sermones gallice editos Tomo I. pag. 199. & 241. ſeqq. & Continuationem Defenſionis verſionis Gallicæ Montenſis p. 280. ſeq. una cum illis, quæ in *Richardi Simonis* Hiſtoria Critica verſionum Novi Teſtamenti pag. 888. & in Actis Eruditorum Lipſienſ. p. 204. ex Obſervationibus in illam defenſionem, gallice editis, leguntur.

Phraſin ἕϛηκα ἐπὶ τὴν θύραν profanis quoque ſcriptoribus receptam eſſe oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 445. ex *Dionyſ. Halicarnaſſ.* IV. p. 209. quamvis *Ariſtophanes* Concionatric. p. 860. ἐπὶ ταῖς θύραις ἑϛὼς, eodem monente, dicat. B. *Majus* Obſſ. Sacr. III. pag. 69. edit. repetitæ commode monet, Chriſtum dici pro foribus ſtantem, non ut ſervum, ſed ut Dominum ædium, *Luc.* XII. 36. ſeu præſidem cordium humanorum, qui rectius vocari poſſit θυραῖος θεὸς, quam vel Jupiter vel Apollo a paganis ita ſit appellatus. Idem θύραν accipi poſſe ait de omni eo, quo Dominus noſter admitti & recipi ab homine poteſt; quemadmodum *Euſtathius* ad Odyſſ. *ι.* p. 1627. præcipiat: λέγονται θύραι καὶ αἱ αἰσθήσεις, δι᾽ ὧν βαίνȣσιν ἐς ψυχὴν τὰ αἰσθητά. Hebræos *portam pœnitentiæ* Deo aperiendam jubere ex *Schir Haſchirim rabba* fol. 25. 1. oſtendit *Schœtgenius* pag. 1104. & ritum aliquem, qui huc videri poſſit pertinere, adfert ex *Tamid* fol. 26. 1. A recepta particulæ ἐπὶ expoſitione, per *præ*, *ante*, ſeu Germanicum für, abit *Joannes Chriſtianus Herzogius* in diſſertatione ſingulari de proprio ſignificatu particulæ ἐπὶ cum caſu quarto junctæ, pag. 9. Ille enim per *ſuper*, auf, verti vult, hoc ſenſu, *ſtiti me jam ſuper oſtium*, ſeu *conſiſto jam in limine*, ut proinde per θύραν ſpatium illud perforatum, per quod tranſimus in domum, quodque nos admittit limine, intelligatur. Longius hæc equidem petita exiſtimo.

καὶ κρȣ́ω) Κόπτειν potius quam κρȣ́ειν τὴν θύραν Græce dici adſeveravit *Phrynichus* de dictionibus Atticis pag. 28. falſus ipſe & præceps, quod luculentis exemplis oſtenderunt *Albertius* pag. 485. & *Elsnerus* pag. 445. item *Grævius* ad Solœciſtam Luciani pag. 758. *Ariſtoph.* in ἐκκλησιαζȣ́σαις p. 700. ὁ δ᾽ ἤδη τὴν θύραν ἐπεῖχε κρȣ́ων.

ἐὰν

ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου) Solebant ſcilicet, pulſata janua, ſciſcitari nomen, qui intus erant, & ad januam auſcultare, ut voce cognita aperirent. Id commode monet *Elsnerus*, & probat ex Luciani *Bis accuſ.* p. 335. *καὶ κόπτουσιν αὐτοῖς τὴν θύραν, καὶ τοὔνομα ἐπιβοωμένοις μεγάλῃ τῇ φωνῇ οὔτε ἀνάγειν οὔτε ὑπακούειν βούλομαι.* Idem hodienum interdum, ubi res fert, fieri conſtat.

καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ) Diverſas interpretum ſententias de mutua hac cœna enarrat Rever. *Quandtius* diſputatione modo laudata pag. 43. putans, *per illam præprimis ſummam animæ fidelis jucunditatem, e familiaritate cum Chriſto & gratiæ inhabitantis ſenſu ortam, adumbrare, qua Chriſtus animam inhabitatam ineffabili gaudio & lætitia ita ſatiat, ut intra ſe non niſi ſolatium Spiritus S. adverſus peccata, in cruce amorem ſuaviſſimum, pacemque ineffabilem, e mira hac familiaritate ortam, ſentiat, inque ſinu ſuo æternæ vitæ gaudia experiatur*; ſive, *præguſtum donorum futuri ſæculi, quorum amœnitate anima fidelis in hac vita perfunditur.* Idem in ſequentibus pag. 47. oraculum hoc ab illorum *ψευδερμηνείαις* vindicat, qui cum recentioribus nonnullis diſcrimen inter gratiam Spiritus S. adſiſtentem & inhabitantem non admittunt, vel cum Terminiſtis, item *Queſnellio*, *Coccejanis*, &c. eodem ad *κυρίας* ſuas *δόξας* fulciendas abutuntur.

Verſ. 21. *Ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ καθίσαι*) Vide ſupra ad II. 26. Similiter *Herodotus* lib. VI. pag. 386. obſervante *Raphelio*, *καί σφι τὸ κοινὸν τῶν Σαμίων ἔδωκε διὰ τοῦτο τὸ πρῆγμα ἐν στήλῃ ἀναγραφῆναι πατρόθεν.* Totum vero comma explicant *Amelius* Tomo II. der Erörterung pag. 318. ſqq. *Pet. du Boſc* in Concionibus gallice editis Tom. II. pag. 481. & 529. ſqq.

καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου) Convivium cum ſocietate regni conjungitur ab *Epicteto* in Enchirid. cap. 21. *τότε οὐ μόνον συμπότης τῶν θεῶν ἔσῃ, ἀλλὰ καὶ συνάρχων*, *non conviva Deorum modo, ſed & imperii conſors eris.* Phraſi hac ad alia atque alia antiquitatis momenta alludi exiſtimant Philologi, inter quos leges *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 380. & in Diſſertatione ad *Jerem.* XXIII. 6. pag. 269. *Vitringam* lib. II. Obſſ. Sacr. c. 4. pag. 74. *Zornium* l. c. *Majum* l. c. *Elsnerum* pag. 446. ſqq. & *Chriſtian. Bruningium* in Antiquitatibus Græcis pag. 240. *Lemonius* loco, quem dixi, poſteriore exiſtimat, ſpectari vel Deos *συνέδρους, παρέδρους, συνθρόνους* & *συμβώμους*, quos pagani appellant, vel thronos Regum Orientis, qui erant latiſſimi, inſtar lecticæ, & in quibus locum capiebant Regum amici interioresque adminiſtri; vel myſteria Cabirorum, quibus initiandi thronum ſcandebant; vel denique vulgarem falſamque Hebræorum opinionem, qui animas fidelium ſub throno gloriæ quieſcere ajebant. Si qua ex his alluſio ſtatuenda eſt, crediderim ad *συνθρόνους* illos reſpici, de quibus ſingularis exſtat diſſertatio *Georgii d'Arnaud* Franequeræ 1732. 8. Cum vero *throno glo-*

ria, qui in cœlis ſit, in ſcriptis Judæorum nihil ſit frequentius, ad paganorum phraſes recurrere nihil attinet. Vide, quæ mox ad IV. 2. dicentur.

καὶ ἐκάθισα μετὰ τȣ̃ πατρός μȣ ἐν θρόνῳ αὐτȣ̃) Lege *Vitringam* l. c. pag. 75. ſeq.

CAPUT IV.

AD caput hoc totum refertur das andere Blat der Monatlichen Blätter vom Baum des Lebens zur Geſundheit der Heyden, quod Berolini prodiit 1735. 4.

Verſ. 1. *Μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδȣ̀ θύρα ἠνεῳγμένη ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ, καὶ ἡ φωνὴ ἡ πρώτη, ἣν ἤκȣσα, ὡς σάλπιγγος λαλȣ́σης μετ᾽ ἐμȣ̃, λέγȣσα*) Celeberrimus *Joannes Conradus Schvvarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 99. obſervat, Joannem potuiſſe heic participium *λαλȣ́σης* ad *ἣν ἤκȣσα* retorquere, ſed ſubintellecto nomine *φωνὴν* rectius ſubjeciſſe verba, *σάλπιγγος λαλȣ́σης*. Scilicet caſus nominum interdum ex arbitrio ſcribentis pendent, quod idem variis exemplis docet.

Ἀνάβα ὧδε) *Ἀνάβα* heic ut alibi *κατάβα* *Marc.* XV. 30. & *ἀνάστα* *Epheſ.* V. 14. pro *ἀνάβη* vel *ἀναβάθι* Attice dici, oſtendit Cl. *Georgius* in Hierocritico N. T. pag. 153. allatis *Ariſtophanis* & *Euripidis* exemplis ſimilibus. Ita *Ariſtophanes* in Veſpis pag. 346.

Κατάβα, κατάβα, κατάβα
Καταβήσομαι
Καί τοι τὸ κατάβα τȣ̃το πολλȣ̀ς δὴ πάνυ
Ἐξηπάτηκεν.

Verſ. 2. *Καὶ εὐθέως ἐγενόμην ἐν πνεύματι καὶ ἰδȣ̀*) Ad hoc comma lege *Marckium* in Exercitatt. Textualibus pag. 447. ſeqq. ubi ſpeciatim contra *Nicol. Mullerium* in Exercitationibus Apocalypticis probare inſtituit, Apocalypſin integram non unam continuam viſionem, ſed plures, diverſo tempore oblatas, complecti. Eadem eſt ſententia V. C. *Joannis Gothofredi Lakemacheri* in Obſervationibus Parte. X. num. V. quod in Prolegomenis monuimus. Ceterum commata, quæ hinc uſque ad octavum leguntur, quod ad dictionem viſioni *Ezechielis* cap. I. 26. ſqq. paſſim reſpondere, monuit laudatus modo *Schwarzius* in Monumentis Ingeniorum, bonæ frugis pleniſſimis, Tom. III. pag. 282.

Καὶ

καὶ ἰδὲ θρόνος ἔκειτο ἐν τῷ οὐρανῷ) Judæos in ſcriptis ſuis ſingulis fere paginis Deo כסא כבוד *thronum gloriæ* tribuere recte adfirmat Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 1105. quamvis ipſi fateantur, talem non vere in cœlo dari, ſed ideo adferri, ut oſtendatur omnibus angelis, quod Deus Rex ſit ſuper omnia. Ita enim tradunt in *Sepher Raſiel haggadol* fol. 16. 2.

Verſ. 3. *Καὶ ὁ καθήμενος ἦν ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι καὶ σαρδίνῳ*) Pro *σαρδίνῳ* codices alii legunt *σαρδίῳ*, quod & recipit *Bengelius*. Utraque lectio bona & Græca eſt, modo ad *σαρδίνῳ* ſubintelligatur *λίθῳ*, ſicut mox fieri debet ad vocem *σμαραγδίνῳ*, quæ ipſa *τὸ, σαρδίνῳ* confirmat. Candidum & rubicundum colorem heic inferri, ut *Cantic.* V. 7. recte obſervat B. *Hillerus* in Syntagmatibus Hermeneuticis pag. 69. qui ibidem inde a p. 63. de *Jaſpide*, ſicut pag. 1. ſeqq. de *Sardio* commentatur. Omitto *Bochartum* & alios huc ſpectantes. Deſcriptionem *throni gloriæ*, quæ in *Pirke Elieſer* cap. IV. exſtat, in multis cum hac Joannea convenire, oſtendit *Schœtgenius* pag. 1105. ſeq.

καὶ ἶρις κυκλόθεν τοῦ θρόνου ὁμοία ὁράσει σμαραγδίνῳ) De iride ejusque coloribus & heic & infra X. 1. commemoratis, & ſenſu myſtico accipiendis, lege Rev. *Wilhelmi Erneſti Ewaldi* Emblemata Sacra miſcellanea lib. II. pag. 188. ſeqq. de *ſmaragdo* vero *Matth. Hillerum* in Syntagmatibus pag. 91. ſqq. Pictores parum prudenter ex hoc loco Chriſtum, ſuper iride ſedentem, repræſentare, monuit *Rohtius* in diſſert. de pictore errante, quæ exſtat Tom. II. Theſauri Theol. Philol. p. 871.

Verſ 4. *Καὶ κυκλόθεν τοῦ θρόνου θρόνοι εἴκοσι καὶ τέσσαρες κ. τ. λ.*) Lege *Joannis Stephani Menochii* Trattenimenti eruditi Parte V. pag. 390. & *Henrici Horchii* Inviſibilia Dei in rebus ab ipſo factis facta viſibilia pag. 57. ſqq. hinc vero in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. pag. 747. ſq.

καὶ ἐπὶ τοὺς θρόνους εἶδον τοὺς εἴκοσι καὶ τέσσαρας πρεσβυτέρους καθημένους) Alludi hic ad morem Judæorum, qui אנשי מעמד *viros ſtationarios* ſeu delegatos habebant, in XXIV. ephemerias diſtinctos, quique alternatim aderant, quotieſcunque ſacrificium juge pro toto populo immolabatur, ſtatuit eruditiſſimus *David Millius* in Corollario VIII. ad diſſert. de Gad & Meni. Idem ante adfirmavit & adſtruxit *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra pag. 41. ſqq. adducto cap. IV. *Taanith*, & *Maimonide* in *Kele Hammikdaſch* c. IV. *Quæ omnia*, ita pag. 43. *cum ita ſe habeant, ſi in hoc loco Apocalypſeos, ubi ſanctuarium cœleſte nobis repræſentatur, thronus Dei, ſeu altare, ipſe agnus Dei occiſus juxta thronum, ubi novus cultus ſpiritualis nobis exhibetur, non mirum, inquam, ſi iſta referant conſuetudines uſurpatas in templo Salomonis, ſi nobis ſanctuarium exhibeatur, thronus & quatuor animalia ingeruntur, ad imitationem arcæ fœderis & Cherubinorum, & fiat mentio Presbyte-*

rorum, qui in iſta viſione & figura novi templi XXIV. ſtationes hominum ſtationariorum oculis noſtris exponant, nobisque repræſentent integram Eccleſiam Chriſtianam & Evangelicam, quæ quaſi jam in templo & ſanctuario gloriæ habeat XXIV. ſtationarios, non Sacerdotes, non Levitas, ſed Presbyteros, qui pro illa coram Deo & throno agni adſint, & illam repræſentative ſiſtant. Idem tamen in Exercitat. ad *Jerem.* XXIII. 6. pag. 177. Eccleſiam Evangelicam pariter ac Iſraëliticam indicari exiſtimat, cum illa XII. Apoſtolis, hæc XII. Patriarchis conſpicua fuerit. Ad XXIV. claſſes ſeu ordines Sacerdotum Leviticorum ſimpliciter alludi cenſet *Joannes Baptiſta Ottius* in Annotatt. ad Joſephum pag. 327. Tomi II. edit. Havercampianæ, allato *Joſephi* loco de Vita ſua pag. 998. b. Ἐμοὶ δὲ οὐ μόνον ἐξ ἱερέων ἐστὶ τὸ γένος, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος τῶν εἴκοσι τεσσάρων. Synedrium minus, quod Hieroſolymis ad clivum montis ſederit & XXIII. adſeſſores habuerit, ſpectari mavult Cl. *Schœtgenius* pag. 1107. qui & locum promit ex *Tanchuma* fol. 48. 1. ubi Deus *tempore futuro*, i. e. ſub N. T. Senioribus gloriam dicitur tributurus, vi promiſſionis *Jeſ.* XXIV. 23.

περιβεβλημένους ἐν ἱματίοις λευκοῖς, καὶ ἔσχον ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν στεφάνους χρυσοῦς) In his codices quidam, & verſiones quoque, cumque iis *Bengelius* omittunt ἔσχον. Et abeſſe id per ſenſum quidem poteſt, quamvis a dictione Joannea minime ſit alienum. Ita ſupra I. 6. poſt participia, ἀγαπήσαντι ἡμεῖς καὶ λούσαντι habes: καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς. Senſus eſt: *& habuerunt illi*, vel, qui habuerunt. Fortaſſe non fallor, ſi dixero, verbum ἔσχον ideo a nonnullis omiſſum eſſe, quod putarint ſcribendum fuiſſe, καὶ ἔχοντας. Quod ad rem ipſam attinet, Presbyteros illos tanquam Sacerdotes repræſentari putant ex eo, quod *albis veſtibus* & *coronis aureis* ornati dicuntur, cum utrumque Sacerdotum fuerit inſigne. Vide *Theodor. Haſæum* in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 252. Conf. *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam Tom. I. pag. 56. Judæi alias cœlitibus coronas aureas tribuunt, quod ex *Tanchuma* fol. 39. 4. & *Jalkut Rubeni* fol. 11. 3. oſtendit *Schœtgenius* pag. 1108. Ita *Henricus Horchius* libro ſupra citato per Presbyteros illos Sanctos Vet. Teſtam. in cœleſtem gloriam translatos, intelligit.

Verſ. 5. Καὶ ἐκ τοῦ θρόνου ἐκπορεύονται ἀστραπαὶ καὶ βρονταὶ, καὶ φωναὶ) *Jacobus Rhenferdius* in argumentum dictionis Cabbaliſticæ, qua Joannem in Apocalypſi uſum eſſe exiſtimat, pag. 25. Operum Philologicorum obſervat, Cabbaliſtas ſeptem inferiores *Sephiroth* appellare קולות *voces*, ſeu tonitrua; נרות *lampadas*, & עינים *oculos.* Per φωνὰς alias in ſacris *tonitrua* indicantur, quod patet ex *Exodi* IX. 23. Cum vero heic *voces* a *tonitru* diſtinguantur, per voces majores & protracti in aëre ſoni, quorum alius alium continuo exceperit, ſignificari videntur *Vitringa* ad h. l. Conf. eundem lib. VI. Obſervatt. Sacrar. cap. XI. pag. 382.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 6. Καὶ ἐνώπιον τοῦ θρόνου κ. τ. λ.) Comma hoc cum duobus ſequentibus illuſtrat *Joannes Aſſelmannus* in Programmate Paſchali Roſtochii 1615. edito.

θάλασσα ὑαλίνη) Codices quidam & verſiones præmittunt particulam ὡς, quam & Cl. *Bengelius* in contextum recepit. Pro eadem pugnat *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 714. ſeq. qui & in ſignificationem ejus myſticam inquirit, *Vitringa* veſtigiis inſiſtens, & *gratiam Dei immotam*, tanquam fundamentum throni illius, indicari affirmans. Rev. *Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. IV. pag. 470. Chriſti meritum ejusque omniſufficientiam innui exiſtimat.

ὁμοία κρυστάλλῳ) i. e. mare, vitri cryſtallini ad inſtar pellucidum, ejusque colorem referens, ut *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 296. explicat, *Pontus vitreus* Horatio appellatur, Od. IV. 2. 3. 4.

καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου) Quatuor poſtremas voces omittit *Coptus Wilkinſii*. *Joſ. Medus* in Fragm. Sacris, Tom. X. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philologiam Sacr. ſpectantium recuſis, pag. 227. ita: *Sella, cui Deus inſidebat* (apud Ezechielem) *absque dubio quatuor animalibus geſtata fuit, quorum ſingula poſterioribus intro latentibus, in* ὁμοειδῆ *ſibi in circuitu throni animalia ora ſua obverterunt: quemadmodum apud Ezechielem Divinum Numen legimus Cherubinis, quadruplici eorundem animalium vultu conſpicuis, ſubvectum fuiſſe. Atque hoc eſt, quod Johannes de throno Apocalyptico refert, non ſolum in throni circuitu, ſed etiam in medii throni quatuor iſta animalia conſpecta ſibi fuiſſe.* Non inconvenienter hæc dici exiſtimo, quamvis *Jacobus Haſæus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. pag. 313. τὸ, κύκλῳ idem eſſe malit, quod *juxta*, & quidem in ſemicirculi figura. Quæ de *opere currus* מעשה מרכבה tanquam ſub throno Dei collocato, Judæi tradunt, ea adfert Cl. *Schœtgenius* pag. 1109. Cl. *Leonhardus Twells* in Examine Critico N. T. Græco-Anglicani Parte I. pag. 144. malit, voces, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου ad antecedentia referre, & per στιγμὴν a ſequentibus: καὶ κύκλῳ, diſtinguere, hoc ſenſu, ut mare illud cryſtallinum & ante thronum & in medio fuiſſe dicatur, ſicut infra XXII. 1. rivus aquæ ex throno Dei & agni procedere dicitur.

Verſ. 7. Καὶ τὸ ζῶον τὸ πρῶτον ὅμοιον λέοντι, κ. τ. λ.) De animalibus, his, illorum figura, figuræque hujus origine & ſignificatu copioſe *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 467 - 500. *Witſius* in Ægyptiacis lib. II. cap. 13. pag. 160. ſeq. *Bochartus* in Hierozoico Parte I. lib. III. cap. 5. *Gatakerus* in Cinno lib. II. cap. 10. & *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 1234. commentantur. Quomodo vero & quam varie animalia illa ad quatuor Evangeliſtas a Patribus ſint relata, diſces ex præſtantiſſimo *Fabricio* noſtro ad Codicem Apocryphum N. T. Tom. I. pag. 383. in notis. Alias aliorum expoſitio-

ſitiones, ſine addita epicriſi, legis in *Labrunii Entretiens Hiſtoriques & Critiques de Théotime & d'Ariſtarque*, Amſtelodam. 1733. 8. editis, Parte II. p. 63. ſeqq.

καὶ τὸ δεύτερον ζῶον ὅμοιον μόσχῳ) *Μόσχος* heic *bovem* denotat, quod alias *vitulum* infert. Prior illa ſignificatio non tantum *τοῖς* LXX. Interpretibus recepta eſt, ſed & idoneis Græciæ Scriptoribus, atque adeo ab Hebraiſmo libera. Vide *Pfochenium* de linguæ Græcæ N. T. puritate §. 103. Confer *Colomeſii* Obſervatt. Sacras pag. 137. *Lydium* de re militari lib. III. cap. V. pag. 67. & *Stephan. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 706. ut *Bochartum* omittam.

καὶ τὸ τέταρτον ζῶον ὅμοιον ἀετῷ πετωμένῳ) Pro *πετωμένῳ Alex.* codex, *Huntington.* & *Arethas* habent *πετομένῳ*, quod & *Bengelio* placuit. Receptior lectio ex verbo *πετάομαι* ducta non minus proba eſt, quam altera. Vide *Henr. Stephanum* v. *πέτομαι*.

Verſ. 8. *Καὶ τέσσαρα ζῶα, ἓν καθ' ἑαυτὸ, εἶχον ἀνὰ*) *Arethas* & codd. aliquot *ἓν καθ' ἓν αὐτῶν ἔχον* legunt, quos ſequitur *Bengelius*. Malim in recepta lectione perſiſtere, quæ per *τὸ ἀνὰ*, pluralem verbi formam *εἶχον* requirens, fulcitur. Vide *Matth.* XX. 9. & 19. & *Joh.* II. 6.

ἔξ κυκλόθεν) *Coptus* Wilkinſii addit: *ab unguibus*.

Κύριος, ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ) Lege *Ezech. Spanhemium* de Uſu & præſtantia Numiſmatum Tom. I. pag. 445.

Verſ. 9. *Καὶ ὅταν δώσουσι τὰ ζῶα*) *Eraſmus Schmidius* recte ita: *& quando datura erant.* Cl. *Schœtgenius* pag. 1109. phraſin exponi vult ex ritu Judæorum, qui, Regem ſpectantes, fauſtis & honorificis acclamationibus uti conſueverint. Idem ex *Pirke Elieſer* cap. IV. locum promit, quo quatuor catervæ angelorum miniſterialium Deum laudare dicuntur.

Verſ. 10. *Πεσοῦνται οἱ εἴκοσι*) *Procidebant:* ita *Eraſmus Schmidius*, cui verbum præſens pro imperfecto poſitum videtur. Confer eundem ad *Matth.* XV. 14. ubi idem *τὸ*, *πεσοῦνται* pro præſenti habet, quamvis dubius, cum & futuri formam agnoſci poſſe exiſtimet. Atque hoc quidem malim. Quod enim Vir optimus ait, hoc commate mox ſequi *προσκυνοῦσι* & *βάλλουσι*, in præſenti tempore, id quidem plerorumque editorum librorum auctoritate conſtat. At ſunt tamen & ſcripti & editi, v. c. *Curcellæi* & noviſſime *Bengelii*, qui habent *προσκυνήσουσι* & *βαλοῦσι*. Senſus ex hac lectione is fuerit, ut animalia illa, laudem Deo tributura, *adorare ſolita* eſſe dicantur. Hæc enim futuri temporis notio in ſacris obvia eſt. Mox verba, *ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ καθημένου*, deſunt in *Copto*.

καὶ

καὶ βαλᾶσι τὰς ςεφάνας αὐτῶν ἐνώπιον τᾶ θρόνα λέγοντες) Eadem ratione omnes Reges orientis & occidentis, qui ad Pharaonem venerant, & Moſen atque Aaronem in cœleſti ſplendore videbant, cultum illis ſuum teſtati dicuntur, *ut poſitis coronis eos adorarent.* Vide *Jalkut Schimoni* Part. I. fol. 55. 2. a Schœtgenio allatam. Similem ritum Salios adverſus Martem obſervare ſolitos ex Capitolino in *M. Antonino* Philoſopho cap. IV. p. 301. probat *Elsnerus* pag. 449. *Coronas*, inquit, *omnibus in pulvinar ex more jacientibus, alia aliis locis hæſere.* Confer præterea de commate hoc *Amelium* Parte II. **der Erörterung** pag. 747.

Verſ. 11. *Ἄξιος εἶ, Κύριε, λαβεῖν τὴν δόξαν κ. τ. λ.*) Lege *Sebaſtiani Schmidii* Collegium Biblicum poſterius pag. 73. ſeqq.

καὶ διὰ τὸ θέλημά σε εἰσι) *& per voluntatem tuam ſunt.* Eadem vocis *διὰ* quarto caſui junctæ, ſignificatio eſt infra cap. XII. 11. Conſtat alias, communiter *διὰ* ſecundo caſui præmiſſum, hanc notionem habere. Sed eandem etiam cum accuſandi illo obtinere, oſtenſum eſt ab *Eraſmo Schmidio* ad Joh. VI. 57. *Joachimo Camerario* Notat. Figurarum ibidem, & noviſſime a Cl. *Tobia Eckhardo* in Obſervationibus Philologicis ad Novum Teſtamentum ex Ariſtophane pag. 12. Adde, ſi placet, etiam Curas noſtras ad *Joannis* locum citatum. Hinc recte B. *Lutherus* **durch deinen Willen**, in receptis hodie editionibus, quamvis in illa, quæ an. 1534. prodiit, legatur: **um deinet willen.** Confer B. *Raithii* Vindicias verſionis Germanicæ pag. 606.

CAPUT V.

VErſ. 1. *Καὶ εἶδον ἐπὶ τὴν δεξιὰν τᾶ καθημένα κ. τ. λ.*) Vide huc *Joannis d'Outrein* Introduct. ad Part. II. *der heelige Sinnebeelden* p. 58. ſeqq. *Amelium* Parte I. **der Erörterung** pag. 668. ſeqq. *Zornium*, qui idem eſt, Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 369. & *Cornelium Haſæum* in diſſertatione de libro *ὀπισθογράφῳ*, Bremæ 1707.

ἐπὶ τὴν δεξιὰν τᾶ καθημένα ἐπὶ τᾶ θρόνα) *ἐπὶ* heic alii cum *Beza* vertunt *ad*, quaſi liber ille *ad dextram* throno inſidentis poſitus primum, deinde vero ab eodem receptus fuerit; alii vero cum *Eraſmo Schmidio* reddunt *in*, ideo quod throno inſidens librum dextra manu tenuerit. Poſteriores hic rectius agunt. Mox enim v. 7. agnus dicitur librum accepiſſe *ἐκ τῆς δεξιᾶς τᾶ καθημένα ἐπὶ τᾶ θρόνα.* Cum itaque ibidem non dicatur, throni dominum librum hunc tanquam juxta ſe repoſitum accepiſſe, & tradidiſſe agno, conjectu facile eſt, eundem manu dextra jam ante prehenſum & quaſi oſtentatum a ſedente fuiſſe. Eadem eſt *τᾶ ἐπὶ*, quarto caſui

Digitized by Google

fui juncti, ſignificatio infra XVII. 8. & XX. 1. Confer laudatam *Haſæi* diſſertationem.

βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἑπτά) Ita libri editi hæc verba exhibent & interpungunt, ſcripti tamen quidam codices pro ὄπισθεν habent ἔξωθεν, eodem quidem ſenſu, ſed ideo minus recte, quod ejuſmodi membranæ, quæ intus & a tergo ſcripturam referebant, proprie ὀπισθόγραφα, ceu mox videbimus, appellata fuerunt. Senſus verborum hic fuerit: *vidi librum ſcriptum intus & a tergo, obſignatum ſigillis ſeptem.* Alii, mutata interpunctione, legi malunt: *βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν, καὶ ὄπισθεν κατεσφραγισμένον*, ut ſic liber intus literis conſcriptus, & extrinſecus obſignatus dicatur. Ita ſtatuit *Grotius*, & ex noſtratibus *Polycarpus Leyſerus*, Profeſſor quondam Helmſtadienſis, in diſſertatione de noviter adornanda Novi Teſtamenti Græci editione, pag. 10. hac addita ratione pag. 11. *Sive ὄπισθεν ſive ἔξωθεν legas, apparet, ſigilla eum in finem muniviſſe librum, ut legi non poſſet. Ideo Joannes dolet, neminem inveniri ſatis dignum, qui legeret librum, vi commatis ſubſequentis quarti. Legi enim ex parte ſaltem potuiſſet liber, ſi vel a tergo vel exterius ſcripturam retuliſſet. Nihil ergo obſtat, quo minus Joannem notaſſe librum dicamus, qui interius ſcriptus, exterius ſigillis ſeptem obſignatus fuit.* In eadem ſententia video fuiſſe *Haydockium* Anglum, in *Joſephi Medi* Operibus Anglicanis pag. 790. ubi membranarum convolutarum, & extrinſecus ſeptem laminis, tanquam totidem ſigillis, munitarum forma repræſentatur. Nec diſplicet hæc conjectura B. *Calovio* noſtro in Bibliis Illuſtratis. Alii tamen rectius ſe *Grotio* etiam hac in parte oppoſuerunt. Inter hos *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 592. ita: *Quaſi vero ulla volumina extra ſcripta ſint, obſignata vero intus. Tam infelix Interpres Apocalypſeos eſt magnus ille Hugo, etiam in rebus minuſculis.* Addam verba *Vitringæ*, quæ omnino rem conficiunt. *Verba hæc Joannis*, inquit, *haud dubie referenda ſunt ad ſimilia* Ezechielis (II. 9. 10.) *qui ſibi pariter narrat, in viſione exhibitum eſſe librum, conſcriptum* פנים ואחור h. e. ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν. *Si* porro *nihil novi heic diceretur & ſingulare de ſcriptione hujus voluminis: potuiſſent verba* intus & extra *omitti. Non poterat enim commode niſi extus obſignari, ac proinde neceſſe non erat id moneri.* Intus *autem ſcriptum fuiſſe librum, quis ignoraſſet vel dubitaſſet? Sed cum rarius & inſolentius eſſet, volumina etiam* in tergo conſcribi: *addere id voluit & debuit Joannes, ne ſingularem hunc libri hujus characterem ignoraremus.* Omitto cetera. Ad argumentum B. *Leyſeri* facile reſponderi poteſt. Primo enim non ſatis conſtat, quæ ſigilli hujus ratio fuerit. Fortaſſe enim ita illud comparatum fuit, ut ea, quæ extus ſcripta erant, per illud legi non poſſent. Pone autem, legi quædam potuiſſe, vel ſic de ſumma & ſenſu totius argumenti conſtare non poterat. Denique exterior illa ſcriptura fortaſſe argumento fuit, lectio-

Digitized by Google

lectionem membranæ integræ illi, cui tradenda erat, amoto tamen ſigillo integram fore. Hoc ſenſu hæc *Æthiopem* accepiſſe, ex eo patet, quod particulam *καὶ* ante vocem *κατεσφραγισμένον* exprimit, quæ & in Codice *Seideliano* legitur. Pro recepta expoſitione egregie militant *ὀπισθόγραφα* illa, h. e. membranæ intus & in tergo conſcriptæ, quas veteribus receptas fuiſſe viri eruditi pridem oſtenderunt. Vide inprimis *Salmaſium* in Specimine confutationis Animadverſionum *Deſiderii Heraldi*, ſive tractatu de ſubſcribendis & ſignandis teſtamentis pag. 118. cujus verba habes apud *Zornium* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica pag. 371. ſeq. Adde *Haſæi* diſputationem, quæ huc inprimis pertinet.

Quod ad *βιβλίου* formam attinet, Interpretes potiores recte monuerunt, illud pluribus membranis conſtitiſſe, quarum ſingulæ ſingulis ſigillis fuerint munitæ, ſibi invicem vero ita involutæ, ut ſingulæ ſeorſim a ſigillis liberari, evolvi, inſpici legique potuerint. Hinc fit, ut in ſequentibus ſigilla ſingula ſigillatim reſerata, atque adeo membranæ inſpectæ dicantur; quod fieri non potuiſſet, ſiquidem exterior tantum membrana ſeptem ſigillis per ſe obſignata fuiſſet. Vox itaque *βιβλίον* in hoc commate ſenſu complexo accipienda eſt, ut ad ſeptem illas membranas, quibus conſtabat, referatur, earumque ſingulæ eodem nomine inſigniantur. Hac ratione ſcheda, repudii formula ſignata, ספר כריתות *libellus repudii* vocatur, quod recte huc monuit Cl. *Schœtgenius*, pag. 1110. Eodem ſenſu multi accipiunt phraſin *Matthæi* I. 1. *βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ut nempe genealogiam Domini noſtri, ibidem exhibitam, tantum indicet.

Adferam adhuc *Joſephi Medi* verba ex epiſtola Latina ad *Haydockum* p. 791. Operum ſcripta: *Aliquando*, inquit, *in ea ſententia fui, Viſiones iſtas ſigillares, non literarum notis in volumine ſcriptas, ſed iconibus quibusdam depictas ſub ſigillorum tegellis latuiſſe; iisque reſeratits viſui (non ad legendum, ſed contemplandum) ordine quamque ſuo patuiſſe; atque ad hanc mentem verba iſta ad Joannem: ἔρχου, καὶ βλέπε, haud inepte accommodari poſſe. Poſtea animadverti, hanc opinationem meam narrationi Apocalypticæ univerſæ non convenire, utpote cum in ſigillo quinto & ſexto oratio rei viſæ tribuatur: præterea in ſigillo ſeptimo Tubarum viſa non ſimul & eodem tempore exhiberi, ſed ordine & ſucceſſive in adſpectum produci obſervaverim. —— —— —— Tandem igitur, quoniam inconcinnum nimis videbatur, ſola repræſentatione extrinſeca rem peractam affirmare, nihil prorſus conferente libro, in eam ſententiam prolapſus ſum, utrumque conjungendum eſſe, dicendumque, ſingula quidem vaticinia in volumine, ſive ſignis & iconiſmis, ſive literis deſcripta & exarata fuiſſe; ea vero Joanni ceterisque cœleſtis dramatis ſpectatoribus non aliter, quam repræſentatione forinſeca recitationis viam explente propalam fuiſſe facta. Scilicet eodem fere modo ac in dramatis noſtris Academicis fieri amat, ubi actoribus cum libris adſtant monitores.* Hactenus *Morus.*

κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἑπτά) De obſignatione teſtamentorum &c. veteribus recepta *Salmaſius*, & ex eo *Zornius* exponit ll. cc. Confer etiam, quæ de eadem tradidit Illuſtris *Scipio Maffejus* in *Iſtoria Diplomatica*, atque hinc Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1727. p. 533.

Verſ. 2. *Τίς ἐςιν ἄξιος ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον;*) Mirum eſt, *Artemonium* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 450. & antea in Defenſione Confeſſionis Unitariorum §. 16. pag. 72. ſeq. hunc locum urgere eo inſtituto potuiſſe, ut pateret, Angelos etiam bonos per Chriſtum demum ſub Evangelio corroborandos & in bono confirmandos fuiſſe, cum inter eos nullus perfecte juſtus, & absque ulla labe inventus eſſe dicatur, qui libro aperiendo dignus haberetur. Scilicet *ἀξιότητα*, quæ heic requirebatur ad aperiendum librum, quærit in innocentia & probitate morum. Nonne rectius eam quæſiturus erat in majeſtate ſingulari, qua opus erat ad librum, judiciis & decretis divinis refertum, reſignandum & aperiendum?

Verſ. 3. *Καὶ οὐδεὶς ἠδύνατο ἐν τῷ οὐρανῷ, οὐδὲ ἐπὶ τῆς γῆς, οὐδὲ ὑποκάτω τῆς γῆς ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον*) De phraſi hac lege *Curas* has ad *Philipp.* II. 10. Patet hinc, divinam Chriſti *θεανθρώπου* majeſtatem innui, qui unus hac prærogativa dignus ſit habitus.

Verſ. 4. *Καὶ ἐγὼ ἔκλαιον πολλὰ, ὅτι οὐδεὶς ἄξιος εὑρέθη ἀνοῖξαι, καὶ ἀναγνῶναι τὸ βιβλίον*) Prima illa verba *Coptus* Wilkinſii per, *flebant omnes*, *Æthiops* autem per, *flebant multi*, exprimunt. In ſequentibus codices aliquot phraſin, *καὶ ἀναγνῶναι*, omittunt, quam nec verſiones quædam expreſſerunt. Eam itaque ex margine irrepſiſſe exiſtimat *Millius* in Prolegomenis, & omittendam ex contextu putavit Cl. *Bengelius*. Equidem non video admodum, cur illam a Joanne ipſo profectam non credamus. Si enim pro interpretamento librarii alicujus, ad oram libri ſcripto, haberi deberet, ratio reddi non poteſt, cur idem illud non tam ad verſ. 3. quam ad ſequentem hunc fuerit relatum. Jam vero verſ. 3. nulla apparet codicum varietas. Itaque veriſimilius eſt, a Joanne ipſo in hoc commate, *καὶ ἀναγνῶναι*, adjectum eſſe, ut prægnantior *τοῦ ἀνοίγειν*, tanquam lectionem ſimul inferentis, ſignificatio pateret.

Verſ. 5. *Καὶ εἷς ἐκ τῶν πρεσβυτέρων λέγει μοι· κ. τ. λ.*) Vide B. *Joannis Wilhelmi Zieroldi* Illuſtrationem aliquot locorum Scripturæ, vernacula lingua editam, pag. 549. ſeq.

Ἰδοὺ, ἐνίκησεν ὁ λέων) Conferunt hoc *νικᾷν*) nonnulli cum Hebræo זכה Pſalm. LI. 6. quod *οἱ* LXX. interpretantur *νικᾷν*. Cum vero זכה notet *purum*, vel etiam *dignum eſſe*, aut *haberi*, hinc præſenti quoque loco leonem de tribu Juda *dignum*, vel *purum*, vel *juſtum* habitum dici putant, qui librum aperiret. Conferunt iidem v. 2. & 4. ubi nemo dicitur inventus eſſe

hac

hac prærogativa dignus. Vide hanc in rem *Jo. d'Outrein* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 610. Similiter *Grotius* & *Vitringa* ἐνίκησε vertunt *obtinuit*. Lege *Vitringa* inprimis argumenta, & judica.

ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰȣ́δα) Confer *Joannis Gerhardi Voſſii* Opera Tom. V. p. 369. b. & *Suicerum* Tom. II. p. 231.

ἡ ῥίζα Δαβίδ) Vide infra ad XXII. 13. ubi contra *Artemonium* diſputabitur.

Verſ. 6. *Καὶ εἶδον, καὶ ἰδȣ̀ ἐν μέσῳ τȣ̃ θρόνȣ*) Comma hoc una cum ſequentibus usque ad 14. diligenter exponitur ab Anonymo im Verſuch und Erklärung des Geſichts vom Lamme GOttes, Brunſuigæ 1732. 4to. Confer Collectionem Novantiquorum Theologic. vernaculam an. 1735. pag. 264. *Leonardus Twells* in Examine Critico Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Parte I. pag. 142. ſeq. prima verba commatis ſexti ita vertenda contendit, ut agnus ille in medio throni, ſeu ſuper throno Patris conſtitiſſe dicatur. Ita vero non apparet, quomodo idem agnus in medio quatuor animalium & Presbyterorum fuiſſe adferatur. Ad phraſin & rem ipſam propius accedemus, ſi agnum in area ſemicirculari, quæ ante thronum Dei erat, & a ſemicyclo thronorum Presbyterorum deſcribebatur, conſtitiſſe dicamus, ita quidem, ut idem throno eſſet proximus. Vide *Vitringam*. Hinc v. 7. dicitur de agno: *καὶ ἦλθε καὶ εἴληφε*, ubi agnus a ſedente ſuper throno ſimul diſtinguitur.

ἔχον —— ὀφθαλμȣ̀ς ἑπτὰ) Confert phraſin cum *Zachar.* IV. 10. *Ludovicus Cappellus* in Operibus pag. 143. b. Idem facit *Rhenferdius* in Operibus Philologicis pag. 27. qui tamen & Cabbaliſtici aliquid in ea videre ſibi videtur, quod Cabbaliſtæ ſeptem inferiores *Sephiroth* עינים, i. e. *oculos* appellant. Sed de hoc ſupra nos dicere meminimus.

Verſ. 9. *ἔχοντες ἕκαστος κιθάρας καὶ φιάλας χρυσᾶς*) Phraſin hanc una cum ſequenti cantico non ad quatuor illa animalia, ceu nonnullis viſum eſt, ſed ad Presbyteros illos XXIV. tantum pertinere oſtendit *Witſius* in Ægyptiacis lib. II. cap. 13. pag. 168. ſeq. De *citharis* illis lege *F. A. Lampii* Exercitationem ad Pſalm. XLV. pag. 53. de *phialis* autem *Adrianum Relandum* in libro de Spoliis templi Hieroſolymitani pag. 114. ubi inter cetera *Joſephum* adfert III. 2. Antiquitt. *φιάλας καὶ σπονδία* commemorantem, h. e. par illud vaſorum in menſa ſacra, quod thus continebat, illud quidem minus, hoc majus.

γεμȣ́σας θυμιαμάτων) Lege *Henrici Dodwelli* librum Anglicanum de ſuffitu pag. 36.

Verſ. 9. *Καὶ ᾄδȣσιν ᾠδὴν καινὴν κ. τ. λ.*) De hymnis cœlitum ex hoc & aliis locis Apocalypſeos diſſerit Vener. *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius* in

epimetro diſſertationis de recta Theologiæ hymnodicæ conformatione, Tubingæ 1731. editæ. Ὠδὴ καινὴ dici hic plerisque videtur ob præſtantiam & ſuavitatem ſuam; quam in rem *Cornel. Adami* in Exercitationibus Theologico-Philologicis pag. 177. affert illud *Luciani* Zeux. pag. 578. ἀληθὲς γὰρ εἶναι τὸ τοῦ Ὁμήρου, ϗ τὴν νέαν ᾠδὴν κεχαρισμένην ὑπάρχειν τοῖς ἀκούουσιν. Neque tamen negat idem, ad novitatem & præſtantiam argumenti, quo canticum illud pertinet, reſpici poſſe.

Verſ. 10. Καὶ ἐποίησας ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς ϗ ἱερεῖς, ϗ βασιλεύσομεν ἐπὶ τῆς γῆς) Hæc in codicibus aliquot & verſionibus, inter quas & *Coptica* Wilkinſii eſt, ita exprimuntur, ut pro ἡμᾶς legatur αὐτοὺς, pro βασιλεύσομεν autem βασιλεύσουσιν. Eandem lectionem in contextum recepit Cl. *Bengelius.* Cum vero iidem illi, qui hæc canunt, v. 9. ceciniſſe dicantur: ϗ ἠγόρασας ἡμᾶς, non video, cur illud ἡμᾶς in hoc commate cum αὐτοὺς permutari debeat, inprimis cum ſic non conſtet, quinam per αὐτοὺς intelligantur. De regali fidelium Sacerdotio ad h. l. ſingulari diſſertatione commentatus eſt *Joannes Benedictus Carpzovius*, quam in Diſputationibus ejus Academicis recuſam leges p. 1185. ſqq.

Verſ. 11. Καὶ εἶδον, ϗ ἤκουσα φωνὴν ἀγγέλων πολλῶν κ. τ. λ.) *Cœtum hic habes cœleſtem, ad modum Synagogæ formatum. Angeli præeunt laudes, & benedictiones Dei ad inſtar Legatorum Eccleſiæ in Synagogis, & Præpoſitorum in Eccleſiis Chriſtianis; & animalia quatuor cum viginti quatuor Presbyteris, cœtum Eccleſiæ repræſentantibus, ἀντιφωνοῦσι vulgatum illud: ἀμήν.* Ita *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Part. II. cap. 19. pag. 1110.

καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν μυριάδες μυριάδων, ϗ χιλιάδες χιλιάδων) Ita editi plerique, præeuntibus *codd.* & verſionibus non paucis, interque has *Coptica* Wilkinſii. *Millius* habet tantum χιλιάδες χιλιάδων, & Novum Teſtamentum Græco-Anglicanum μυριάδες μυριάδων, ϗ χιλιάδες χιλιάδων. Pro lectione noſtra facit, quod idem numerus miniſtrorum Dei legatur *Dan.* VII. 10. ubi vide τοὺς LXX. Confer Cl. *Petri Adolphi Boyſenii* diſſertat. de Codice Græco Novi Teſtamenti, & conſilio, quo uſus eſt B. Lutherus in conficienda interpretatione Germanica pag. 20. *Huic lectioni*, inquit, *præſtantiſſimi codices favent, re ita poſtulante. Gloria enim* CHRISTI *iis his verbis celebratur, quibus uſi fuerant* Moſes Deuteron. XXXIII. 2. David Pſ. LXVIII. 18. Dan. VII. 10. *qui omnes de* myriadibus Angelorum *loquuntur, pariter ut Paulus* Hebr. XII. 22.

Verſ. 12. Λέγοντες φωνῇ μεγάλῃ) Vox λέγοντες ad antecedens χιλιάδες, non tanquam ad numerum numerantem, qui nihil λέγειν poteſt; ſed ad numerum numeratum, nempe Angelos, refertur. Id recte monet *Eraſmus Schmidius*, nec caret res exemplis alibi allatis. Ita Latini quoque *tria millia caſi*, pro *caſa.*

λαβεῖν

Digitized by Google

λαβεῖν τὴν δύναμιν) Rev. *Wilkinſius* Coptum expreſſit: *ſumere librum;* in præfatione tamen pag. XXXVIII. profitetur, vocem Copticam rectius h. l. verti per *fortitudinem*, quæ & Græcæ *δύναμιν* magis reſpondet.

Ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν, καὶ ἰσχὺν, καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν, καὶ εὐλογίαν) Cumulantur in hac doxologia elogia Domini noſtri, tanquam agni mactati. Id vero receptum eſt Judæis in laudibus Divini Numinis celebrandis. Vide exempla apud *Schœtgenium* p. 1111. Præterea quinque hic habes *Sephiroth* Cabbaliſticas, nempe גדולה *δύναμιν*, חכמה *σοφίαν*, גבורה *ἰσχὺν*, תפארת *τιμὴν*, & הור *δόξαν*. Compara *Vitringam* lib. I. Obſervatt. Sacrar. lib. I. c. 10. pag. 129.

Verſ. 13. *Καὶ πᾶν κτίσμα, ὃ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν τῇ γῇ, κ. τ. λ.*) Comma hoc non patrocinari *τῇ ἀποκαταστάσει τῶν πάντων*, pro qua adferri ſolent, oſtenditur paucis in freywilligen Heb-Opfer Tom. I. pag. 906.

Καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἤκουσα λέγοντας) Sic habent libri editi plerique; at codices nonnulli ſic: *καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς, πάντας ἤκουσα λέγοντας*, quam lectionem etiam Cl. *Bengelius* amplexus eſt. Prætulerim ego lectionem *πάντα*, ut referatur ad phraſin, *τὰ ἐν αὐτοῖς*. Hæc enim loquendi ratio Davidi & aliis Sacris Scriptoribus recepta eſt. Vide Pſ. L. 12. LXIX. 35. & CXLVI. 6. *Πάντας* ab illis profectum exiſtimo, qui ſic ſtructuræ melius conſultum putabant, cum inſolens videretur, vocibus, in neutro genere poſitis, ſtatim ſubjici maſculinum *λέγοντας*. Hoc vero mirum videri non debebat, cum genus non referatur ad voces, ſed ad ſenſum, & perſonas, quibus elogium hoc tribuitur. Confer paulo ante v. 12.

καὶ τῷ ἀρνίῳ) deſunt in *Copto* Wilkinſii.

Verſ. 14. *ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*) Codices multi & verſiones quoque tantum legunt *ζῶντι*, quam ipſam vocem una cum ſequentibus *Coptus* Wilkinſii penitus omiſit. Propterea *Zegerus* reliqua illa ex alio loco huc relata exiſtimat, quæ & *Bengelio* viſa ſunt omittenda. Supra I: 18. Dominus noſter ait ſimiliter: *ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Conf. IV. 9. 10. X. 6. & XV. 7. Unus tantum in hoc libro locus eſt, ubi ſimpliciter legitur *ζῶντος*, nempe VII. 2. Itaque phraſis illa, quæ h. l. exſtat, Joannea eſt, quæ ab ipſo rectius, quam ab aliquo librariorum additamento, repetetur.

CAPUT VI.

HOc, & ſequenti capite exponuntur viſiones ſeptem libellorum obſignatorum. De VII. his ſigillis exſtant *Job. Lomeieri* Exercitationes tres in Diebus ejus Genialibus, Decade II. pag. 80 – 275.

Verſ. 1. Καὶ εἶδον, ὅτε ἤνοιξε τὸ ἀρνίον) Emblema *agni*, ad Dominum noſtrum relati, ejusque rationes explicat fuſe *Lomeierus* loc. citat. pag. 88 – 97.

μίαν ἐκ τῶν σφραγίδων) Codices quidam ἐκ τῶν ἑπ]ὰ σφρ. quos & *Bengelius* ſequitur. Μία h. l. & mox ἑνὸς denotat *primum* ſigillum, & *primum* animal; ſed ſine hebraiſmo. Nam & probati Græciæ Scriptores vocem εἷς pro πρῶτος adhibent. Locorum, cujusmodi & nos Volum. I. harum Curarum pag. 1303. attulimus, ſatis habes apud Cl. *Georgium* in Vindiciis N. T. pag. 52.

καὶ ἤκȣσα ἑνὸς ἐκ τῶν τεσσάρων λέγοντος, ὡς φωνῆς βροντῆς) Variant in extremis vocibus codices, quando alii legunt, ut nos, cum *Curcellæo*, alii, ὡς φωνῆ βροντῆς, alii ὡς φωνὴ βροντῆς, pro qua lectione duos adfert libros *Bengelius*, qui eos ſequitur. Prima illa non eſt inconveniens, modo ἀπὸ κοινȣ͂ repetas verbum ἤκȣσα, hoc ſenſu, *tanquam* audirem *vocem tonitrui;* prout convertit *Eraſmus Schmidius*. Sic infra eadem ſtructura XIV. 13. XVI. 1. & XXI. 13. ἤκȣσα φωνῆς. Poſteriores duæ ἀμέσως referri poſſunt ad participium λέγοντος, *loquentem ad inſtar vocis tonitrui.* Φωνῆ mavult *Vitringa*, quam & ipſe præferrem, ſi quid mutandum videretur. Ita ſupra V. 2. κηρύσσοντα φωνῆ μεγάλῃ & v. 12. λέγοντες φωνῆ μεγάλῃ VI. 10. ἔκραταν φωνῆ μεγάλῃ. Adde VIII. 13. &c. Particula ὡς heic additur reſpectu habito ad *tonitru*, cum quo locutio comparatur.

ἔρχȣ καὶ βλέπε) Codd. quidam habent, ἔρχȣ, ἴδε, quos ſecutus eſt Cl. *Bengelius*, Coveliani codicis auctoritate nixus. Vide eum in Apparatu, pag. 805. ubi ipſe ita: *Formula apud Hebræos perfrequens*, Veni & vide, *plane videtur, in primo certe ſigillo legenda, & hinc in ſecundo, tertio, quarto.* De illo formulæ hujus תא חזי uſu, Talmudico & Cabbaliſtico lege præter *Ludovicum Cappellum* in Spicilegio Notarum pag. 141. Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 325. Prior eam ait in *Sohar* & *Rabbot* adhiberi, quum volunt ſignificare, ſe explicationem aliquam myſticam & allegoricam adducere, quæ ſit diligenter attendenda. Poſterior monet, apud Talmudiſtas occurrere, vel, quoties poſt aliquam diſputationem alius venit, qui rem effato ſuo declarat; vel ſub initium novæ alicujus tractationis ſive paragraphi; ut proinde aſteriſci inſtar ſit, qui lectoris attentionem excitet.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 2. Καὶ εἶδον, ϗ ἰδοὺ ἵππος λευκὸς κ. τ. λ.) De quatuor equitibus Apocalypticis, qui hic & in ſequentibus commemorantur, exſtat ſingularis *Georgii Caſparis Kirchmaieri* diſputatio, Witt. 1694.

καὶ ἐδόθη αὐτῷ ςέφανος) Ad כתר *coronam*, *Sephiram* Cabbaliſticam, heic alludi opinatur *Vitringa* Obſervatt. lib. I. cap. 10. pag. 124. ſeq. *Proponitur*, inquit, *nobis Rex Chriſtus Jeſus*, coronam *habens impoſitam capiti ſuo, vectus ſuper Apoſtolis per omnes mundi plagas, ſui obedientiam perſuaſurus gentibus maxima cum* δυνάμει.

καὶ ἐξῆλθε νικῶν, ϗ ἵνα νικήσῃ) Idem pag. 137. hanc phraſin refert ad aliam *Sephiram* Cabbaliſtarum, quæ appellatur נצח *victoria*.

Verſ. 4. καὶ τῷ καθημένῳ ἐπ' αὐτῷ ἐδόθη αὐτῷ) Poſterius αὐτῷ in nonnullis codicibus deſideratur. Eſt vero phraſis Joannea: vide ſupra ad II. 26.

λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς γῆς) Libri aliqui omittunt ἀπὸ, quos ſequitur *Bengelius*, alii vero cum ἐκ permutant. Retinuerim illud ἀπὸ, ut quemadmodum hominibus conciliata dicitur εἰρήνη ἐπὶ τῆς γῆς *Luc.* II. 14. ita pax ſublata heic dicatur ἀπὸ τῆς γῆς. Eadem phraſis, quæ hic exſtat, alibi, nempe *Luc.* X. 42. & XIX. 26. exprimitur per ἀφαιρεῖσθαι vel αἴρεσθαι ἀπό τινος.

καὶ ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι) ϗ deeſt in libris nonnullis, a *Bengelio* quoque omiſſum. At frequens Joanni eſt repetitio particulæ ϗ, etiam ubi abeſſe poterat. Vide heic v. 2. & mox v. 5. & 6.

καὶ ἐδόθη αὐτῷ μάχαιρα μεγάλη) De voce μάχαιρα vide ad Matth. XXVI. 51.

Verſ. 5. καὶ ἰδοὺ, ἵππος μέλας κ. τ. λ.) De equo hoc & ejus ſeſſore contra *Nicolaum Mulerium* diſputat *Joannes Marckius* in Exercitatione Textuali XLIX. pag. 459. ſeqq. eademque opera viſionem hanc integram illuſtrat. Equos *albos*, *rufos* & *nigros* ex philologia & antiquitate exponit magnus *Bochartus* in Hierozoico Parte I. pag. 106.

Verſ. 6. Χοῖνιξ σίτου δηναρίου) Chœnix aridorum eſt menſura, quæ *Herodoti* ætate tantum frumenti capiebat, quantum uno die homini ſufficit. Ita enim is lib. VII. pag. 598. εἰ χοίνικα πυρῶν ἕκαστος τῆς ἡμέρης ἐλάμβανε, ϗ μηδὲν πλέον. Conf. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas & Xenophonteas, nec omitte *Caſp. Waſeri* librum de menſuris Hebræorum II. 3. & *Joannem Baptiſtam Ottium* ad Joſephum Tomo II. edit. Havercampianæ p. 318.

καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς) Vide infra ad IX. 4.

Verſ. 7. Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν τετάρτην) Sigillum hoc quartum de Saracenis & Turcis multi accipiunt, cumque iis Rev. *Sylveſter Tappius* in Tractatu vernaculo de veritate religionis Chriſtianæ ad Quæſt. 86. qui tamen, re curatius expenſa, ad Antichriſtum nunc referre mavult. Vide Cl. Gœttenii *Europam eruditam*, germanice editam, Parte I. pag. 816.

Verſ.

Verſ. 8. *Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς*) Equum gilvum, qui alias dicitur *ὠχρὸς*, indicari putat *Bochartus* l. c. pag. 109. *Porro*, inquit, *ὠχρὸν χρῶμα conflatur λευκοῦ ξανθῷ μεμιγμένου, cum flavo miſcetur album, ut in Timæo docet* Plato. Syrus *Interpres reddidit* equum pallidum. *Nam* ירקון *eſt* icterus. *Ita equus ille erat equiti ſuo, i. e. morti concolor, quæ pallida eſt. Hinc collige*, שרק pallidum, & שלק gilvum *colores eſſe vicinos.* Confer *Jo. Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebr. p. 171. ſq.

καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ, ὄνομα ὁ θάνατος) Rationem ſtructuræ hujus intelliges ex iis, quæ ad II. 26. diximus. Adde Cl. *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 80.

καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία ἀποκτεῖναι ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς) Pro *τέταρτον Grotium τεράσιον* legi voluiſſe teſtatur Auctor Prolegomenorum ad N. T. Græci editionem accuratiſſimam pag. 174. Ubi vero ita ſtatuerit *Grotius*, fruſtra adhuc quæro.

Verſ. 9. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν πέμπτην σφραγῖδα, εἶδον ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ*) Explicantur hæc verba a *Petro Zornio* in Opuſculis Tomo II. pag. 536-551. & obiter Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 505. *Elsnero* pag. 450-452. *Lodovico Cappello* in Operibus pag. 246. & *Petavio* in Dogmatibus Theologicis Tomo V. lib. XIV. 12. 13. Agitur heic de *ψυχαῖς* Martyrum. Has vero nonnulli, inprimis Pontificii, non de *animabus*, ſed de *corporibus* per ſynecdochen partis pro parte, interpretantur. Vide huc *Martianæum* in Conatibus novæ verſionis pag. 401. & ex noſtratibus *Hackſpanium* in Miſcellaneis pag. 9. Sed, ut taceam, nondum ſatis definitum eſſe, num ejusmodi ſynecdoche in ſacris literis locum habeat, ſatis clare h. l. *αἱ ψυχαὶ* a *ſanguine* v. 20. atque adeo a corpore, cujus eſt ſanguis, diſtinguuntur. Itaque mirum eſt, *Baronium* in Annalibus ad Annum Chriſti LV. num. 15. & Pontificios alios, hæc Joannis verba eo adhibuiſſe, ut probarent, martyrum reliquias ab antiquiſſimis temporibus ſolicite collectas & adſervatas fuiſſe. Vide, quæ contra hanc ſententiam diſputat, & quos adfert *Zornius* loc. cit. Hinc quoque procul dubio nata poſtea eſt conſuetudo, ejusmodi martyrum reliquiis altaria inædificandi, quam in rem leges ex noſtratibus *Caſparis Sagittarii* diſſertat. de Natalitiis martyrum §. 41. quæ recuſa eſt in Syntagmate Diſſertationum Arckeliano pag. 84. Adde alios ab *Elsnero* excitatos.

Cur animæ illæ *ſub altari* conſpectæ dicantur, non una omnium eſt ſententia. Ex noſtratibus *Gerhardus* & *Calovius* in Bibliis Illuſtratis altare de *Chriſto* accipiunt, advocato *Hebr.* XIII. 10. hoc ſenſu, *ut animæ pie defunctorum, præſertim martyrum, in manu Chriſti eſſe, & ſub præſidio ac umbra Chriſti usque ad diem judicii ab omnibus periculis & adverſis immunes* ſervari

vari dicantur. Alii alludi volunt ad phraſin Judæorum, per quam animæ ſanctorum *ſub throno gloriæ* eſſe dicuntur. Huc tendit *Gilbertus Gaulminus* in notis ad librum de vita & morte Moſis pag. 393. Locos Judæorum attulit Cl. *Schœtgenius* pag. 1112. Cum vero aliud ſit *thronus Dei*, aliud *altare*, quod Hebræi itidem paſſim myſtice interpretantur, Joannes ad illam dictionem h. l. reſpexiſſe exiſtimari non poteſt.

Heic vero porro dubium eſt, quo fine altare martyrum animabus quietis locum præſtitiſſe dicatur. Alii itaque ad altare æneum, ſeu *holocauſti* illud, in atrio poſitum, reſpici volunt, ad cujus baſin ſanguis animalium oblatorum effundi ſolebat. Hæc eſt *Grotii*, *Lightfooti*, *Medi*, *Vitringæ* aliorumque ſententia, quam amplectitur & ediſſerit *Zornius* in Opuſculis Tom. II. pag. 543. ſeq. Alii ad altare *aureum*, ſeu *ſuffituum* reſpectum haberi volunt cum *Hammondo*. Ad hos accedit Cl. *Elsnerus* pag. 451. *Ad ritum*, inquit, *ſupplicantium reſpici exiſtimem: inducuntur enim divinam opem & vindictam implorantes* v. 10. *Supplices autem genibus advoluti & proſtrati ad pedem altaris apparebant. Sic infra* XI. 1. τὸ θυσιαστήριον, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ.

Utrumque altare conjungit *Ludovicus Cappellus* in Operibus ſuis, ubi de Statu animarum poſt mortem, pag. 246. b. *Ac rurſus*, inquit, *in eo eſt alluſio ad victimas legales, quod, ſicut illarum ſanguis* (*qui anima in Scripturis dicitur*,) *ad altaris baſin effundebatur, atque per meatus & canales ſubterraneos, ſub altari in præterlabentem torrentem Cedron defluebat; ita hic piorum animæ ſub altari eſſe dicuntur, iſthicque aſſervari, non diffundi atque perire, uti legalium victimarum anima ſive ſanguis. Altare aliud Chriſtus eſt, legali altari olim adumbratus, quo victimæ omnes & munera, & oblationes, quæ Deo offerebantur, ſanctificabantur. Altare legale duplex fuit, holocauſtorum & ſuffitus; utroque Chriſtus fuit adumbratus: preces enim noſtræ ſuffitu legali adumbratæ, non ſunt Deo gratæ, niſi in Chriſto & per Chriſtum. Utrum libet autem altare hic intelligatur, perinde eſt.*

Non diffiteor, ſententiam hanc, quæ altare illud ad *Chriſtum*, ejusque præſidium & tutelam refert, præ ceteris mihi placere, pro qua *Gerhardum* & *Calovium* paulo ante adduximus. Cavendum tamen probe eſt, ne cum *Cappello* loc. cit. ſtatuamus, *hoc ipſo ſignificari animas, ſub illo altari delitescentes, nondum ad Dei ipſius præſentiam in cœleſti ſacrario eſſe admiſſas, ſed ſtare adhuc, ad diem usque ultimum, vel in Atrio, vel loco ſancto.* Neque enim hoc corollarium ex antecedentibus conſequitur. Spectandus heic inprimis ſcopus eſt, ad quem omnis hæc viſio eſt relata, ut ſcilicet appareret hinc violentia hoſtium Eccleſiæ in veros doctrinæ confeſſores, hinc vindicta de illis ſumenda. Hanc animæ martyrum, tanquam ſingulari loco conditæ, expetiiſſe dicuntur *voce magna* v. 10., non quidem,

Digitized by Google

quod Cappello viſum eſt, indice *vehementiſſimi deſiderii gloriæ, quam exſpectent, tum demum revelandæ, quando complebatur numerus conſervorum ipſorum*, ſed argumento deſiderii illius, quo exſpectabant judicia divina, quæ hoſtibus veritatis imminere ſciebant, & quæ vel ideo cupide exſpectabant, ut divini Numinis gloria & veritatis cœleſtis decus amplificaretur. Ceterum negari non poteſt, multos ex Patribus Eccleſiæ hunc Joannis locum ita accepiſſe, ac ſi animæ martyrum quiete tantum, nec gloria cœleſti, & plena beatitate perfrui dicantur. Illorum ſententiam etiam ex h. l. firmare conatus eſt *Henricus Dodwellus* in Diſcurſu Epiſtolari de anima &c. Anglice edito pag. 260. τὸ θυσιαςήριον per ᾅδην, ſeu medium animarum ſtatum interpretatus. Vide vero, quæ ad Patres illos nunc excuſandos, nunc confutandos, attulit *Balthaſar Bebelius* in Examine feriæ diſquiſitionis de ſtatu & loco & vita animarum, Argentorati 1671. 12. edito, nec omitte eos, quos *Zornius* attulit Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 765. & Tomo II. pag. 550. ſeq.

Verſ. 11. Καὶ ἐδόθησαν ἑκάςοις ςολαὶ λευκαὶ) Ex pluribus, quæ heic occurrunt, varietatibus Cl. *Bengelius* lectionem codicis *Alexandr.* amplexus eſt: καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάςῳ ςολὴ λευκή. Merito vero dubites, Joannem ſcripſiſſe αὐτοῖς ἑκάςῳ. Frequens eſt vocis ἕκαςος uſus in Novo Fœdere, ſed ita, ut genitivus illi jungatur. Vide 1 *Theſſal.* II. 11. ὡς ἕνα ἕκαςον ὑμῶν, & IV. 4. *Hebr.* VI. 11. & XI. 21. Confer, quæ contra lectionem illam monuit *Millius* Prolegom. §. 1003.

ἵνα ἀναπαύσωνται ἔτι χρόνον μικρὸν) μικρὸν cum codicibus nonnullis *Bengelius* omittit. Eadem tamen phraſi utitur Joannes infra XX. 3. καὶ μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον. Et poterat utique ad excitationem animarum illarum multum facere, ſi intelligerent, exiguam fore judiciorum divinorum moram.

ἕως ὗ πληρώσονται) ἕως ὗ πληρωθῶσιν, *Bengelius* cum codicibus nonnullis. Senſus utrinque idem eſt: *donec compleantur conſervi eorum*, i. e. numerus eorum compleatur. Vide, quæ pro hac ſignificatione dixit Rev. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 477. Neque tamen contemnenda eſt *Vitringæ* interpretatio metonymica, per quam ſervi Chriſti dicantur πληρῶσθαι, *compleri*, quando afflictiones, iis in his terris decretæ, juxta certas divini conſilii definitiones, ſuum conſequuntur terminum & ἀποτέλεσμα: quo ſenſu phraſin hanc apud *Lucam* IX. 31. ait occurrere, ubi Moſes & Elias cum Chriſto in monte dicitur diſſeruiſſe de ἐξόδῳ αὐτῦ, ἣν ἔμελλε πληρῦν ἐν Ἱερυσαλήμ.

Verſ. 12. Καὶ εἶδον, ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἕκτην κ. τ. λ.) Lege *Vitringæ* commentarium ad *Jeſ.* XXIV. 23. & nonnulla apud *Joannem van der Waeyen* in Variis Sacris pag. 637.

καὶ ὁ ἥλιος ἐγένετο μέλας ὡς σάκκος τρίχινος) *Carolus le Cene* in *Projet d'une nouvelle Verſion Françoiſe* pag. 281. per ſaccum cilicinum & heic & infra XI. 3. innui putat *veſtem lugubrem*: hanc enim veteres *ſaccum* appellaſſe, ſicut & Perſæ luctum ſuum ſacco teſtati ſint. Confer *Suicerum* Tomo II. pag. 924.

καὶ ἡ σελήνη ἐγένετο ὡς αἷμα) Poſt *σελήνη* cum codicibus aliquot *ὅλη* addit Novum Teſtamentum Græco-Anglicanum, & ſic ante *Eraſmus* ac *Schmidius*. Ceterum emblema hoc Hebræis quoque uſitatum fuiſſe apparet ex *Succa* fol. 29. 1. *Si Sol fit, ut ſanguis, bellum ingruit in mundum; ſi vero ſacco ſimilis eſt, tela famis in mundum veniunt.* Vide *Schœtgenium* pag. 1113. De ſanguineo *lunæ* colore ita *Kimchi* ad *Joelis* II. 31. *quando eclipſis eſt perfecta, luna eſt nigra; quando autem eſt imperfecta, rubet inſtar ſanguinis.* Confer *Pocockium* ad Joelem l. c. Adde Cl. *Wideburgii* Matheſin Biblicam Specim. VII. pag. 109.

Verſ. 13. *ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς*) *Herodotus* lib. II. p. 158. monente *Raphelio*, coloſſos *χεῖρας ὑπὸ χρόνου ἀποβεβληκέναι*, *diuturnitate temporis manus ſuas* ait *abjeciſſe*.

Verſ. 14. *Καὶ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη, ὡς βιβλίον εἱλισσόμενον*) Quidam libri habent *ἑλισσόμενον*. Utraque verbi forma Græcis Scriptoribus frequentatur. De re ipſa lege *Friderici Spanhemii* Dubia Evangelica Parte II. pag. 353.

Verſ. 15. *Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ μεγιστᾶνες*) Vox poſtrema *μεγιστᾶνες*, a Macedonibus ſumta, & in uſum apud Græcos introducta videtur *Salmaſio* de Lingua Helleniſtica pag. 110. & *Oleario* de Stylo Novi Teſtamenti pag. 367. eo quod nec analogiam, nec terminationem Græcam habeat, nullumque vocabuli ſic Græce formati exemplum exſtet, a *Phrynicho* denique tanquam nulli veterum recepta damnetur. Vide tamen, quæ recte obvertit Cl. *Georgius* in Hierocritico Novi Teſtamenti pag. 258. inter cetera provocans ad vocem *πελεκὰν*, in plurium numero *πελεκᾶνες*, *pici martii*, qua uſus eſt *Ariſtoteles* VIII. 12. & IX. 10. Hiſtor. Animal. Similiter ex *Τιτὰν* & *Αλκμὰν* formatur *Τιτᾶνες* & *Αλκμᾶνες*. Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Parte II. pag. 9. Ceterum vocem *μεγιστᾶνες* *Coptus* Wilkinſii vertere neglexit.

καὶ χιλίαρχοι) De voce hac ejusque ſignificatu legatur *Briſſonius* de regno Perſarum pag. 251. & 725. &, quos citat *Dietericus* loco citato pag. 254.

ἔκρυψαν ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια, καὶ εἰς τὰς πέτρας τῶν ὀρέων) Formam vocis *ὀρέων* pro *ὀρῶν* ex Ioniſmo nonnulli repetunt. Contra hæc *Georgius* loc. cit. pag. 144. oſtendit, & *Ionas* quandoque craſi vocum uſos eſſe,

& *Atticos* ab eadem etiam in hac ipſa voce abſtinuiſſe. Ita *Ariſtoteles* Problemat. Sect. XXVI. problem. 55. ἐκ ἀπὸ ὀρέων πνεῖ. & *Sophocles* in Bacchidib. v. 86. ὀρέων.

Verſ. 16. Καὶ λέγυσι τοῖς ὄρεσι, ϗ ταῖς πέτραις κ. τ. λ.) Vide *Fabricii* noſtri Codicem Apocryphum Novi Teſtamenti Tomo I. p. 118.

CAPUT VII.

VErſ. 1. ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος ἐπὶ τῆς γῆς —— μήτε ἐπὶ πᾶν δένδρον) i. e. *ſuper nullam arborem*, dictione Hebræis quidem frequentiſſima, ſed nec Græcis Scriptoribus inſueta. Vide Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti pag. 316.

μήτε ἐπὶ τῆς θαλάσσης) *Coptus* Wilkinſii vertit: *neque ſuper flumina.*

Verſ. 2. καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον ἀναβάντα κ. τ. λ.) Comma integrum una cum ſequentibus aliquot explicant B. *Chriſtophorus Sonntagius* diſputatione ſingulari de duodenis millibus obſignatorum, Altorfii 1691. & *Amelius* Tomo I. der Erörterung pag. 367. ſeqq.

οἷς ἐδόθη αὐτοῖς) Vide *Georgium* loco citato pag. 260. & infra ad verſ. 9.

Verſ. 3. αχρις ὖ σφραγίσωμεν τὺς δύλυς τῦ Θεῦ ἡμῶν ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν) *usque dum obſignaverimus* &c. & ſic B. *Lutherus*, bis daß wir verſiegeln, qui tamen alteram lectionem σφραγίζωμεν, quæ eſt in editis & ſcriptis libris aliquot, expreſſit. Perperam verſionem cavillatus eſt *Emſerus*, eamque cum bezeichnen permutandam eſſe cenſuit, *ſignare* illud *Vulgati* ſecutus. Verbo enim σφραγίζειν non nudum ſignum indicatur, quod oſtenderunt Interpretes. Conf. *Raithii* Vindicias pag. 607. Amplior de eo orta eſt diſputatio, quid per *ſignum*, quo *obſignatio* fieri debebat, ſit intelligendum. Non dubium eſt, reſpici h. l. ad *Ezech.* IX. 1. ſqq. ubi frontes nonnullorum ſignari jubentur תו. Hanc vocem ut alii de litera ת ejuſque figura, alii de *ſigno* quodam quocunque interpretantur; ita & heic alii certam quandam *figuram* & *notam* indicari volunt, alii vero *diſtinctionem*, per quam fideles a reliquis ſeparati ſint, ſignificari contendunt. Priores illi de charactere *crucis* Chriſti cogitant. Inter hos *Schickhardus* conjecturam hanc attulit, & aliis judicandam permiſit de Jure Regio Hebræorum pag. 76. a qua non alienum ſe profitetur Cl. *J. Chriſt. Harenbergius* in Biblioth. Bremenſe Claſſ. VI. pag. 1102. Adverſantur vero illi, nec præter rem, *Campeg. Vitringa* lib. II. Obſſ. Sacrar. cap. XV. pag. 247. edit. primæ, & ex noſtratibus D. *Sam. Deylingius* Parte II. Obſervatt. Sacrar. pag. 455.

Digitized by Google

455. edit. prioris & pag. 597. poſterioris, itemque *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 271. Optime illi agere videntur, qui cum *Deylingio*, &, quem is adfert, *Marckio* ad h. l. exiſtimant, generatim heic indicari *fidelium ſegregationem publicam ab infidelibus & glorificationem externam, quæ eam conſequetur.* Ceterum memini, *Radulphum Skinnerum*, in epiſtola ad *Jacobum Uſſerium* data, phraſi huic lucem adferre conatum eſſe ex iis, quæ *Kimchius* ad Ezech. IX. & *Maimonides* in Tract. de Pœnitentia cap. III. §. 3. commentantur. Illi ſcilicet ת illud, quo fideles & juſti ſignati ſunt, per תחיה, *vives*, alterum vero, quod infideles, & mali præ ſe tulerint, per תמות, *morieris*, interpretantur. Vide plura in Vita *Jacobi Uſſerii*, a *Richardo Parr* edita, pag. 347. ſeqq. & confer *Jo. Clerici* Bibliothecam Univerſalem Tom. II. p. 253.

Verſ. 4. Καὶ ἤκουσα τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐσφραγισμένων, ρμδʹ χιλιάδες κ. τ. λ.) De myſterio hujus numeri lege cogitata *F. A. Lampii* in Exercitat. ad Pſ. XLV. pag. 22.

Verſ. 5. Ἐκ φυλῆς Ἰούδα ιβʹ χιλιάδες κ. τ. λ.) Scriptor Judaicus libri *Chiſſuk Emuna* Part. II. cap. 99. vitio vertit Joanni, quod Danis tribum omiſerit. Recte vero monet *Jacobus Guſſetius* in Confutatione ejus Parte II. pag. 457. id non magis fraudi eſſe hujus auctoritati, quam Chronicorum libro fraudi ſit, quod tribus XII. Iſraëliticas enumeraturus Zabulonis & Danis illas omiſerit; inprimis, cum ratio omiſſionis hujus in promtu ſit. *Volebat*, inquit, *duodecim tantum numerare tribus. Numerus quippe duodenarius in Novo Teſtamento ſacer eſt, conſecratus delectu duodecim Apoſtolorum, & aliquot myſteriis Apocalypſeos. Veteris exemplum præivit, in quo Patriarchæ duodecim populo Dei propagando ſuſcitantur: & rurſus terra Canaan hereditas ſancta, quanquam tunc erant tribus tredecim, nihiloſecius in duodecim ſortes dividitur. Joanni ergo non injuria unam omittere viſum fuit. Tum ad hoc aptiſſime Danica delecta eſt, non modo, quia jam Scriptor quidam Sacer prætermittendæ exemplum præbuerat; ſed etiam, magiſque, quia prima a cultu Dei ad idololatriam deflexerat. Eam de numero eximi decuit potius, quam Leviticam, præcipua ratione Deo dicatam; cum a Joanne adumbraretur Eccleſia electorum & Sanctorum.* Confer in eandem ſententiam *Richardi Kidderi* Demonſtrationem Meſſiæ Parte II. pag. 280. ſqq. Obſervat is, Moſen ſimiliter, quamvis nomina filiorum Jacobi probe cognita haberet, *Simeonis* nomen *Deut.* XXXIII. omittere; nec Joanni ignorantiam aut oblivionem exprobrari ab eodem Judæo poſſe, quod *Menaſſis* nomen pro *Danis* illo v. 6. poſuerit, cum tamen illud Joſephi mentione jam fuerit comprehenſum; quandoquidem Moſes quoque Joſephum inter liberos Jacobi loc. cit. cum ſingulari benedictione commemorans, vel ſic decem millia *Ephraimi* & *Menaſſis* v. 13. 17. ad Joſephum pertinentium, adferat. Porro Scriptor Chronicorum lib. I. cap. II. 1. 2. *Dan* quidem inter filios Jacobi appellat, omiſ-

Digitized by Google

ſis *Ephraim* & *Menaſſe*, in ſequentibus autem capitibus ſingulorum familias recenſens *Dan* omittit, commemoratis *Ephraim* & *Menaſſe*. Ita & c. II. inter filios Jacobi mentio eſt *Joſephi*, & vel ſic in ſequente ſpeciali enarratione *Ephraim* & *Menaſſe* advocantur. Davidem præterea ob omiſſam in Pſalmo alphabetico CXLV. literam נ ignorantiæ non accuſaverit Judæus. Denique *Danis* mentionem ideo neglectam ſuſpicatur, quod numerus ille duodenarius indicium eſſe debebat verorum Dei ſervorum, ad ſalutem obſignandorum; inter hos vero numerari non poterat tribus Dan, cujus apoſtaſia & idololatria *Judicum* XVIII. 30. commemoratur. Eadem quoque de cauſa tribus *Ephraim* heic taceri videtur, tanquam ex qua Micha quidam ortus ab idololatria ſibi non caviſſe traditur *Judic.* XVII. v. 5. Alias ſilentii hujus cauſas ita brevibus repræſentat *Vitringa* pag. 303. *Danitarum*, inquit, *tribum, cum poſt* Simeonem *minima eſſet omnium, & per ceteras tribus diviſa, & prima etiam idololatriæ inter Iſraelitas peſſimum dediſſet exemplum: (nullam enim video cauſam, quare id etiam hic loci nequeat) placuit Spiritui S. illam potius in hac recenſione tribuum negligere, quam aliam. Statutum enim habebat, ſe ob rationem myſticam numero adſtringere duodenario. Simeonem autem heic negligere noluit, quod ex Lea eſſet matre, & hoc nomine Dane haberetur præſtantior.*

Verſ. 6. ἐκ φυλῆς Μανασσῆ) Eſſe, qui heic pro Μανασσῆ legi malint Δὰν, obſervat *Vitringa* pag. 302. Illis ſcilicet primo ſcriptum eſſe videtur Δὰν, quod poſtea in Μὰν, hinc vero in Μανασσῆ ſit mutatum. Recte vero idem addit: *Sed eſt hæc conjectatio audacior, indicium non optimæ cauſæ, quæ nulla quorumcunque codicum lectione ſuſtinetur. Gomarum* ita ſtatuiſſe teſtatur Auctor Prolegomenorum in accuratiſſimam Novi Teſtamenti editionem pag. 174. de quo ut non dubito, ita fruſtra me id quidem in Operibus *Gomari* Theologicis quæſiviſſe profiteor. Ceterum codices heic penitus conſentiunt, at v. 5. duo pro Γαδ legunt, Δὰν, librariorum negligentia, qui nomen monoſyllabicum alterum cum altero facile permutare potuerunt.

Verſ. 9–17. illuſtrantur a *Jo. Eskuche* in Miſcellaneis Sacris Diſſ. II. pag. 71 - 80. & B. *Chriſtoph. Sonntagio* in diſputatione de triumphantium in cœlis eccleſia ſtolata. Altorf. 1699. *Eskuchius* oſtendere conatur, vaticinium hoc non ad Eccleſiam triumphantem, ſed militantem, pertinere.

Verſ. 9. Μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ ὄχλος πολὺς —— —— ἑστῶτες —— —— περιβεβλημένοι) Syntheſis hæc eſt, Græcis & Latinis recepta, per quam participia iſta non ad vocem antecedentem ὄχλος ejuſque genus, ſed ad vocem aliquam ſubintellectam, & argumento adfinem, refertur. Scilicet ὄχλος πολὺς idem eſt, quod ἄνθρωποι, qui ἑστῶτες & περιβεβλημένοι dicuntur. Ita *Thucydides* lib. I. §. 135. καὶ τὸ πλῆθος ἐψηφίσαντο πολεμεῖν

λεμεῖν i. e. ἄνθρωποι. Idem §. 25. ϰ̀ Κερκυραῖοι χρημάτων δυνάμει ὄντες κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὅμοια τοῖς Ἑλλήνων πλȣσιωτάτοις, ubi ad vocem ὅμοια, quæ in illam, Κερκυραῖοι minime quadrat, ſubintelligi debet vel ἔθνη vel γένη. Vide hæc itemque alia apud Cl. *Georgium* in Hierocritico Novi Teſtamenti pag. 40. ſq.

ὃν ἀριθμῆσαι αὐτὸν ȣ̉δεὶς ἠδύνατο) Pronomen αὐτὸν *Vorſtio* Part. II. cap. 27. pag. 103. Philologiæ S. aliisque, inter quos & *Eraſmus Schmidius* nomen ſuum profitetur, pleonaſticum videtur. Aliud vero perſuaſum eſt Cl. *Georgio* in Vindiciis pag. 260. Nolim equidem negare, interdum pronomen hujusmodi, relativo junctum, emphaticum eſſe, v. c. 1 *Pet.* II. 24. efficaciam vero talem hoc commate & ſuperiori 2. perſpicere me non poſſe fateor.

περιβεβλημένοι ϛολὰς λευκὰς) Codices aliquot habent περιβεβλημένȣς, quod & in contextum recepit Cl. *Bengelius*, quamvis idem paulo ante legat ἑϛῶτες, pro quo nonnulli ex iisdem, quos ſequitur, libris habent ἑϛῶτας. Neutrum vero rectum videri poteſt, niſi cum *Alex.* codice, qui itidem habet περιβεβλημένȣς, legas poſt ἰδȣ̀, ὄχλον πολύν. Hoc vero fieri non poteſt per perpetuam vocis hujus in Apocalypſi ſtructuram, quando non accuſativum, ſed nominativum ſecum fert. Pro lectione περιβεβλημένȣς id fortaſſe aliquis dixerit, quod non referenda ſit ad ἰδȣ̀, ſed ad εἶδον, ita quidem, ut, quæ inde a verbis ϰ̀ ἰδȣ̀, usque ad τȣ̃ ἀρνίȣ leguntur, per parentheſin a reliquis diſtinguantur. Sed & hoc Joanni nunquam receptum eſt, quoties eadem formula, ϰ̀ εἶδον καὶ ἰδȣ̀, utitur.

Commatis hujus ſenſum indagaturus Cl. *Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. IV. pag. 443. ſqq. contendit, viſione hac ſignificari *gentium converſionem* univerſalem, quæ ſub finem periodi ſextæ, vel initium ſeptimæ, ſecundum Prophetarum oracula futura ſit; ſicut inde a v. 1. ad 8. *converſio Judæorum* indicetur. Hoc poſito juſtificationem & ſanctificationem Gentilium per *veſtes albas*, lætitiam vero, victoriam triumphum & ſubjectionem ſub imperio Meſſiæ per *geſtationem palmarum* deſcribi exiſtimat. Vereor, ut multis ſententiam ſuam perſuadeat Vir doctus, in qua expendenda per inſtituti rationem verſari nunc non licet. Noſtrates plerique omnem hanc viſionem ad ſtatum eccleſiæ triumphantis referunt, quos ſequitur *Jo. Arrowſmith* in Tacticis Sacris lib. III. c. IV. quod totum ad illam illuſtrandam refertur.

καὶ φοίνικες ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν) Palmam victoriæ argumentum fuiſſe a multis oſtenſum eſt. Vid. *Arrowſmithum* loc. cit. pag. 320. *Lydium* in Agoniſticis Sacris pag. 158. *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 762. & Illuſtrem *Ezech. Spanhemium* de Uſu & præſtantia Numiſmatum Tom. I. pag. 334. In hoc emblemate illuſtrando occupatus eſt Rev. *Ewaldus* l. c. pag.

pag. 443–464. quo judice palma in ſacris, Dei, ejuſque verbi, Apoſtolorum & Doctorum, Judææ porro & Iſraëlis, imo & omnium credentium alias eſt, hoc vero loco vitæ ac gloriæ æternæ ſymbolum. *Joannes Spencerus* de legibus Hebræorum ritualibus lib. IV. cap. 5. pag. 1117. edit. Tubingenſis hanc palmarum geſtationem non victoriæ, ſed lætitiæ & precationis argumentum ex v. 11. & 12. interpretatur, quemadmodum ſupplices apud Græcos quoque ramos oleaginos, quos *ἱκετηρίους κλάδους Æſchylus* appellet, præ ſe ferre conſueverint.

Verſ. 10. *Καὶ κράζοντες φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες*) *κ̀ κράζουσι* habent codd. nonnulli, quos & Cl. *Bengelius* ſequitur. Utraque lectio locum tueri poteſt, ſi *τὸ κράζουσι* per enallagen temporum pro *ἔκραζον* dictum exiſtimetur, quod exſtat VI. 10. *καὶ ἔκραζον φωνῇ μεγάλῃ λέγοντες*. Neque tamen video, cur receptam hodie lectionem deſerere velimus, cum altera illa *κράζουσι* ex eo nata videri poſſit, quod illi participium *λέγοντες* magis convenire videretur. At non inſuetum eſt Joanni, duo participia, ſine adhibita copula ſibi invicem jungere. Ita v. 9. *ἑστῶτες* & *περιβεβλημένοι*.

ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν, τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου) Heic nonnulli in voce *τῷ Θεῷ* per Hebraiſmum dativum pro genitivo poſitum arbitrantur, inter quos eſt *Wyſſius* in Dialectologia Sacra, alii vero Dativi vim vere locum obtinere exiſtimant, hoc ſenſu, ut *ſalus* omnis Deo *tribuenda* dicatur. In hanc ſententiam diſſerunt *Gatakerus* in diſſert. de Stylo N. T. adverſus Pfochenii Sect. CXXVIII. & *Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. pag. 243. Nec aliter *Eraſmus Schmidius*. Lege præter hos Cl. *Georgium* in Vindiciis N. T. pag. 234. ſq. oſtendentem, Græcos etiam Scriptores genitivo caſu uſos eſſe, ubi dativus requiri videbatur.

Verſ. 11. *ἑστήκεσαν κύκλῳ τοῦ θρόνου*) Vide ſupra ad IV. 6.

Verſ. 12. *Λέγοντες· Ἀμήν*) Judæi pronunciationi *τοῦ amen* in precibus tantum tribuunt, ut fuerit inter eos, qui moram adventus Meſſiæ, quem miſeri homines vane exſpectant, illi vel neglectæ vel non ter repetitæ acceptam ferret. De hoc dixi in Bibliotheca Hebræa. In *Tanchuma* alias, obſervante *Schœtgenio* hæc ex ore R. *Jehuda* legis: *quicunque reſpondet Amen in hoc mundo, is dignus eſt, ut reſpondeat Amen in mundo futuro.*

ἡ εὐλογία —— τῷ Θεῷ ἡμῶν) Vide ad v. 10.

Verſ. 13 - 17. Commata hæc explicantur a *Joanne Wilhelmo Zieroldo* in Illuſtratione locorum quorundam Scripturæ, germanice edita, p. 436. & a *Franciſco Julio Lutkenio* in Concionibus Funebribus num. VI.

Verſ. 13. *οὗτοι οἱ περιβεβλημένοι τὰς στολὰς τὰς λευκὰς*) Spectat huc Rev. *Salomonis Deylingii* obſervatio de albis cœleſtium animarum veſtibus lib.

lib. III. Obſervatt. Sacrar. pag. 382. edit. prioris, & pag. 604. edit. repetitæ. Adde B. *Theodori Daſſovii* diſſert. II. de Emphaſi Sacrarum Vocum pag. 23. & *Steph. le Moyne* Diatribam ad *Jerem.* XXIII. 6. pag. 218. ſeq. Poſterior hic, vel ad illam gentilium conſuetudinem, ex qua Deorum ſuorum habitum ſibi accommodare ſolebant, quod Commodus adverſus Herculem, & Domitianus adverſus Apollinem feciſſe feruntur; vel ad Judæorum ſententiam, quæ lucem, primo die creationis conditam, in cœlis, ad veſtes Judæis parandas, ſervari tradit; vel ad morem Summi Sacerdotis, cum ſacro cultu Sanctuarium ingredientis, alludi exiſtimat. Placent Rev. *Deylingii* verba l. c. pag. 388. ita habentia: *Ego his verbis reſpici exiſtimo ad inaugurationem Sacerdotum Leviticorum, quibus cum aliis veſtimentis Sacerdotalibus dabatur ſtola linea. Sed ad altare & ad miniſterium Templi prius non admittebantur, quam ipſi una cum albis veſtibus, quas induerant, ſolenni ritu victimarum ſanguine eſſent adſperſi, quod Aaronis filiorumque exempla probant, Exodi XXIX. 21. Levit. VIII. 30.* *Quemadmodum igitur Leviticos Sacerdotes ſanguine inaugurari & emundari oportuit, ut ad Sacerdotii adminiſtrationem idonei redderentur; ita Chriſtiani virtute ſanguinis Chriſti emundantur & ornantur ad ſpirituale Sacerdotium in hac & futura vita obeundum.* Compara hic v. 14. ubi ſtolæ ſanguine Chriſti albatæ dicuntur. Vide etiam, quæ ad III. 4. allata ſunt.

τίνες εἰσὶ, ϗ πόθεν;) *Sumta eſt locutio ab iis, qui peregrinos adventantes ita interrogare ſolebant: τίς ϗ πόθεν εἶ; quis & cujas es? τίς ἐϛι de natalibus, πόθεν, de patria, τί ἐϛι de vitæ genere quærit.* Habes verba Cl. *Alberti* pag. 486. Obſſ. Sacr. Adfert ille præter *Joſ.* IX. 8. & *Jonæ* I. 8. ſimiles externorum phraſes, interque eas hæc *Homeri* Odyſſ. τ. v. 104.

Ξεῖνε, τὸ μέν σε πρῶτον ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτὴ
Τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

Item *Luciani* Imag. pag. 2. τίς ἡ λιθοποιὸς αὕτη ἐϛὶ ϗ πόθεν; Nec aliter Latini, nominatim *Florus* I. 18. *qui enim, aut unde Romani?*

Verſ. 14. Οὗτοί εἰσιν οἱ ἐρχόμενοι ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης, ϗ ἔπλυναν τὰς ϛολὰς αὐτῶν, ϗ ἐλεύκαναν ϛολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι ἀρνίε) Pro ἔπλυναν editi quidam & ſcripti libri habent ἐπλάτυναν, contra quam lectionem recte diſputat *Eraſmus Schmidius.* Copioſe in hæc commentatur *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 251 -- 258. Adferam ego verba *Stephani le Moyne* ex epiſtola de Melanophoris, quæ *Giberti Cuperi* Harpocrati ſubjuncta eſt, pag. 279. ſeq. *Beati ergo*, inquit, *quaſi jam reſurrexiſſent, ornati ſunt indumentis albis, & veſtibus non nigris, non tinctis ſandaracha, ſed in ſanguine agni.* Apocal. VII. *habent* λευκὰς ϛολὰς, ἃς ἐλεύκαναν ἐν τῷ αἵματι ἀρνίε. *non quæ purpureum colorem ſibi conciliarint ex ſanguine agni, ut vult vir quidam eruditus; vel quæ mundiores ſint redditæ & ornatiores, ut volunt*

viri magni, quaſi dealbare & λευκαίνειν iſta omnia ſignificaret. Certe ſtolæ proprie albæ hic ſunt intelligendæ, non quidem in ipſo ſanguine colore infectæ & ſaturatæ, ut Tyrio ſanguine, ſed dealbatæ per meritum ſanguinis agni, quo omnes veſtium beatorum ſordes delentur & amoventur. Adeo ut Sanctorum veſtes ſanguine Chriſti purgatæ & ab omnibus aliis coloribus & maculis liberatæ, nive & ipſa luce evadant candidiores. In his recte averſatur Vir doctus illam *Pet. Fabri* ſententiam, qui Agoniſticorum II. 12. *ϛολὰς λευκὰς purpureas* appellat, & *λευκαίνειν* non per *dealbare*, ſed *mundare*, ſeu pellucidum, purum & nitentem reddere, convertit. Lege contra eandem *Jacobi Lydii* Agoniſtica Sacra cap. 47. Nolim tamen cum *Lemonio* l. c. adfirmare, alludi heic *ad ſententiam Judæorum, qui die expiationis, cum Deus placaretur, & propitius factus fuiſſet ſacrificio hirci immolati & alterius hirci emiſſarii & ἀποπομπαῖς, faſciam coccineam cornibus hirci vel altaris alligatam, ſtatim apparuiſſe candidam, colore purpureo illico in candidum immutato, fingunt, ut peccata rubicundiora, & oculos magis ferientia, omnino deleta, expuncta, dealbata ſignificarentur.* Hoc enim figmentum ut ex verbis *Jeſ.* I. 8. ad literam acceptis, natum eſt, iſta poſterius videtur Joannis ætate, & a nugivendulorum Magiſtrorum cerebro profectum.

Verſ. 15. *καὶ ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου σκηνώσει ἐπ' αὐτοὺς*) Vide huc *Richardi Simonis* Hiſtoriam Criticam verſionum N. T. pag. 450. Sunt, qui ad feſtum Tabernaculorum reſpici exiſtimant. Conf. *Amelium* Parte II. der Erörterung pag. 603.

Verſ. 16. *οὐδὲ μὴ πέσῃ ἐπ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος, οὐδὲ πᾶν καῦμα*) Pro *ἥλιος* *Coptus* Wilkinſii habet *umbra*, minime convenienter. In *Chagiga* fol. 51. 1. obſervante *Schœtgenio*, quidam Magiſtrorum ait, *in cœlis æſtum non futurum eſſe.* Per *καῦμα* ad athleticos labores, quos beati olim ſuſtinuerint, reſpici, cum recreatione per aquam vivam nunc permutatos, exiſtimat *Lydius* in Agoniſticis Sacris cap. IV. p. 17.

Verſ. 17. *καὶ τὸ ἀρνίον —— ὁδηγήσει αὐτοὺς ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων*) Codices quidam loco *ζώσας*, quod participium eſt, habent *ζωῆς*, ut ſic duplex ſubſtantivum voci *πηγὰς* jungatur, facta trajectione, ſine qua verba ita fluerent, *ἐπὶ πηγὰς ὑδάτων ζωῆς.* Poſteriorem hanc lectionem adoptavit Cl. *Bengelius.* Malim equidem receptiorem illam tenere, ut ſcilicet *πηγαὶ ζῶσαι ὑδάτων* eadem ratione dicantur, qua alias *ὕδωρ ζῶν* vocatur, v. c. *Joh.* IV. 10. 11. & VII. 30. Trajectio illa nonnihil inſolentior videtur. Per aquas has ad ritum, feſto Tabernaculorum receptum, alludi quidam opinantur. Solebant enim in his ſolemnibus aquam ex fonte *Siloa* haurire, eamque inter plauſus populi præſentis feſtivos una cum vino per Sacerdotes in altare profundere. Vide, quæ ſcripſi ad *Joh.* VII. 37. Hunc ritum huc accommodant *Grellotus* in Prodromo, & *Vitringa*, cum utroque

que vero *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 610. ſeqq. At diſſentiendi cauſam non unam habere mihi videor. Phraſis in Vet. T. frequens eſt, ut per *aquas vivas* omne felicitatis & ſolatii genus indicetur. Vide *Pſ.* XXIII. 1. & *Jeſ.* XLIX. 9. 10. Agnus heic repræſentatur inſtar paſtoris, cujus emblema cum illo Tabernaculorum feſto nihil habet commune. Aquæ illæ in feſto non dabantur potandæ, ſed effundebantur in altare. Itaque in eo acquieſcere malim, quod ſpeciatim ad *Jeſ.* XLIX. 9. 10. reſpiciatur. Lege τοὺς LXX. ita convertentes: ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς βοσκηθήσονται καὶ ἐν πάσαις ταῖς τρίβοις, ἡ νομὴ αὐτῶν. Οὐ πεινάσουσιν, οὐδὲ διψήσουσιν, οὐδὲ πατάξει αὐτοὺς ὁ καύσων, οὐδὲ ὁ ἥλιος, ὁ ἐλεῶν αὐτοὺς παρακαλέσει, καὶ διὰ πηγῶν ὑδάτων ἄξει αὐτούς. Vides utique, inter illa Jeſaiæ & Joannis verba nihil intercedere diſcriminis, niſi quod priora illa copioſius fluant. Hac occaſione obiter monere liceat, verba *Jeſaiæ*, quæ l. c. præſentia hæc proxime antecedunt, & in editis ita habent: καὶ τοῖς ἐν τῷ σκότει ἀνακαλυφθῆναι, in Codice Bibliothecæ Regiæ Hafnienſis rectius, & Hebræo contextui convenientius, ſic legi: καὶ τοῖς ἐν σκότει ἀνακαλύπτεσθε. Alluſionis hujus patroni non provocare poſſunt ad *Joh.* VII. 48. ubi ſimilis phraſis exſtet: ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος, quæque in feſto Tabernaculorum (vid. v. 2.) a Domino noſtro ſit adhibita. Largiar libens, tunc quidem ad ritum illum, aquas effundendi in altare, reſpectum habitum fuiſſe. Haberi vero rectius ibi poterat ratione argumenti, de quo agebatur. Ipſe enim Joannes v. 39. *aquam* illam *viventem* de donis Spiritus S., in credentes olim effundendis, interpretatur. Vides quam belle hæc ritui feſto reſpondeant. Aquæ ibi effundebantur in altare, atque adeo fluebant. Dona Spiritus S. effundi debebant in credentes, & de ventre eorum fluere. Vides vero etiam, quantopere *aquæ vivæ*, quarum h. l. eſt mentio, ab illis abludant. Neque enim hæ de donis Spiritus S. quorum participes in hac vita redduntur animæ credentium, accipiendæ ſunt; ſed de illis deliciis & ſolatiis, quibus in futura vita perfruentur. Ad has aquas *ducentur*, has potabunt, his recreabuntur; eas vero non *effundent* in aliorum uſum, quod *Joannis* VII. per verbum ῥεύσουσι indicatur.

καὶ ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν) Pro ἀπὸ codd. aliquot, cumque iis *Bengelius*, legunt ἐκ, eodem ſenſu, ideo fortaſſe, quod id magis reſpondere videbatur verbo ἐξαλείφειν. Alluditur, ut in ſuperioribus, ad *Jeſ.* XXV. 8. ubi οἱ LXX. Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, καὶ πάλιν ἀφεῖλε Κύριος ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προσώπου. Habes heic itidem ἀπὸ, quo Joannes infra XXI. 4. iterum utitur: καὶ ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, conſentientibus codd. ſi unicum *Alexandrinum* exceperis, omnibus, conſentiente quoque *Bengelio.* Itaque & h. l. τὸ ἀπὸ tenendum fuerit. Ceterum de lacrymis abſtergendis ab oculis electorum diligenter ad h. l. commentatur Rev. *Ewaldus* in

Digitized by Google

Emblematibus Sacris lib. II. pag. 177. ſeqq. Atque ille quidem per hypotheſin, ad v. 9. commemoratam, abſterſionem illam partim ad ultima Eccleſiæ militantis tempora, partim ad beatioris & futuræ vitæ conditionem, omnibus credentibus futuram communem, refert. Priorem illam ait eventuram in hac vita poſt perſecutiones hoſtium veritatis, & inprimis Antichriſti, ubi credentes auream conſcientiæ libertatem ſint adepturi, & Sponſus cœleſtis Eccleſiam ſuam viſitaturus, novæque gratiæ ſignis exhilaraturus ſit, ſecundum *Apocal.* XXII. 11. & XXI. 4. poſteriorem vero refert ad vitam æternam, quando dolores ac luctus in gaudium æternum, curæ & anxietates in pacem animæ, miſeriæ calamitatesque hujus vitæ in delicias & recreationem, perſecutiones graviſſimæ in tranquillam animi & corporis quietem, ſuſpiria, gemitus, & reſipiſcentiæ dolores in æternam animæ felicitatem & exultationem pleniſſime ſint commutanda. Mihi quidem, phraſium, quæ heic cumulatæ ſunt, δεινωσιν expendenti, non niſi de perfecta illa & feliciſſima beatorum ſorte ſermo eſſe videtur. Sed hæc alio pertinent.

CAPUT VIII.

VErſ. 1-5. agitur de Sigillo ſeptimo aperto, de quo data opera commentatus eſt *Jo. Braunius* in Selectis Sacris pag. 164-290. ejus vero cogitata in compendium retulit & obſervationibus ſuis auxit *Amelius* Tom. I. der Erörterung pag. 273 – 316.

Verſ. 1. *Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἑβδόμην, ἐγένετο σιγὴ ἐν τῷ οὐρανῷ ὡς ἡμιώριον*) De hoc ſemihorii ſilentio ſingularis exſtat oratio *Joan. van der Waeyen*, Theologi quondam Franequerani, in Variis Sacris pag. 681. ſeqq. Pro ſigillo *ſeptimo* in verſione B. Lutheri Germanica ex edit. Auguſtana anni 1534. legitur *tertium*, quod exprobrare *Emſerus* non debebat viro optimo, ſed de operarum potius ſphalmate cogitare, quod & res ipſa & ceteræ editiones omnes cuique produnt. Confer *Raithii* Vindicias pag. 607.

Verſ. 2. *καὶ ἐδόθησαν αὐτοῖς ἑπτὰ σάλπιγγες*) *Huc refero*, (inquit *F. A. Lampius* in Exercitat. ad Pſalm. XLV. pag. 48.) *ſeptem illas buccinas Apocalypticas c. VIII. in quarum explicatione duo paſſim non accurate obſervantur. Prius eſt, quod ipſa judicia per eas intelligantur, cum potius deſignent diras & interminationes, quæ ab Angelis i. e. Præconibus Evangelii ſimul cum publicatione gratiæ conjungi debebant. Poſterius eſt, quod σάλπιγγες per tubas vertantur, cum magis videantur buccinas deſignare. De utroque quidem inſtrumento vocem uſurpant LXX. Interpretes, ſed triſtior fuit buccinarum & uſus & ſignificatio, atque adeo aptior huic loco. Idque eo magis, quia valde mihi veroſimile*

le videtur, (cum certum ſit, atque ab aliis jam notatum, Angelos hos, buccinis inſtructos, ad Sacerdotes reſpicere) ſpeciatim ad eum Sacerdotum ritum alludi, quo in excommunicatione buccinas inflare ſolebant. Sic ſcribitur in Tract. Sanhedrin *fol. 7. col. 2.* ——— ——— ——— *Ex Scriptoribus allegatis patet, ordinarie excommunicationem una buccina factam eſſe, quamvis in caſibus extraordinariis numerum ad* CCC, *quin ad* CCCC *adſcendiſſe alii narrant. Sic quoque in Apocalypſi hæ buccinæ non ſimul, ſed ſingulæ ſeparatim, una poſt aliam, diverſis Eccleſiæ hoſtibus judicia minantur. Quia & numerus perſonarum, quæ excommunicationi obnoxia ab iisdem Magiſtris ad ſeptenarium reſtringitur in Gemara Babylonica ad tit. Peſachim cap. X. f.* 113. 6. *citata a Seldeno de Synedrio lib. I. cap. 7. Quod tamen non valde urgeo. Magis proclive eſſet cogitatu, ſeptenarium buccinarum ad buccinas Hierichuntinas alludere, niſi quod illæ plerisque ſimul videntur inflatæ.* Hæc ille.

Verſ. 3. *Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἦλθε, καὶ ἐστάθη ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον*) Extrema hæc verba codd. quidam & cum illis Cl. *Bengelius* cum iſtis permutant: *ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου.* Diverſa alias particulæ *ἐπὶ* notio eſt pro diverſitate caſuum, genitivi, & accuſativi, quibus jungi ſolet. Fieri tamen ſolet, ut eodem ſenſu cum utroque caſu adhibeatur. Ita ſupra VII. 1. *ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος ἐπὶ τῆς γῆς, μήτε ἐπὶ τῆς θαλάσσης, μήτε ἐπὶ πᾶν δένδρον.*

ἔχων λιβανωτὸν χρυσοῦν) *Grotius* mavult *λιβανωτὶν*, eique Attice *χρυσοῦν* junctum exiſtimat. Ratio rei eſt, quod *λιβανωτὸς* Græcis *thus* ipſum, non *thuribulum*, denotet, *Gloſſarium* vero aliquod vocem *λιβανωτὶς*, *acerra* & *thuribulum*, convertat. Nec alienum ſe ab hac conjectura profitetur *Braunius* in Selectis Sacris pag. 211. Enimvero codices omnes heic conſentiunt, & ex voce *λιβανωτὶς* accuſativus ſecundum Græcæ linguæ rationes non per *λιβανωτὶν*, ſed *λιβανωτίδα* exprimi debebat, ſicut *ἐλπὶς*, *ἐλπίδα*, *σφραγὶς*, *σφραγῖδα* &c. habet; in *Gloſſario* vero illo fortaſſe ſcribi debebat *λιβανωτὸς*, cum *λιβανωτὶς* non minus, quam *λιβανωτὸς*, Græcis de fructu herbæ, vel arboris alicujus dicatur. Vide, quæ præter *Stephanum* in Theſauro attulit *Salmaſius* in Homonymis Hyles Iatricæ pag. 13. & in Exercitationibus Plinianis pag. 283. 288. & 423. Itaque tenenda eſt communis lectio. *Thuribulum* vero heic non *thus*, quod quidam volunt etiam ex uſu *τῶν* LXX. 1 *Chronic.* IX. 29. tum ex addito epitheto *χρυσοῦν*, quod in *thus* non cadit, tum ex commemoratis mox *θυμιάμασι* liquet. Præſtat igitur cum *Eraſmo Schmidio* ſtatuere, *τὸν λιβανωτὸν* in maſculino *thus*, *τὸ λιβανωτὸν* in neutro *thuribulum* ſignificaſſe. Confer verſ. 5. Ceterum de thuribulo illo, & ceteris heic allatis, ex antiquitate Hebraica diligenter exponit loc. cit. *Braunius.* Confer *Witſium* in Miſcell. lib. II. diſſ. II. §. 94.

καὶ ἐδόθη αὐτῷ θυμιάματα πολλὰ, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων) ita codices & verſiones omnes, inter quas *Coptus* Wilkinſii ita: *ut offerret ea* (incenſa) *poſt preces Sanctorum.* At Cl. *Schœtgenius* in Horis He-

Hebraicis pag. 1114. verba: ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, & hoc & ſequenti commate ex gloſſemate valde antiquo in contextum irrepſiſſe putat, ideo, *quod illa & conſtructionem turbent, & applicatio ad reliqua, quæ Angelus hic facit, in toto contextu non appareat.* Non autem hæc ſufficere exiſtimo ad expungendam φράσιν, in utroque commate ubique adhuc receptam. Quod enim ad ſtructuram horum commatum attinet, non video, eam his vocibus turbari, modo recte intelligantur. Alii quidem aliter heic rationes inſtituerunt, & nonnulli commate tertio pro ταῖς προσευχαῖς legere maluerunt τὰς προσευχὰς, ut ſcilicet θυμιάματα de precibus ipſis accipiantur, quod ſupra V. 8. diſerte fit. Ita poſt *Caſtalionem* ſtatuit *Grotius*, uterque autem comm. 4. dativum ταῖς προσευχαῖς pro genitivo τῆς προσευχῆς poſitum cenſent. Conjecturis vero his non opus eſt, ſi voces, prout jacent, ſimpliciter accipiantur. Ita ſenſus is prodierit, quem *Vitringa* ad h. l. ita propoſuit: *ſuffitus datos eſſe Angelo, ut daret orationibus Sanctorum*, h. e. orationibus Sanctorum *bonum* conciliaret *odorem* & *fragrantiam*. *Cui ſententiæ*, ita pergit, *nihil obſtat, quam, ſuffitus hic non videri ſatis commode ab orationibus Sanctorum diſtingui, quia ipſi illi ſuffitus alibi per Sanctorum preces explicantur. Verum hæc difficultas vere non eſt ullius momenti. Myſtica enim oratione utrumque dici poteſt; tum, ipſos ſuffitus eſſe preces Sanctorum, quatenus Deo grati acceptique habentur; tum ſuffitum ſive fragrantiam addi precibus Sanctorum, quatenus gratia & fragrantia precibus Sanctorum non ab ipſis accedit Sanctis, ſed a dignitate & meritis Sacerdotis (Chriſti,) qui illas preces in his terris Deo commendat, easque ipſi offert. Quod emblema nemo neget eſſe elegans, & rei ipſi optime conveniens.* Hactenus *Vitringa.* Confer ex noſtratibus *Calovium* in Bibliis Illuſtratis. Hoc ſenſu accepit etiam B. *Lutherus*, qui & ſimplex & commodus eſt, ſi recogitemus, per Angelum heic intelligi Chriſtum, cujus nomen & merita precibus fidelium & vim & ſuavitatem ita conciliant, ut Paulus *Hebr.* XIII. 15. cohortetur: δι' αὐτοῦ οὖν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως διὰ παντὸς τῷ Θεῷ, τουτέστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. His poſitis, non video *conſtructionem turbari*, ſi legamus, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Neque abludit hæc locutio a ſtilo Joanneo. Eadem enim ratione XIII. 15. ait: καὶ ἐδόθη αὐτῷ δοῦναι πνεῦμα τῇ εἰκόνι τοῦ θηρίου. *Datumque eſt ei, ut inderet vitam imagini beſtiæ.* Urget porro Vir doctus: *quod applicatio ad reliqua, quæ Angelus hic facit, in contextu non appareat.* Si quid vero video, comma quintum ſatis oſtendit, reſpectum ibi haberi ad preces Sanctorum, quæ per Angelum illum Deo erant commendatæ. Poſtquam enim illæ ad Deum aſcendiſſent, *tonitrua, fulgura* &c. conſecuta ope ejusdem Angeli dicuntur, tanquam prodromi & ſigna judiciorum divinorum in hoſtes Eccleſiæ, quæ mox ſigillatim enarrantur. Hæc vero judicia effecta erant precum a Sanctis factarum. Conf. *Luc.* XVIII. 7. & 8. & ſupra VI. 10.

Quem-

Quemadmodum igitur recepta lectio his arietibus non labefactatur, ita alia ſunt, quæ pro ea retinenda valde militant. Non dabitur unquam exemplum gloſſematis alicujus, quod in omnes codices & verſiones quoque irrepſerit. Porro non dari poteſt ratio, cur quisquam de gloſſemate & additamento cogitare h. l. voluerit. Gloſſemata alias ad illuſtrandam vel explicandam dictionem obſcuriorem adferuntur. Hoc vero loco ipſi Viro docto ſtructura orationis impeditior facta videtur. Porro phraſis hæc Joanni ſupra V. 8. adhibita eſt, ubi θυμιάματα per προσευχὰς τῶν ἁγίων exponuntur. Accedit denique alluſio ad ritum Hebræorum, ſecundum quem preces fieri a populo ſolebant, quando Sacerdos ſuffitum faciebat in templo. Vide *Braunium* p. 238. Selectorum Sacrorum.

In forma verbi δώσῃ Doriſmum fruſtra a nonnullis quæri oſtendit Cl. *Georgius* pag. 159. Hierocritici.

Verſ. 4. καὶ ἀνέβη ὁ καπνὸς τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων) Ita codices conſtanter, & vel ſic *Grotius* legere maluit τῆς προσευχῆς. Rectius alii elliptice id dici arbitrantur, & præpoſitionem σὺν intelligi volunt, ut fumus ſuffituum una cum precibus Sanctorum adſcendiſſe dicatur. Ita, ut alios taceam, ſtatuit *Lambertus Bos* de Ellipſibus Græcæ Linguæ pag. 361. editionis Schœtgenianæ, & ex noſtratibus Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 356. Uterque non inficianda ellipſeos hujus exempla ex Scriptoribus adferunt. Aliis, inter quos eſt *Vitringa*, placet dativus commodi, quem Grammatici appellant, ut ſenſus ſit, fumum illum *in gratiam precum* Sanctorum adſcendiſſe, ad gratum odorem illis conciliandum. *Eraſmus Schmidius* pro ablativo habet & vertit: *per preces Sanctorum*, ſeu, *dum preces fierent*.

Verſ. 5. καὶ εἴληφεν ὁ ἄγγελος τὸν λιβανωτὸν) Alii, fortaſſe rectius, habent τὸ λιβανωτὸν, & mox αὐτό. Ita cum *Stephano Millius*, *Bœclerus*, *Schmidius* &c. Vide ad verſ. 3.

Verſ. 7. καὶ ὁ πρῶτος ἄγγελος ἐσάλπισε) Vocem ἄγγελος omittunt codices quidam, eorumque exemplo *Bengelius*. Fieri potuit, ut Joannes eam non ſcriberet, ideo quod commate proxime antecedente τῶν ἀγγέλων facta erat mentio. Res tamen eſt valde dubia, ideo, quod in ſequentibus ſex *angeli* diſerte appellantur, quoties ſinguli eorum buccinaſſe dicuntur.

καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων κατεκάη) Codices quidam & verſiones his præmittunt iſta: καὶ τὸ τρίτον τῆς γῆς κατεκάη. Atque id recte fieri cenſet *Millius* in Prolegomenis §. 1358. omiſſionem horum verborum ex voce τρίτον, in quam, mox repetitam, præcipites delati ſint librarii, repetens. In contextum ea recepit editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & Cl. *Bengelius*. At merito dubites, a S. Joanne ea eſſe profecta. Mox enim cap.

Digitized by Google

cap. IX. 4. τοῦ τρίτου τῆς γῆς non fit mentio, ſed ita ſcribitur: καὶ ἐῤῥέθη αὐτοῖς, ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τον χόρτον τῆς γῆς, οὐδὲ πᾶν χλωρὸν, οὐδὲ πᾶν δένδρον. Taceo τὸ τρίτον τῆς γῆς, ſeu tertiam terræ partem jam indicari, per τρίτον τῶν δένδρων, καὶ πᾶν χλωρὸν, hæc enim ex terra naſcuntur. Tertia pars in hoc capite aliquoties, ut & cap. IX. 15. 18. & XII. 4. commemoratur. Similiter R. *Mardochæus* in Notitia Karæorum, olim a me edita, pag. 102. ait: *percuſſus eſt mundus, tertia nempe pars olearum, tertia pars tritici, & tertia hordei.*

Verſ. 8. καὶ ὡς ὄρος μέγα πυρὶ καιόμενον) Vide Cl. *Alberti* Periculum Criticum pag. 41.

Verſ. 9. Καὶ ἀπέθανε τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων, τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ, τὰ ἔχοντα ψυχὰς) In hac phraſi enallagen numerorum quidam agnoſcunt; at Cl. *Georgius* pag. 46. Hierocritici voces, τὰ ἔχοντα, non ad τὸ, τρίτον, ſed ad τὸ, κτισμάτων refert, & τὸ, ἔχοντα pro τῷ, ἔχοντα ἦν, i. e. εἶχον, poſitum eſſe, τὰ vero vim relativi ἃ, habere exiſtimat; qua ratione *Iſocrates* ad Demonicum pag. 9. dixerit: ἄσκει τῶν περὶ τὸ σῶμα γυμνασίων, μὴ τὰ πρὸς τὴν ῥώμην, ἀλλὰ τὰ πρὸς τὴν ὑγίειαν συμφέροντα. Simplicius fuerit, ſi ſubintelligamus τοῦτ᾽ ἔστι, *ſcilicet, hoc eſt.*

καὶ τὸ τρίτον τῶν πλοίων διεφθάρη) Codices pauci habent διεφθάρησαν, quod rectum videtur *Millio* in Prolegom. §. 1111. & in contextum receptum eſt a *Bengelio.* Potuit ita ſcripſiſſe Joannes, reſpectu non tam ad vocem τρίτον, quam ad rem ſignificatam, multas ſcilicet naves, habito. Sic infra IX. 18. ἀπεκτάνθησαν τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων. Veriſimilior tamen eſt altera lectio in ſingulari, quæ & in limine hujus commatis & v. 7. itemque alias obtinet. Per πλοῖα nonnulli intelligunt cœtus Chriſti particulares. Vide *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam pag. 84.

Verſ. 10. καὶ ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀστὴρ μέγας, καιόμενος ὡς λαμπὰς) De *Ario* hoc accipit *Joannes Biermannus* in Clave Apocalyptico-Prophetica. Confer *Zornium* Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 100. ſeqq. & fuſius ejusdem Erörterung Tom. I. p. 699-721. ubi & diverſas aliorum Interpretum ſententias de eo, quis per hanc ſtellam indicatus videatur, enarratas leges. *Renati Maſſueti* judicio in diſſertatione de Irenæi vita & ſcriptis, Operibus ejus præmiſſa, *doctrina Muhamedis* intelligenda fuerit, quæ h. l. cum *abſinthio*, quemadmodum doctrina Phariſæorum a Domino noſtro *Matth.* XX. 6. 11. & 22. cum fermento, comparetur, cum totum Chriſtianiſmum, cujus doctrina dulcis eſt 1 *Cor.* V. 8. corrumpat, & ingratum peſtiferumque ſaporem illi inducat. Confer Acta Eruditorum Lipſienſium 1712. pag. 180. In alia omnia abit C. *M. Pfaffius* Oratione ſingulari de ſtella abſinthio, ſub tubicinio quinto de cœlo cadente, Tubingæ 1728. 4to.

Digitized by Google

4to. Is vero per ſtellam cadentem *magnam exhalationum multitudinem condenſatam & inflammatam* intelligit, quæ cum cadere incipit, integra eſt; ſed diſſiliens & comminuta in multas faculas dividitur, quæ varia in loca cadentes ea inficiunt. Tale meteorum ignitum in ultima mundi ætate de cœlo delapſurum ait, ſecumque ad inſtar abſinthii venenati & noxii, amarorem venenatum laturum & in flumina ac fontes diſperſurum eſſe, eademque opera extremi diei proxime imminentis indicium futurum. Sed vide, quæ contra hæc recte monentur in Collectione Novantiquorum Theologicorum an. 1731. p. 112. Adde Bibliothecam Theologicam Selectam Parte XL. p. 384.

Verſ. 11. Καὶ τὸ ὄνομα τȣ̃ ἀςέρος λέγεται ἄψινθος) Vide ad v. 10.

ϗ γίνεται τὸ τρίτον εἰς ἄψινθον.) Hæc *Coptus* Wilkinſii ita: *& factæ ſunt amaræ, ſicut alce.*

Verſ. 12. ϗ ἐπλήγη τὸ τρίτον τȣ̃ ἡλίȣ) *& percuſſa eſt tertia pars Solis. Jo. Crojus* in Obſervatt. Sacr. p. 266. τὸ, πλήττεσθαι ex Hebræorum more, qui Solem & Lunam deficientes לוקין i. e. *percuſſos* dicere ſolent, de eclipſi heic dici opinatur. Adſtipulatur ei *Jo. Olearius* de Stylo N. T. p. 361. Cum vero h. l. τὸ ἐπλήγη ab obſcuratione, ἵνα σκοτισθῇ, diſerte diſtinguatur, nec eclipſis ipſa horum luminarium, ſed id, quod eam antecedit, percuſſio ſcilicet ſeu adfectio præternaturalis, verbo illo indicatur. Id recte monuit *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Part. I. p. 140. & Cl. *Georgius* in Hierocritico p. 230.

Verſ. 13. ϗ εἶδον, ϗ ἤκȣσα ἑνὸς ἀγγέλȣ) Loco ἀγγέλȣ codices multi, &, *Bengelii* judicio, plures, legunt ἀετȣ̃, quod & verſiones, *Syra*, *Vulg. Æthiop.* & *Coptica* Wilkinſii, quæ *aquilam exclamantem* ſiſtit, exprimunt. Approbant hanc lectionem *Grotius*, *Pricæus*, *Millius* in Prolegomenis §. 1111. & editor N. T. Græco-Anglicani, qui in contextum recepit. Ex noſtratibus idem fecit *Bengelius*, quem conferes in Apparatu p. 812. nec alienus ab ea eſt B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, qui vetuſtiores codices ἀετȣ̃ legere adfirmat. Ab altera parte diſplicuit ea *Jo. Crojo* in Obſervatt. Sacr. p. 117. ſicut contra *Pricæum*, lectionem hanc ex *Apulejo* quoque adſtruere conantem, diſputat Cl. *Albertius* p. 40. Periculi Critici, receptam illam tenendam ideo exiſtimans, quod infra cap. XIV. 6. fere eadem ratione dicatur: ϗ εἶδον ἄλλον ἄγγελον πετώμενον ἐν μεσȣρανήματι. Idem argumentum inter cetera urget *Leonardus Twells* in Examine Critico N. T. Græco-Anglic. Parte I. p. 27. *Nuſquam*, inquit, *in vaticiniis hujusmodi animalia, ut divini mandati interpretes adferuntur. Hoc ipſum vero adduxit* Millium, *ut pro lectione* ἀετȣ̃ *pugnaret, tanquam quæ minorem emendationis ſpeciem, quam altera illa* ἀγγέλȣ, *referat. Quaſi vero neceſſe foret, ut alterutra illarum lectionum data opera adoptata dicatur, nec caſui aliquid in lectionum varietatibus ſit tribuendum. Volucres rapaces, inter quas aquila eminet, mediam aëris regionem amant. Hinc* Apocal. XIX. 17. *angelus aves rapaces ad prædam in deſtructionem Babylonis advocans*, πᾶσι τοῖς ὀρνέοις τοῖς πετω-

μένοις ἐν μεσȣρανήματι loquitur. Itaque lector aliquis voces ὡς ἀετȣ̃ h. l. *ad oram illuſtrandi cauſa ſcripſiſſe videtur, ſuccedente tempore in contextum relatas. In codice Seideliano utraque lectio junctim apparet: ϗ ἤκȣσα ἑνὸς ἀγγέλȣ ὡς ἀετȣ̃ πετωμένȣ, κ. τ. λ. Fortaſſe etiam librarius aliquis, memoria tenens illud ἀετῷ πετωμένῳ, quod Apoc. IV. 7. exſtat, præceps ἀετȣ̃ pro ἀγγέλȣ ſcripſit, inprimis cum voces illæ in compendioſa ſcriptione a ſe invicem parum abſint. Contra vero phraſis, ἀετὸς πετώμενος, nuſquam ante h. l. in hoc libro occurrit, ideoque tanto minus pro ſphalmate librarii haberi poteſt. Cum porro infra XIV. 6. dicitur: ϗ εἶδον ἄλλον ἄγγελον πετώμενον ἐν μεσȣρανήματι, id quidem receptæ lectioni admodum patrocinatur, non ſolum ut locus parallelus, ſed ut talis, qui per ἄλλον ἄγγελον ad hunc ἕνα ἄγγελον reſpiciat. Denique & hoc addam, quod librarius aliquis Apocal. XIV. 6. ſive incuria, ſive data opera, vocem ἀετὸν voci ἄγγελον ſubſtituit, nullum vero exemplum ſuppetat, ex quo ἄγγελος pro ἀετὸς poſitus cognoſcatur.* Mihi quidem lectio *ἀετȣ̃* admodum ſuſpecta eſt, inprimis ideo, quod non apparet ratio, cur aquila angelis, divinæ voluntatis interpretibus, miſceatur; alias vero angelis, ſua agentibus, alius angelus jungitur. Sic v. c. VII. 2. alius angelus quatuor illis, qui terræ & mari cladem illaturi erant, interceſſiſſe, & VIII. 2. ſeptem angelis buccinaturis alius ſuperveniſſe legitur. Quod ſi tamen aquilæ mentio facta cenſeri debeat, malim omnino cum *Seideliano* codice & *Primaſio* legere *ἀγγέλȣ ὡς ἀετȣ̃ πετωμένȣ.*

πετωμένȣ ἐν μεσȣρανήματι) de forma verbi *πετωμένȣ* dixi ſupra ad IV. 7. Vocem poſtremam *Syrus* per, *caudam ſanguinis habentem* expreſſit, quaſi legeretur *ἐν μέσῳ ȣ̓ρὰν αἵματι*, notatus ideo a *Bocharto* Hierozoici Parte II. lib. II. cap. 1. p. 169. Lege de voce *μεσȣράνημα Salmaſium* de annis Climactericis p. 199.

CAPUT IX.

VErſ. 1-12. agitur de buccina Angeli quinti, & ſtella, ex cœlo in terram delapſa, conſecutiſque ex abyſſo locuſtis. Lege itaque ad hæc commata B. *Joannis Aſſelmanni* præfationem germanicam in D. Schlüſſelburgii Reſponſionem ad D. Pelargi aliorumque ſcripta, quæ recuſa extat in ejuſdem Aſſelmanni Syntagmate Exercitationum Academicarum, Parte II. p. 399. ſqq. nec non B. *Jo. Adami Scherzeri* Programma ſingulare, Lipſ. 1683. editum, & in Pietate Academiæ Lipſienſis, D. *Chriſtiani Frider. Bœrneri* cura Lipſiæ 1717. 8. edita, p. 156. recuſum. Diſſentiunt Interpretes inter ſe, quis hinc per *ſtellam* illam, quive hinc per *locuſtas* intelligantur. *Bellarminus* Tom. I. Controverſiar. lib. III. de Pontifice Romano cap. XXIII. & Tomo IV. Oratione ſingulari ſtellam ad B. *Lutherum*, *locuſtas* autem ad *Lutheranos* refert, confutatus, ut alios taceam, á *Scherzero* l. c. qui rectius in Papam & Jeſuitas utrumque quadrare oſtendit. Idem agit *Aſſelmannus*, quod ad *ſtellam* attinet, quamvis

quamvis *locuſtas* Calvinianorum emblema cum B. *Philippo Nicolai* & *Schelhammero* exiſtimet. Confer B. *Dav. Sculteti* Innocentiam Theologorum Lutheranorum p. 75. ſq. & vide quæ dicentur de locuſtis ad v. 3.

ϰ̀ ἐδόθη αὐτῷ ἡ κλεὶς τȣ̃ φρέατος τῆς ἀβύσσȣ) φρέαρ τῆς ἀβύσσȣ convenit ex parte phraſi Judæorum באר שחת *puteus perditionis*, quo nomine mundum appellant in *Jalkut Rubeni* fol. 37. 2. obſervante *Schœtgenio.* Propius tamen huc facit נקבא דתהומא *foramen abyſſi*, apud inferos, quod aperiri ajunt Judæi, cum improbi multiplicantur in mundo, ut egrediantur inde multi *νομοφύλακες*, multique concluſorum, ſeque per conclavia diffundant. Habes locum in *Kol Bochim* fol. 20. 4. unde eum attulerunt *Jo. Andr. Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto p. 336. & *Jac. Elsnerus* in Obſervatt. Sacris p. 452.

Verſ. 3. Καὶ ἐκ τȣ̃ καπνȣ̃ ἐξῆλθον ἀκρίδες) *Myſterium Apocalypticum de locuſtis, in Væ primo revelatis*, ſingulari libello explicatum dedit *Sigiſmundus Hoſemannus*, Francoſurti & Lipſ. 1690. 12. Atque ille quidem omnia, quæ de illis h. l. traduntur, in Arianorum hiſtoriam optime quadrare cum B. Luthero cenſet, & deinde aliorum Interpretum ſententias expendit. Per *locuſtas* Jeſuitas inprimis ſignificari, multi ſunt, qui tradiderunt, appellati a *Vitringa* p. 379. commentarii. His acceſſit nuper *Hieron. Georg. Snabelius*, Theologus quondam Bremenſis, cujus diſſertatio de locuſtis Biblicis, tanquam emblemate Monachorum & præcipue Jeſuitarum, exſtat in ejus Amœnitatibus Theologiæ Emblematicæ & Typicæ p. 295-311. Expeditiones cruciatæ veteris memoriæ deſcribi hac viſione videntur *Jo. Caſpari Malſchio* in Noctium vacivarum Lucernis, 1728. 8. editis, Lucerna quinta. Conf. Collectionem Novantiquorum Theologicorum, vernacula lingua editam an. 1730. p. 936. Conſtat alias, *Campeg. Vitringam* ad h. l. de *Gothis* hæc omnia accipere, qui ſub Alarico & Ataulpho, Ducibus, excidium attulerint Romano Imperio Occidentali, & tum Italiam ſuis populationibus nec opinato vaſtarint; tum etiam Romam, Imperii illius antiquiſſimam ſedem, quam Gentiles *urbem æternam* vocabant, in poteſtatem ſuam redegerint, diripuerint, & maximis affecerint malis, adeo ut evidentiſſima exſtiterit divinæ ſeveritatis demonſtratio, ab univerſo orbe terrarum, Gentilibus æque ac Chriſtianis cum ſtupore agnita.

Verſ. 4. *ϰ̀ ἐῤῥέθη αὐταῖς, ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον τῆς γῆς)* Ἀδικεῖν eſt *vim inferre*, *nocere* &c. idque cum accuſandi caſu de *perſonis* & *rebus* adhibetur. Lege locos veterum a *Cl. Elsnero* allatos p. 452. Inter hos ſunt ille *Thucydidis* lib. II. p. 103. *τότε ἔξω ἔλεγον αὐτοῖς μὴ ἀδικεῖν*, & *Luciani* Veræ Hiſtoriæ lib. I. p. 730. *ȣ̓δὲν ἡμᾶς ἠδίκȣν*, *nihil nobis nocebant.*

εἰ μὴ τȣ̀ς ἀνθρώπȣς μόνȣς) Ἐι μὴ h. l. idem eſt, quod *ἀλλὰ*, ſed quam ſignificationem & alias obtinet. Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. IV. c. 4. p. 334.

 οἵτινες

οἵτινες οὐκ ἔχουσι τὴν σφραγῖδα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν) Vide, quæ huc idem *Elmerus* affert ex Judæis de *ſigno*, fronti Caini impreſſo, de *circumciſione* item, tutelæ adverſus cacodæmones ſymbolo, & ex *Porphyrio* lib. II. de abſtinentia ab animalibus §. 44. p. 87. *mentis puritatem σφραγῖδα θείαν* adverſus dæmonum inſultus appellante.

Phraſes *χόρτον τῆς γῆς*, & *οὐδὲ πᾶν χλωρὸν* ab Hebraiſmo liberat Cl. *Georgius*, in Vindiciis N. T. p. 315. & 348.

Verſ. 6. *καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ζητήσουσιν οἱ ἄνθρωποι τὸν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρήσουσιν αὐτὸν, κ. τ. λ.*) Emphatice hæc & eleganter ſine *ταυτολογίας* vitio dici, recte oſtendit *A. Blackwallus* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 92. Vide etiam *Alethæi* Erläuterung Tom. IV. p. 394.

Verſ. 7. *Καὶ τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις ἡτοιμασμένοις εἰς πόλεμον, κ. τ. λ.*) Graphica hæc locuſtarum myſticarum delineatio lucem accipiet ex iis, quæ viri ſummi *Sam. Bochartus* Parte II. Hierozoici pag. 494. ſeq. & *Jobus Ludolfus* in Appendice ad Hiſtoriam Æthiopicam diſſertatione de locuſtis pag. 9. ſeqq. attulerunt. Quantam locuſtæ naturales cladem regionibus & frugibus olim attulerint, ex veterum monimentis conſtat. Inprimis autem notari meretur ille locuſtarum exercitus (quo nomine *Joël* II. 25. utitur) qui Sæculo IX. ex Oriente in Occidentem tanta copia advolavit, ut Solis quoque lumen interceperit. Vide *Caroli Stengelii* commentarium rerum Auguſtanarum Part. II. cap. 10. pag. 83. Adde B. *Joannis Henrici Maji*, filii, Obſſ. Sacr. lib. IV. pag. 41. ſeqq. ubi & hoc, & alia ejusmodi exempla ex teſtibus fide dignis commemorata leges. Nihil obſtat, quo minus apponamus ea, quæ Scriptor Anonymus, qui inter Scriptores, ex P. Pithœi Bibliotheca editos, legitur, de illa colluvie attulit. *Locuſtæ*, inquit, *ab Oriente venerunt, & univerſam ſuperficiem terræ inſtar nivis operuerunt, cunctaque in agris & in pratis viridia devaſtabant. Erant autem ore lato, & extenſo inteſtino, duosque habebant dentes lapide duriores, quibus tenaciſſimos arborum cortices corradere valebant*, &c. Noſtra memoria an. 1730. ingentes locuſtarum cohortes, Marchiam depopulatas eſſe conſtat, de quibus ſingularis exſtat Cl. *Joannis Leonhardi Friſchii* commentatio, lingua vernacula edita. Locuſtam ſingularis formæ deſcribit *la Galleria di Minerva* Tom. VI. pag. 204. Pontificios hoc inſecti genus ſacro fulmine profligare conatos eſſe, oſtendit *Ludolfus* diſſertatione modo laudata pag. 17.

Verſ. 9. *Καὶ εἶχον θώρακας, ὡς θώρακας σιδηροῦς*) A loricis ejusmodi ferreis, milites, illis muniti, appellari ſolebant *ὁλοσίδηροι*, quod ex Gloſſario Nomico oſtendit *Salmaſius*, ita præcipiente: *κλιβανάριοι, ὁλοσίδηροι. κλίβανα γὰρ οἱ Ρωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύμματα καλοῦσιν, ἀντὶ τοῦ καλύβινα.* Conf. *Ezech. Spanhemium* ad Juliani Orationes p. 250.

ὡς

ὡς φωνὴ ἁρμάτων, ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον) *Blackwallus* l. c. pag. 179. recte monet, editos libros pleroſque vocem ἁρμάτων a ſequentibus per interpunctionis notam diſtinguere, ut ſenſus ſit: *ſonitus erat curruum, equis multis ad bellum currentibus.* Ceterum ad currus veterum militares heic reſpici per ſe patet. De his exſtat B. *Wichmannshauſenii* diſſertatio Witteberg. an. 1722. & mea quoque de apparatu Philiſtæorum bellico, ibid. an. 1711.

Verſ. 10. καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἀδικῆσαι τοὺς ἀνθρώπους μῆνας πέντε) B. *Majus* l. c. pag. 44. ex Chronico MS. Biblioth. Butisbacenſis commemorat locuſtarum copias, quæ an. 1339. circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ totam Franconiam inſtar denſæ nubis obumbrarint, ferrea quaſi roſtra habentes, & ſegetes fructusque arborum vaſtantes, quæque poſt dimidium annum avolarint.

Verſ. 11. καὶ ἔχουσιν ἐφ' αὐτῶν βασιλέα τὸν ἄγγελον τῆς ἀβύσσου, ὄνομα αὐτῷ Ἑβραϊστὶ Ἀβαδδών) Hic *abyſſi angelus* videri poſſit idem eſſe cum *Angelo mortis*, מלאך המות, quem Judæi appellant, ac aliis præterea nominibus inſigniunt. Vide Cl. *Ern. Frid. Neubaueri* diſſ. de Angelo mortis, Halæ 1732. editam. Hunc *mortis Angelum Judæi* in codice *Schabbath* f. 89. 1. fabulantur legem, quam Moſes de cœlo acceperat, in cœlo, terra, mari & abyſſo quæſiviſſe, tandemque veniſſe ad אבדון ומות *Abaddon* & *mortem*, quæ dixerint: *auribus noſtris percepimus famam ejus.* Vide Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 1116. ibidem oſtendentis, Hebræos alias conclave inferni omnium infimum *Abaddon* appellare. Hebraicam eſſe vocem, & אבדון i. e. *interitus*, *pernicies*, referre, ita quidem, ut per *abſtractum* pro concreto, *perditorem*, *vaſtatorem* inferat, ab aliis monitum eſt, & tum ex linguæ ſanctæ rationibus, tum ex addita heic interpretatione Græca, ἀπολλύων, liquet. Itaque non opus eſt, ut cum *Ludovico Cappello* in Spicilegio notarum ad h. l. ἀββαδὼν legi poſſe exiſtimemus, tanquam ex conjugatione *Piel* verbi אבד, quod *perdere* ſignificet, atque adeo convenientius h. l. ſit, quam ſi ex conjugatione *Kal*, ubi *perire* denotet, repetatur. Interim non deſunt & editi & ſcripti libri, qui legunt ἀββαδὼν. Hanc tamen ſcriptionem caſui potius quam deſtinato conſilio acceptam ferendam putem. Fuſius de hac voce commentantur *Jo. Druſius* in commentario de Vocibus Hebr. N. T. p. 1-3. *Cheitomæus* de Vocibus Græco-barbaris ſuo loco, *Auguſtus Pfeiferus* in Operibus pag. 507. *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 7. ſeqq. & *Martinus Feſſelius* Tom. II. Adverſariorum Sacrorum pag. 353. qui tamen minus recte *Mahumedis* nomen, tanquam ex Hebr. מחה i. e. *delevit* derivandum, poſt *Caſp. Waſerum* in Analyſi Pſalmi CX. cum noſtro hoc comparat.

Digitized by Google

καὶ ἐν τῇ Ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων) Vox *ἀπολλύων* i. e. *perdens*, quod ad ſignificatum eo, quem diximus, modo pulchre reſpondet *τῷ ἀβαδδὼν*, neque præterea aliud quicquam quærendum heic eſſe exiſtimem. Ita v. c. *Heinſius* in Ariſtarcho pag. 11. *Non dubitandum eſt*, inquit, *quin Pythius Apollo*, *h. e. ſpurius ille Spiritus*, *quem Hebræi* Ob & Abaddon, *Helleniſtæ ad verbum* Ἀπολλύωνα, *ceteri* Ἀπόλλωνα, *dixerunt*, *ſub hac forma*, (nempe ſerpentis,) *qua miſeriam humano generi invexit*, *primo cultus in Græcia indicetur.* Confer *Petri Zornii* Opuſcula Sacra Tom. II. pag. 284. *Syrus* itidem habet *ἀπόλλων*, quemadmodum *Coptus* Wilkinſii pro *ἀβαδδὼν* adfert *Magedou.*

Verſ. 12. *Ἡ οὐαὶ ἡ μία ἀπῆλθε*) In *Jalkut Rubeni* fol. 78. 3. Moſes ad Deum O. M. ita: בייא אתה מביא עלי *Tu væ adducis* ſuper me. Vide *Schœtgenium.* *Μία* h. l. idem eſt, quod *primum.* Vide ſupra ad VI. 1. Cur non *τὸ οὐαὶ*, ſed *ἡ οὐαὶ* dicatur, oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis pag. 242.

Verſ. 13. ſeqq. usque ad finem capitis, ab Interpretibus plerisque & *Vitringa* quoque de Saracenis & Turcis, eorumque bellis, adverſus Chriſtianos geſtis, accipiuntur. Lege ex noſtratibus B. *Joannis Conradi Dannhaueri* diſputat. de Muhamediſmo in Angelis Euphratæis S. Joanni præmonſtrato, Argentorati 1664. quæ in Diſputationibus ejus Theologicis pag. 539-560. recuſa exſtat. Adde B. *Joannis Winkleri* Meditationes in aliquot Scripturæ locos, germanice editas pag. 243. ſeqq. de bellis Turcicis. Interitus imperii Ottomannici in hoc vaticinio & ſpeciatim v. 15. prædici viſus eſt D. *Georgio Wolfgango Wedelio*, qui conjecturam hanc ſuam ſcheda aliqua, an. 1716. 4. edita, & 1717. continuata aperuit. Lege Relationes Theologicas Novantiquas an. 1717. pag. 291. & adde ejusdem *Wedelii* Exercitationem de uſu rationis humanæ in ſacris Jenæ 1714. editam. In hac profitetur, ſe in hoc capite Apocalypſeos *fata Turcarum inveniſſe*, *quæ*, *ſi juxta comma* 15. *calculus fiat*, *annos circiter CCCXCI. complectantur*, *anno Chriſtiano MDCC. finienda*, *quo ipſo anno pax inter Imperatorem Romanum & Turcarum*, *Carlowizenſis a loco dicta*, *ſtabilita eſt.* *Auſim aſſerere*, ita pergit, *hoc ipſo limites poſitos & finem tyrannidi Ottomannicæ*, *in Chriſtianos exercitæ.* *Si enim annorum numero* 1308. *addantur* 391. *accurate emergit* 1699. *& ultra*, *id eſt* 1700.

Verſ. 13. *καὶ ἤκουσα φωνὴν μίαν ἐκ τῶν τεσσάρων κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου*) Ad h. l. Cl. *Schœtgenius* pag. 1116. monet, *cornua altaris* non retuliſſe *cornua animalium*, qualia inepte illi adpingi, etiam in egregio illo *Bernhardi Lamii* libro ſoleant, ſed fuiſſe turriculas quadratas, angulis quatuor altaris impoſitas, altitudine palmorum quinque, intus cavas, in ſummitate vero apertas. Tales autem a *Maimonide* de ædificio templi II. 7. 8. atque hinc a *Perralto* ex indicio Ludovici *Compiegne de Veil* deſcribi. Idem præclare

clare ex antiquitate Judaica Celeb. *Jo. Jac. Quandt* in Exercitat. de Cornibus altaris exterioris, Regiomonti 1714. promulgata, confutatis aliter ſentientibus, demonſtravit. *Rabbinos*, inquit pag. 28. *ſequor duces*, aſſerentes, *cornua in vertice altaris holocauſtarum quatuor parallelepipeda fuiſſe, ad quinque palmos æqualiter elata, intus excavata, in ſummitate vero aperta.*

Verſ. 14. *Λέγουσαν τῷ ἕκτῳ ἀγγέλῳ, ὃς εἶχε τὴν σάλπιγγα*) Codd. habent *ὁ ἔχων τ. σ.* quod & Cl. *Bengelius* in contextum recepit: Nec dubitat *Millius* Prolegom. §. 1111. lectionem hanc tanquam germanam *inter male Græca Joannis, quæ nemo alius finxerit, referre.* Quod ſi Joannem ita ſcripſiſſe cenſeamus, dictioni illi conſuli nequaquam poſſet; niſi illud *ὁ ἔχων*, tanquam in vocativo poſitum, cum proxime ſequenti imperativo *λῦσον* conjungamus. Atque id in codicibus aliquot fieri teſtatur *Bengelius* in Apparatu Critico pag. 814.

τοὺς δεδεμένους ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Εὐφράτῃ) Epitheton *μεγάλῳ* deeſt in codice *Andr.* 2. & Latinis aliquot Patribus. Ideo Cl. *Bengelio* ex cap. XVI. 12. *quo loco illud magis ſit neceſſarium, adjectum fortaſſe* eſſe videtur in Apparatu Critico pag. 814. Non dubito equidem utroque in loco Joannis eſſe hoc epitheton, nec intelligo, cur alteri illi convenientius videatur. Euphrates *magni fluminis* elogio a Moſe *Deuter.* I. 7. & frequenter ab externis Græciæ & Latii Scriptoribus, inſignitur. Si Scholiaſten *Callimachi* hymno in Apollinem v. 107. audias, *Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος* Euphratem deſignat. *Lucano* III. 253. —— —— —— *cum Tigride magnus Euphrates*, *Ammiano* autem XXIII. 6. *flumen regium & Euphrates cunctis excellens* audit. Vide ibi Interpretes, & Illuſtrem *Ezechielem Spanhemium* ad Callimachum pag. 115. Memini, me in *Libanii* epiſtolis, quæ nunc operas exercent, idem legere elogium. Taceo, nominis hujus originem ex nonnullorum ſententia *amplitudinem* inferre. De ea ex variorum mente diſſerunt *Huetius* de Situ Paradiſi cap. XVI. §. 1. ſeqq. *Stephan. Morinus* in Exercitatt. de Lingua primæva ejusque appendicibus Exercit. I. cap. 13. pag. 13. & 137. & *Adrianus Relandus* Parte I. Diſſertatt. Miſcellan. diſp. I.

Verſ. 16. *Καὶ ὁ ἀριθμὸς στρατευμάτων τοῦ ἱππικοῦ*) Pro extrema voce alii *τοῦ ἵππου*, quod amplectitur *Grotius*; alii *τῶν ἵππων* legunt. Contra priorem lectionem Cl. *Bengelius* recte excipit, quod, ſi collective vox *ἵππος* pro exercitu equeſtri accipiatur, in fœminino genere ſcribendum fuerit *τῆς ἵππου*. *Τοῦ ἱππικοῦ* elliptice eſt accipiendum, ſubintellecta voce *τάγματος*; hanc enim de cohortibus militaribus frequenter, ab *Euſebio* inprimis, adhiberi docuit ad illum magnus *Valeſius* pag. 239. Græci alias *στράτευμα ἱππικὸν* & *πεδινὸν* dicunt.

καὶ

καὶ ἤκουσα) ϗ omittitur in codd. pluribus, quos ſequitur *Bengelius*.

Verſ. 17-19. His commatibus *tormentorum bellicorum* figuram & habitum deſcribi nonnulli exiſtimant. Inter hos eſt *Jo. Chriſtianus Seiz*, de quo leges Freywillige Heb-Opfer Tom. II. p. 930. & Tomo III. p. 145. cui ibidem Tom. IV. p. 33. jungitur Scriptor Anonymus libri Germanici, qui an. 1608. prodiit ſub titulo: **Der von GOtt beſtimmten Zahlen des Antichriſts 1260. endlicher Ausgang und Ende.** Transferam huc nonnulla Latine converſa: *Equi hi*, inquit, *longe alii ſunt, quam naturales illi, ad prælium accommodati, tanquam ex quorum ore ignis fumus & ſulphur eructantur, quæ omnia, emiſſo ſclopeto, in oculos incurrunt. Eorundem capita rotunda ſunt, h. e. globos habent, quibus emiſſis ſtragem edunt. Heic vero inprimis notandum eſt, caudas eorum ſerpentibus fuiſſe ſimiles. Quot vero ſunt tormenta bellica, quæ ſerpentum nomine appellantur? quot colorem ſerpentum referunt? Sicut denique venenum ſerpentum in caudis latet, ita idem de tormentis & aliis ejusmodi machinis pronunciari poteſt.* Hæc ille. Alios idem ſentientes adfert B. *Gerhardus Gravius* in commentario Apocalyptico germanice edito. Similiter *Eraſmus Schmidius* per duos teſtes, *περιβεβλημένους σάκκους* infra XI. 2. intelligit vetus & novum Teſtamentum, quatenus eo tempore, ad quod vaticinium illud ſpectat, chartis, ex materia linea præparatis, inſcribendum & exhibendum ſit.

ἔχοντας θώρακας πυρίνους) de loricis veterum lege *Ezech. Spanhemium* ad Juliani Orationes p. 248. ſqq. Conf. nos ad *Epheſ.* VI. 15. *Πυρίνους* per *æreos, probe politos* & *fulgidos* interpretatur *Chriſtianus Bruningius* in Compendio Antiquitatum Græcarum ex Sacris profanarum p. 82.

Verſ. 18. *Ὑπὸ τῶν τριῶν τούτων ἀπεκτάνθησαν τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων*) Pro *ἀπεκτάνθησαν* unus tantum codex legit *ἀπεκτάνθη*, ut ſcilicet voci *τρίτον* magis reſponderet. Enimvero reſpicitur ad *ἀνθρώπους*, tertia illa parte comprehenſos. Vide ſupra ad VII. 9. Ante *τούτων* vocem *πληγῶν* inſerunt codd. aliquot, quos ſequitur *Bengelius*, quemadmodum & præter *Vulg.* expreſſit *Coptus*. Quod ad ſenſum, nihil intereſt, ſi omittatur. Patet enim, per *τρία* illa reſpici ad *πῦρ*, *καπνὸν* ϗ *θεῖον* proxime ante v. 17. extremo commemorata, quæ & ipſa in hoc ipſo commate repetuntur: mox tamen v. 20. dicitur: *οἳ οὐκ ἀπεκτάνθησαν ἐν ταῖς πληγαῖς ταύταις*.

Verſ. 19. *Αἱ γὰρ ἐξουσίαι αὐτῶν ἐν τῷ στόματι αὐτῶν εἰσι*) Multi codices ita: *ἡ γὰρ ἐξουσία τῶν ἵππων ἐν τῷ στόματι αὐτῶν ἐστι*, ϗ *ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν*. Lectionem hanc amplexi ſunt *Grotius*, Editor N. T. Græco-Anglicani, & ex noſtratibus Cl. *Bengelius*, antea vero *Eraſmus Schmidius*, qui tamen retinet: *αἱ γὰρ ἐξουσίαι αὐτῶν*. *Caudarum* in his procul dubio mentio facta eſt a S. Joanne: neque enim alias apparet, quomodo ſubjicere potuerit: *αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν*, niſi eædem antea commemoratæ fuiſſent. Propterea & a *Vulg. Syro*, *Arabe* & *Copto* Wilkinſii eædem voces exprimuntur.

Verſ.

Verſ. 20. *ἵνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια, καὶ τὰ εἴδωλα*) *Δαιμόνια* h. l. non tam *ſpiritus impuros* denotant, quam *deaſtros*, & eos omnes, quibus cultus divinus præter verum Deum exhibetur. Ita *οἱ* LXX. *Deuteron.* XXXII. 17. *ἔθυσαν δαιμονίοις καὶ οὐ Θεῷ, θεοῖς, οἷς οὐκ ᾔδεισαν, immolarunt diis falſis, non Deo: diis, quos non noverant.* Ibi ſcilicet *θεοὶ* incogniti priore loco *δαιμόνια* appellantur. Sermo ſcilicet in hoc vaticinio eſt non de paganis, ſed de iis, qui Chriſtum ore profitentur. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 298. & *Joſ. Medum* in Operibus Anglicanis p. 636. item in Fragmentis Sacris Tom. X. Faſciculorum a Crenio editorum, p. 256.

CAPUT X.

VErſ. 1-3. ſingulari diſſertatione illuſtravit B. *Jo. Gerhardus* Jenæ 1635. *περιβεβλημένον νεφέλην*) i. e. *nube circumfuſum.* Ita Deus dicitur *ἀναβαλλόμενος φῶς, ὡς ἱμάτιον*, Pſalm. CIV. 3. Inter paganos Poëtæ Græci & Latini Deos ut *ἀέρα ἑσσαμένους*, & *nube amictos* ſimiliter ſiſtunt. Vide locos in Biblioth. Bremenſe Claſſ. IV. p. 1038. ſq.

καὶ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς) In iridem hanc ejuſque ſignificatum myſticum diligentius inquirit Rev. *Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. II. Exercitat. V. p. 188. ſq. Putat autem ad nimbos reſpici, quibus veteres paganos Deorum Dearumque, item Ducum ac Regum nomina ornaſſe conſtet. Porro oſtendit, quomodo iridis natura, colores & figura ad Chriſtum, tanquam Archangelum, repræſentandum, & ſpeciatim, ſi, ut corona conſideretur, ad gloriam ejus & majeſtatem Regiam adumbrandam, adhiberi poſſint. Obſervatio hæc belgice converſa exſtat in *Godsgeleerde vermakeliikheden* an. 1733. menſe Aprili p. 591. De ſignificatu vocis *ἶρις*, h. l. arcum cœleſtem omnino indicantis, contra *Dan. Heinſium*, pro *Herode* ſuo *Infanticida* adverſus *Balſacium* pugnantem, diſſerit *Salmaſius* in epiſtola ad *Ægid. Menagium*, ceteris ejus epiſtolis, Lugduni Batav. 1657. 4. editis, ſubjuncta p. 10. Idem p. 75. de origine vocis exponit, de qua etiam legi poſſit *Menagius* ad Laërtium VII. 152.

Verſ. 2. *Καὶ εἶχεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ βιβλαρίδιον*) Vocem *βιβλαρίδιον* cum *βιβλίον* & *βιβλιδάριον* codd. quidam permutant. Receptiorem lectionem firmat vox *βιβλάριον*, quæ itidem de libro adhibetur. Vide præſtantiſſimum *Bernhard. Montfauconium* in Palæographia p. 25. & 78. Alias etiam dicitur *βιβλίδιον*, quod *Salmaſius* oſtendit in lib. de Modo Uſurarum, paſſim. Cl. *Wilkinſius* vocem, qua heic uſus eſt *Coptus*, per *virtutem* expreſſit; at in Prolegomenis p. XXXVIII. monet, rectius vi commatis 10. per *librum* converti.

καὶ ἔθηκε τὸν πόδα αὐτοῦ τὸν δεξιὸν ἐπὶ τὴν θάλασσαν) In maris hujus, cui Chriſtus, Angelus fœderis & increatus, pedem impoſuiſſe dicitur, ſenſum myſticum inquirit laudatus *Ewaldus* lib. IV. Emblematum Sacrorum p.

465. Per *mare* intelligit *gentiliſmum*, per *terram* autem, ab altero Angeli pede calcatam, *Judaiſmum*, ut ſic Angelus hic, tanquam gentium pariter ac Judæorum victor & dominus, repræſentetur. Hoc oſtenſurus ille varia recenſet momenta analogiæ, inter mare & gentiliſmum intercedentis. Mare ſcilicet eſt vaſtum, ſalſum, impurum, nunc placidum & ſedatum, nunc ventis agitatum & tumens, porro excedit limites & aggeres, navigantibus autem per ſaxa ac vortices periculoſum &c.

Verſ. 4. Σφράγισον, ἃ ἐλάλησαν αἱ ἑπ]ὰ βρονταὶ) Singularis eſt ſententia M. *Georg. Chriſtoph. Dachſelii* in Bibliis Accentuatis, Parte II. p. 612. ſqq. ubi ex hac phraſi colligit, Joanni per τὸ, σφράγισον, *obſigna*, præceptum fuiſſe, vel, ut verba illa prorſus non conſignaret, vel ita conſignaret, ut literas Hebræorum quadratas, quibus uſum fuiſſe putat, nec vocalibus nec accentibus inſtrueret, adeoque intelligentiæ lectorum ſubduceret. Innititur hæc expoſitio illi hypotheſi, per quam ſcriptio ejuſmodi *obſignata* Hebræis dicta fuiſſe ipſi videtur, quæ literas Hebræas ſeorſim, & vocales accentusque, iisdem accommodatos, itidem ſeorſim in ſchedula exaratos & ſigillo munitos habuerit. Vide, quæ de hac ſententia, non ſane evicta, diximus in Bibliotheca Hebraica Vol. IV. p. 219. ſq. Ponamus autem, eam vel probari vel admitti unquam poſſe, hoc loco tamen omnino exulare debebat. Quis enim crediderit, Joannem ea, quæ Græce ſcripſit, Hebræis vel characteribus vel vocibus antea expreſſiſſe? Quis crediderit, ſcriptionem ejuſmodi *obſignatam*, h. e. abſconditam (vide *Dan.* XII. 4. 9. *Job.* IX. 7.) dici poſſe, quæ literis ſine vocalibus & accentibus ſit conſignata? Horum enim defectus non efficit, ut ſcriptura ejuſmodi hebraice intelligenti, quod ad ſenſum non pateat. Præſtat itaque ita ſentire, quod Joannes verbo σφράγισον nihil horum in literas referre juſſus ſit, quemadmodum nihil illorum commemoravit.

ϰ̀ μὴ ταῦτα γράψῃς) καὶ με]ὰ ταῦτα γρ. *Complut. Aud.* in MS. *Aug.* & in ed. Sylburg. Vide Cl. *Bengelii* Apparatum Criticum p. 816. qui hanc lectionem ex alliteratione ad vocem ταῦτα natam ſuſpicatur. Falſam eam eſſe recte oſtendit *Vitringa.* Miror fere, *Wolfburgium* in Obſervatt. Sacris p. 102. eam *forſan rectiorem* habere potuiſſe. *Quæ enim* (ita pergit) *expreſſe à Joanne hoc in loco ſcripta non exſtant, poſtea tametſi occulte & σφιγγικῶς ſub novarum viſionum figuris ac picturis nihilominus propoſita, & velut obſignata reperiuntur.* Neſcio enim, unde hanc conjecturam fecerit Vir doctus, in ſequentibus vaticiniis ea eſſe propoſita, quæ ſeptem illorum tonitruum vocibus continebantur. Similis huic phraſis exſtat XI. 2. ἔκβαλε ἔξω, ϰ̀ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς.

Verſ. 8-11. Ad hæc commata, quæ de libello, a Joanne deglutito, exponunt, diſſerit *Amelius* Parte II. der Erörterung p. 858-875. *Vitringam* ſecutus.

λάβε τὸ βιβλαρίδιον) Vide ad v. 2.

Verſ. 9. λέγων αὐτῷ· δός μοι τὸ βιβλαρίδιον) Codd. multi: λέγων αὐτῷ, δοῦναί μοι τὸ β. quos ſequitur *Bengelius.*

ϗ πικρανεῖ σε τὴν κοιλίαν) Vox κοιλία h. l. reſpondet, judice *Guſſetio* in Commentariis de lingua Hebr. p. 124. b. Hebræo בטן, quatenus illud *cor*, &, duplicata metonymia, animum denotat, ut *Jobi* XV. 2. & XXXII. 18. 19. Hinc factum fortaſſe eſt, ut in *Alex.* ſcriptum ſit καρδίαν. Secundum ſenſum literalem κοιλία idem eſt, quod *ventriculus*, ut *Ezech.* III. 1.

Verſ. 10. ϗ κατέφαγον αὐτὸ) καταφαγεῖν *devorare*, adeoque plus, quam *edere*, ſignificat. Vide *Diog. Laërt.* lib. VI. p. 380. μεταςχεῖν εἶπον, ȣ̓ καταφαγεῖν, quem locum adfert Cl. *Alberti* p. 488. eademque opera monet, hac dictione exprimi ſtudium, libelli illius argumentum cognoſcendi avidiſſimum. Ita *Cicero* VII. 3. epp. ad Atticum: *quid enim tibi faciam, qui illos libros devoraſti? Ariſtophan.* Acharnenſ. Act. II. Sc. IV. ſub fin. καταπιὼν Ευριπίδην. *Jeremias*, vates divinus, XV. 16. *inventa ſunt verba tua*, & *comedi illa.* Vide apud eum plura.

ϗ ἦν ἐν τῷ ςόματί μȣ, ὡς μέλι γλυκύ. ϗ ὅτε ἔφαγον αὐτὸ, ἐπικράνθη ἡ κοιλία μȣ) Vide D. *Philippi Mulleri* diſſertat. de dulci amaro, Jen. 1676.

Verſ. 11. δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι ἐπὶ λαοῖς) Hoc ἐπὶ *Beza* per *coram*, *Er. Schmidius* per *in*, *Hombergius* autem in Parergis p. 367. per *ſuper* convertit, ideo, quod ἐπὶ, genitivo, non autem dativo junctum, *coram* ſignificet, ut *Matth.* XXVIII. 14. & 1 *Tim.* VI. 13.

CAPUT XI.

VErſ. 1. Καὶ ἐδόθη μοι κάλαμος ὅμοιος ῥάβδῳ) Auctor Quæſtionum de revolutione animarum, quæſt. LXXX. & CV. Joannem aliquando in vitam rediturum, atque ea, quæ heic narrantur, facturum eſſe, præter rem ſuſpicatur.

καὶ ὁ ἄγγελος εἱςήκει λέγων) Ita hæc exhibet primum editio *Complutenſis*, quam recentiores maximam partem ſequuntur. Cum vero, teſte *Millio*, codd. manu exarati magno conſenſu reclament, & phraſin illam omnem, καὶ ὁ ἄγγελος εἱςήκει, omittant, atque adeo vocem λέγων voci κάλαμος proxime jungant, *Stephanus*, *Millius*, Editor N. T. Græco-Anglicani, alii, interque hos noviſſime Cl. *Bengelius* eandem omittunt, quemadmodum & B. *Lutherus* in verſione ſua non expreſſit. *Millius* in Prolegomenis §. 1260. orationem ait eſſe σόλοικον & ellipticam. *Vitringa*, qui & ipſe omittenda, quæ dixi, cenſet, phraſin omnem per ἑτέρωσιν, alias receptam, interpretatur, per quam vox λέγων non ad κάλαμον referatur, quaſi ille ſit locutus, ſed ad ſenſum, qui ſententiæ ſubeſt. Sententiam vero hanc eſſe ait, ac ſi ſcriptum fuiſſet: καὶ ἔδωκέ μοι κάλαμον ὅμοιον ῥάβδῳ, λέγων. Atque hæc vera puto, ſi a recepta hodie lectione, quam tamen & *Syrus* tuetur, diſcedendum eſſe cenſeas.

καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ) Pronomen *αὐτῷ* non referendum eſt ad proxime antecedens *θυσιαστηρίῳ*, ſed ad *ναῷ*. Id vero pronominibus relativis ſæpe uſu venire patebit ex iis, quæ ad *Matth.* III. 7. dicta ſunt. Poſſis tamen *τὸ*, *ἐν αὐτῷ*, etiam ad *θυσιαστηρίῳ* referre, ſi *τὸ ἐν* per *juxta* convertas. Hæc enim particulæ illius notio eſt, ex plerorumque Interpretum ſententia, *Hebr.* IX. 4.

Verſ. 2. Καὶ τὴν αὐλὴν, τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ, ἔκβαλε ἔξω) Pro ἔξωθεν codd. aliqui habent ἔσωθεν, quod cum *Stephano Millius* exhibet, & B. *Lutherus* in verſione expreſſit. Ab altera parte plures & antiquiores libri, imo & verſiones, inter quas & *Coptica* eſt, ἔξωθεν legunt, verius utique, & tum argumento heic tractato, tum phraſi *Ezech.*XL.6. ubi ſimile aliquid refertur, convenientius. Ibi enim, ut & in capitibus ſequentibus, חצר החיצונה i. e. *αὐλὴ ἐξωτέρα*, *atrium exterius*, aliquoties commemoratur. Itaque lectionem ἔσωθεν ex eo natam recte ſuſpicantur eruditi, quia id, quod *foris* eſſet, *foras* ejiciendum parum convenienter dici videretur. Enimvero *ejicere* h. l. idem eſt, quod à menſurando *excludere*. Id patet ex addito: *καὶ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς.* Hoc quoque menſoribus Latinis *extracludere* dici commode ex *Frontino* obſervavit *Grotius*. Lege, quæ de hac verbi ἐκβάλλειν notione diſſerit *Eraſmus Schmidius* ad *Matth.* XXI. 12. n. 12. Adde, quæ pro noſtra lectione dicunt *Nicol. Gurtlerus* in Syſtemate Theologiæ Propheticæ p. 559. & *Rich. Simon* in Novis Obſervationibus ſuper N. T. p. 262. nec omitte, quæ de hoc & ſequentibus aliquot commatibus diſſerit *Coccejus* Tom. II. Operum Poſthumorum p. 497.

καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας τεσσαράκοντα δύο) Tribus his annis cum dimidio ad geſta Antiochi Epiphanis reſpici ab Interpretibus monitum eſt. Illius enim perſecutio eodem temporis intervallo continebatur. *Joſephus* de Bello Judaico VI. 11. *ἠρημώθη δ' ἔτη τρία καὶ μῆνας ἓξ τὸ ἅγιον.* Conf. Antt. X. 12. & adde *J. B. Ottii* Annotatt. ad Joſephum Tom. II. Operum edit. Havercampianæ p. 318.

Verſ. 3-11. exponuntur à *Jo. Melchiore* Tom. I. Operum p. 651-669. & Tom. II. p. 676. ſqq. de cujus ſententia mox dicemus. Cogitata ejus in ſummam refert, & ſuis auget *Amelius* Tom. II. der Erörterung p. 786-832. Adde B. *Henr. Muhlii* vel, ſi mavis, *Alberti Feldenii* diſſertat. de fato duorum teſtium, Kilonii 1702. & *Brandani Henr. Gebhardi* illam, qua Vaticinium hoc Joanneum *de Lutheri Reformatione* accipiendum eſſe oſtendit, Gryphiswald. 1717. 4. Eadem eſt ſententia Anonymi Angli in *Anſwer to ſeveral remarks upon D. Henry More his expoſitions of the Apocalypſe and Daniel*, quæ Londini 1685. 4. prodiit. Summam libri habes in Actis Erudit. Lipſienſium 1685. p. 119. In alia omnia abit Anonymus ſcriptor der Summariſchen Betrachtung der Kirchen-Hiſtorie Neues Teſtaments, de qua ad XII. 1. dicemus. Huic enim p. 196. ſqq. expoſitio hujus capitis inſerta eſt.

Verſ.

Verſ. 3. *Καὶ δώσω τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου*) Quinam per binos hos teſtes intelligantur, ab Interpretibus varie diſputatur. Alii ad Fœdus utrumque, vetus & novum, referunt, quæ *Melchioris* eſt ſententia; alii ad *Legem* & *Evangelium*; ut *Joannes Aſſelmannus* in Exercitat. Theolog. Part. II. pag. 259. ſeq. alii ad duas perſonas, ſpeciatimque *Enochum* & *Eliam*, tanquam olim in vitam rédituros, quod veterum multis viſum eſſe *Natalis Alexander* diſſ. VI. ad Ætatem quintam V. T. & *Fevardentius* ad Irenæi IV. 30. & V. 5. oſtendunt, cui tamen expoſitioni adverſantur *Chamierus* Tom. II. Panſtratiæ Catholicæ lib. XVII. cap. 5. & alii ab eruditiſſimo *Fabricio* noſtro in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti Tom. I. pag. 291. allati. Iidem, *Henochus* & *Elias* in ſcholiis ad codicem MS. Gr. N. T. Uffenbachianum appellantur, teſte B. *Joanne Henrico Majo* Parte II. Bibliothecæ Uffenbachianæ MS. in fol. editæ, pag. 419. Alii *Moſen* & *Eliam* præferunt, inter quos eſt *J. C. Seizius*, cujus ſingularis exſtat de his teſtibus diſſertatio germanica an. 1722. ſine loci mentione edita, qua, illos noſtra ætate inter vivos comparituros, oſtendere conatur. Confer Auctorem CC. quæſtionum de revolutione animarum, quæſt. 79. Alia de his leges in *Jac. Durfeldii* Diſcurſu Theolog. de duobus teſtibus Apocalypticis Roſtoch. 1638. & apud eos, quos ex noſtratibus recitat B. *Sam. Bened. Carpzovius* in Societate Frugifera, germanice edita Parte I. pag. 1444. & 1449. ubi ſpeciatim quoque de iis, qui teſtes hos de *Huſſo* & *Luthero* accipiunt. Inter hos quoque eſt *Samuel Martinius Horzovinus* in Comparatione Huſſi & Lutheri pag. 143. Contra *Hammondum*, duos teſtes de duobus epiſcopis, altero coloniæ Judaicæ, Gentilis altero, interpretanti, nonnulla obſervat Rever. *Henr. Scharbau* in Parergis Philologico-Theologicis Part. III. p. 90. ſqq.

Verſ. 4. *οὗτοί εἰσιν αἱ δύο ἐλαῖαι*) Vide *Adriani Cocquii* Phytologiam pag. 137.

αἱ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ τῆς γῆς ἑστῶσαι) Cl. *Bengelius* ita, præeuntibus codicibus aliquot, & verſionibus: *αἱ ἐνώπιον τοῦ κυρίου τῆς γῆς ἑστῶτες*. Quod ad vocem *κυρίου* attinet, rectior illa videri poteſt ex eo, quod *Zachar.* IV. 14. ubi in antecedentibus viſio, noſtræ huic ſimilis, allata eſt, eadem phraſis legitur: *οὗτοι οἱ δύο υἱοὶ τῆς πιότητος παρεστήκασι κυρίῳ πάσης τῆς γῆς*. Et fieri facile potuit, ut vox *κυρίου* cum altera *Θεοῦ* permutaretur, quandoquidem in codicibus altera quodam ſcribendi compendio per *κῦ*, altera per *Θῦ* exarari conſuevit. Pro altera tamen lectione dici poteſt, quod mox v. 13. *Θεὸς τοῦ οὐρανοῦ*, non *κύριος*, appelletur. Utroque vero in commate Deus O. M., qui *ἔκτισε τὸν οὐρανὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ* X. 6. indicatur. Neque enim h. l. per *Θεὸν τῆς γῆς* diabolum in *ἀντιθέσει* ad verum Deum, (tanquam *Deum cœli*) intelligi poſſe exiſtimo, coram quo teſtes hi ſtare dicantur, quia non cauſa cadant, ſed eam obtineant. Ita vero ſtatuere video *Petrum Zornium* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 71. Vox *ἑστῶτες* pro *ἑστῶσαι* ſi admittatur, omittendus ſaltem

fuerit

fuerit articulus *αἱ*, qui etiam in nonnullis codd., *ἑϛῶτες* habentibus, deſideratur. Sic enim *τὸ*; *ἑϛῶτες* dici poſſit, non tam ad voces *ἐλαῖαι* & *λυχνίαι*, quæ femininum genus requirunt, quam ad perſonas, quæ per eas indicantur, referri, quemadmodum & vox *ὗτοι* antecedit.

Verſ. 5. *Καὶ εἴ τις αὐτὺς θέλῃ ἀδικῆσαι*) Vide ſupra ad IX. 4.

ὕτω δεῖ αὐτὸν ἀποκτανθῆναι) *ὕτω* deeſt in *Alexandr.* ideo fortaſſe, quod abundare videbatur, cum tamen procul dubio reſpectus habeatur ad ignem antea commemoratum, tanquam quo perituri ſint teſtium illorum adverſarii.

Verſ. 6. *Οὗτοι ἔχυσι τὴν ἐξυσίαν κλεῖσαι τὸν ὐρανὸν*) Judæi alias clavem pluviæ ſoli Deo propriam eſſe tradunt in Targum Hieroſol. Geneſ. XXX. 22. Vide locum apud *Schœtgenium* p. 1117.

ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετὸς ἐν ἡμέραις αὐτῶν τῆς προφητείας) Codices quidam pro *ἐν ἡμέραις* legunt *τὰς ἡμέρας*, quos ſequitur *Bengelius*. De illo pluviæ defectu confer *J. B. Ottium* ad Joſephum Tom. II. p. 318.

καὶ πατάξαι τὴν γῆν πάσῃ πληγῇ) Phraſin hanc confert cum illa *Jeſaiæ* XI. 4. *Vitringa* in commentario ad illum locum. Vocem *πληγὴν* etiam ab externis Scriptoribus de pœnis varii generis, per bella, peſtilentiam &c. inflictis, adhiberi oſtendit *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 61.

Verſ. 7. *ποιήσει πόλεμον μετ' αὐτῶν*) *bellum faciet*, phraſi Latinis & Græcis pariter recepta. Vide *Raphelii* Annotationes Polyb. p. 718.

Verſ. 8. *πόλεως τῆς μεγάλης, ἥτις καλεῖται πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτος*) Ægypti ſpiritualis meminerunt etiam Judæi, eamque מצרים של מעלה *Ægyptum ſuperiorem*, inferiori, vel תחתאי oppoſitam, vocant. Vide loca apud *Schœtgenium* pag. 1118. Per Ægyptum *Romam* innui communi fere Interpretum conſenſu conſtat. Rationem appellationis reddit *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. VI. p. 493.

ὅπυ καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν ἐϛαυρώθη) Hæc phraſis Cl. *Lakemacherum* adduxit, ut urbem magnam, de qua h. l. ſermo eſt, de. Hieroſolyma, quæ Chriſtum cruci adfixum vidit; acciperet. Vide ejus Obſervationes Sacras Parte III. p. 287. Confer, quæ infra ad XVII. 8. ſcribentur.

Verſ. 10. *καὶ δῶρα πέμψυσιν ἀλλήλοις*) Ad hæc verba de variis occaſionibus, quibus veteres munera ſibi invicem mittere, eaque nunc *natalitia*, nunc *Saturnalia*, nunc *nuptialia*, nunc *ſoteria*, nunc *chariſtia*, appellare ſolebant, commentatur *Doughtæus* in Analectis Sacris p. 157. ſq.

Verſ. 11. *Καὶ μετὰ τὰς τρεῖς ἡμέρας καὶ ἥμισυ πνεῦμα ζωῆς ἐκ τῦ Θεῦ εἰσῆλθεν ἐπ' αὐτὺς*) Variant in poſtrema phraſi codices. Alii enim cum *Eraſmo* & duobus codd. pro *ἐπ' αὐτὺς* habent *αὐτοῖς*, quos ſecutus eſt *Bengelius*; alii *ἐν αὐτοῖς*, alii *εἰς αὐτύς*. Si ex Græcorum Scriptorum conſuetudine judicium ferre velimus, præferenda fuerit lectio *εἰσῆλθεν εἰς αὐτύς*. Nihil enim illis frequentius eſt, quam *εἰσελθεῖν εἴς τινα* illum dicere, qui

ad

ad alium venit. Nubem exemplorum habes apud *Joannem Henricum Majum* in Obſervatt. Sacris lib. II. pag. 6. ſqq. edit. repetitæ, *Ludolpho Kuſtero* oppoſitam, qui, Græce alioquin callentiſſimus, accuratioris elegantiæ Græcos ita loqui ad *Ariſtophanis* Plutum v. 237. & 242. præceps negaverat. Iisdem vero etiam receptum eſſe εἰσελθεῖν ἐπί τινα, idem pag. 13. hoc *Phlegontis Tralliani* loco cap. 1. Mirabilium, probat: ἔδοξεν πρῶτον εἰσελθεῖν ἐπὶ τὸν τάφον ἡμᾶς, *placuit, ut primi ingrederemur ſepulchrum.* Alterutram harum lectionum prætulerim illi, εἰσῆλθεν αὐτοῖς, quæ paucorum codicum auctoritate nixa omni alio exemplo, ni fallor, deſtituitur, quemadmodum ipſa præpoſitio εἰς nunquam cum dandi caſu conjungitur. Cl. *Joannes Chriſtianus Herzogius* in diſſ. de particulæ ἐπὶ, cum caſu quarto junctæ, proprio ſignificatu pag. 31. phraſi hac εἰσῆλθεν ἐπι id innui putat, quod hic ſpiritus vitæ illos non intraverit, & ſtatim reliquerit, ſed ſuper ipſis requieverit potius & permanſerit. *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. c. IV. pag. 68. πνεῦμα ζωῆς comparat cum Hebræorum נשמת חיים, egreſſum vero ejus a Deo cum phraſi Kabbaliſtarum, de אצילות ſive *emanatione animarum a Deo,* ſive *Sephiroth* frequenter loquentium. Hæc ſuo loco relinquo.

Verſ. 13. ϗ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῷ σεισμῷ ὀνόματα ἀνθρώπων) i. e. *perſonæ hominum* ſeu *homines*, vide ſupra ad III. 4. Conf. *Perizonium* ad *Æliani* Var. Hiſtor. p. 836. qui utraque phraſi ὀνόματα & ὀνόματα ἀνθρώπων in dictis locis Apocalypſeos idem ſignificari recte exiſtimat. Intercedit quidem *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tom. II. p. 692. locum præſentem alteri illi παράλληλον eſſe inficiatus. *Nec enim*, inquit, ὀνόματα ἀνθρώπων *conjunctim extra locum, quem in manibus habemus, uſquam reperire eſt: nec vox* ὀνόματα *ſimpliciter de capitibus hominum, niſi his tantum* Actor. I. 15. & Apocal. III. 4. *alibi alia atque alia ſignificatione adhibetur. Quæ cum ita ſint, per* ὀνόματα ἀνθρώπων *deſignantur* ἄνθρωποι ὀνομάτων, viri nominis. *Hujuſmodi enim hypallage in Scripturis non infrequens eſt, ut in rectione nominum, id quod epitheti loco eſt, præcedat. Teſtantur* argentum ſiclorum *Levitic.* V. *pro* ſiclis argenti, *ſeu argenteis*, immunditia hominis *pro homine immunditiei i. e. immundo* &c. Idem poſt *Medum* & *Launæum* ſtatuit *Vitringa* ad h. l. cujus argumenta leges & expendes.

Verſ. 14. Ἡ οὐαὶ ἡ δευτέρα ἀπῆλθεν) De ſtructura hac lege ſupra ad X. 12.

Verſ. 15. Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐσάλπισε) Tubicinium hoc ſeptimum ad Leonem X. Papam refert B. *Joannes Olearius* in programmate ſingulari, quod Lipſiæ primum an. 1692. editum in Celeberr. *Chriſtiani Friderici Bœrneri* Pietate Lipſienſi recuſum eſt pag. 142. ſeqq. Inter cetera pag. 144. ait: *hujus tubicinis* (Leonis X.) *clangor turpiſſimam indulgentiarum nun-*

nundinationem in ore habentis, toto orbe inſonuit. Et pag. 145. *Hoc* Væ *tertium illud, hæc iſta malorum Ilias, quæ Leone X. tubicine intonante ſecuta eſt.*

καὶ ἐγένοντο φωναὶ μεγάλαι ἐν τῷ οὐρανῷ, λέγουσαι) Quatuor ſunt codices, qui habent λέγοντες, quos non video, cur ſecutus ſit Cl. *Bengelius.* Certe paulo ante v. 12. dicitur: καὶ ἤκουσα φωνὴν μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ λέγουσαν, nullo codice diſſentiente, niſi, quod quidam caſum mutant per φωνῆς λεγούσης. S. Joannes in ſuperioribus aliquoties φωνὴν λέγουσαν commemorat, v. c. IV. 1. VI. 6. 7. IX. 14. X. 4. 8. nec minus in ſequentibus, etiam ſine diſſenſu codicum. Credine igitur poteſt, eundem hoc loco aliter ſcripſiſſe? Nonne veri eſt ſimilius, librarios dormitantes ſolœciſmum manifeſtum invexiſſe?

Verſ. 17. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος) Voces καὶ ὁ ἐρχόμενος deſiderantur in multis codicibus, quas propterea omittunt Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & Cl. *Bengelius*, tanquam ex ſuperioribus huc relatas. Nec diſſentit Rev. *Zeltnerus* in diſſertatione de Evangelio tetragrammato e N. T. exulante pag. 29. *Unde etiam*, inquit, *in locis parallelis e. g. XI.* 18. *ſola*, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, *expreſſa inveniuntur*, ἐρχόμενος, *tanquam ad deſcriptionis iſtius complementum non æque pertinente, plane omiſſo.* Non intelligo, fateor, cur h. l. voces illas, quas ſupra ter adhibuerat, Joannes omiſiſſe credi debeat.

Verſ. 18. τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μεγάλοις) Vid. ad *Actor.* VIII. 10.

Verſ. 19. Καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ) Phraſin hanc ad manifeſtatam expiationem, per Chriſtum factam, refert *Vitringa* in Archi-Synagogo cap. IX. pag. 167. Ἱλαστήριον, inquit, *tectum erat ſub V. T. velo quodam pretioſiſſimo, quia* λύτρον *nondum adductum erat, per quod fieri debebat* ἱλασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις. *Sed ſub N. T. rupto velo, h. e. juxta Apoſtolum, carne Chriſti fracta, ad crucem, tota illa arca, &* ἱλαστήριον *arcæ, & omnia, quæ in ſanctiſſimo illo loco erant*, omnium oculis publice ſunt expoſita. *Unde Apoſtolus* (Rom. III. 25.) ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον. *Comparandus omnino eſt locus* Apoc. XI. 19.

CAPUT

CAPUT XII.

Quæ hoc capite exponitur viſio, de muliere pariente, & draconis inſidiis obnoxia, eam a variis varie explicatam eſſe conſtat. Nuper Anonymus quidam mulierem de cœtu credentium, inde a primis ejus in V. T. originibus usque ad initium N. T, quo Meſſias eſt natus, interpretatus eſt, draconem autem de Satana accipit,qui, inde a paradiſo & Caino usque ad Herodem, puero inſidiatus ſit, ut illum, ubi in lucem editus eſſet, tolleret ante, quam ex conſilio divino hominibus ſalutem pareret, quamvis conſilio ſuo ſit fruſtratus. Hæc ſententia fuſius ab Anonymo, quem dixi, expoſita eſt, in ſchediaſmate vernaculo, quod ſub titulo: Erſtes Blat Monatlicher Blätter vom Baum des Lebens zur Geſundheit der Heyden, ſuper Apocal. XII. Berolini 1731. 4. prodiit. Similiter *Anton. Drieſſenius*, Theologus hodie Groninganus, per *mulierem* Eccleſiam Judaicam, per *partum* vero filii, & raptum ejus ad thronum Dei, nativitatem Chriſti, & adſcenſum in cœlos intelligit in *Reſponſionibus ad Herm. Deuſingii* dubium motum circa Chronotaxin Apocalypticam, Ultrajecti 1717. 4. editis. Conf. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 144. & Claſſ. II. p. 961. ſqq.

Alii, & quidem plerique ex noſtratibus, viſum hoc ad ea referunt, quæ ſub *Conſtantino M.* ſunt geſta. Huc ſpectat etiam Anonymus auctor der Summariſchen Betrachtung der Kirchen-Hiſtorie Neues Teſtaments von Anfange deſſelben bis an die herannahende letzte Zeiten zu,nach Anleitung des von Wort zu Wort erwogenen XII. Capitels der heil. Apocalypſis, quæ prodiit ſine loci indicio an. 1722. 8. Ille vero hoc capite non ſolum beneficia, a Deo Eccleſiæ per Conſtantinum M. exhibita, ſed & depravationem interioris Eccleſiæ ſtatus, mox ſecutam, in extremis inprimis commatibus, repræſentari exiſtimat.

Alii per *mulierem* intelligunt Eccleſiam N. T. per *filium* vero Chriſtum myſticum, myſtice in mundo natum, ut Regem gentium, & myſtice in cœlum adſumtum, cum in throno Dei, jam inter gentes erecto, collocatus eſſet, &c. Hæc eſt ſententia *Herman. Deuſingii*, quam adſtruere conatur Anonymus in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 145. ſqq.

Alii ad tempora reformationis Eccleſiæ, à B. Luthero divinis auſpiciis ſuſceptæ, ſpectare exiſtimant. Inter hos eſt B. *Dannhauerus* Part. VIII. Lactis Catechetici p. 177. & Rev. *C. A. Heumannus*, licet alia via rem aggreſſus, in Luthero Apocalyptico p. 19. ſqq. Sententiæ ſummam habes in Relationibus Theologicis Novantiquis an. 1718. p. 292.

Alii per *mulierem* Eccleſiam Judaicam intelligunt, extremis his temporibus ad Chriſtum perducendam. Ita ſtatuit *J. W. Peterſenius* in libello vernaculo: Das Geheimnis des gebährenden Apocalyptiſchen Weibes, Francofurti 1708. 8. cujus ſententiæ ſumma non ita pridem in plagula una denuo eſt expoſita. Confer easdem, quas modo dixi, *Relationes Theologicas* an. 1709. p. 477.

Adde vero B. *Brandani Henrici Gebhardi* Programma ſingulare, *quo detorſionem Peterſenianam à capite hoc abſtergit*, Roſtochii 1710.

· Noviſſime Cl. *Jo. Albertus Bengelius* cogitata ſua de hoc capite & ſequentibus expoſuit im Alten und Neuen aus dem Reiche GOttes Parte X. p. 55. ſqq. ita quidem, ut *Va* illud *tertium*, heic enarratum, adhuc durare & conſideratione dignum eſſe, oſtendere conetur.

Omitto alia aliorum. Mihi quidem illi ſe præ ceteris probant, qui fata Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ ſub Conſtantino M. experta eſt, hoc capite deſcribi exiſtimant. Ad ſex priora commata *Nic. Zapfii* Opuſculum Theologicum, inter cetera tractatum de muliere, amicta Sole, complectens, & Norimbergæ 1637. 8. editum, ſpectat.

Verſ. 1. *Καὶ σημεῖον μέγα ὤφθη ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ. Γυνὴ περιβεβλημένη τὸν ἥλιον κ. τ. λ.*) Simile quid legas in *Sobar* fol. 47. col. 187. ad *Exod.* XXI. 22. Quando viri ſecum invicem contendent, *intelliguntur Michaël & Sammaël.* Et percutient mulierem gravidam: *h. e. Eccleſiam Iſraeliticam.* Et partus exit: *hoc fit in exilio.* Puniendo punietur, *nempe Sammaël.* Quemadmodum uxoris maritus conſtituet: is *eſt Deus Sanctus Benedictus.* Obſervavit locum *Schœtgenius* p. 1118.

καὶ ἡ σελήνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν ἀυτῆς) Eccleſiam heic tanquam peſſundantem omnem idololatriam, cujus princeps tum *Diana*, per *lunam*, tanquam ſymbolum illi proprium, ſignificata, fuerit, depingi exiſtimat *Jo. Robinſonus* in *Lapide ad altare*, Endoxis ejus juncto Londini 1656. 8. Vide p. 102. *Roma* per *lunam* tanquam ſymbolum ejus, Eccleſia autem triumphantis ſitu geſtu & habitu repræſentari videtur *Stephano le Moyne* p. 215. Diſſertationis ad *Jerem.* XXIII. 6. Eam ait non lauru, quercu, oliva, ſed ſtellis & luce, imo Sole, i. e. radiis Solis juſtitiæ ornatam ſiſti, ſicut olim triumphantes Jovis tunica ſoliti ſint indui.

Verſ. 2. *Καὶ ἐν γαςρὶ ἔχȣσα, κράζει ὠδίνȣσα*) Quare Eccleſia cum matre comparetur, oſtendit *F. A. Lampius* in Dodecade Exercitationum ad Pſ. XLV. p. 562. ſqq.

Verſ. 3. *Καὶ ὤφθη ἄλλο σημεῖον ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ κ. τ. λ.*) Hoc & ſequens comma illuſtrat *Jo. Eskuche* in Miſcellaneis Sacris p. 53. ſqq. quemadmodum *Bernh. Pet. Karlius* integram periocham de dracone & duabus beſtiis a *ψευδερμηνείᾳ Hermanni Hardtii* vindicat in Biblioth. Bremenſe Claſſ. VI. p. 1120. ſqq. Quod ad phraſin primam attinet, ſimilis eſt illa *Homeri* Iliad. *β.* v. 308.

Ενθ' ἐφάνη μέγα σῆμα. δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς
Σμερδαλέος.

καὶ ἰδȣ̀ δράκων μέγας πυῤῥὸς) Per draconem rufum Diabolum ejusque inſtrumenta, hoſtes nominis Chriſtiani, ſpeciatim vero Imperatores Romanos, qui graviſſimis perſecutionibus nomen Chriſtianum delere conati ſint. indicari

indicari exiſtimat *Jac. Lydius* in Syntagmate Sacro de re militari lib. III. c. 7. p. 94. ſqq. Verba ejus repetit *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tom. II. p. 282. ſq. Præcipua ratio in eo poſita eſt, quod eo tempore Joannes Apocalypſin ſcripſit, quo draco inter ſigna militaria haberi cœptus eſt; hoc vero loco *rufus* appellatur, quod dracones ejuſmodi militares *in vexillis rubris* ſive *purpureis* efficti ſunt. Propius ad mentem S. Joannis accedere videtur magnus *Bochartus*, Parte II. Hierozoici p. 436 contendens, draconem hunc ideo *rufum* appellari, quod draconibus alias *fulvus*, *flavus*, aut *rufus* color a Scriptoribus tribuatur.

Verſ. 4. Καὶ ἡ οὐρὰ αὐτοῦ σύρει τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων κ. τ. λ.) Vid. ad hoc comma *Guil. Saldeni* Otia Theolog. p. 550. & Obſervatt. Miſcellaneas, germanice editas Tom. III. p. 676.

καὶ ὁ δράκων ἕστηκεν ἐνώπιον τῆς γυναικὸς, τῆς μελλούσης τεκεῖν) Vox μέλλουσα heic conjungitur cum futuro verbi τίκτειν, ſicut *Actor.* XXIV. 25. legitur, τοῦ κρίματος μέλλοντος ἔσεσθαι. Idem vero frequenter fieri a Græcis oſtendit *Jo. Henr. Majus*, filius, de Pleonaſmis linguæ Græcæ in N. T. occurrentibus, p. 29. Exempla habes etiam apud *Stephanum* in Theſauro T. II. col. 871. Memini, me ſimilia legere frequenter in *Libanii* epiſtolis, quæ operas Amſtelodamenſes mea cura cum maxime exercent.

Verſ. 5. Καὶ ἔτεκεν υἱὸν ἄῤῥενα,) Altera duarum poſtremarum vocum abundat, cum omnis *filius* ſit *maſculus*. Similiter *Ariſtophanes* in Ἐκκλησιαζούσαις v. 547.

Μὴ Φροντίσῃς, ἄῤῥεν γὰρ ἔτεκε παιδίον.

Et ſic *Alciphron* lib. III. ep. 63. τέτοκεν αὐτῷ τὸ γύναιον παιδίον ἄῤῥεν. Obſervavit *Majus* loco modo laudato p. 42. Per maſculum illum B. *Dannhauerus* in Lacte Catechetico l. c. & in Antichriſtoſophia p. 370. cumque illo D. *Jo. Olearius* in programmate ſingulari, quod in *Pietate Lipſienſi* D. Bœrneri recuſum exſtat, p. 150. de *Martino Luthero* accipit. *Nomen*, inquit, *ominoſum, a fortitudine ac puritate ductum*: Martinus, *enim, à Marte dictus, fortem bellatorem*, Lutherus *Saxonica dialecto* purum *ac* ſincerum *notat; Heros ac vere maſculus filius, h. e. non mollis, ſed alacris, fortis, generoſus ac ſtrenuus vir, qui negotium draconi faceſſere, & fortiter ſe ipſi opponere auſus eſt. Id enim vox maſculi indubitanter innuit. Nam alias ſatis fuiſſet, ſi* filium *peperiſſe dixiſſet Joannes, ſed ut emphaſin indicaret* ἄῤῥενα *addidit.* Lege cetera.

. καὶ ἡρπάσθη τὸ τέκνον αὐτῆς πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ) Simile quid legis, monente *Schœtgenio*, in *Jalkut Rubeni* fol. 84. 4. *Rachel, neptis Mathuſalæ, gravida fuit, & partui proxima in Ægypto. Hanc conculcaverunt, & puer prodiit ex viſceribus ejus, & ſub lecto jacuit. Et deſcendit Michaël, & adduxerunt eum coram throno gloriæ. Illa vero nocte percuſſi ſunt omnes primogeniti in Ægypto.*

Verſ. 6. ὅπου ἔχει τόπον) Codices aliquot habent, ὅπου ἔχει ἐκεῖ, quos

ſequitur

ſequitur Cl. *Bengelius*, fortaſſe non præter rem, cum τὸ, ἐκεῖ facile per antecedens ἔχει excludi potuerit. Quamvis enim ἐκεῖ illud h. l. natum videri poſſit ex mox ſequente ἐκεῖ, eadem tamen dictio occurrit v. 14. ὅπου τρέφεται ἐκεῖ, niſi ibi cum nonnullis pro ὅπου legere malis ὅπως.

ἵνα ἐκεῖ τρέφωσιν αὐτὴν) *ut ibi nutriatur illa.* Phraſis bene Græca, per quam activum verbum ponitur pro paſſivo, ut *Luc.* XII. 20. Vide *Georgii* Vindicias V. T. p. 246.

Verſ. 7. Καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ, κ. τ. λ.) De hac pugna Michaëlis cum dracone commentantur ex noſtratibus in diſſertationibus ſingularibus, *Abrah. Calovius*, Witteberg. 1677. *Jo. Dornfeldius* Lipſ. 1690. & *Georg. Schwarzius*, Witteberg. 1679. quæ recuſa eſt in Theſauro Theolog. Philologico N. T. fol. 836. Lege de eadem duo programmata Academica, quæ recuſa ſunt in *Gabrielis Terne* Sylloge programmatum p. 363. & 858. Inſpice præterea B. *Franciſci Wokenii* Stromata Apoſtolica Parte II. p. 153. ſqq. & *Amelii* Erörterung Tom. I. p. 382. ſq. qui cum *Vitringa* viſo hoc reſpici exiſtimat perſecutionem Chriſtianorum Diocletianeam, eamque ultimam, poſt quam Eccleſia Chriſti ſub Conſtantino M. & ſequentibus Imperatoribus Chriſtianis tranquillitati ſit vindicata. Phraſi hac, πόλεμος ἐγένετο frequenter uti *Polybium* oſtendit *Raphelius* p. 718. Annotatt. Polybianarum. *Bellum in cœlis factum* Judæi quoque, obſervante *Schœtgenio*, myſtico ſenſu tradunt in *Jalkut Rubeni* ad Exodi XV. 7.

ὁ Μιχαὴλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἐπολέμησαν) *Michaëlem* de angelo increato, filio Dei, plerique accipiunt Interpretes. Pro hac ſententia lege Rev. *Jo. Balthaſ. Bernholdi*, Theologi Altorfini, Meditat. Exegeticam de Michaële, Archangelo uno, Altorf. 1726. & Cl. *Erneſti Frider. Neubaueri* diſſertat. de Michaële, Archangelo, non creato, ſed creatore, Jeſu Chriſto, Halæ 1732. ut alios omittam, de quibus ſupra ad ep. Judæ v. 9. Ex Reformatis huc ſpectant *Herman. Witſius* in Exercitatt. Academicis Exerc. V. quæ recuſa exſtat in ejusdem Miſcellaneis Sacris Tom. II. p. 119. & *Frider. Adolphus Lampe* in Dodecade Exercitationum ad Pſalm. XLV. p. 119. ſqq. ubi etiam nonnulla, ex ſcriptis Judæorum huc pertinentia, leges, quibus alia addit *Schœtgenius.*

Verſ. 8. καὶ οὐκ ἴσχυσαν) Multi codd. legunt ἴσχυσεν, quod & Cl. *Bengelius* exhibet. Quod ad rem nihil refert. Pluralis numerus ſpectat tum ad angelos, una cum ipſo præliantes; ſingularis vero tantum ad draconem, tanquam ducem ceterorum. *Pricæus* legere malebat, οὐ κατίσχυσαν, *non prævaluerunt contra illum*, ſed ſine ullius codicis exemplo. Itaque recte emendationem illam averſatur Cl. *Alberti* in Periculo Critico p. 41. *Jam vero*, inquit, κατ' αὐτοῦ *ſubaudiendum, ut* Act. XIX. 16. (*quem locum ipſe* Pricæus *contulit*) *vel ſimplex pro compoſito accipiendum ut ſæpe aliis in verbis. Forte huc pertinet* Act. XIX. 20. *ut* ἴσχυεν *notet ibi*, prævalebat. *Gloſſæ*: ἴσχυσα, *prævalui*, ἰσχύω, *prævaleo.*

οὔτε

οὔτε τόπος εὑρέθη αὐτῶν ἔτι) αὐτῷ legunt, qui habent, ut monuimus modo, ἴσχυσεν, atque alterum αὐτῶν caſu natum, ἴσχυσαν vero hinc conſilio factum ſuſpicatur *Bengelius.*

Verſ. 9. Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων, ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος) *Serpens* Satanæ ſymbolum fuit Judæis, qui נחש Geneſ. III. de eo interpretantur. Vide, quæ diximus ad 2 *Cor.* XI. 3. Nec minus Patribus, quorum locos recitat *Suicerus* Tom. II. pag. 536. ſeq. Convenientiæ, quæ inter utrumque intercedit, capita diligenter perſecutus eſt Rev. *Wilhelmus Erneſtus Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. II. pag. 194-211. Idem pag. 209. oſtendit, cur *ſerpens antiquus* dicatur, ſcilicet, non quidem ob diuturnam ejus ætatem, quæ *Grelloti* eſt ſententia in Prodromo Apocalypt. pag. 143. ſed ideo, quod primos homines, adeoque inde ab originibus humani generis, per ſerpentem ad malum pellexit, quo ſenſu Dominus noſter Diabolum *homicidam a principio* vocat *Joh.* VIII. 44. Similiter Judæi נחש הקדמוני vocant in *Tanchuma* fol. 50. 2. & *Bereſchith Rabba* Sect. XXII. fol. 23. Iidem fol. 70. 4. ita: *Quam ob cauſam Deus Iſraëlitis ſerpentem immiſit? Reſp.* לפי שנחש הוא פתח כלשון הרע תחלה *Propterea quod ſerpens primus calumniatus eſt homines, & propterea maledictus eſt: & tamen Iſraëlitæ ab illo exemplum capere voluerunt.* Vide hæc, & item alia apud Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 1120. Sunt, qui Imperium Romanum, quatenus Chriſtianos vexabat, draconis nomine appellatum h. l. putant, ideo, quod diabolus ſub habitu & ſpecie ſerpentis plerumque apparuerit; Romani vero vexilla ſua ſerpentibus inſtruxerint. Vide huc *Amelium* Tom. I. der Erörterung pag. 653. ſqq.

ὁ καλούμενος διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς) Vox διάβολος alias *calumniatorem* ſignificat; quando autem pro Hebræo *Satan* i. e. *adverſarius*, ponitur, videtur potius illa notione accipienda, per quam διαβάλλω idem interdum eſt, quod συγκρούω i. e. *inimicos reddo.* Ita ſtatuit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 718. Adfert is hanc in rem *Epicteti* phraſin in Enchiridio cap. 92. διαβεβλημένους πρὸς τὰ ἐκτὸς, ad quem *Mericus Caſaubonus* monuit, apud *Philoſtratum* διαβάλλεσθαι ſingulis fere paginis idem eſſe, quod ἀπεχθάνεσθαι, *odio habere*, atque hinc fortaſſe explicandum eſſe διάβολος, ut Hebræo שטן ad amuſſim reſpondeat. Obſervat præterea *Raphelius*, τοὺς LXX. verbo ἐνδιαβάλλειν exprimere Hebræum שטן *Pſalm.* XXXVIII. 21. LXXI. 13. CIX. 4. 20. 29. & *Polybium* διαβολὴν pro *odio* dicere lib. I. cap. 67. pag. 94. atque in hanc ſententiam Germanos diabolum recte vocare den böſen Feind. Confer, quæ ad *Matth.* IV. 1.

ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν) Phraſis ſimilis, obſervante *Schœtgenio*, legitur in libro *Bahir* in Sohar in Geneſ. fol. 27. col. 107. *Et projecit Deus Sammaëlem & catervam ejus e loco ſanctitatis ipſorum.*

Verſ. 10. ὅτι κατεβλήθη ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν) Verbum καταβάλλειν de victore, hoſtem in prælio proſternente, frequenter adhibetur. *Arrianus* de Expedit. Alexandri lib. I. cap. 16. pag. 33. καταβάλλει τὸν Μιθριδάτην. Conf. Cl. *Alberti* Obſervationes Sacras pag. 489. Adhibetur idem in re palæſtrica, ubi alter alterum dicitur καταβάλλειν. Vide Ill. *Ez. Spanhemium* ad Juliani Orationes p. 262.

ὁ κατηγορῶν αὐτῶν) Similiter Judæi Satanam nunc קטיגור i. e. κατήγορον, *accuſatorem*, nunc מקטרג *accuſantem* appellant. Vide locos apud *Schœtgenium* pag. 1121. Ex pluribus unum hunc adferam, qui legitur in *Schemoth rabba* Sect. XLIII. fol. 137. 2. *Rex quidam judicabat filium ſuum*, והיה קטיגור עומר ומקטרג *& accuſator ſtetit, & accuſavit eum. Pædagogus autem filii, cum videret, ipſum reum eſſe, expulit accuſatorem, & loco illius ſtetit, docens filium, quomodo ſe defendere poſſet.* Lege præterea *Chriſt. Sam. Scherfii* diſſert. de accuſatore, Lipſ. 1724.

Verſ. 11. Καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου) Præpoſitio διὰ idem h. l. eſt, quod *per*. Vide ſupra ad IV. 11.

καὶ διὰ τὸν λόγον) *Coptus* vertit, ac ſi legiſſet αἷμα, contra phraſin, Joanni frequentem.

καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου) Idem uno verbo expreſſit *M. Antoninus* VII. §. 46. καὶ οὐ φιλοψυχητέον.

Verſ. 14. Καὶ ἐδόθησαν τῇ γυναικὶ δύο πτέρυγες τοῦ ἀετοῦ τοῦ μεγάλου) Phraſin hanc ex Cabbaliſtica, illi ſimili, illuſtrare inſtituit *Vitringa* lib. I. Obſſ. Sacrar. p. 142.

ὅπου τρέφεται ἐκεῖ) Codd. aliquot legunt: ὅπως τρέφηται ἐκεῖ, atque hanc lectionem germanam putat *Karlius* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. II. pag. 966. ideo, quod altera illa, ὅπου ἐκεῖ tautologiam involvat. Eadem tamen phraſis occurrit ſupra v. 6. ſecundum codices nonnullos. Itaque pleonaſmum dicere malim, qualis occurrit in voce ἔσω *Marc.* XIV. 54. & ὀπίσω *Matth.* X. 38. Quod ad ſenſum nihil refert, utram lectionem ſequaris, quemadmodum & pro receptiore noſtra pugnavit *Drieſſenius*, a *Karlio* allatus.

Verſ. 15. ἵνα ταύτην ποταμοφόρητον ποιήσῃ) *ut eam a flumine abripi faceret*, ſicut *Beza* & *Eraſmus Schmidius* convertunt. *Heſychius*: ἀπόερσεν, ἀπέπνιξε, τουτέστι ποταμοφόρητον ἐποίησεν, ex quo Cl. *Albertius* pag. 489. Obſervatt. Sacrar. conficit ποταμοφόρητον non ſolum *flumine abreptam*, ſed *vi torrentis præfocatam*, ſignificare. Atque hoc conſilio B. *Lutherus* interpretatur: **daß er ſie erſäufte.** Totam hanc phraſin *Coptus* penitus omittit.

Verſ.

Verſ. 18. *Καὶ ἐστάθην ἐπὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης*) Unus codex *Alexandrinus* legit *ἐστάθη*, quod exprimunt verſiones, *Syrus*, *Vulg. Arabs* & *Æth.* Eandem lectionem dedit *Aldus*, & nuper Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Probant quoque *Piſcator* ad loc. *Mede* in Clavi Apocal. pag. 520. & *Millius* in Prolegom. Recte vero communiorem lectionem tuentur *Vitringa* ad h. l. & *Leonhardus Twells* in Examine Critico nuperi illius, quod dixi, Novi Teſtamenti. Prioribus illis de *dracone* ſermo eſſe videtur, tanquam qui ſteterit ad littus maris. Jam vero credi non poteſt, S. Joannem *draconem*, quem paulo ante, tanquam perſecutionibus intentum, repræſentaverat, mox ſiſtere voluiſſe, ut ſpeculantem & nihil agentem. Accedit, quod in ſequenti Viſo nulla draconis fiat mentio, neque adeo appareat, cur ille ut ſpectator adferatur. Itaque rectius *τὸ ἐστάθην* ad *Joannem* refertur, tanquam qui, ut reliqua omnia, ita & beſtiam illam ex mari, juxta quod ſtabat, conſpexerit. Eadem ratione *Ezechieli* offerebatur viſio ſtanti ad aquas Chebar, cap. I. 2. Pharao quoque ſibi videbatur in ſomnio ſtare juxta aquas, & videre emergentes ſeptem vaccas pingues. Proinde nec dubium eſt, hæc verba: *καὶ ἐστάθην κ. τ. λ.* non referenda eſſe ad viſum illud antecedens, finemque facere capitis antecedentis, ſed ad initium capitis ſequentis pertinere, hoc ſenſu: *tum ſtabam ego ad littus maris*, *& videbam.* Ita ſermonis ſeriem repræſentat *Coptus* Wilkinſii, & nuper Cl. *Bengelius.*

CAPUT XIII.

VErſ. 1. *Καὶ εἶδον ἐκ τῆς θαλάσσης θηρίον ἀναβαῖνον, ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα, κ. τ. λ.*) Beſtiam heic commemoratam a dracone, cujus ante facta eſt mentio, diſtinguendam eſſe, recte oſtendit *B. P. Karlius* contra *Hermannum Hardtium* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. VI. p. 1119. ſqq. Quid vero per eam intelligendum ſit, de eo diſputant Interpretes. Inter hos potiores ſunt illi, qui per beſtiam illam imperium vel *Romano-Ethnicum*, vel *Romano-Pontificium* & *Antichriſtianum* deſignari exiſtimant. Utriuſque ſententiæ argumenta enarrat & expendit *Vitringa* ad h. l. in poſteriore illa cum noſtratibus acquieſcens. Eandem, ut alios taceam, amplexus eſt, & brevibus expoſuit Rev. *Heumannus* in Luthero Apocalyptico pag. 25. ſeq. Alia omnia heic conſectatur *Hans Chriſtoph von Dennſtadt* in libro vernaculo, quem inſcripſit, Abbildung des vierten Thier-Reichs an. 1709. 4. Ejus judicio delineatur imperium Romano-Germanicum. Summam ſyſtematis hujus habes in Relationibus Theologicis Novantiquis an. 1710. pag. 90. ſeq. quæ recte illud averſantur. Adde *Bibliothecam Novam* Halis germanice editam Part. V. pag. 437. ſeq. In *Herodem Agrippam*, Herodis magni ex Ariſtobulo nepotem, omnia, quæ a com. 1. ad 11. tradun-

duntur, quadrare oſtendere conatur Cl. *Lakemacherus* in Obſervatt. Philol. Parte IX. pag. 36. ſeqq. Exſtat præterea S. H. S. G. *Beſtia Apocalyptica ſepticeps* & decicornis an. 1680. 12. vulgata, cujus libri auctor beſtiam priorem de Pontifice Romano, poſteriorem autem de Clero Romano, accipit. In eandem ſententiam conceſſit *Adamus Reuterus* in Oratione, *demonſtrante Papam eſſe beſtiam in Apocalypſi* Lond. 1610. 4.

κέρατα δέκα) Per cornua *regna* intelligi *Joſephus* tradit Antt. X. XII. 354. *τὰ δὲ κέρατα σημαίνει τὺς βασιλεύειν μέλλοντας.* Vide alia apud *Joannem Baptiſtam Ottium* ad Joſephum, Tom. II. edit. Havercampianæ pag. 318. Refertur tamen *κέρας* etiam ad *robur*, & *imperium* quodcunque, cujus ſymbolum *cornu* habitum fuiſſe ex *Plutarcho* in Pericle pag. 155. oſtendit *Lambertus Bos* in Exercitatt. pag. 298.

καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτȣ̃ ὄνομα βλασφημίας) Blasphemum hoc nomen ita exponit *Ezech. Spanhemius* de uſu & præſtantia numiſmatum, Tomo I. pag. 138. *Romam, orbis caput, tanquam cæleſte aliquod numen, ſeu* terrarum Deam, gentium*que*, *a Bilbilitano vate, Martiale XII. epiſt.* 8. *dictam, divinis honoribus, templis, Sacerdotibus, ipſa* Θεᾶς Ῥώμης *appellatione, quod plures Græcarum illarum civitatum numi oſtendunt, ſibi condecorandam exiſtimarunt. Quo autem referendum mihi videtur illud* nomen blasphemiæ (*Apocal. XIII.* 1. *& XVII.* 5.) *quod ſeptem capitibus inſcriptum geſtaſſe legitur beſtia in ſacro Revelationum libro, & quod* Hieronymus *ac* Proſper *ad urbis æternæ appellationem retulerunt, Romæ cum alibi tum in numis ejus itidem familiarem. Verum cum vix ante Antoninorum tempora eadem occurrat in monimentis antiquis, quorum ævo demum templum* urbi æternæ *creatum accepimus: longe utique probabilius, imo extra dubium meo judicio poſitum exiſtimarem, ad illud* Θεᾶς *nomen reſpexiſſe Sacrum Scriptorem, Romæ pridem ac potiſſimum a Græcorum in Aſia urbibus, ubi agebat D. Joannes, paſſim publico velut earum cultu conſecratam, ut vel clariſſime arguunt venerandæ iſtæ veterum numorum reliquiæ.* His convenienter *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tomo II. pag. 102. complures affert, qui *Romam* paganam a veteribus *Deæ* nomine appellatam eſſe, ex numis & aliis monimentis oſtenderunt. Cum vero de Roma pagana h. l. non agatur, veri non ſit ſimile, ad hoc, vel aliud ejusmodi elogium, illi olim tributum, reſpici; ſed ea potius ſpectari credendum eſt, quæ Pontifices Romani vel ipſi ſibi vindicarunt, vel ab aliis conferri permiſerunt. Talia recitata lege a *Vitringa*. Conf. infra ad XVII. 3. Ceterum vox *βλασφημίας* deeſt apud *Coptum Wilkinſii.*

Verſ. 2. *καὶ οἱ πόδες αὐτȣ̃, ὡς ἄρκτȣ*) In nonnullis codd. legis *ἄρκȣ*, quod & *Bengelius* amplexus eſt. Atque hæc vocis forma tum *τοῖς* LXX. tum aliis Scriptoribus recepta eſt. Vide *Sam. Bocharti* Hierozoicon Part. I. pag. 809.

καὶ

καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ δράκων τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, καὶ ἐξουσίαν μεγάλην) In hæc verba commentatur *Jo. Lightfootus* Tom. II. Operum Anglicanorum p. 1165-1169. oſtendens, quomodo in Romam Pontificiam cadant.

Verſ. 3. Καὶ εἶδον μίαν τῶν κεφαλῶν αὐτοῦ) Verbum εἶδον codd. quidam, verſiones & Patres omittunt, quos ſequitur *Bengelius.* Sine eo vero ſenſus non conſtat, niſi verbum εἶδον, tanquam ἀπὸ κοινοῦ ex v. 2. dicas eſſe repetendum. Neque enim referri poteſt ad verbum ἔδωκε proxime antecedens.

καὶ ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου) Variant libri & ſcripti & editi, quorum diſſenſum B. *Jo. Henr. Majus* ὁ μακαρίτης, in diſſertat. de Pleonaſmis dictionis Græcæ N. T. ita repræſentavit p. 62. *In editione Gieſſenſi* an. 1705. *typis deſcripta ſic exhibetur:* καὶ ἐθαύμασεν ἐν ὅλῃ γῇ: *incuria enim typothetæ irrepſit* ἐν, *& totum corrupit locum, vel ſic reſtituendum,* καὶ ἐθαυμάσθη ἐν ὅλῃ τῇ γῇ, *quomodo legit* Er. Schmidius, Joan. Millius, *editio perinſignis, & codicum multorum conſenſu munita* Rob. Stephani, *nec non* Eraſmi Roterodami *per Frobenium an. MDXIX. evulgata, atque* Pritiana, *quam ſecuta eſt plerumque editio* Gieſſenſis, *quod præfatio docere poterit; vel hoc modo refingendum:* καὶ ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ, *quemadmodum offendimus in* Aretæ *commentariis p.* 952. *& in multis omnino editionibus,* Joannis *nimirum* Gregorii, *cum ſcholiis Græcis publicata, beneficio theatri Scheldoniani, an. MDCCIII. & in alia ibidem typis deſcripta an. MDCLXXV. &* Bezæ *editionibus omnibus, e quibus nominare ſufficiat optimam illam, quæ* Henr. Stephani *opera an. MDLXV. in publicam exiit lucem, & in* Genevenſi, *adnotatis* Joſ. Scaligeri *inſtructa an. MDCXX. & in* Steph. Curcellæi, *& in elegantiſſima* Henr. Wetſteinii, *& in* Elzeviriana *atque* Leusdeniana, *quarum illa anno MDCLX. hæc an. MDCLXXXIIX. prelum exercuit.* —— —— *Ceterum, ſive* ἐθαυμάσθη ἐν ὅλῃ τῇ γῇ, ſive ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου *legere volueris, reddendum ſemper erit,* admirans univerſus terrarum orbis ſequebatur beſtiam, *vel brevius,* beſtiam ex admiratione ſecuti fuerunt; *quod & antiquiores Interpretes animadverterunt, & recentiores, ac ex poſterioribus* Gottfridus *quoque* Olearius, *in Obſervatt. Sacris ad* Evangelium Matthæi *p.* 234. Hactenus *Majus.* Verior utique videtur lectio, καὶ ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ, tanquam plurium & antiquiſſimorum codicum auctoritate munita. Eam retinuit *Bengelius;* tuentur vero *Glaſſius* in Grammatica Sacra p. 232. per *metalepſin*, vel *ſyntheſin* ita convertens: *& admirata,* ſeu admirabunda, *ſecuta fuit beſtiam, A. Blackwallus* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 49. & Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacr. p. 490. hæc præterea ſubjungens: *Notandum, verbum* θαυμάζειν *ſæpe non ſimplicem admirationem ſignificare, ſed aliquem effectum, ex illo adfectu manantem; unde adulatoribus, ſervis, aliisque humilis & abjecti animi hominibus adſcribitur. Exempla dabit* Caſaubonus *ad* Theophraſtum p. 172. *ubi hunc ipſum locum adfert, legens etiam,* ἐθαυμάσθη

ἐν ὅλῃ τῇ γῇ. *Conf.* Pricæum *ad* Judæ c. 16. *Ita* θαυμάζειν *h. l. non tantum* venerationem & cultum *innuit*, *ſed* & adulationem ſervilem *ac* putidam animi mollitiem.

Verſ. 4. Καὶ προσεκύνησαν τὸν δράκοντα) Codd. nonnulli legunt τῷ δράκοντι, & cum his *Bengelius*, quamvis idem cum iisdem codd. mox legat: καὶ προσεκύνησαν τὸ θηρίον. Scilicet utrique caſui idem verbum à Scriptoribus jungitur. Vide *Curas* has Vol. I. p. 35.

Verſ. 5. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ στόμα λαλοῦν μεγάλα καὶ βλασφημίας) Cum phraſi hac *Lamb. Bos* p. 299. Exercitatt. confert illam *Sophoclis* in Ajace Flagellifero v. 127.

—— —— —— ὑπέρκοπον
Μηδέν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς Θεοὺς ἔπος
Μηδ' ὄγκον ἄρῃς μηδέν'.

Beſtiam Romanam Anti-Chriſtianam heic ſignificari ex collato *Danielis* viſo cap. VII. oſtendit *B. P. Karlius* in Biblioth. Bremenſe Claſſ. III. p. 818. ſq.

καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία πόλεμον ποιῆσαι μῆνας τεσσαράκοντα δύο) Quidam codd. vocem πόλεμον (vide *Rich. Simonis* Obſervatt. novas in N.T.p. 263.) *Irenæus* vero, & alii quidam Patres totam phraſin, πόλεμον ποιῆσαι, omittunt, & recte quidem, ſi audimus *Millium* in Prolegom. §. 507. Huic enim ad abſolvendam ſententiam addita videtur. *Bengelius* & antea *Er. Schmidius* itidem expungit πόλεμον, quod & *Grotius* fieri volebat, quia mox v. 7. occurrat: καὶ ἐδόθη αὐτῷ πόλεμον ποιῆσαι. Illi itaque verbum ποιῆσαι de *duratione* vel *mora*, per menſes aliquot facta, accipiunt, quæ phraſeos notio eſt *Act.* XV. 33. & XX. 3. Neque tamen video, cur Joannes h. l. πόλεμον ποιῆσαι ſcripſiſſe non cenſendus ſit, quemadmodum mox ſcripſit v. 7. ut ſcilicet indicaret, cum quibus, nempe cum ſanctis, præliandi poteſtas beſtiæ illi conceſſa ſit. Non aliena eſt a dictione Joannea ejuſmodi repetitio.

Verſ. 7. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ πόλεμον ποιῆσαι) *Et permiſſum ipſi eſt.* Hanc ſignificationem verbo δοθῆναι ex Græcis Scriptoribus vindicavit *Pfochenius* de puritate Gr. L. N. T. §. 73. & copioſius Cl. *Georgius* in Vindiciis N.T.p.99.ſq.

ἐπὶ πᾶσαν φυλὴν) Codd. multi & verſiones addunt, καὶ λαὸν, quas voces probat *Millius* in Prolegom. §. 1009. & in contextum recepit *Bengelius*. Nec negari poteſt, Joannem, quoties hac phraſi alias utitur, nec has omittere. Vide V. 9. XI. 9. & XIV. 6.

Verſ. 8. Ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς) De libro vitæ lege ſcripta ad *Philipp.* IV. 3. & ſupra ad III. 5. Verba *Pſalmi* LXIX. 29. *exſtinguantur ex libro vitarum*, & *cum juſtis non ſcribantur*, ita explicantur in *Bereſchith rabba* Sect. XXIV. fol. 24. 2. *exſtinguentur ex libro cœleſti.* Vide *Schœtgenium* p. 1124.

τοῦ ἀρνίου

τῦ ἀρνίυ τῦ ἐσφαγμένυ ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ) Tres poſtremæ voces vel 1) referri poſſunt ad ἐσφαγμένυ, ut Chriſtus dicatur mactatus a jacto mundi fundamento; vel 2) ad verbum γέγραπται, ut nomina hominum quorundam inde ab illis mundi originibus libro vitæ non inſcripta eſſe dicantur: quo fine alii poſt ἐσφαγμένυ interpunctionis notam ponunt, alii per parentheſin a reliquis vocibus ſeparant. Priorem expoſitionem plerique noſtratium tuentur, ex quibus leges diſſertationes *Abrah. Batti* Gryphiswald. 1655. *Jac. Durfeldii* Rinthel. 1642. *Jo. Frider. Mayeri* Gryphiswald. 1706. & *Jo. Bartholom. Rudigeri*, diligentiſſime hic occupati, Gieſſæ 1719. ad h. l. habitas. Adde B. *Chriſtfriedi Wachtleri* epiſtolam ad *Jo. Caſpar. de Loos* Dresdæ 1693. fol. tribus plagulis editam, in cujus limine eandem tuetur contra D. *Jo. Diecmannum*, qui in editione Bibliorum vernacula eam interpunctionem, quæ verba ἀπὸ κ. κ. ad τὸ, γέγραπται refert, approbaverat. Confer Acta Erudit. Lipſ. an. 1693. p. 519. & B. *Diecmanni* præfat. ad Biblia Stadenſia vernacula p. 27. ſq. Sunt tamen etiam ex noſtratibus, qui poſteriorem amplectuntur. Huc ſpectant *Bechmannus* in Theolog. Polemica p. 1015. *Schomerus* in Collegio Anti-Sociniano p. 42. *Trillerus* in Examine locorum quorundam N. T. germanice edito p. 275. (cui ſe opponunt *Schœnlandius* in Vindiciis p. 248. & *Pfeiferus* in diſſertat. ſingulari p. 29.) *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 29. & in Palæſtra Diſputationum p. 356. *Jo. Trellundius* in Exercitatione Biblica Secunda p. 10. ſqq. *Alethæus* in der Erläuterung Tom. I. p. 203. Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam p. 219. *M. Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra p. 62. & *Chriſt. Fende*, in Additamento ad expoſitionem epiſtolæ ad Epheſios p. 85. Idem viſum eſt *Grotio* ad loc. & Tom. III. Opp. p. 318. b. *Gatakero* in Adverſariis p. 160. *Colomeſio* Obſſ. Sacr. p. 156. *Jac. Perizonio* in notis ad *Æliani* Var. Hiſtor. I. 15. *Hombergio* in Parergis Sacris p. 368. *Knatchbullo* ad loc. *Carolo le Cene* in Conatu novæ verſionis Gall. p. 482. qui & plures alios recitat. Utraque ſententia non contemnendis argumentis nititur. Præcipuum pro poſteriore illa in eo poſitum eſt, quod XVII. 8. ubi eadem φράσις occurrit: ὧν ὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ, ex quo conſequi videtur, etiam h. l. voces ἀπὸ κ. κ. recte referri ad verbum γέγραπται, non autem ad ἀρνίυ τῦ ἐσφαγμένυ. Non minus tamen præſidium prior expoſitio invenit in verbis Petri 1. ep. I. 19. 20. ubi mentio fit Χριςῦ ἀμνῦ ἀμώμυ καὶ ἀσπίλυ, προεγνωσμένυ μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμυ. Quemadmodum enim Chriſtus ut agnus præcognitus, i. e. conſilio divino ad homines ſanguine ſuo redimendos deſtinatus eſſe dicitur; ita nihil obſtat, quo minus idem eodem ſenſu h. l. *mactatus* dicatur. Itaque par hactenus eſt diſputantium ratio. Noſtrates priorem expoſitionem contra Socinianos adhibent, oſtenſuri, efficaciam meriti Chriſti ſub veteri etiam fœdere, ad tollenda hominum peccata, valuiſſe. Neque tamen exiſtimandum eſt, amitti hanc veritatem, vel dubiam reddi, ſi poſterior explicatio admittatur. Quemadmodum enim illa aliis Scripturæ locis & inprimis *Hebr.* IX 15. egre-

gie firmatur ; ita & hoc ipſo loco , poſteriori modo accepto , ſtabiliri poteſt. Accipe hanc in rem *Trellundii* verba ex l. c. *Dum* , inquit , *locus noſter Electorum nomina ante jacta mundi fundamenta non ſimpliciter in libro vitæ , ſed in libro vitæ Agni , & quidem Agni mactati , ſcripta aſſerit ; utique præter inſcriptionis hujus æternitatem , & ſingularitatem , ſimul cauſam quoque ejus , nec ſimpliciter efficientem , ſed meritoriam , clariſſime nobis indicat. Aſſerit enim hunc Chriſto librum , non præciſe ut Filio Dei , ſed ut Agno , & quidem pro nobis mactato , adeoque vi mortis & ſatisfactionis ſuæ hanc inſcriptionem nobis promerito , imo æterna divini ſui ſanguinis virtute nos inſcribenti. Profuit ergo ſane meritum Chriſti , antequam fuit , quia gratiæ , nobis ante jacta mundi fundamenta indultæ , fundamentum fuit ; & retrorſum omnino valuit , quoniam ab omni æternitate valuit. Unde relicta communi conſtructione nihil in loco noſtro perdidimus , ſed præter ſenſum ejus genuinum , qui ſemper in lucro deputandus , veriorem potius & clariorem vulgaris argumenti fontem aperuimus. Et cum æternitate meriti Chriſti electionis ſimul noſtræ probavimus æternitatem ; imo ex hac illam omni certius exceptione demonſtravimus. Interim aſſertæ hactenus explicationi communem ab aliis præferri facile patior , quam & ipſe veritati & pietati amicam fateor ; ſed ita fateor , ut alteram mihi propter datas rationes probabiliorem videri non diffitear.*

De phraſi , *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* , vide , quæ obſervata ſunt ad *Matth.* XXV. 34. Hebr. IV. 3. & alibi.

Verſ. 11. Καὶ εἶδον ἄλλο θηρίον , ἀναβαῖνον ἐκ τῆς γῆς , καὶ εἶχε κέρατα δύο , ὅμοια ἀρνίῳ) *Interpretes ut plurimum per hæc cornua Romæ hypocriticæ potentiam ſecularem & Eccleſiaſticam adumbratam putant. Vide* Grellotum *Prodromo Apocal.* p. 158. Morus *Theolog.* p. 639. *aliique de duobus Patriarchatibus , Romano & CPolitano , cogitant. Nequeo in eorum ſententiam deſcendere , quia* cornua agni *Apoſtolus videt , i. e. qualia ipſe ille agnus in medio throni Dei geſtat. Malo igitur vicariatum Papæ intelligere , quem in utramque Eccleſiam , Orientalem atque Occidentalem , prætendit , & quo omnem eam gloriam ad ſe rapuit , qua hactenus Chriſtus ipſe utrobique fulſerat.* Verba *Lampii* habes in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II. p. 696. ex quibus ſimul intelligis , eum pro *ἀρνίῳ* legiſſe *ἀρνίου* , ſcilicet *κέρασι* , quam lectionem aliquot codices habent , & *Er. Schmidius* præfert.

Fuit , qui beſtiam hanc bicornem de Galliæ Rege , Hugonottas quondam vexante , interpretaretur. Contra eum lege B. *Sandhagenii* Epiſtolas Theologicas germanice editas Decade I. pag. 153. ſeqq. Per eam Rabban *Simeonem II.* ab Herode Agrippa , tanquam beſtia priore , Synedrii Judaici Præſidem conſtitutum , commode intelligi poſſe opinatur Cl. *J. G. Lakemacherus* in Obſſ. Philologic. Parte IX. p. 46. ſqq.

καὶ ἐλάλει , ὡς δράκων) *Joannes Kleſchius* , cujus ſupra facta eſt mentio , homo fanaticus , an. 1691. fol. Latine & Germanice edidit *Ænigma*

de

Digitized by Google

de lingua Draconica, eo conſilio, ut per eam linguam *Latinam* cum filiabus ejus *Italica* & *Gallica* intelligendam eſſe oſtenderet, adplaudentem ſibi, quod mireris, nactus *Chriſtianum Thomaſium*, in Monit. ad Brenneyſenii diſſertationem de Jure Principis circa Adiaphora pag. 54. Huic, non dicam ſententiæ, ſed ſomnio ſingularem commentationem oppoſuit doctiſſimus *Joannes Henricus a Seelen* de lingua Draconis per linguam Latinam falſo expoſita, Lubecæ 1729. 4to. Lingua Draconis, i. e. diaboli, ea eſt, quam Dominus noſter deſcribit *Joh.* VIII. 44. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Proinde falſæ doctrinæ, quæ alias διδασκαλίαι δαιμονίων vocantur 1 *Timoth.* IV. 1. per loquelam illam innuuntur.

Verſ. 12. καὶ ποιεῖ τὴν γῆν) Libri aliqui habent ἐποίει, quos ſequitur *Bengelius.* Non dubium eſt, ſenſum verbi *præſentis* heic per *imperfectum* exprimendum eſſe, quod vel ex antecedente ἐλάλει v. 11. apparet. Itaque fieri poteſt, ut ſic Joannes ſcripſerit. Pro receptiore tamen lectione pugnat, quod eadem verbi forma iterum v. 12. nec minus πλανᾷ v. 14. utitur.

οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ) De hac loquendi forma dictum eſt ad VII. 2. 9.

Verſ. 14. λέγων τοῖς κατοικοῦσιν) Ita ſcripti & editi, quos ſciam, omnes. Unus *Curcellæus* habet λέγον, procul dubio ideo, quod hæc forma magis reſpondet voci θηρίον. Enimvero non tam vox reſpicitur, quam perſona per vocem ſignificata, quod Joanni & aliis Scriptoribus frequens eſt.

ὃ ἔχει) ὃ εἶχε, *Bengelius* præeuntibus codd. variis: atque hoc videtur rectius; mox enim ſequitur, καὶ ἔζησε.

καὶ ἔζησε) Phraſin hanc *Joſephus Medus* in commentationibus Apocalypticis, pag. 506. ita interpretatur: *atque ita demum beſtia revixit, ſeu redintegrata fuit. Verba enim iſta*, ita pergit, *non pertinent ad deſcriptionem beſtiæ, cujus erat imago exprimenda, quaſi verba loquentis Pſeudoprophetæ, ſed ſunt Angeli, eventum conſilii iſtius referentis, ſive ſubjicientis, nempe, ſic Beſtiam illam revixiſſe. Eſtque, ac ſi plene diceretur hoc modo:* λέγων τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ποιῆσαι εἰκόνα τῷ θηρίῳ, ὃ εἶχε πληγὴν τῆς μαχαίρας· (οἱ δὲ ἐποίησαν οὕτω) καὶ ἔζησε. Dicens incolis terræ, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habebat plagam gladii; (illi vero fecerunt ita) & revixit. *Ut* 2 *Regg.* XX. 7. Dixit Jeſaias: tollite maſſam ficuum: & tulerunt, & poſuerunt ſuper ulcus ויחי καὶ ἔζησε, & convaluit: *ſcilicet Ezechias, vel ulcus.* Speciem, fateor, habet hæc expoſitio; neque tamen exceptione major eſt. Rectius utique etiam ultima illa verba ad deſcriptionem beſtiæ prioris referun-

feruntur. Nam illa jam ante eadem ratione, & quidem repetita vice facta erat, nempe v. 3. *καὶ ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἐθεραπεύθη* & v. 12. *οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ αὐτοῦ.* Neque enim *ἔζησε* aliud infert, quam *ἐθεραπεύθη* Id patet ex loco 2 *Regg.* XX. 7. quem *Medus* ipſe adduxit, ubi *τὸ* ויחי *οἱ* LXX. reddunt, *καὶ ὑγιάσει.* Adde *Joh.* IV. 50. 51. 53. *ὁ υἱός σου ζῇ.*

Verſ. 15. *ἵνα καὶ λαλήσῃ ἡ εἰκὼν τοῦ θηρίου*) Omittit hæc *Coptus* Wilkinſii.

Verſ. 16. *Καὶ ποιεῖ πάντας, τοὺς μικροὺς καὶ τοὺς μεγάλους,*) *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Part. II. cap. 25. pag. 78. phraſin hanc *ἑλληνικωτέραν* ea eſſe largitur, quæ legitur *Actor.* VIII. 10. ſed vel ſic bina Hebraiſmorum genera in ea apparere exiſtimat. Unum eſſe putat, quod ſigno univerſali *πάντες* adduntur voces *μικροὶ* & *μεγάλοι*: alterum, quod iſtæ voces non ad ſtaturam & quantitatem pertinent, ſed ſignificant plebejos & illuſtres. Hinc pag. 80. voces *πτωχοὶ* & *πλούσιοι ἐξηγήσεως* cauſa putat adjectas. Recte vero Cl. *Georgius* in Vindiciis N. T. pag. 310. voci *πάντας*, voces *μικροὺς καὶ μεγάλους* ratione dignitatis & conditionis, *πλουσίους καὶ πτωχοὺς* ratione fortunæ, & *ἐλευθέρους καὶ δούλους* ratione ſtatus, non autem *παρελκόντως*, junctas eſſe cenſet. Idem etiam ab externis fieri Scriptoribus, idoneis exemplis commonſtrat. Conf. *Curas* has ad Act. VIII. 10. & Cl. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. pag. 254. ſeqq. *Μέγαν* porro & *μικρὸν* reſpectu dignitatis & conditionis variæ dici, nemo dubitaverit qui recogitet, hoc ſenſu *μεγάλους* & *magnos* multos non minus in Græcia, quam Latio appellatos eſſe. Ce voce *μέγας* leges ſingularem *Jac. Gronovii* diſſertationem, & *Ezechielem Spanhemium* de Uſu & præſtantia numiſmatum Tomo I. pag. 443.

ἵνα δώσῃ αὐτοῖς χάραγμα ἐπὶ τῆς χειρὸς αὐτῶν τῆς δεξιᾶς, ἢ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν) *Notabantur olim inprimis dextra manus, & frons, quoniam hæc difficulter admodum occultari poſſunt*, quod commode ad h. l. monet *Joannes Lomeierus* in Diebus Genialibus Decade II. Diſſertat. VIII. ubi de notis & ſtigmatibus commentatur, pag. 371. Servorum notas præcipue in *frontibus*, militum autem in *manibus* expreſſas fuiſſe, poſt *Grotium* obſervavit *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 409. edit. Tubingenſ. Notas fronti inuri vetuit Conſtantinus M. Cod. lib. IX. tit. 47. qui eſt de pœnis, l. 17. *quo ſcilicet facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cæleſtis eſt figurata, minime maculetur.* Alia, huc pertinentia, lege apud eos, qui de ſtigmatibus veterum ſunt commentati. His ad *Galat.* VI. 17. a me appellatis adde nunc *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. pag. 763. M. *Sigiſmundi Friderici Dreſigii* diſſert. de uſu ſtigmatum apud veteres, & M. *Godofredi Bernhardi Caſſeburgii* aliam, de ſtigmatibus ſervorum, illam Li-

pſiæ

pſiæ 1733. hanc Regiomonti 1730. vulgatam, nec non *Wilhelmum Erneſtum Ewaldum* in Emblematibus Sacris lib. II. pag. 286. ſeqq. Hoc loco ad ſtigmata *idololatrarum* ſpeciatim reſpectum haberi, argumentum, de quo agitur, evincit. De illis vero *Spencerus* loc. cit. ita: *Erant ſtigmata illa characteres aut notæ quædam eorum corporibus inſculptæ, quibus homines peculiare aliquod fœdus cum dæmonibus inire, & eorum cultui ſe mancipare cenſebantur. Stigmatum illorum in Veteri & Novo Teſtamento occurrit mentio: eorum in V. T. meminit Zacharias XIII. 6. —— Alterum locum, quo forte ſtigmatum eorum occurrit mentio, præbet Apocalypſis XIII. 16. E quibus verbis diſcere licet, ſtigmata illa idololatrica ad ipſa exſpirantis Ethniciſmi tempora duraſſe, modo Grotii interpretatio quid fidei mereatur.* Lege plura in hanc ſententiam apud *Zornium* Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 165. ſeqq. nec omitte *Elsnerum* pag. 455. ſeq. qui ſcite monet, Mohammedanos ex hoc loco accepiſſe videri, quod teſtatum de illis reliquit *Thevenotius* in *Voyage de Levant* lib. I. cap. 29. pag. 120. Ajunt enim illi, Chriſtum ad judicium venturum, Antichriſtum vero eodem tempore appariturum eſſe, qui multos, & nominatim Judæos, ſit perverſurus, aſſeclasque ſuos nota inſigniturus, Chriſtum denique & Antichriſtum & omnes, ab eodem notatos, perditurum.

ἢ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν) Codices aliqui habent, ἢ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, quos ſequitur Cl. *Bengelius.* Utraque loquendi forma utitur alias S. Joannes, & noſtra quidem illa frequentius, v. c. VII. 3. IX. 4. XIV. 1. & 9. & XXII. 4. altera vero XVII. 5. ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς, & XX. 4. ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, ubi etiam ſingularis relativo plurali jungitur.

Verſ. 17. Καὶ ἵνα μή τις δύνηται) Καὶ omittunt *Andr. 1. Baroc. Hippolytus, Irenæus, Primaſius, Angl. Syr. Arabs*, quos adfert eosdem ſequens *Bengelius.* Addere illis poſſis *Coptum* Wilkinſii. Neque tamen videtur omittenda illa particula. Pendet enim illa a καὶ quod v. 16. exſtat: καὶ ποιεῖ -- ἵνα δώσῃ αὐτοῖς κ. τ. λ. Καὶ, (ſcilicet ποιεῖ,) ἵνα μή τις &c. Hoc non recogitantes librarii aliqui, vel Interpretes, καὶ illud poſterius tanquam παρέλκον expungendum cenſuerunt.

εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, ἢ τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ) Tres modi notandi hic deſignari videntur *Petro Zornio* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 269. ſimiles illis, qui in ſacris ſuperſtitioſis olim recepti fuerint. *Vel enim*, inquit, *notabantur idololatræ proprio Dei nomine, vel ejus παρασήμῳ ſeu inſigni, quale erat fulmen Jovis, galea vel haſta Martis, caduceus Mercurii, tridens Neptuni, hedera Liberi Patris, vel denique notabantur numero aliquo, aliave nota myſtica, quæ plerumque*

que

que Dei nomen continebat, qua ratione nomen Solis myſticum ad numerum DCVIII. pervenit, ut nos docuit Martianus Cappella, *& hoc modo notabatur* XH. Habes heic ea, quæ *Joannes Spencerus* de Legibus ritualibus Hebræorum lib. II. cap. XX. Sect. 3. p. 513. edit. Tubingenſ. fuſius ex antiquitate docuerat.

Verſ. 18. Ὧδε ἡ σοφία ἐςὶν) Similiter Cabbaliſtæ paſſim, v. c. in *Sochar chadaſch* fol. 40. 3. Veni, & vide: רזא דחכמתא אירת הכא *myſterium ſapientiæ hic eſt.* Conf. *Schœtgenii* Horas pag. 1124. Ex voce σοφία *Jacobus Haſæus*, nimis mature fatis functus, in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. II. pag. 1007. colligit, Cabbalam Judaicam h. l. ad partes vocandam eſſe. *Dum enim*, inquit, *dicit Joannes, in hoc numero nominis characteriſtici eruendo eſſe σοφίαν, aperte indicat, uſum* Cabbalæ *Judæorum, quam illi millies* חכמה *h. e. σοφίαν vocant, quod & tyronibus earum diſciplinarum notiſſimum eſt. Dein, quid notius eſt, quam* Cabbala *ſua id Judæos maxime operam dare, quo nomina variarum rerum numerent, ſeu literarum in numerando poteſtatem jungant, & hinc myſteria cudant, arte illis* Gematriæ *nomine inſignita. Johannes vero dum ait,* qui ingenio pollet, ψηφισάτω numerando componat, *ſeu* computet τὸν ἀριθμὸν τȣ̃ θηρίȣ (numerum nominis beſtiæ *ut v. 17. legitur*) eſt enim numerus hominis (*ſeu humano ingenio ejus numeri computatio pervia eſt*) & ipſe numerus eſt DCLXVI. *nihil aliud velle, quam per* Gematriam *Cabbaliſtice nominis alicujus computum numeri 666. eruendum eſſe, ut ſcias, qui numerus ſit* Nominis *ſeu characteris beſtiæ, mihi in tam liquida luce poſitum eſt, ut vix mente attingere poſſim, quid huic ſententiæ in adverſam partem opponi poſſit.* Adfert ſibi conſentientes *Vitringam* ad h. l. & Vener. *Joannem Laurentium Moshemium* in Bibliotheca Bremenſe Faſcicul. I. pag. 153. Idem ante illos monuerat *Theodorus Hackſpanius* de hac Cabbalæ Judaicæ ſpecie, (qua v. c. נחש cum משיח confertur, cum ex utraque voce numerus 358. emergat) diſſerens in calce Miſcellaneorum p. 287. & Judæi alicujus δοκησισοφίαν exagitans, qui bonam myſterii hujus interpretationem dare ſe unum poſſe gloriatus ſit. *Vitringam*, de nomine aliquo, non *Græco*, nec *Latino*, ſed *Hebraico*, quod beſtiæ illud per literarum valorem ad numerum *666.* revocet, cogitandum eſſe exiſtimantem, probat vir doctus *Jo. Goth. Lakemacherus* in Obſſ. Phil. P. IX. p. 33. ſqq. Ab altera parte intercedit Rev. L. *Gottfridus Kohlreiſſius* in Chronologia Sacra p. 422. *Omittimus*, inquit, *luſus ingenii, quibus hic numerus, in neſcio quot nomina transformatur, ſecundum valorem literarum Arithmeticum ſummam 666. exhibentia. Quacunque id in lingua fuerit, certum eſt, hac ratione quidlibet ex quolibet, ex luce tenebras, & ex tenebris lucem fieri poſſe. Unde in gravitatem & ſanctitatem Scripturæ S. omnino peccant, quibus ea variis ejusmodi atque inanibus inſtitutis nos velle ſapientiores reddere videtur.* Eadem eſt ſententia *Ariſtobuli Eulabii* in Biblioth. Selecta Theologica Parte LXXII. p. 1181.

ὁ ἔχων

ὁ ἔχων τὸν νοῦν) i. e. *prudens*, *intelligentia præditus.* Phraſis Græcis familiaris, cujus exempla ex *Menandro*, *Polybio* & aliis recitat Cl. *Alberti* p. 491. Obſſ. *Menander* p. 250. in fine: *τοῦτ' ἔστιν ἀνδρὸς νοῦν ἔχοντος*. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian.

ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου) Id quidem multi alia atque alia ratione adgreſſi ſunt. Id apparebit ex variis diſſertationibus, quas noſtrates de hoc numero Apocalyptico ediderunt. Tales ſunt *Andreæ Helwigii* de Antichriſto Romano in numero myſtico, Wittebergæ 1612. *Valent. Erneſti Læſcheri* de numero Anti-Chriſti ibidem 1696. *Jo. Paſchii* de numero beſtiæ Apocalypt. ibid. 1684. & *Jo. Prætorii* de deteƈto Antichriſto 1674. Adde *Nathan. Stephani* diſſertat. de numero & charaƈtere beſtiæ, & *Leonh. Ryſſenii* de nova explicatione numeri *666.* Exſtat præterea ſingularis *Franc. Potteri*, Angli, liber de numero beſtiæ *666.* qui Anglice primum Lond. 1642. deinde vero *Latine* converſus *Baſileæ* 1656. 8. prodiit. De eo leges *Ant. à Wood* p. 299. Antiquitatum Oxonienſium, quo teſte *Gallice* quoque & *Germanice* prodiit, *Joſepho Medo* vero ita ſe probavit, ut profiteretur, *nihil unquam felicius in illo tam difficili argumento in lucem prodiiſſe*, *nec librum hunc ſine ſummo ſtupore, niſi ab incredulis plane, legi poſſe.* Diverſas variorum ſententias commemoratas leges à *Petro von Sarn* in Miſcellaneis Duisburgenſibus Tom. I. Faſcic. III. pag. 483. ſqq. Obſervationes quaſdam huc pertinentes *Jo. Chriſtianus Seitz.* Admonitionibus ſuis neceſſariis ad leƈtorem & interpretem Apocalypſeos, germanice editis, inſeruit.

Mihi quidem pro inſtituti mei ratione ſuffecerit, recentiorum quorundam cogitata, cum alia aliorum commentarii exhibeant, percenſere. Ut vero hoc ordine fiat, diverſæ claſſes ſunt conſtituendæ.

Primam illi conſtituant, qui numerum hunc *Cabbaliſtica* ratione expedire conati ſunt. Huc vero ex Cabbalæ artificialis generibus duo video advocari, nempe, *Gematria* & *Notarikon.* Per *Gematriam* vox aliqua cum altera comparatur, atque illam denotare cenſetur, quæ per literas eundem, quem prior illa habet, ſenſum producit. Nonnulli itaque nomina nunc *Hebraica*, nunc *Græca*, nunc *Latina* attulerunt, numerum *666.* referentia. Ex *Hebraicis Vitringa* in Commentar. p. 635. primo de רובה ורברמה & רבת הגוים quæ voces numerum *666.* efficiunt, cogitavit, deinde vero mentem convertit ad אדוניקם cujus mentio eſt *Eſræ* II. 13. non quidem ideo, quod literæ nominis numerum hunc referant, ſed quod familia & poſteri ejus *666.* hominibus conſtitiſſe dicantur. *Quem numerum*, inquit, *cum vellet Joannes, ab Angelo eruditus, eumque videret ſubjeƈtum nomini, quod myſtice admodum eleganter demonſtrat charaƈterem beſtiæ, ſive Reƈtorum ejus, hoc ipſum nomen myſtice contemplatus eſt, ut nomen beſtiæ.* Significatum vero illum myſticum p. 635. ita exponit, quod idem ſit, atque ſi dicas: *Dominus inſurgens*, ſive *adverſarius*; vel *adverſarius Domini*: quam notionem egregie quadrare putat ad

 nomen,

nomen, quo Antichriſtus 2 *Theſal.* II. 4. appellatur, nempe ὑπεραιρόμενος & ἀντικείμενος. Sed vide, quæ huic ſententiæ, longius utique petitæ, opponuntur in *Bibliotheca Theologica Selecta* Parte LXXII. p. 1182.

Propius ad *Gematriam* Cabbaliſticam accedit B. *Matthæus Hillerus* in Hierophytico Parte I. p. 168. ארם ארמי reſpici opinatus. *Hæ enim*, inquit, *literæ*, *per* Gematriam, *numerum beſtiæ complectuntur*: ם *enim finale 600 denotat*, *reliquæ in ſummam collectæ literæ 66. Jodh eſt paragogicum. Nimirum rubet Antichriſtus à Sanctorum ſanguine*, *& à ſanguine martyrum Jeſu*, *beſtia*, *Apoc.* VII. 6. & XIII. 7. *In ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt*, *& omnium*, *qui mactati ſunt in terra.* Apocal. XVIII. 24. Vide ibi plura. Sed nec hoc multis ſe probabit, qui fortaſſe non intellecturi ſunt, cur duæ voces, unum idemque denotantes, adferantur.

De voce מכרות cogitavit *Jac. Haſæus* in Biblioth. Bremenſe Claſſe II. p. 1010. illis verbis adductus, quibus dicitur: καὶ ἵνα μήτις δύνηται ἀγοράσαι, ἢ πωλῆσαι, *& ne quis poſſit* emere *aut* vendere. *Character proinde*, inquit, *beſtiæ eſt*, *quaſi teſſera*, *qua omnis* emturus vendituruſque *inſtructus eſſe debet. Huc animum advertens obſervabam*, מכרה *notare* rem venalem, *& in* plurali מכרות res venales. *Atqui hæc ipſa vox continet illum numerum* DCLXVI. —— —— *Commode vero hoc nomen & χάραγμα datur* beſtiæ *illi*, *quæ ſymbolum eſt* civitatis *aut* Anti-Chriſti, *in ea habitantis*, emtione venditioneque *omnium rerum ad luxum ſpectantium*, *diffluentis. Vide* Apoc. XVIII. 11-16. At credibile non eſt, Spiritum S. ad emtionem & venditionem rerum ejuſmodi, ad luxum pertinentium, reſpexiſſe, quando de rebus majoris momenti ſatisque Eccleſiæ agitur; tantum abeſt, ut nomen ejusmodi pro nota beſtiæ haberi poſſit.

Zachar. Portzigius in Collectione Novantiquorum Theologicorum an. 1733. p. 662. præfert vocem סרות i. e. *apoſtaſiæ*, tanquam magis ad argumentum pertinentem. Sed ipſe hanc conjecturam protinus deſerit, & cum alia, de qua mox dicemus, permutat.

Jo. Lightfootus numerum 666. in nomine סתור quæſivit. *Numerus*, inquit, *beſtiæ eſt numerus hominis*, *& numerus ejus 666. Secundum Hebræorum numeralia* Sethur (*nomen cujusdam viri*, Num. XIII. 13. *hunc numerum implet*, *&* quid crypticum *ſive myſterium reddi oportet*, *id ipſum*, *quod Romæ inſcriptum eſt.* Hanc conjecturam Cl. *Petrus à Sarn* ornare adgreſſus eſt nuper in Miſcellaneis Duisburgenſibus Tom. I. p. 487. Argumentorum ſummam p. 492. ita complectitur: *Dum itaque* Sethuri *numerus arithmeticus*, *nomen*, *tribus*, *familia*, *conditio*, *res geſta*, *peccatum & exitus*, *apprime in Anti-Chriſti Romani conſpirant perſona*, Lightfootiana *non ita protinus rejicienda videri poterit obſervatio.*

Aliis vox רומיית *Romana*, huc viſa eſt accommodatiſſima. *Jo. Piſcator* in Notis ſuper N. T. ad h. l. ita: *Idem numerus* (666) *continetur etiam voce Hebraica* רומיית, *ad quam ſubauditur nomen* קהלה i. e. eccleſia, *ut ſignificetur*

Digitized by Google

ficetur eccleſia Romana. Idem placuit *Petro Jurieo*, ex cujus tamen nomine Hebraice ſcripto, eundem numerum elici poſſe quidam Regis Galliæ legatus, præeunte *Rich. Simone*, per numum ære expreſſum docuit. Vide B. Benthemii tractatum vernaculum de Statu Belgii Eccleſiaſtico & Scholaſtico p. 431. ſq.

Jo. Gothofredus Lakemacherus, V. C. numerum hunc inveniſſe ſibi viſus eſt in nomine ר׳ שמעון i. e. *Rabban Simon*, quem ab Herode Agrippa Synedrii Judaici Præſidem ait eſſe conſtitutum, atque ita præterea comparatum, ut, quæ inde à v. 11. de beſtia hac poſteriore allata ſunt, in eo fuerint conſpecta. Vide eum Parte IX. Obſervatt. Philologicar. p. 33. & 47. ſqq. Hæc vero conjectura cum alteram illam, quæ viſa Joannea ad primam Chriſtianiſmi ætatem cum *Grotio*, *Hammondo*, *Lightfooto*, *Roſenrohtio*, & *Hardtio* refert, præſtruat; noſtra quidem ætate, qua illa pleriſque omnibus precario ſumta recte videtur, pauciſſimis ſe probaverit. Hæc de illis ſufficiant, qui in Hebraicis nominibus numerum a Joanne ſignatum quæſiverunt.

Sequantur illi, qui nomina Græca conſectati ſunt. Ex his primus fortaſſe eſt *Irenæus*. Is enim lib. V. adv. Hæreſes cap. 30. p. 448. edit. Grabianæ tria affert, nempe Ευάνθας, Λατεινος & Τειτάν. Plura ejuſmodi ex *Hippolyto*, *Aretha*, *Primaſio* recitat ad locum illum *Fevardentius*. Adde *Athanaſ. Kircherum* in Oedipo Tom. II. p. 219. & præſtantiſſimum *Fabricium* noſtrum in præfatione ad Σύμμικτα περὶ τὸν Ό Lipſ. 1688. edita. De voce Λατεινος ſpeciatim leges *Salmaſium* de Transſubſtantiatione p. 550. qui & de illa Ουλπιος p. 548. commentatur. Hoc ſcilicet nomen, tanquam *Trajani* gentilitium, effecit, ut nonnulli cum Grotio ipſum illum Antichriſtum ſibi finxerint. Ευίνας nomen, origine Hebraicum, numerum beſtiæ complecti monetur in libro de Nominibus Hebraicis Tom. II. Hieronymi edit. Martian. p. 158. Alii non in una aliqua voce, ſed pluribus huc accommodandis occupati fuerunt. *Piſcatori* arriſit ἐκκλησία Ἰταλικὰ in notis ad h. l. *Jo. Clerico* in Additamentis ad Hammondum Διός εἰμι ἢ Ηρας, *Jovis ſum, aut Junonis*. Copioſam aliarum dictionum *Græcarum*, & *Latinarum*, quæ omnes ad Antichriſtum Romanum ſpectant, dedit *Leonh. Chriſtoph. Sturmius* in der vollkommenen Auflöſung des gröſſeſten und ſeit mehr als 1600 Jahr unaufgelöſet gebliebenen Problematis von der Apocalyptiſchen Zahl 666. Roſtoch. 1716. 8. Specimina aliquot habes in Biblioth. Bremenſe Claſſ. I. Faſcic. I. p. 149. Omnia vero ita comparata ſunt, ut vel nomen Papæ alicujus, vel deſcriptionem dignitatis Papalis contineant. *Sturmium* heic nonnunquam in Græcæ linguæ genium & ὀρθογραφίαν, nonnunquam in literas, ad numeros revocandas, peccaſſe, oſtendit Anonymus in Sendſchreiben, Hrn. Sturms Auflöſung der Zahl 666. betreffend, Flensburg 1716. 8. qui præterea eadem ratione nunc nomen, nunc conditionem, *Sturmii* ejuſmodi vocibus Græcis deſcribit, quæ numerum Antichriſti referunt. Idem repetita vice agitur in *L. C. Sturmii* Communication

tion eines an ihn abgelaſſenen Schreibens von der Zahl *666.* Flensburg. 1718. 8. ubi *Sturmius* ad exceptiones ſibi factas reſpondere fingitur. Conf. Relationes Theolog. Novantiquas an. 1716. p. 1093. 1095. & an. 1718. p. 720.

Addam Vener. *Valent. Erneſti Læſcheri* conjecturam ingenioſam, in Exercitat. Hiſtorico-Philologica de numero Antichriſti propoſitam. Monet primo loco phraſin, ἀριθμὸς ἀνθρώπου, tria inferre, nempe ut 1) vel *ætatem* illius hominis, vel 2) *nomen* ejus *characteriſticum*, vel 3) *nomen* ejus *proprium* referat. Tria vero hæc apparere ait, ſi 1) ætas Antichriſti in A. C. DCVI. referatur, quo *Bonifacius* III. titulum Epiſcopi Oecumenici a Phoca accepit. Hic enim annus DCVI. reſpondebit illi DCLXVI. ſi LX. circiter anni ante natum Chriſtum in computum vocentur. 2) Nomen characteriſticum latere ait in voce Λατεῖνος, denique vero 3) numerum prodire ex *Bonifacii* illius nomine Græce, additis nonnullis, ita expreſſo: Βον.ϐάζιος Γ Πάπα Ξη, ε. ε. i. e. *Bonifacius III. Papa* LXVIII. *Epiſcopus Epiſcoporum primus.*

Latinarum ejuſmodi vel vocum, vel ſententiarum, ſegetem habes apud B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, & in *Criticis Curioſis Miſcellaneis* Sexagen. II. Obſ. IX. Inter has applauſu exceptæ fuerunt a multis illæ: *PaVLo V. VICe Deo*, quod ſymbolum debetur *Wilhelmo Bedello*, Epiſcopo quondam Kilmorienſi, ceu ex vita ejus teſtantur Acta Erudit. Lipſienſium an. 1686. p. 244. Adde *Pet. Bælii* Dictionarium Tom. I. p. 533. not. I. & *W. E. Tenzelii* Dialogos menſtruos, germanice editos an. 1694. p. 36. Pſeudonymus quidam, M. *Carolus Aglaonius Irenochoræus* in *Apodictica tractatione quæſtionis: num certum aliquod Anti-Chriſti nomen exſtet, cui numerus ille Apocalypticus* DCLXVI. *reſpondeat*, Gryphiswaldiæ 1600. 4. de vocibus, VICarIVs fILII DeI multum gloriatur p. 5. his verbis uſus: *Ecce autem præſens hoc* (Vicarius Filii Dei) *per omnia tale eſt, quale requiritur. Nam primo numerum illum Apocalypticum exactiſſime reddit; deinde ordini Papali per ſe, toti ſemperque convenit, quod nemo Pontificum negaverit; tertio non eſt odioſum, neque vile, tanquam ab adverſariis ipſi inditum, ſed apprime ipſi honorificum & venerabile —— —— denique hoc miraculi inſtar eſt in hoc nomine, quod non modo literis Latinorum ſignificativis iſtum numerum Antichriſticum exhibet; ſed & ſingula in univerſum hujus nominis elementa, ſecundum numerum alphabeticum, more Græcorum & Hebræorum diſpoſita, tam accedant prope, ut tribus ſaltem adſcitis punctis eundem numerum expleant; qui tamen ipſe defectus quid myſterii in ſe contineat, & quo pacto rite ſuppleatur, alio fortaſſis loco & tempore prodam. Kleſchio*, de quo ſupra, LVDoVICVs (XIV.) Galliæ Rex, huc pertinere viſus eſt, advocatis ſimul *tribus liliis*, regni Galliarum ſymbolo, quæ Hebr. voce שוש appellantur, quemadmodum שש Latinis *Sex* ſignificat. Vide Relationes Theolog. Novantiquas an. 1705. p. 519. *Anton. Drieſſenius* in Commentar. Apocalyptico p. 325. adfert ſequentem inſcriptionem: *Vna Vera CathoLICa InfaLLIbILIs eCCLesIa.* Omitto alia.

Atque

Atque hæc quidem ad exemplum *Gematriæ Cabbaliſticæ* ſunt conformata. Adferam nunc ea , quæ ad illud Cabbalæ Judaicæ genus accedunt, quod *Notarikon* vocant. Per illud vero ſingulæ literæ ſingulas voces earumque ſenſum exprimere exiſtimantur. Hoc præſtructo M. *Henningius Huthmannus* in tractatu vernaculo : Tauſend-jährige Bindung des Satans &c. literas χξϛ ita interpretatur : χριϛὸν ξενίζοντα ϛαυρῶν h. e. *Chriſtum hoſpitantem* (apud ſe) *crucifigens*, quo ipſo *Julianum* Apoſtatam ſignificari opinatur. Veſtigiis hujus inſiſtens *Zacharias Portzigius* , eaſdem voces ad *Anti-Chriſtum* κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum referre, vel eundem his vocibus , Χριϛομάχος ξυθεὶς ϛεφανοφόρος . i. e. *Chriſti oppugnator raſus* , *coronam gerens* , deſcribi mavult Vide Collectionem Novantiquorum Theologicorum an. 1733. pag. 662.

Jungam his proxime *C. A. Heumanni* Reſolutionem ænigmatis Apocalyptici , quæ exſtat in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. I. p. 864. ſeqq. Sententiæ ſumma pag. 869. his verbis exhibetur : *Signum beſtiæ & character eſt* χξϛ. *Hoc non eſt capiendum ſenſu literali, quaſi numerus 666. denotetur , ſed hæc eſt hujus ænigmatis mens : Pſeudopropheta ille a fronte & a tergo ſpeciem præbet Chriſtianiſmi* (X enim eſt prima litera nominis Chriſti , & ϛ eſt ultima ejus litera , vel , ſi mavis , ϛ eſt prima litera ſecundæ ſyllabæ nominis Chriſti) *& vult haberi pro Duce Eccleſiæ Chriſtianæ, ſeque jactat eſſe Vicarium Chriſti ; verum latet anguis in herba , h. e. in medio & quaſi in ventre ſuo , ſive intus & in cute habet* τὸ ξ , *quæ eſt figura* SERPENTIS , *i. e. Diaboli* , Apocalypſ. XII. 9. & XX. 2. *Serpens igitur , ſive Diabolus animat eum & gubernat , per eumque loquitur , & Sanctos occidit.*

Succedat nunc *altera* claſſis , eorum , qui in numero 666. non ſimpliciter hærent , ſed in illo expediendo alia ratione verſantur. Exſtat *Henrici Horchii* meletema de numero beſtiæ Apocalypticæ pag. 71. libri , quem inſcripſit : *Inviſibilia Dei in rebus ab ipſo factis facta viſibilia* , Marpurgi 1719. 4. *Ibi in anteceſſum monetur* (verba habes ex Bibliotheca Bremenſ. Claſſ. II. p. 748.) *per* numerum hominis *ex indole linguæ Hebrææ , intelligendum eſſe* humanum , *h. e. ejuſdem generis cum illis numeris , quibus homines utuntur. Unde concluditur , numerum illum , a Spiritu S. datum , ſecundum leges Arithmeticæ in ſua principia eſſe reſolvendum , quod triplici ratione poteſt peragi , vel* 1) *dividendo illum ſolitarie ſpectatum , vel* 2) *extrahendo illius radicem , vel denique dividendo illum , & oppoſitum* 144000. (*qui eſt numerus comitum agni* Apoc. XIV. 1.) *unum per alterum , vel illius radicem.*

Primum illum modum ornandum ſuſcipit *Horchius* , cujus ſententiam , quæ paucis enarrari non poteſt , leges ibidem pag. 749. Alter placuit *Franc. Pottero* , de quo *Vitringa* ad h. l. Tertius ſe probavit *Coccejo* , ad quem fere accedit *Hermannus Deuſingius* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ.

I. Faſcic. I. pag. 157. & *J. C. Lærſius*, Theologus Duisburgenſis, in Miſcellaneis Duisburgenſibus Tomo I. pag. 26. ſeqq. Ex noſtratibus *Joannes Henricus Urſinus* in Analectis Sacris Vol. II. lib. III. pag. 121. reſpici putat ad XXV. idololatras, *Ezech.* VIII. 16. commemoratos, & pag. 123. ita rationes inſtituens: *Cogitent, qui volunt, & valent, an non hi XXV. omnium idololatrarum, reproborum & induratorum imaginem præferant, atque adeo numero hoc XXV. per ſemetipſum multiplicato, additoque quadragenario & unitate corpus beſtiæ Apocalypticæ myſtice ſignificetur, ideo, quod in eo corpore omnium idololatriarum quaſi ἀνακεφαλαίωσις & perfectio ab uno capite per omnia membra ſparſa colligatur & conſummetur. Nam XXV. ductis in XXV. producitur DCXXV. numerus cubicus regularis, æquilaterus, qui ex poſitis fundamentis auctorumque ſententiis, ſignificabit corpus plenum, & in omnem partem quadratum, obduratum, immobile, ex omnium ſenſualium voluptatum appetentia, in extremam apoſtaſiam prolapſum, unde reſurgendi nulla ſpes ſit. His ſi addas XLI. habebis numerum beſtiæ DCLXVI. & in his XLI. unitas caput, quadragenarius univerſitatem membrorum plenam per orbem terrarum ſignificare poteſt.*

Fuit, qui numerum hunc conferret cum *ſenario*, quem heluo cum quinque fratribus ſuis *Luc.* XVI. 28. conficit. Quemadmodum enim per illos damnatorum numerum inferri opinatur; ita exiſtimat, Anti-Chriſtum heic repræſentari tanquam inſtrumentum, quo numerus ille *ſenarius* per *ſex denarios*, porro per *ſex centenarios* atque ita porro ſic augeatur, ut numerus 666. emergat.

Tertia claſſis eorum ſit, qui numerum 666. tantum ad originem beſtiæ Antichriſtianæ deſignandam ſpectare cenſent. Inter hos eſt Rever. *L. Gottfridus Kohlreiffius* in Chronologia Sacra pag. 423. Ille ſcilicet comma hoc Joanneum ſic παραφράζει: *Qui habet intelligentiam, computet*, & cum aliis Scripturæ S. numeris Chronologicis conferat *numerum beſtiæ*, numerum anni, quo initium cepit ipſius potentia. *Numerus enim hominis eſt*, illius epochæ vulgaris a CHRISTO, nato homine, & *numerus ejus eſt* illius epochæ annus ſexcenteſimus ſexageſimus ſextus. *Id tempus*, ita pergit, *cumprimis vitale fuit beſtiæ, ſedem Romanam tenente Papa* Vitaliano Siguino, *qui ut* Joannes Baleus (Act. Roman. Pontif. lib. III. n. 11.) *narrat, Eccleſiaſticam regulam ſcripſit, Horas Latinas, cæremonias, miſſas & idololatrias Latinas omnes in templis Latine fieri diſpoſuit. Reprehendit quoque conjugium Sacerdotum, ut apparet ex epiſtola ad Epiſcopum Cretenſem, in Centuriis Magdeburgenſibus commemorata. Hujus Papæ temporibus, teſte* Anaſtaſio, *Conſtantinus Auguſtus, aliis Conſtans II. venit Romam Indictione VI. h. e. A. C. 663. & occurrit ei obviam Papa cum clero ſuo, milliario ſexto ab urbe Roma, & ſuſcepit eum. Imperatoriam ergo poteſtatem adhuc agnovit Pontifex, quam & tunc Imperator ita ut cum maxime Romæ exercuit.* (Vide *Anaſtaſium* de Vitis

tis Pontific. Rom. n. LXXVII.) *Sed & ultimus hic fuit Juriſdictionis Imperatoriæ actus Romæ patratus : Ingreſſus quidem fuit* Conſtans *Siciliam Indict.* VII. *h. e.* A. C. *664. & circa Syracuſas vitam agens , quæ* Joannis Zonaræ *ſunt verba ,* imperium etiam Romam veterem transferre voluit &c. *Horum conſiliorum everſio poteſtatis Papæ , ſupra Reges eminentis , primum fundamentum fuit : quapropter* Anno CHriſti *666. merito ut primus illius poteſtatis in Apocalypſi Joannea numeratur.* Hactenus vir & ingenio & doctrina valens.

Supereſt *Ariſtobuli Eulabii*, Scriptoris pſeudonymi, meditatio, quam *Bibliotheca Theologica Selecta*, germanice edita, Parte LXXII. pag. 1180. ſqq. exhibet. Præſtruit ille pag. 1183. 1) *numerum iſtum 666. fundari in ipſo Joannis contextu, exque eo & oportere & poſſe inveniri.* 2) Aliud eſſe *calculationem ipſius numeri , aliud explicationem ſignificationis.* His poſitis, reſpiciendum eſſe ait ad comma primum hujus capitis XIII. quo beſtia prior (cujus numerum hic ſiſti exiſtimat) ſeptem capita, decem cornua, & ſuper illis decem coronas habere dicatur. Porro pag. 1194. ſq. ita calculum inſtituit : *Beſtia hæc eſt pardalis cum unico & naturali ſuo capite , ſine quo non fuiſſet beſtia , ſed truncus. Hujus beſtiæ numerus eſt appendix , & capitum ſecundariorum , & cornuum & diadematum. Sunt autem jam ad capitum primarium ſecundaria 6 , in quovis horum cornua* decem, h. e. 60. *in quovis cornu diademata* decem , *h. e. 600. ipſe numerus a Joanne propoſitus 666.*

Mihi quidem heic non liquere candide profiteor, malimque ſequi *Irenæi* conſilium, quam incerta conſectari , vel in iis acquieſcere. Audi *Irenæum* pag. 448 edit. Grabianæ: ἀσφαλέστερον οὖν καὶ ἀκινδυνότερον, τὸ περιμένειν τὴν ἔκβασιν τῆς προφητείας, ἢ τὸ καταστοχάζεσθαι καὶ καταμαντεύεσθαι ὀνόματος. τυχὸν δὲ ἐπὶ πολλῶν ὀνομάτων εὑρεθῆναι δυναμένου τοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ, - Εἰ γὰρ πολλά ἐστι τὰ εὑρισκόμενα ὀνόματα, ἔχοντα τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν, ποῖον ἐξ αὐτῶν φορέσει ὁ ἐρχόμενος, ζητηθήσεται. Et pag. 449. Ἡμεῖς οὖν οὐκ ἀποκινδυνεύομεν περὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἀντιχρίστου ἀποφαινόμενοι βεβαιωτικῶς. εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα, δι' ἐκείνου ἂν ἐῤῥέθη τοῦ καὶ τὴν Ἀποκάλυψιν ἑωρακότος. οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς. Nuper Cl. *Joannes Bernhardus Wideburgius* in Specimine VII. Matheſeos Biblicæ pag. 112. ita : *Dubitamus (cum ex ipſius Apoſtoli teſtimonio ſapientia hic opus ſit ,) utrum hominis ſapientia ſufficiat , numerum illum in libro recondito expreſſum ſupputare.* Difficultatis ratio in eo præcipue poſita eſt , quod ad liquidum nondum ſit perductum , quid per ἀριθμὸν ἀνθρώπου indicetur , neque etiam pateat , num ὄνομα θηρίου de nomine quodam proprio illius , quod heic deſignatur , accipiendum ſit; denique etiam , ſi hoc admittatur , obſcurum ſit , in qua illud lingua quæri debeat , aut inveniri poſſit. Qui de literis ad numeros revocandis cogitant , ad morem Cabbaliſticum provocantes , eos nondum

nondum video probaſſe, ejusmodi luſus, vel, ſi mavis, myſtica indicia S. Joannis ætate fuiſſe recepta.

καὶ ὁ ἀριθμὸς ἀυτȣ͂ χξϛʹ) Lectionem hanc germanam eſſe oſtendit Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico N. T. p. 826.

CAPUT XIV.

VErſ. 1. *Καὶ εἶδον, καὶ ἰδȣ̀, κ. τ. λ.*) Ad quinque primora hujus capitis commata ſpectant D. *Friderici Adolphi Lampii* conciones aliquot, primum *Germanice* Bremæ 1710. 8. deinde *Belgice* Amſtelod. 1719. 8. ſub tit. Geſtalt der Braut Chriſti vor ihrem Ausgang aus Babel editæ. Tria vero priora illuſtrantur ab *Henrico Horchio* in diſſertat. ſingulari, quæ recuſa eſt in Theſauro Theolog. Philologico N. T. pag. 841. ſeqq. Totum vero hoc viſum explicat & *de cœtu virgineo* inſcribit *Joſ. Mede* in Commentationibus Apocalypt. p. 510. Operum.

ἔχȣσαι τὸ ὄνομα τȣ͂ πατρὸς ἀυτȣ͂) Codices multi, verſiones, interque has *Coptica*, & Patres quoque ita: *ἔχȣσαι τὸ ὄνομα ἀυτȣ͂ καὶ τ. πατρ. α.* Hanc lectionem ut veriſſimam amplectitur *Medus* l. c. p. 511. his verbis uſus: *Male e quibusdam exemplaribus excidit illud* nomen Agni, *quod agnoſcunt* Vulg. Primaſius, Andreas, Aretas, edit. Complutenſis, Syrus *Interpres; ut eam veram lectionem eſſe non ſit dubitandum: quin, ut ita legatur, rem ipſam poſtulare, in progreſſu interpretationis clare patebit. Alluditur enim (ut in Beſtiæ quoque hiſtoria notavimus) ad ritum priſcum, quo tam ſervi Dominorum, quam milites, Imperatoris ſui nomine aut ſtigmate olim inſcripti, cernebantur; atque ſervi quidem præcipue in frontibus (teſte* Rhodigino lib. V. 33.) *milites vero in manibus.* ——— ——— ——— *Illi nomen Agni & Patris ejus in frontibus ſuis gerunt, qui fidem, qua ſe agno, ſeu Imperatori & Domino, & Patri ejus in baptiſmo, manciparunt, non frangunt, neque ad Satanæ ejuſque angelorum cultum pompasque, quæ ſemel ejurarunt, relabuntur.* Exprimunt eandem lectionem *Complutenſ. Grotius*, Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & Cl. *Bengelius.* Et facile fieri potuit, ut *τὸ ὄνομα ἀυτȣ͂* excideret ob mox ſequentem eandem vocem *ὄνομα*, in quam librarii præcipites lapſi ſint. Confirmari hæc lectio eo poteſt, quod mox v. 4. illi, de quibus heic ſermo eſt, dicuntur *ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ καὶ ἀρνίῳ.*

γεγραμμένον ἐπὶ τῶν μετώπων ἀυτῶν) Pro *γεγραμμένον Eraſmus* in tribus ſuis editt. habet *καιόμενον*. Cl. *Bengelius* hoc ex eo factum ſuſpicatur, quod quidam in margine notarit omiſſum illud *καὶ ὄνομα*, hinc vero factum ſit, ut alius legerit *καιόμενον* idque heic expreſſerit. Veri autem ſit ſimilius, id gloſſemati acceptum ferri debere. Conſtat enim, notas ejuſmodi vel fron-

frontibus vel manibus *inuri* ſolitas. Atque hunc morem aliquis indicaturus conſultum putavit, vocem *γεγραμμένον* per *καιόμενον* interpretari.

Verſ. 2. *καὶ φωνὴν ἤκουσα κιθαρῳδῶν*) Codd. aliqui & verſiones, interque has *Coptica*, item Patres ita: *ἡ φωνὴ, ἣν ἤκουσα ὡς κιθαρῳδῶν*, & ſic *Complut. Grotius*, *Bengelius*. Editor N. T. Græco-Anglic. habet *καὶ φωνὴν ἤκουσα ὡς κιθαρ.* cum tamen iidem illi codices, qui habent *ὡς* ante *κιθαρῳδῶν*, reliqua etiam exhibeant. Et hic *Medus* lectionem iſtam *Complutenſem* ampleſtitur, de cujus veritate eſt cur dubitemus. Si enim eam admiſerimus, ſenſus fuerit, vocem illam, quam audiverit Joannes, fuiſſe inſtar citharœdorum, quod tamen in vocem aquarum multarum & tonitruum vehementium minus quadrat. Ex receptiore vero lectione hic naſcitur ſenſus, isque planior & accommodatior, Joannem ſcilicet audiviſſe tum vehementem vocem tonitruum, tum vocem molliorem, & citharœdorum ſimilem, ſive alteram excepiſſe alteram credamus, ſive duos choros conſtituamus. Illud *ἣν* naſci facile potuit ex poſteriore ſyllaba vocis *φωνὴν*, quemadmodum *ὡς* ad imitationem antecedentis ejusdem particulæ inſerta videtur.

Verſ. 3. *οἱ ἠγορασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς*) Anteceſſit proxime vox *χιλιάδες*. Itaque ſcribendum videri poterat *αἱ ἠγορασμέναι*. Sed & heic, ut alias, ſtructura vocum non ad genus, ſed ad perſonas ſignificatas, refertur. Supra v. 1. *ἔχουσαι* refertur ad genus vocis *χιλιάδες*.

Verſ. 4. *οὗτοί εἰσιν, οἳ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν*) De ſcortatione & adulterio ſpirituali heic ſermonem eſſe, argumentum ipſum oſtendit, & Interpretes pridem monuerunt. Neque adeo ſuſpicio ſubnaſci poteſt, quaſi conjugati a gaudio regni cœleſtis excludantur; quod ut amoliretur vir quidam doctus, penſitandum eruditis relinquit, an non in oculis Dei conjuges quoque virgines ſint, qui ſcilicet conjugium caſte colant. De hoc ut nunquam ego dubitáverim; ita contrarium ex præſente loco nunquam conficietur.

παρθένοι γάρ εἰσι) Viros etiam, matrimonii & mulierum expertes, *παρθένους* dici a Græcis oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 456. ſq. Adfert autem *Suidam* v. *παρθένος*, Ἀβελ & Νόννος, *παρθένιον* vero *ἄνδρα* & *παρθενικὸν*, i. e. virgineum ait appellari a *Plutarcho* in Agide & Cleomene, p. 802. illum, cui nupſerit virgo. Conf. Cl. *Albertium* ad h. l. Transfertur præterea vox *παρθένος* ad alia. Ita *παρθένος γῆ* & *παρθενικὴ γῆ* dicitur, de qua phraſi legi poteſt *Jo. Clericus* in Indice II. ad commentar. in Pentat. voce *παρθένος*. Triremen recens fabricatam *παρθένον* appellat *Ariſtophanes* Equitib. v. 1299. *Philo* *παρθένους χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείνειν* dicit *περὶ φιλανθρωπίας*. De numis *παρθένοις* conſule *Salmaſium* de Uſuris p. 426. Quo ſenſu *uxores* quoque *παρθένοι* vocentur, oſtendit *Ezech. Spanhemius* ad Juliani Cæſares p. 375.

οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ) Vide *Amelii* Erör-

terung Tom. II. p. 875. *Lipſius* de militia Romana lib. I. dial. 6. ex Dionyſio Halicarnaſſ. formulam ſacramenti militaris affert, qua milites promittebant ἀκολουθεῖν τοῖς στρατηγοῖς, ὅποι ποτ' ἂν ἄγωσι. De fidelibus, in hac terra viventibus, agi contendit *Lud. Cappellus* in Operibus p. 256.

Verſ. 5. Καὶ ἐν τῷ στόματι αὐτῶν οὐχ εὑρέθη δόλος) Libri quidam, & verſiones, interque has *Coptica*, habent ψεῦδος & vertunt *mendacium*. Atque hanc vocem poſt *Complutenſes* in contextum recepit *Bengelius*, qui vocem δόλος ex 1 *Pet.* II. 22. putat deſumtam. Enimvero & *Joannes* & *Petrus* phraſin ſuam ex *Jeſaiæ* LIII. 9. petiiſſe recte exiſtimantur. Jeſaias enim eo in loco Chriſtum ut *agnum* repræſentat, heic vero Joannes de iis loquitur, qui ſunt primitiæ agni, & ad exemplum ejus ab omni dolo & fraude alienos ſe præſtiterunt. In Hebraico Jeſaiæ exſtat מרמה quod οἱ LXX. itidem per δόλον converterunt. Eadem phraſi Joannes utitur Evangelii I. 47. ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι. Infra quidem XXI. 27. & XXII. 15. voce ψεῦδος in argumento ſimili utitur, ſed cum verbo ποιεῖν. Propterea nec mirum, *Medum* vocem δόλος alteri præferendam exiſtimaſſe, p. 514. Opp. *Porro*, inquit, *cum quorumvis hominum idololatria mendacium ſit, tum vero eorum, qui ſe interim veri Numinis cultores ſimulant, propriiſſime* dolus *eſt, ſeu* mendacium fraudulentum: *ut ſi Beſtianorum, quorum oppoſitione cœtus iſte ſignatorum agni deſcribitur, attendamus hypocriſin; lectio, quæ* dolum, *alteri, quæ* mendacium *habet, præferenda videbitur; quamvis ad rem ipſam haud ita multum interſit. Interim ad pleniorem hujus loci intellectum conferat lector illum* Zephaniæ III. 13. *ſane huic quamſimillimum.* Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua doloſa.

ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ) Cum hæc in codd. aliquot, verſionibus & Patribus deſiderentur, omiſſa ſunt ab Editore N. T. Græco-Anglicani & *Bengelio*, cui ex interpretamento nata videntur. At non apparet, quomodo alicui in mentem venire potuerit, phraſi antecedenti, ἄμωμοι γάρ εἰσι, quæ per ſe ſatis intelligitur, explicandi cauſa hæc jungere, inprimis cum ἐνώπιον τοῦ θρόνου v. 3. anteceſſerit. Cumque præterea eadem hæc phraſis Joanni admodum ſit familiaris, veriſimilius eſt, eam hoc quoque loco ab ipſo eſſe profectam.

Verſ. 6. Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον πετώμενον ἐν μεσουρανήματι) Vide ad VIII. 13. Angelum illum de B. *Luthero* noſtrates tantum non omnes recte accipiunt. Eos diligenter & magno numero allegat eruditiſſimus *Jo. Albertus Fabricius* in Centifolio Lutherano p. 330. & 773. Ex his adferam eos, qui ſingularibus diſſertationibus id egerunt, nominatim *Abrah. Calovium*, de Luthero ante Lutherum Witteberg. 1683. *Jo. Deutſchmannum* de Luthero Apocalyptico ibid. 1683. *Mich. Fertſchium* de Luthero, angelo per cœlum volante, Jenæ 1713. & *Sebaſt. Edzardum* de Uſu Logices in Emphaſibus Sacris, Hamburgi 1713. B. *Calovii* programma huc relatum

Digitized by Google

relatum an. 1663. recuſum exſtat in *Gabrielis Terne* Sylloge Programmatum p. 868. ſq. qui & ſimile D. *Jo. Adami Scherzeri* Lipſiæ 1672. evulgatum exhibet p. 877. quod etiam in Pietate Lipſienſi Bœrneriana p. 49. ſqq. recuſum legitur. Alios hujus expoſitionis patronos adferunt præſtantiſſimi Auctores Relationum Theologicarum Novantiquarum an. 1718. p. 642. ſqq. qui & ipſi eam adverſus D. *Heumannum*, in Luthero Apocalyptico omnia alia tradentem, tuentur. Quam abſurde vaticinium hoc ad *Henr. Nicolai*, hominem fanaticum, adſeclæ ejus retulerint, oſtendit *Henricus Morus* in Operibus p. 234.

ἔχοντα εὐαγγέλιον αἰώνιον) der hatte ein ewig Evangelium; ita B. *Lutherus*, ubi typotheta quidam Pontificius vocem ewig *æternum* cum neu, *novum*, fraudulenter permutavit in Bibliis Germanicis, quæ B. *Nicolai Hunnii* cura Witteberg. 1623. 4. lucem viderunt. Vide B. D. *Feuſtkingii* Introductionem ad Collegii Tripolitani Matæologiam Fanaticam p. 104. item S. S. i. e. *Serpilii*, ut opinor, Verzeichniß einiger rarer Bücher Parte I. p. 22. & Collectionem Novantiquorum Theologicorum vernaculam an. 1723. p. 190. Quid per *Evangelium æternum* intelligendum veniat, *Jo. Henr. Heideggerus* in Diſſertatt. Selectis Tom. IV. p. 244. ſqq. inquirit. Titulo hoc falſo inſcriptus eſt liber ſingularis Sæc. XIII. a fratribus mendicantibus fabricatus, & in lucem editus, eo conſilio, ut oſtenderetur, Evangelium Chriſti per *Evangelium regni* ſeu *Spiritus S.* abrogandum eſſe. De illo plura habes apud B. *Jo. Andr. Schmidium* in diſſert. de Pſeud-Evangelio æterno Helmſtad. 1700 & eos, quos diligentiſſimus *Fabricius* noſter appellat in Codice Apocrypho N. T. p. 337. * Idem meminit *Evangelii æterni* an. 1699. germanice ad adſtruendam ἀποκατάστασιν τῶν πάντων Origenianam in lucem editi, & inprimis a *Jo. Wilhelmo Peterſenio*, aliis recte oppugnantibus, variis ſcriptis propugnati.

εὐαγγελίσαι τοὺς κατοικοῦντας) *Bengelius*, codicibus aliquot præeuntibus, habet τοὺς καθημένους.

Verſ. 7. λέγοντα) Idem cum codd. aliquot exhibet λέγων, quod propter antecedens ἄγγελον πετώμενον ſtructuræ cauſa in λέγοντα refictum videtur. Ponamus, ita ſcriptum a Joanne fuiſſe, vox ipſa elliptice ita fuerit accipienda, ac ſi ſcripſiſſet: λέγων δὲ ἦν.

Verſ. 8. καὶ ἄλλος ἄγγελος ἠκολούθησε) N. T. Græco-Anglicanum ita: ϗ ἄγγελος δεύτερος ἠκολ. omiſſa voce ἄλλος, cum tamen iidem codices, quibus debetur τὸ, δεύτερος, etiam τὸ, ἄλλος habeant. Itaque ſi conſtare ſibi voluiſſet editor, utraque vox erat adhibenda. Atque ſic egit *Bengelius*, quemadmodum idem mox v. 9. eorundem codicum auctoritate ductus, ſcripſit: ϗ ἄλλος ἄγγελος τρίτος. Per Angelum hunc *Matthiam Flacium*, intelligit B. *Sam. Benedictus Carpzovius* Introductione in B.

Jo. Bened. Carpzovii diſputationes Iſagogicas in Chemnitium, Lipſ. 1701. 8. ed. Confer Acta Erudit. Lipſienſ. an. 1701. p. 305. Idem jam ante fecerat *Jo. Cluverus* in Diluculo Apocalyptico p. 163. *Flacium* una cum collegis ejus, Centuriarum Magdeburgenſium collectoribus, intelligens; quem & ſecutus eſt *Jo. Andr. Lucius* in Concionibus ſuper Apocalypſin. D. *Spenerus* in Reſponſis Theolog. German. Parte II. p. 29. angelum hunc ſecundum de Luthero ipſo accipere mavult.

Ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλών) Per Babylonem Romam Pontificiam ſeu Antichriſtianam intelligi, pleriſque interpretibus recte perſuaſum eſt. De *Roma* ſermonem eſſe nonnulli Pontificiorum, quorum apud ſuos magna eſt auctoritas, negare non ſuſtinuerunt, v. c. *Ribera*, *Cornel. à Lapide*, *Leſſius*, *Viega*, *Alcaſar*, *Sanderus* de viſib. Monarch. lib. VI. f. 217. & *Bellarminus* de Rom. Pontif. lib. II. c. 11. Confer *J. S. Menochii* Trattenimenti eruditi Parte IV. p. 174. At ex illis alii Romam illam, quæ ſub finem mundi ab Antichriſto ſit pervertenda; alii vero Romam paganam intelligunt. Atque hæc eſt & *Grotii*, quod mireris, & *Boſſueti* ſententia. Horum argumenta ſub examen revocavit & diſpulit B. *Gothofredus Olearius* in erudito programmate Lipſ. 1711. edito, & in *Pietate Lipſienſi* Bœrneriana p. 402. ſqq. recuſo. Junge illi Rev. *Sal. Deylingii* Obſervationes Sacras, Parte III. p. 394. edit. prioris. Ad *Renatum Bened. Audegavum* Lutheri coævum & noſtratibus fere ὁμόψηφον, lib. III. p. 427. Pontificios remittit *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 287. Judæos quoque *Romam* Babylonis nomine appellaſſe, ex *Schir haſſchirim rabba* fol. 8. 3. oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebr. p. 1125.

ἡ πόλις ἡ μεγάλη) Multi codd. & verſiones quoque, inter quas & *Coptica* eſt, ἡ πόλις omittunt, cumque iis *Bengelius* tanquam ex cap. XVIII. ubi hoc elogium quinquies occurrit, huc relatum. Similiter a Judæis קרתא רבתא *urbs magna* vocatur in *Peſikta Rabbeta* ad *Jeſ.* LXI. 10. & alias. Locos habes apud *Schœtgenium* p. 1126. & *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Parte I. p. 732.

ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ πορνείας αὐτῆς πεπότικε πάντα ἔθνη) *Bengelius* primora verba, omiſſis vocibus ὅτι & τοῦ θυμοῦ, exhibet fide codicum quorundam & verſionum, quemadmodum etiam in tribus Eraſmi editionibus vox θυμοῦ deſideratur, quæ nec a B. *Luthero* expreſſa eſt. Vide Cl. *Boyſenii* diſſertat. de Codice Græco Novi Teſtamenti pag. 21. qui pro ea retinenda pugnat, quamvis *Millio* ex v. 10. huc relata videatur. Pro γνησιότετι vocis multum facit, quod infra XVIII. 3. eadem phraſis occurrit: ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη, non repugnantibus codicibus, & ipſo Cl. *Bengelio* phraſin totam ibi exhibente, quamvis in Apparatu Critico pag. 840. pro gloſſa habeat. Nec parum valet, quod

mox

mox v. 10. dicitur: *καὶ αὐτὸς πίεται ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ*, eo ſenſu, quod, qui biberit *de vino æſtuantis ſcortationis*, bibiturus ſit etiam *de vino æſtus Dei.* Itaque admodum eſt veriſimile, vocem θυμοῦ propterea h. l. a nonnullis eſſe omiſſam, quod de vera ejus, & huic loco accommodata, ſignificatione non ſatis conſtaret. De *ira* ſcilicet, quam alias frequenter denotat, veteres illi cogitarunt, hanc vero notionem alienam ab h. l. cenſuerunt. At ſunt alii vocis θυμὸς ſignificatus, huc omnino facientes. *Stephanus le Moyne* in notis ad Varia Sacra pag. 293. ita: *οἶνος θυμοῦ*, vinum iræ, *vel vinum efferans, & cerebrum furore prorſus tranſvertens. Vel* vinum veneni, *ſeu veneno infectum & ſaturatum. Nam* חמה *revera* iram, *ſed notat etiam* venenum, *adeo, ut θυμὸς hic poſſit utrumque ſignificare.* Poſteriorem notionem amplexus eſt *Joſ. Medus* in Commentationibus Apocalypticis pag. 517. Operum. Is ita vertit: *philtris, vino potionato, dementavit. Θυμὸς enim hic*, ita pergit, *non* iram *aut* excandeſcentiam *valet, ſed ex uſu Helleniſtico* venenum; *nempe voci Hebraicæ* חמה *parem eſſe voluere, quæ* iram *modo, modo* venenum *ſignificat. Hinc* Deuter. XXXII. 33. *οἱ* LXX. *θυμὸς δρακόντων ὁ οἶνος αὐτῶν, καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος i. e.* Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. *Item* Job. XX. 16. & Pſ. LVIII. 4. *Medo* adſtipulatur *Gatakerus* in Adverſariis Miſcellaneis cap. V. pag. 47. edit. Londin. & *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Part. II. pag. 187. ſeq. Sed parum hæc ſe probant *Vitringæ* ideo, quod *meretrices non miſcent potiones*, veneno *tinctas, ſed* calida, *quæ provocant libidinem, in quibus eſt, quod efferveſcit, & eumdem in ſanguine motum producit.* Itaque non tam *venenata*, quam *philtra* h. l. indicari exiſtimat, ideo, quod חמה omnem potum calefacientem denotet, v. c. *Hoſ.* VII. 5. Facile illi adſtipulor, ſi monuero, non videri *Medum* cum ipſo pugnare, qui & ipſe diſerte *philtra* ſeu *vinum potionatum* commemorat. Placet tamen *Eraſmus Schmidius*, phraſin hanc ſcite ita convertens: *e vino i. e. per dulces illecebras, τοῦ θυμοῦ i. e.* æſtus, *vel æſtuantis ardoris ſcortationis ſuæ ſpiritualis.* Idem in notis oſtendit, Græcis Scriptoribus θυμὸν non *iram* tantum ſeu *efferveſcentiam*, ſed *quemcunque animi affectum vehementiorem, æſtum animi*, & *æſtuantem ardorem animi* ſignificare. Itaque ὁ θυμὸς τῆς πορνείας h. l. fuerit *æſtuans ardor animi* in exercenda ſcortatione. Lege præterea ad h. l. *Cocquii* Phytologiam Sacr. pag. 186. ſeqq. Pro *πεπότικε Coptus* Wilkinſii habet *ceciderunt*, & ſic infra XVIII. 3.

Verſ. 9. *Καὶ τρίτος ἄγγελος ἠκολούθησεν*) Vide ad v. 6. Angelum hunc de *Martino Chemnitio* accipit *Carpzovius* eo loco, quem ad v. 6. indicavi. *Spenerus* loco ibidem allegato nihil definit, ſed generatim potius quemcunque præconem, cauſam DEI agentem, ſignificari exiſtimat.

Ἔι τις τὸ θηρίον προσκυνεῖ, καὶ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ κ. τ. λ.) S. Joannem his verbis indicare, Romanum imperium Ethnicum Antichriſtiano præluſiſſe, facta inter utrumque comparatione, oſtendit *J. H. Urſinus* in Analectis Sacris Vol. I. p. 83. ſqq.

Verſ. 10. Καὶ αὐτὸς πίεται ἐκ τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου) *Bibet hic quoque ex vino iræ Dei, nempe mero infuſo in calice iræ ejus.* Ita *Eraſmus Schmidius*, qui & in notis oſtendit, τὸ κεράννυμι ex uſu veterum in ejusmodi argumento non idem eſſe, quod *miſceo*, ſed *infundo*, atque adeo hoc ſenſu nullam eſſe inter ἄκρατον & κεκερασμένον contradictionem. Diligentius & copioſius eandem phraſin illuſtravit *Thom. Gatakerus* in Adverſariis Miſcellan. cap. V. pag. 37. edit. Londin. quæ hic repetere nolim. Pro phraſi elegantiſſima habet *Caſaubonus* ad Athenæum pag. 24. Ceterum negari non poteſt, interdum κεράννυσθαι idem eſſe quod *miſceri*, v. c. apud *Ariſtophan.* Pluto v. 1133. ubi poculum æquali portione vini & aquæ temperatum ἴσον ἴσῳ κεκραμμένον dicitur. Ἄκρατα ſolent opponi ὑδατεστέροις, obſervante *Salmaſio* Exercitat. Plinian. p. 189.

Verſ. 12. ὧδε ὑπομονὴ τῶν ἁγίων ἐστιν· ὧδε τηροῦντες κ. τ. λ.) Poſterius ὧδε omittunt libri quidam & verſiones, earumque exemplo *Bengelius*, de qua ſtructura jam aliquoties diximus.

καὶ τὴν πίστιν Ἰησοῦ) i. e. *fidem erga Jeſum.* Vide quæ ſcripſimus ad *Marc.* XI. 22.

Verſ. 13. Μακάριοι οἱ νεκροὶ, οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι κ. τ. λ.) Ad hoc comma lege ex noſtratibus *Johannis Erneſti Gerhardi* diſputationem de beatitudinis in Domino morientium privilegio Jenæ 1663. & 1708. *Joannis Fechtii* diſputat. de beatitudine in Domino defunctorum, Roſt. 1708. & *C. M. Pfaffii*, quæ nunc non eſt ad manus. A pſeudhermeniis variorum illud vindicarunt B. *Hülſemannus* in Vindiciis Artic. XLIII. §. 118. & *Thom. Gatakerus* in Adverſariis Miſcellan. cap. 17. pag. 133. edit. Londin. Phraſin, *in Domino mori*, nonnulli cum *Medo*, *Vitringa* & aliis ad ſolos martyres referunt, qui ſcilicet *propter Chriſtum*, vel *Chriſti* & *veritatis cauſa* fatis ſint functi, atque adeo a curis omnibus, laboribus atque moleſtiis hujus ſæculi ſint liberandi. Negari non poteſt tales heic inprimis reſpici; abſit vero ut alios, veros Domini confeſſores, excludamus. Id enim nec phraſis ipſa, alibi etiam adhibita, nec ſeries ſermonis permittit. Οἱ ἀποθνήσκοντες ἐν Χριστῷ iidem ſunt, qui 1 *Corinth.* XV. 18. οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ appellantur. Ibi vero nulla apparet ratio, cur de martyribus tantum id dici exiſtimemus. Tales etiam vocantur νεκροὶ ἐν Χριστῷ 1 *Theſſal.* IV. 16. & opponuntur illis, qui ſub adventum Domini ad judicium ſint victuri. Itaque & h. l. illi generatim indicantur, qui τῷ Κυρίῳ ζῶσι καὶ τῷ Κυρίῳ ἀποθνή-

ἀποθνήσκουσι Rom. XIV. 8. Idem patet ex phraſibus, quibus S. Joannes h. l. de morientibus in Domino in ſuperioribus utitur, quod nempe nomen Patris agni in frontibus ſcriptum referant v. 1. quod agnum ſequantur v. 4. &c. quod denique præcepta Dei & fidem in Chriſtum ſervent, v. 12. Hæc vero omnia non tantum in martyres, ſed & alios, germanos nominis Chriſti confeſſores, cadunt. Lege plura in hanc ſententiam in Rev. *Salom. Deylingii* Miſſu II. Obſervationum Exegeticarum Lipſ. 1731. edito, p. 13. ſqq. & *Fechtii* diſſert. laudata pag. 7. ſq. Adde etiam, quæ ex Patribus de hac phraſi adfert Rev. *Bernhardus Raupach*, Collega mihi amiciſſimus, in Decade II. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis Obſerv. X. Eandem interpretationem diligentiſſime, ut ſolet, firmavit *Thomas Gatakerus* l. c. cap. XVII. cujus argumenta in ſummam retulit *Suicerus* Tom. I. p. 446. Confer eundem verbo *κοιμάομαι*.

ἀπάρτι) In hac vocula hinc ratione interpunctionis & ſtructuræ, hinc ratione accentuationis & ſenſus, diſſentiunt Interpretes. Alii enim, edit. *Complutenſem* & *Vulg.* Interpr. ſecuti, *ἀπάρτι* ſeparant ab antecedentibus, & referunt ad ſequens *λέγει*, hoc ſenſu: *A modo jam dicit Spiritus.* Contra hos lege B. *Ittigium* in diſſertat. de novis Fanaticorum quorundam purgatoriis, in *Opuſculis Variis* pag. 157. ſeqq. & *Raithium* in Vindiciis verſionis Lutheri pag. 609.

Alii, præſtructa trajectione, *ἀπάρτι* illud jungunt cum verbo ſequente *ἀναπαύσονται*. Inter hos eſt *Launaus*, *Picherellus*, *Vitringa*, *Marckius*. Alii, a Vener. *Pfaffio* in diſſertat. ad h. l. pag. 5. allati, hoc fine, ut in Chriſto mortui dicantur *ab eo tempore*, quo mortui ſunt, a moleſtiis ſuis quieſcere. At magis utique obvium eſt, *τὸ ἀπάρτι* ad antecedens *μακάριοι*, quam, poſita duriore trajectione, ad verbum *ἀναπαύσονται* referre, quamvis utrobique idem naſcatur ſenſus. Itaque rectius agunt, qui vocem *ἀπάρτι* ad antecedentia ſpectare cenſent, qui tamen & ipſi nunc ad *μακάριοι*, nunc ad *ἀποθνήσκοντες*, nunc ad *νεκροὶ* referunt. Eos diligenter recenſuit & ſub examen vocavit *Gatakerus* l. c. pag. 169. ſeqq. qui vel ad *νεκροὶ* vel ad integrum axioma: *μακάριοι οἱ νεκροὶ* refert, quaſi dicat Joannes: *Deinceps*, ſive *ab hoc tempore*, *pro beatis merito haberi poſſunt*, *qui mortui jam ſunt*, *modo in Domino defunguntur*. Mihi quidem illi inprimis probantur, qui *ἀπάρτι* a voce *μακάριοι* pendere ajunt. Sermo eſt de *mortuis*, qui *beati* prædicantur, non quidem omnes, ſed cum temperamento, qui in Domino obierint, & quidem *ab illo*, quo obierunt *tempore*. Quod ſi ſimpliciter ſcriptum fuiſſet: *μακάριοι οἱ νεκροὶ ἐν Κυρίῳ ἀπάρτι*, nemo dubitaturus erat de hoc ſenſu. Neque tamen major eſt dubitandi cauſa, quando nunc ſcriptum eſt, *οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες*. *Ἀπάρτι* non ſpectat, ad determinationem ſubjecti *νεκροὶ*, ſed ad prædicatum *μακάριοι*.

Dixi

Digitized by Google

Dixi modo, eſſe, qui vocem *ἀπάρτι*, mutato accentu, in aliam prorſus ſignificationem convertant. Legunt illi *ἀπαρτί*. Illorum vero alii vocem ita ſcriptam referunt ad *μακάριοι*, & convertunt *perfecte*, quod *Beza* facit. Alii autem cum ſequente *ναί* connectunt, & interpretantur *omnino*. Inter hos eſt *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 300. ita exponens: *omnino, næ, inquit Spiritus*. Hoc fine oſtendit, *ἀπαρτὶ* idem eſſe, quod *omnino*, idque recte jungi poſſe voculæ *ναί*. Prius probat ex *Ariſtophane* in *Pluto* v. 388. ubi Plutus ita: *ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς μόνους* —— —— *Ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω*, i. e. *ſed bonos ſolos* —— —— *ego omnino divites faciam*. Ibi vero Scholiaſtes *ἀπαρτὶ* per *ἀπηρτισμένως* exponit. Confer ibidem *Spanhemium* & *Kuſterum*. Poſſe vero *ἀπαρτὶ* cum *ναὶ* conjungi, ex eo conficit Vir doctus, quod Græci æque ac Latini duas affirmandi voculas ſibi invicem jungere ſoleant. Ita *οἱ* LXX. *Job.* XIX. 4. *καὶ δὴ ἐπ' ἀληθείας*, & *Pherecrates* apud Ariſtophanis Scholiaſten l. c. *ἀπαρτὶ δή που*. Hanc *Boſii* ſententiam amplectitur genuinus Viri diſcipulus, *Joannes Albertius*, pag. 492. Obſervatt. tanquam non incommodam, licet & aliam expoſitionem lubenter ſe admittere poſſe profiteatur. Intercedit vero Cl. *Elsnerus* p. 458. & recte quidem, meo judicio. *Phraſis*, omnino næ, inquit, *eſt dura & inſolens, præſertim cum ἀπ' ἄρτι toties occurrat in his libris, ſignificetque* deinceps, poſt: *vide* Matth. XXIII. 39. XXVI. 53. 64. Joh. I. 51. XIII. 9. XIV. 17. *quin etiam apud* Ariſtophanem, *quem citat, ἀπ' ἄρτι rectius* poſtea, deinceps *exponitur, quicquid dicat Scholiaſtes, ut loci inſpectio docet, & jam antea fuerat interpretatus doctiſſimus* Gatakerus *in ampliſſima hujus loci expoſitione in Adverſar. Miſcell. poſthum. cap.* 17. *Ita enim* Vitringa *in h. l.* Compara ejuſdem conciones Germanicas, quas *de felicitate Chriſtianorum* inſcripſit, pag. 379. Adde M. *Chriſtophorum Wollium* in Additamentis ad Quadrigam locorum Novi Teſtamenti pag. 20. & in diſſertatione de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana pag. 309. ut & Rev. *Raphelium* in Annotationibus Herodoteis pag. 668.

Tribus verbis monebo, B. *Fechtium* in laudata diſſertatione hoc momentum diligenter excutere, pag. 16. ſeqq. num ſine offenſione & ſine læſione veritatis Biblicæ & Theologicæ defuncti quicunque beati appellari poſſint. Id quod *ὁ μακαρίτης* recte inficiatur.

ἵνα ἀναπαύσονται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν) Phraſis hæc de defunctis, Judæis æque ac paganis Scriptoribus recepta eſt. Ex utroque Scriptorum genere locos copioſe adfert Rev. *Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. II. p. 212. qui & notionem vocum *κόπος* & *ἀνάπαυσις* curate ediſſerit. De Judæis lege præterea *Jo. Henr. Hottingerum* ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu p. 49. *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquaria Tom. I. p. 505. & *Schœtgenium* ad h. l. De *Græcis*, *Lamb. Bos* l. c. p. 302. *Elsnerum* p. 458. &

Al-

Albertium p. 492. Atque hic quidem inter ceteros ad *Arrianum* provocat *Indic.* c. 33. p. 348. *καὶ ἀπὸ τῶν πολλῶν πόνων ἄσμενοι ἀνεπαύοντο*, quod ibi de illis dicitur, qui varias ſuperaverant moleſtias. Adde *Rittmeieri* diſſertat. de Nomenclaturis mortis emphaticis §. 7.

τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν) Eadem phraſi utitur S. *Lucas* IX. 49. ubi vide quæ ſcripſimus. Diſplicuit *Phrynicho* p. 64. male utique, cum eadem *Demoſthenes* & *Socrates* uſi ſint, quod ad illum obſervavit *Nunneſius*. *Platonis* locos ſimiles adfert Cl. *Georgius* in Vindiciis N. T. p. 338. *Lyſiæ* unum *Albertius* p. 493. Judæi bona opera eorum auctores modo præcedere dicunt, modo comitari. In *Avoda Sara* fol. 5. 1. *Si quis præſtiterit præceptum unum in hac vita, illud prævenit eum, atque incedit ante faciem ipſius in ſæculum venturum. Medraſch banneelam* in *Sohar chadaſch* fol. 16. 4. *Nullus eſt impius in Iſraël, quem bona opera non comitentur in ſæculo futuro.* Hos & alios locos adfert Cl. *Schœtgenius* p. 1127. ſqq. Adde *Wagenſeilium* ad *Sota* p. 85. ſq.

In calce commatis hujus a *Copto* Wilkinſii adduntur iſta: *& ut ducantur ad fontem aquæ vivæ.*

Verſ. 15. *ὅτι ἐξηράνθη ὁ θερισμὸς τῆς γῆς*) Omittit *Coptus.*

Verſ. 17. *ἐκ τοῦ ναοῦ τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ*) *Coptus* ſimpliciter habet: *de cœlo.*

Verſ. 18. *ὅτι ἤκμασαν αἱ σταφυλαὶ αὐτῆς*) Deſunt ibidem. De verbo *ἀκμάζω* lege *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 71.

Verſ. 20. *καὶ ἐξῆλθεν αἷμα ἐκ τῆς ληνοῦ ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων*) Per *αἷμα* Interpretes intelligunt *ſanguinem* humanum, niſi quod *Grotius* indicari *vinum* cenſuit, *quia vinum ſignificaverit ſanguinem.* At non *hominum*, ſed *uvarum ſanguinem* hic deſignari exiſtimat B. *J. H. Majus*, filius, in Hiſtoria Critica Reipubl. Literar. gallice edita Tom. XIV. p. 201. ſqq. Illius enim judicio ad *αἷμα* ex v. 18. ſubintelligenda eſt vox *σταφυλῆς*, quam etiam alias omitti *Lamb. Bos* obſervavit. Ita *οἱ* LXX. Hebraicum דם ענבים *Geneſ.* XLIX. 11. & *Deuteron.* XXXII. 14. *αἷμα σταφυλῆς* convertunt, quæ phraſis *Siracid.* XXXIX. 26. & 1 *Maccab.* VI. 34. itidem occurrit. Similiter *Achilles Tatius* II. p. 67. ſq. *vinum ὕδωρ πορφυροῦν, αἷμα γλυκὺ*, & *αἷμα βοτρύων* appellat, ideo ſcilicet, quod vina olim plerumque rubuerunt, quod *Grotius* ad *Matth.* XXVI. 27. & Interpretes ad *Proverb.* XXIII. 31. monuerunt. Idem per *χαλινοὺς τῶν ἵππων* non equorum frena, ſed oppidum aliquod, à *frenis* appellatum, intelligit, quemadmodum urbs quædam, *Niniven* inter & *Celachum* ſita, רסן i. e. *frenum* vocatur *Geneſ.* X. 12. à *freno*, מתג האמה, a *capiſtro* alia, 2 Sam. VIII. 2. memorata. Nec deſunt urbes ab *equis* appellatæ, v. c. חצר סוסה *villa equarum* Joſ. XIX. 5. & *ἵππου ἄκρα*

in

in Numidia, apud *Scylacem* p. 119. &c. Ex his ὁ μακαρίτης p. 206. ita argumentatur: *Quibus ita conſtitutis, quid aliud indicare voluiſſe Joannem putabimus, quare ſanguinem illum uvarum, ſive vinum perpetuo fluxu acceſſurum ad uſque eum locum cui nomen, χαλινοὶ τῶν ἵππων, ſive ii urbs fuerit, ſive campus, in quo equuli frena primum pati didicerunt.* Idem tamen per *frena equorum* intelligi poſſe ait *equos frenatos*, per hos autem illos equos, qui ad bellum, non vero alium uſum, ſint inſtructi, eo ſenſu, ut ultio divina non ad ſolos hoſtes, ſed & ipſorum equos perventura dicatur. Non dubito, poſteriorem hanc expoſitionem ſe nemini non præ altera illa probaturam. Sermonem de ingenti hoſtium clade eſſe apparet. Apparatus ad illam edendam vocibus metaphoricis, eventus autem voce propria, *ſanguinem* hominum exprimente, ad allegoriæ ſenſum indicandum, deſcribitur, ſanguis autem tam copioſus fore hyperbolica quadam ratione innuitur, ut vel equos militum abſorbere poſſit, & ampliſſimum ſpatium occupet. *Equi* illi ut prælium indicant, ita *ſanguis* cladis editæ indicium præbet.

CAPUT XV.

AD caput XV. & XVI. lege *Johan. Melchiorem* Tom. I. Operum p. 670-688.

Verſ. 2. Καὶ εἶδον ——— καὶ τοὺς νικῶντας ἐκ τοῦ θηρίου) *Joan. d'Outreinio* verbum νικᾷν h. l. reſpondere fere viſum eſt Hebræo זכה quod *οἱ* LXX. Pſ. LI. 6. per νικᾷν convertunt (conf. ſupra ad V. 5.) in quantum idem eſt, quod *purum eſſe*; ut proinde νικῶντες heic *intaminatos* ſeu *puros* denotent, nempe a beſtia illa, ejuſque flagitiis. Addit tamen, ſe malle in *vincendi* ſignificatu acquieſcere, niſi forte phraſis non ſatis Græca ſit, νικᾷν ἐκ τινος, & alienum videatur, ſi fideles dicantur ab imagine beſtiæ victoriam reportaſſe. Fateor, phraſin hanc mihi nondum occurriſſe; non tamen dubito Græcam eſſe. Latini ſimiliter *victorem ab hoſte* dicunt, quod *Vitringa* obſervatum eſt. Videntur autem dici νικῶντες ἐκ, ut indicetur, eos non tantum ſubjectos beſtiæ non fuiſſe, ſed etiam truculentas ejus manus effugiſſe.

καὶ ἐκ τοῦ χαράγματος αὐτοῦ, ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ) Quinque primores voces omittunt codices nonnulli, & verſiones, quibus & *Copticam* addideris. Omittunt quoque editor N. T. Græco-Anglicani & *Bengelius. Emſerus* B. *Lutherum* reprehendit, quod eas in ſua verſione expreſſit, caſtigatus ideo a *Raithio* p. 610. Supra *Joannes* XIII. 17. tria illa, quæ heic occurrunt, in mentione beſtiæ ejuſque ſectatorum conjunxit eodem, quo h. l. exſtant, ordine, εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ θη-

τῆ θηρίȣ, ἢ τὸν ἀριθμὸν τῆ ὀνόματος αὐτῆ. Et veri ſit ſimilius, librarios voces, de quibus agitur, omiſiſſe, quam alios ex l. c. addidiſſe.

ἔχοντας κιθάρας τῆ Θεῆ) Per Hebraiſmum hoc dici *Beza* & alii monuerunt, ut ſcilicet *pulcerrimæ* indicentur. Nec repugnat *Eraſm. Schmidius* ad h. l. *Facile enim hic Ebraiſmum*, inquit, *concedimus*, *ſine tamen omni ſolæcophania; ſicut in Virgilio*, *Ovidio*, *& Horatio*, *multos Græciſmos concedimus*, *absque tamen omni depravatione latinitatis.* Miror fere, τὸν μακαρίτην h. l. hebraiſmum tam facile largitum eſſe, quem alias in locis, propius ad illum accedentibus, averſatur. Heic ſane procul eſſe juberi poterat, ſi, quod ipſe antea dixerat, citharas Dei vocari dixiſſet, *tanquam divinis laudibus canendis deſtinatas.* Hoc ſenſu כלי שיר האלהים vocantur inſtrumenta Muſica Dei 1 *Chron.* XVI. 42. Citharas vero in ſacris Hebræorum receptas fuiſſe conſtat, & poſt alios probat *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 888. & *Deylingius* loco mox citando. Ita quoque accepit *Joſ. Medus* p. 11. & 910. Operum, nec, puto, inconcinne. Cl. *Georgius* in Vindiciis N. T. p. 366. hebraiſmum amolitur, adductis locis *Iſocratis*, *Demoſthenis* & *Euripidis*, ubi ῥώμη θεῶν hominibus tribuitur.

Verſ. 3. Καὶ ᾄδȣσι τὴν ᾠδὴν Μωσέως, δȣ́λȣ τῆ Θεῆ, καὶ τὴν ᾠδὴν ἀρνίȣ) Vide Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Part. III. p. 342. *Theoph. Amelii* Erörterung Tom. II. p. 873. & *Steph. le Moyne* notas ad Varia Sacra p. 697. & p. 888. Atque hic poſtremus alludi putat ad ſacra, quæ die Sabbati celebrantur apud Judæos, ubi hymnus agni jugis cantabatur, & hymnus Moſis ſervi Dei. Die enim Sabbati duo fiebant ſacrificia, unum juge, agni nimirum, qui ſingulis diebus debebat immolari, alterum additionale, & quod diem Sabbati præcipue ſpectabat. Hinc fiebat, ut duplex hymnus cantaretur, hymnus nimirum XCII. Davidis pro agno jugi, & Canticum Moſis, de quo *Deuter.* XXXII. in memoriam Sabbati. Cum vero hymnus ille Moſis *Deuter.* XXXII. ſit increpatorius, atque adeo cœlitibus minus commode tribuatur, *Deylingius* cum Marck. ad h. l. intelligere mavult illud Moſis canticum, quod *Exod.* XV. ad mare rubrum poſt ſubmerſos Ægyptios & Iſraëlitas, ex Ægypto eductos, legitur decantatum. Confer in eandem ſententiam *Vitringam. Joſ. Mede* p. 10. Operum hymnum Moſis & agni junctim de tali accipit, qui ad prædicandum *cultum unius Dei* pertinuerit; verba autem, quæ heic recitantur, conformata eſſe ait ad illa Pſal. LXXXVI. 8. 9. 10. Idem conferri vult *Jerem.* X 6. 7.

ὁ βασιλεὺς τῶν ἁγίων) Pro ἁγίων potior codicum, & verſionum quoque numerus habet ἐθνῶν, quemadmodum in Syro exſtat *ſeculorum*, quaſi legiſſet αἰώνων. Poſteriorem hanc lectionem probat *Millius* in Prolegomenis §. 509. his verbis: *Hanc lectionem omnino genuinam eſſe arbitror, ſumtam ex* Jer. X. 10. *verum ob citata hic* v. 4. *ex cap.* X. Jerem. v. 7. *facile factum*, *ut à lectore aliquo è Propheta pro* βασιλεὺς αἰώνων *ſcriberetur ad mar-*

ginem βασιλεὺς ἐθνῶν, *quod mox in Codd. plures irrepſit. Neque vero receptum* βασιλεὺς τῶν ἁγίων *aliud eſt, quam marginalis explicatio. Millium* ſecutus recens Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recipit vocem αἰώνων. Cl. *Bengelius* prætulit ἐθνῶν, & reſpici ait ad *Jerem.* X. 7. quod & *Medus* monuit, receptam vero lectionem ἁγίων admitti poſſe negat, per quam codices fere omnes ceu quadrageſima pars repudietur, & unus Eraſmi codex, vel Latiniſmum amplectatur. Vide eum in Apparatu Critico p. 832. Argumentis ejus addidero illud, quod Deus alias nuſquam, ſi recte memini βασιλεὺς τῶν ἁγίων appellatur. Et fieri facile potuit, ut aliquis vocem ἁγίων cum illa ἐθνῶν permutaret, ideo, quod v. 4. Deus appellatur ὅσιος, vel ſecundum alios codd. ἅγιος, quod elogium etiam v. 3. ἁγίων requirere ipſi videbatur. Ita vero argumentanti obverti poteſt, quod v. 4. ἔθνη etiam ventura ad adorandum Deum dicantur, atque adeo ratio reddatur, cur v. 3. Deus βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν ſit appellatus.

Verſ. 4. ὅτι μόνος ὅσιος) Codices alii legunt ἅγιος, quod rectius videtur *Medo* p. 10. Operum. De phraſi ipſa & ſpeciatim particula μόνος, creaturas & deaſtros excludente, lege *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. p. 299.

ὅτι πάντα τὰ ἔθνη ἥξουσι) Accipe ad hæc *Joſ. Medi* verba ex Operibus ejus p. 910. כי *apud Hebræos aliquando, præſertim cum geminatur, valet* ideo, *nempe ſi prius* כי *cauſale fuerit, vel e contra. Vid.* Geneſ. XXII. 16. 17. Jer. IV. 18. & XXIX. 15. 16. 2 Regg. XIII. 7. Eccleſ. VIII. 6. *Quidni & ὅτι apud Helleniſtas ſimili modo uſurpetur? Verto igitur:* Idcirco omnes gentes venient, & adorabunt coram te, quoniam jura tua manifeſtata ſunt, *nempe, te ſolum colendum eſſe.*

ὅτι τὰ δικαιώματά σου ἐφανερώθησαν) *quia judicia tua patefacta ſunt.* Ita plerique Interpretes. *Medus* l. c. *jura*, ut ſcilicet indicaret præcepta cultus divini. Atque hanc notionem vox ſæpe in ſacris habet. Vide, quæ de variis ejus ſignificatibus dixi ad *Rom.* I. 32. & alias. Veri autem eſt ſimilius, δικαιώματα h. l. ſignificare judicia Dei mirabilia, in hoſtes veritatis edita, ut reſpondeant Hebræo משפט, cujus idem eſt ſenſus *Pſalm.* LXXXIX. 15. CIII. 6. *Jeſ.* XXXI. 9. Confer *Vitringam* ad h. l. Id vero apparet ex phraſi antecedente v. 3. ὅτι δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ αἱ ὁδοί σου, & ſequente v. 6. ubi angeli, ſeptem plagis, tanquam judiciorum divinorum ſpeciminibus, inſtructi commemorantur.

Verſ. 5. καὶ ἰδοὺ, ἠνοίγη ὁ ναὸς τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου ἐν τῷ οὐρανῷ) Vocem σκηνὴ B. *Lutherus* per Hütte convertit, indignante *Emſero*, cui vox hæc argumenti dignitati minime convenire, & cum altera Tabernackel permutanda viſa eſt. Germanica ſcilicet non Latina voce uti ſtatuerat *Lutherus.* Conf. *Raithii* Vindicias p. 610.

Verſ.

Verſ. 6. *Καὶ ἐξῆλθον οἱ ἑπ]ὰ ἄγγελοι, ἔχοντες τὰς ἑπ]ὰ πληγὰς*) Per Angelos hos plerisque, & inter hos *Vitringæ*, *Marckio*, *Andalæ*, angeli proprie dicti, tanquam judiciorum divinorum executores, intelligendi videntur, qui *lino puro* ob ſanctitatem, & *Zona aurea* ob animi promtitudinem, dignitatemque ſuam, ornati ſiſtantur. At Rev. *Ewaldus* angelos myſticos potius, & veritatis præcones indicari contendit, quia, inſtar Sacerdotum, ex templo tabernaculi egredi dicantur; angeli porro in Apocalypſi ſæpius Eccleſiæ doctores ſignificent; hi denique doctores vim vocis *ἄγγελοι*, tanquam nuntii Dei exprimant. Hos porro Evangelii præcones tanquam ſacros Dei miniſtros *ex templo* ait prodire, tanquam judicia DEI denunciaturos, & *tenere ſeptem phialas iræ divinæ*, tanquam paratos ad easdem denunciandas, & ad exemplum Moſis precibus ſuis in Ægyptum myſticam derivandas, *lino* vero *puro* vitæ ſanctitatem & puriſſimam veritatis confeſſionem, *cingulis*que *aureis* verbum veritatis, quo muniti ſunt, adumbrare. Hæc ille, quæ expendi merentur. Vide *Emblemata* ejus *Sacra* lib. IV. pag. 494. ſeqq.

ἐνδεδυμένοι λίνον καθαρὸν ϗ λαμπρὸν, ϗ περιεζωσμένοι περὶ τὰ ςήθη ζώνας χρυσᾶς) Pro voce *λίνον* male codices quidam *λίθον*. Vide *Joannis Croji* Obſervationes in Novum Teſtamentum cap. 15. pag. 114. De *Zonis* varii generis, earumque uſu pro varietate perſonarum vario, nec non materia & forma ex antiquitate ſacra & profana erudite commentatur *Ewaldus* l. c. eo conſilio, ut zonas, heic commemoratas, veritatis ſymbolum eſſe oſtendat. Confer, quæ de *zonis* adfert *Suicerus* Tomo I. pag. 1306. ſeqq. & *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad hunc locum; nec omitte, quæ ſupra ad I. 13. dixi.

CAPUT XVI.

VErſ. 1. *Ὑπάγετε ϗ ἐκχέατε τὰς Φιάλας τȣ̃ θυμȣ̃ τȣ̃ Θεȣ̃*) Codices aliqui habent *τὰς ἑπ]ὰ Φιάλας*, ſicut antea *ἑπ]ὰ ἄγγελοι* commemorantur. Hos ſequitur *Bengelius*. Interpres *Coptus* *ἑπ]ὰ* utroque in loco, una cum vocibus, *εἰς τὴν γῆν* omittit, pro *ἐκ τȣ̃ ναȣ̃* vero habet *ex cœlo.* Voces *τȣ̃ Θεȣ̃* deſunt apud *Col. Ald.* & *Eraſmum.* *Emſerus* eandem in verſione B. *Lutheri* quoque deſiderari criminatur, cujusmodi tamen editionem nullam adhuc ſibi viſam profitetur *Raithius* pag. 611. Vocem *Φιάλαι* civitate donavit *Targum* Jeſ. cap. LI. v. 17. & 22. ubi poſteriore loco ית פיילי כסא רחמתי *phialæ poculi iræ meæ* commemorantur. Vide Cl. *Schœtgenium* pag. 1136. qui & locum ex *Tanchuma* in *Jalkut Schimoni* Part. I. fol. 66. 2. adfert, quo plagæ, quas Deus Ægypto inflixit, omnes futuro tempore hoſtibus Eccleſiæ irrogandæ dicuntur. Hebræi *θυμὸν* per

חמה *iram* exprimunt, inter hanc autem vocem, & aliam חמת (*chemet*) i. e. *lagena*, tanta eſt finitas, *ut peculiarem aliquam elegantiam obſervandam offerat, ubi deſcribendo iram Dei exertam in homines adſciſcitur figura vaſis* חמת, *tanquam inſtrumenti, & pariter, ut undique reſpondeant alluſiones, adhibetur verbum* נתך effundere, *vid.* 2 Chronic. XII. 7. & XXXIV. 24. Jerem. XLII. 18. & XLIV. 6. Nahum I. 6. & שפך *æquivalens*, Thren. II. 4. Ezech. VII. 18. Habes verba *Guſſetii* in Commentariis L. Hebr. pag. 924. a. qui & ibidem hanc obſervationem ad præſentes phialas accommodat his verbis: *Oportebat poſt figuras ſigillorum & tubarum tertiam reperire; cumque ageretur de deſcribenda iræ vindicis effuſione, parumque momenti in delectu ſymboli inſtrumenti poſitum videretur, proclive erat & commodum, accipere figuram, cujus nomen tam bene cum nomine iræ Dei concinebat; cui etiam effundendi* (ἐκχέας) *verbum annectitur.*

Verſ. 2. καὶ ἐγένετο ἕλκος) Pro ἕλκος in *Græcis* & *Latinis* libris vocem legi, *vulnus* denotantem, falſo adfirmat *Emſerus*, maleque adeo reprehendit *Lutherum*, qui per Geſchwür converterit. Vide *Raithium* in Vindiciis pag. 611. qui recte plagam hanc cum illa Ægyptiorum *Exodi* IX. 10. contendit. Similiter *Deuteron.* XXVIII. 35. & *Job.* II. 7. legis שחין רע, ubi οἱ LXX. ἕλκος πονηρόν.

Verſ. 3. καὶ πᾶσα ψυχὴ ζῶσα ἀπέθανεν ἐν τῇ θαλάσσῃ) i. e. *omne animal, quod vivebat in mari, mortuum eſt.* Ψυχὴ h. l. animal cujusque generis denotat, ut *Geneſ.* I. 24. II. 7. &c. Conf. *Vorſtii* Philolog. Sacr. lib. I. cap. 4. & *Suicerum* Tom. II. pag. 1577.

Verſ. 5. Καὶ ἤκουσα τοῦ ἀγγέλου τῶν ὑδάτων) Angelus mari præfectus commemoratur etiam in *Bava Bathra* fol. 84. 2. ubi vocatur שר של ים *princeps maris.* Vide *Schœtgen.* pag. 1131. qui & alios locos affert, quibus ſingulis rebus conditis ſingulos angelos adſignatos eſſe Judæi tradunt. Adde *Eiſenmengeri* Judaiſmum Detectum Tom. II. pag. 376. ſeq. & *Bartoloccii* Bibliothecam Magnam Rabbinicam Tom. I. pag. 274.

Δίκαιος, Κύριε, εἶ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ὅσιος) Codices admodum variant in extremis tribus vocibus. Quidam omittunt καὶ ante ὁ, alii utrumque. Atque hinc nata eſt diverſa expoſitio. Qui καὶ legunt ante ὅσιος ſine ὁ, poſterius hoc prædicatum conjungunt cum voce δίκαιος, hoc ſenſu: *juſtus, Domine, es, (qui es & qui eras) & ſanctus.* Atque ita quoque B. *Lutherus.* Qui omittunt καὶ & ſcribunt ὁ ὅσιος, referunt ad proxime antecedentia, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν. Hos ſequitur Cl. *Bengelius.* Ab utrisque diſcedit *Coptus.* Hic enim omiſſa penitus phraſi, καὶ ὁ ὅσιος, ex interpretatione *Wilkinſii* ita: *tu juſtus, qui eſt, & qui erat, quia judicaviſti iſta.* Atque eadem vox ὅσιος, tanquam parum huc pertinens, aliis cum ἐσόμενος

μενος viſa eſt permutanda, ut ſcilicet exprimeretur illud ὁ ἐρχόμενος, quo S. *Joannes* alias in hoc elogio utitur. Præivit *Beza*, ut ait, *ex vetuſto bonæ fidei MS. codice*. Adplaudit illi *Eraſmus Schmidius* ſed ita, ut retenta lectione καὶ ὅσιος, eidem in ipſo contextu, adhibita tamen parentheſeos nota, præmittat (καὶ ὁ ἐσόμενος). Adſtipulatur ex noſtratibus B. *Severinus Lintrupius* in Mantiſſa ad Specimen Meletematum Criticorum §. 2. & ex Reformatis *Vitringa* ad h. l. Ab altera parte Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico pag. 834. exiſtimat, *Bezam nonnihil dediſſe conjecturæ. Cur enim*, ita pergit, *in nullo alio Apocalypſeos loco illum codicem annotationes* Bezæ *memorant? aut cur* Rob. Stephani *margo nil h. l. variat?* Bezam *tamen ſequitur* H. Stephanus, Pareus, Piſcator, Amama. Rev. quoque *Zeltnerus* in Evangelio tetragrammato ex Novo Teſtamento exulante pag. 29. ita ab illa *Bezæ* lectione alienus eſt, *ut nihil eum vel auctoritate ſua vel ratiunculis, plane frivolis, efficere poſſe exiſtimet*. In *Bezam* animadvertit quoque *Marckius* commentario in h. l. pag. 709. ipſe utique reprehendendus, qui vocem ὁ ἐρχόμενος confidenter alteri illi ὅσιος ſubſtituit, atque hanc *vitioſam* eſſe dubitari non poſſe cenſet. Neque tamen adhuc vel codex ullus, vel verſio vetus adferri potuit, ubi ὁ ἐρχόμενος hinc legatur, hinc exprimatur. Non eſt utique cauſa idonea, cur lectionem, tot codicibus firmatam, averſemur. Agitur heic de judiciis, in hoſtes veritatis exercitis, quæ indicantur phraſi: ὅτι ταῦτα ἔκρινας. Hæc ipſa porro judicia adferuntur ut argumentum, ex quo conſtet, Dominum eſſe δίκαιον καὶ ὅσιον. Jam vero utrumque hoc prædicatum chorus *victorum beſtiæ* XV. 3. & 4. in hymno ſuo commemorat eo tempore, quo angeli cum ſeptem plagis erant emittendi. Canit enim: Κύριε —— δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ αἱ ὁδοί σου, v. 3. & ὅτι μόνος ὅσιος v. 4. celebrat etiam ibidem δικαιώματα, ἃ ἐφανερώθησαν. Ex his liquere puto, verba noſtri commatis ita eſſe explicanda: *Juſtus, Domine, es, qui es & qui eras, & ſanctus*, (ſc. *es*) *quod hæc judicaris. Juſtus* vero Deus appellatur, qui malefacta pœnis ſubjiciat, *ſanctus*, qui ferre illa non poſſit. Si quis καὶ illud ante ὁ ὅσιος per codicum quorundam auctoritatem omittendum putet, is vel ſic τὸ, ὁ ὅσιος, inſtar prædicati alterius ad vocem Κύριε, una cum δίκαιος referendum eſſe videbit, ſi recogitet, eandem phraſin ſupra I. 8. occurrere, ubi poſt ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ſine interpoſita particula καὶ, legitur ὁ παντοκράτωρ.

Verſ. 6. Ὅτι αἷμα ἁγίων καὶ προφητῶν ἐξέχεαν) *Sanguinem effundere* idem h. l. eſt, quod *occidere*. Ita vero Hebræi frequenter, quos heic exprimi imitando *Vorſtius* Philol. Sacr. Part. II. pag. 215. exiſtimat. Neque tamen eadem φράσις inſueta eſt Græcis, quod oſtendit *Horatius Vitringa* in ſuis ad *Vorſtium* Animadverſionibus pag. 248. Adde Cl. *Georgii* Vindicias pag. 342. Adfert hic ex *Herodoto* lib. VIII. c. 140. illud oraculi: αἷμα μέλαν κέχυται, & ex *Æſchylo* in Eumenide v. 661. αἷμ' ὅμαιμον ἐκχέας πέδῳ.

Verſ.

Verſ. 7. *Καὶ ἤκουσα ἄλλου ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου λέγοντος*) Codices nonnulli omittunt *ἄλλου ἐκ*, ut ſic altare ipſum loquens introducatur. Nec aliter *Arabs*, *Armen. Lat.* & *Syr.* His *Coptum* addit Cl. *Bengelius*, quem tamen ita Latine exprimit Cl. *Wilkinſius*: *& audivi vocem ex altari dicentem.* Approbant omiſſionem *Zegerus*, *Millius*, *Camerarius*, quos ſequitur *Bengelius*, quem videbis in Apparatu Critico p. 834.

Verſ. 8. *Καὶ ὁ τέταρτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ἥλιον καὶ ἐδόθη αὐτῷ καυματίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐν πυρί*) Mireris merito, *Schwindenium*, Anglum, in libro, quem de conditione & loco inferni conſcripſit, ad hunc locum provocare potuiſſe, ut probaret, infernum in Sole dari.

Verſ. 9. *Καὶ ἐκαυματίσθησαν οἱ ἄνθρωποι καῦμα μέγα*) Agnoſcis heic in phraſi *συγγένειαν*, ut in illa *χαίρειν χαρὰν* quam bene Græcam eſſe aliquoties monuimus. Adde nunc Cl. *Georgii* Vindicias p. 199.

Verſ. 10. *Καὶ ἐμασσῶντο τὰς γλώσσας αὐτῶν ἐκ τοῦ πόνου*) Verbum *ἐμασσῶντο* h. l. in libris nunc ſimplex *σ* nunc duplex refert, quemadmodum & alias ab externis utroque modo ſcribitur. Vide *Henrici Stephani* Theſaurum, nec omitte *Ariſtophanem*, in cujus Comœdiis frequens eſt. Sic v. c. *Plut.* v. 320.

> *Λαβὼν τιν' ἄρτον, καὶ κρέας*
> *Μασσώμενος τὸ λοιπὸν, οὕτω τῷ κόπῳ συνεῖναι.*

Ibi vero Scholiaſtes ita: *τῇ περὶ τὸν πλοῦτον ἐπιμελείᾳ ἀπὸ θέματος δὲ τοῦ μασσοῦ δευτέρας συζυγίας, τὸ μασσώμενος ὡς κλώμενος.* Et in *Equitibus* v. 713.

> *Καθώσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς.*
> *Μασώμενος γὰρ, τὸ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς.*
>
> *Nutricum more tu populum paſcis male:*
> *Quia, ubi pramanderis, in os paulum ipſi ingeris.*

Ex hoc loco judicari etiam poterit de ſignificatu verbi h. l. obtinente. Ita Scholiaſt. *ἐσθίων ἢ διαμασώμενος.*

Memini me legere, *Jo. d'Outrein* vaticinium hoc referre ad regnum Galliæ in libro belgico, quem inſcripſit: *Redenen van vrees en hoope in deſen tegenwoordigen Oorlog*, &c. Amſtelodami 1707. Sed liber non eſt ad manus.

Verſ.

Verſ. 11. *Καὶ ἐβλασφήμησαν τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ τῶν πόνων αὐτῶν*) Nonnulli h. l. uſi ſunt, ut probarent, damnatos homines perpetuis conviciis Deum inſectaturos eſſe. Id vero ut alias non eſt veri ſimile, ita ex hoc ſaltem loco, ubi de hoſtibus Chriſti adhuc ſuperſtitibus ſermo eſt, firmari non poteſt. Lege huc B. *Dannhaueri* Hodoſophiam p. 1498. & *Jo. Adami Oſiandri* Theologiam Caſualem Part. VI. c. 10. p. 516. ſq.

Verſ. 12. *Καὶ ὁ ἕκτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Εὐφράτην κ. τ. λ.*) Exſtat B. *Caſparis Neumanni*, Theologi quondam Vratiſlavienſis, concio ſolennis an. 1697. in memoriam victoriæ, tunc temporis auſpiciis Auguſtiſſ. Imperatoris Leopoldi a Turcis reportatæ, habita, & paulo poſt edita, qua oſtendere conatur, oraculum hoc ad Domus Auſtriacæ heroës ſpectare, atque Reges *ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου*, quibus, exſiccato Euphrate, h. e. exhauſtis gentis Turcicæ viribus, via paranda ſit, non eſſe Reges in Oriente habitantes, terriſque Occidentalibus inhiantes, Turcarum autem interventu hactenus impeditos, quales nulli dentur; ſed Reges eſſe atque Imperatores, ab ortu Solis nomen gerentes, Auſtriacos, Turcarum tyrannide ab Imperio Orientali recuperando hactenus impeditos. Vide Nova Literaria Germaniæ an. 1703. p. 48.

Verſ. 13. *Καὶ εἶδον ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δράκοντος —— πνεύματα τρία ἀκάθαρτα ὅμοια βατράχοις*) Exſtat ſingularis oratio inauguralis B. *Mich. Henr. Reinhardi* de ranis ab ore draconis Beſtiæ & Pſeudo Prophetæ prodeuntibus, Wittebergæ 1721. 4. in qua docere inſtituit, ranas, ex ore Pſeudoprophetæ progreſſas, eſſe *Jeſuitas*; iſtas ex ore beſtiæ, *Machiavelliſtas*, *Hobbeſianos* & *Pſeudo Politicos*; illas denique ex ore draconis, *Spinoſiſtas*, hiſque ſimiles Philoſophos, una cum Fanaticis Platonizantibus. Conf. Collectionem Novantiquorum Theologicorum an. 1722. p. 1086. *Bernh. Pet. Karlius* in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. II. p. 972. *Dominicanos* ſanguinarios, *Franciſcanos* animales, & *Jeſuitas*, ſanctimoniam mentientes, illas *draconis*, *beſtiæ*, & *Pſeudoprophetæ* ranas eſſe ſuſpicatur.

Verſ. 14. *Εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων, ποιοῦντα σημεῖα, ἃ ἐκπορεύεται*) Pro duobus poſtremis verbis codd. quidam habent *ἐκπορεύεσθαι*, quos editiones variæ, v. c. *Eraſmi Stephani*, *Er. Schmidii*, *Millii*, *Bengelii*, ſequuntur. Obſcurior & minus cohærens videtur dictionis ſeries, *ἐκπορεύεσθαι ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς καὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, συναγαγεῖν αὐτοὺς*, inprimis cum ante *συναγαγεῖν* deſit *καὶ*, quo opus non eſt, ſi legamus, *ἃ ἐκπορεύεται*. Nec ſcio, an ſatis huic difficultati conſuluerit *Er. Schmidius*, ita convertens: *edentes ſigna*, *procedendo ad Reges terræ* &c. *ad congregandum eos* &c. Gerundive ſcilicet accipi vult verbum *ἐκπορεύεσθαι*, atque ſimilem phraſin occurrere putat 1 *Tim.* IV. 3. de quo tamen loco aliter ſentiendum eſſe apparebit ex illis, quæ ibi dicta ſunt. Itaque hactenus in altera illa lectione, non paucis codd. & *Alexandrino* quoque firmata, acquieſco.

co. Interpres *Coptus* verbum ἐκπορεύεσθαι prorſus omittit. Ita enim ex verſione Rever. *Wilkinſii* habet: *ſpiritus enim dæmoniorum ſunt, facientes ſigna ſuper Reges terræ, congregandi illos ad bellum magni diei Dei omnipotentis.*

Verſ. 15. Ἰδοὺ ἔρχομαι ὡς κλέπτης κ. τ. λ.) Comma hoc, tanquam minus huic loco conveniens, ad cap. III. 18. rectius pertinere, atque inde huc relatum eſſe, ſuſpicatur *Beza.* Sed vide, quæ illi recte oppoſita ſunt à *Vitringa* & *Marckio* in commentar. ad h. l. & *Alethæo* Tom. II. der Erläuterung p. 68. in notis. Id tantum obſervandum eſt, comma hoc inſtar parentheſeos reliquis interjici, ex occaſione commemorati ante *diei illius magni,* quo Dominus inopinato ad judicium venturus ſit, quemque adeo vigilem exſpectare oporteat quemcunque.

Μακάριος ὁ γρηγορῶν, καὶ τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ) Phraſi hac ad ritum aliquem Judaicum reſpici multi monuerunt. Sacerdotes ſcilicet & Levitæ noctu in templo excubias agere ſolebant. Tum vero præfectus templi obire ſtationes, & eum, quem dormientem deprehendebat, percutere ſolebat. Conſtant hæc ex *Middoth* fol. 34. 1. *Maimonide* cap. VIII. de Domo Electa & aliis, quos attulerunt *Daſſovius* diſſ. I. de Emphaſi Sacrarum vocum p. 43. *Amelius* Part. I. der Erörterung p. 83. *Zornius* Tom. II. Opuſcul. Sacrorum p. 173. *Alethæus* l. c. p. 69. Rev. *Deylingius* Parte II. Obſervationum Sacrar. Obſ. L. (quæ tamen in repetita editione exſtat Parte III. n. XLIX. p. 488.) *Adrian. Relandus* p. 174. Antt. Hebr. & Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebr. p. 1132. Adde *Vitringam* ad *Apocal.* III. 3. Speciem habet hæc alluſio, dubito tamen, an ex mente Spiritus S. inſtituatur. *Furis* fit mentio, ſicut & ſupra III. 3. & *Matth.* XXIV. 43. ad inopinatum adventum ſignificandum. Furum vero illud eſt conſilium, ut dormitantes veſtibus privent. Hoc vero fieri non poteſt, ubi quis veſtibus indutus vigilaverit. Itaque cavere ſibi quiſque jubetur, ut ſub adventum hunc Domini quiſque vigilet, & veſtibus ſuis, h. e. ornatu, quo Domino placere poſſit, inſtructus appareat. Hæc ad argumentum ipſum & ſimilitudinem adhibitam propius accedere exiſtimo. De adventu ad extremum judicium heic ſermonem eſſe, oſtendit B. *Auguſtus Pfeiferus* in Scepticiſmo Speneriano Parte I. cap. 6.

Ceterum non opus eſſe, ut ἱμάτια per enallagen pro ἱμάτιον poni dicatur, oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis p. 45. ſq. Similiter *Plato* in Critone p. 33. feminæ alicui ἱμάτια λευκὰ tribuit, quæ à *Xenophonte* lib. II. Memorabil. p. 583. ἐσθὴς λευκὴ appellantur.

Verſ. 16. Καὶ συνήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὸν τόπον, τὸν καλούμενον Ἑβραϊστὶ Ἀρμαγεδδών) Ampla heic eſt diſputatio de eo, quo pertineat verbum συνήγαγεν, utrum ad angelum illum ſextum, qui v. 12. effudiſſe dicitur phialam,

Digitized by Google

lam, an ad tria illa dæmonia, *ἃ ἐκπορεύεται*, v. 14. nec minus de eo, quid per vallem *Ἀρμαγεδδὼν* indicetur. Lege itaque huc *Ludov. Cappellum* in Spicilegio notarum p. 144. *Bonaventuram Cornel. Bertramum* in Lucubrationibus Franktallenſibus cap. X. Tom. I. Theſauri librorum Creniani p. 138. & *Henr. Hulſium* de vallibus Prophetarum Exercit. XII. quæ ad totum hoc viſum phialæ ſextæ refertur. De nomine *Ἀρμαγεδδὼν* conſules *Druſium* in Comment. priore de Vocibus Hebr. p. 15. qui a חרמא גדהון i. e. *excidium exercitus eorum* derivat, *Pfeiferum* de Vocibus Hebr. & Exoticis N. T. p. 508. Operum Criticorum, & *Bened. Meizon Faxovii* diſſertat. de loco Hermageddon, Hafniæ 1707.

Verſ. 17. *Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ εἰς τὸν ἀέρα, κ. τ. λ.*) Viſum hoc omne uſque ad finem capitis perſequitur *Jo. Eskuche* in Miſcellaneis Sacris, Exercit. IV. p. 111-127.

Γέγονε) *factum eſt*, ut *Er. Schmidius*; *fuit*; ut *Beza* vertit, eo ſenſu, ut Babylon *fuiſſe* dicatur ſecundum *παροιμιῶδες* illud: *Fuimus Troes.* Hanc ſententiam amplectitur, & ornat *Gatakerus* de Stilo N. T. cap. XIX. p. 191. illud quoque afferens: *Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.* Malim tamen prius, cum verbum *γέγονε* à Græcis non de abolitione, & interitu, ſed de effectione adhiberi ſoleat, quod *Schmidius* recte monuit.

Verſ. 19. *Καὶ ἐγένετο ἡ πόλις ἡ μεγάλη*) Vide ſupra ad XIV. 8.
δοῦναι αὐτῇ τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ) Vide ibid. *Joſ. Medus* p. 518. alludi hac phraſi putat ad morem Judæorum, qui morte afficiendis, ut torporem iis inducerent, calicem vini, cui myrrha aut aliud id genus aroma amarum immixtum fuerit, præbere conſueverint. *Matth.* XXVII. 34. Conf. *Gatakeri* Adverſaria Miſcellanea p. 48. edit. Londinenſis, qui rectius ejuſmodi potionem heic intelligi cenſet, qualis ad cruciatum & exitium procurandum præberi quibusdam ſolebat, quod idem in ſequentibus oſtendit. Talis enim calicis effectus XIV. 10. deſcribitur.

Verſ. 20. *Καὶ πᾶσα νῆσος ἔφυγε, καὶ ὄρη οὐχ εὑρέθησαν*) Verba hæc alii alia atque alia ratione acceperunt. Sententias collegit *Anton. Bynæus* de Morte Chriſti lib. III. p. 469. quibus relictis ipſe p. 460. ita ſtatuit, & *inſulas* & *montes* de ipſa urbe *Roma* interpretandos eſſe, & *inſulas* quidem eo ſenſu, qui apud Romanos tritus fuerit. Scilicet *Romæ*, inquit, *aliud* inſulæ *dictum*, *aliud* domus. *Hoc ex eo manifeſtum eſt*, *certiſſimumque*, *quod frequens inſularum & domorum in* Cicerone, Vitruvio, Suetonio, Tacito, *& ceteris Scriptoribus Romanis*, *unde diverſa ædificiorum genera fuiſſe liquet*, *fit mentio. De quo* domorum & inſularum *diſcrimine videri poſſunt*, *quæ contra* Juſtum Lipſium *diſputat* Famianus Nardinus, lib. VI. c. 4. *Veteris Romæ*

contra Nardinum *vero orbis eruditi decus*, *ſummus ille doctor meus*, J. G. Grævius, (*præfat. ad Tom. IV. Theſauri Antt. Roman.*) *Et* inſulæ *quidem*, *teſte* Feſto, dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur, à ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, ſuntque in ſalo poſitæ. *Romæ ante Neronianum incendium inſulæ fuerunt permultæ. Quod cum aliunde liquet*, *tum ex hiſce* Suetonii *verbis.* Tunc præter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum Ducum arſerunt (*in Nerone* cap. 28.) *Poſt incendium Romæ illud memorabile* inſularum *multitudo non minor fuit. Apparet hoc ex* Publio Victore, *&* Sexto Rufo, *viris Conſularibus*, *quorum hic ætate vixit* Valentiniani &c. Hæc *Byuæus*, qui tandem ex illis conficit, horrendam heic denunciari ruinam, caſumque, quo nulla inſula ſuperſtes manſura, nec montes; ac Roma quærenda in ipſa Roma ſit. Adplaudit illi *Petrus Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 225. ſq. Enimvero veri ſimilius eſt, per *montes* regna majora, per *inſulas* vero, Reſpublicas, quatenus Babyloni myſticæ ſe ſubjecerant, indicari, eademque opera innui, non ſolum Babylonem ipſam periiſſe, ſed & illi ſubjectos in cladis ſocietatem veniſſe. Vide, quæ in hanc ſententiam *Vitringa* commentatus eſt. *Montes* ſpeciatim emblema rerum publicarum & regnorum eſſe in ſacris, diligenter oſtendit Cl. *Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. II. p. 223. ſqq.

Verſ. 21. Καὶ χάλαζα μεγάλη καταβαίνει ἐκ τȣ͂ ȣ̓ρανȣ͂ ὡς ταλαντιαία) *Et grando magna quaſi talenti pondo deſcendit:* ita *Beza* & *Schmidius. Libralem* vertit *Scaliger* in annotationibus MSS. ad *Bezæ* N. T. ad Siſennam, ita loquentem, provocans. Vide *Schurtzfleiſchii* Acta Literaria p. 33. *Joſephus* de Bello Judaico V. 6. p. 338. edit. Havercamp. ταλαντιαῖοι μὲν ἦσαν οἱ βαλλόμενοι πέτροι, *talenti quidem pondere erant lapides*, *qui mittebantur.* Exempla grandinis inſignis magnitudinis paſſim videas adferri. Lege v. c. Rev. *G. G. Zeltneri* Hiſtoriam Crypto Sociniſmi Altorfini p. 1170. Notabilis eſt locus, qui legitur in *Schemoth rabba* Sect. XII. fol. 111. 3. ad Exod. IX. 18. *Dicam tibi*, *talem grandinem non fuiſſe neque in mundo*, *neque in Ægypto: ſed non dixit Deus*, *nullam talem futuram fuiſſe. Talis enim futura eſt in diebus Gog & Magog.* Vide *Schœtgenium* p. 1132.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

AD caput integrum leges ex noſtratibus B. *Jo. Bened. Carpzovii* concionem vernaculam ſingularem de meretrice magna, Lipſiæ 1687. 12. editam; & *Joannis Henrici Heideggeri* diatribas de Babylone magna. Ad potiora ejus commata ſpectant diſſertationes noſtratium ſingulares, *Chriſtophor. Scheibleri* de Babylone Apocalyptica, Tremoniæ 1631. *Joannis Andreæ Quenſtedii* de Babylone Apocalyptica myſtica, Roma, pro throno Antichriſti, Wittebergæ 1652. & *Joannis Quiſtorpii* de Apocalyptica meretrice Babylon. Roſtoch. 1669.

Verſ. 1. δείξω σοι τὸ κρίμα τῆς πόρνης τῆς μεγάλης) i. e. *oſtendam tibi meretricem judicandam*, vel damnandam; quod ſine hebraiſmo dici oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis p. 227. Sic *Iſocrates* in Areopagitico p. 303. ἐκκλησίας γινομένης περὶ ἀποδόσεως χρημάτων, *indicta concione de pecuniis reddendis.* Cur πόρνη ἡ μεγάλη dicatur, oſtendit *Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica pag. 192.

τῆς καθημένης ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν) Romam ita deſcribi a cloacarum concameratis arcubus, quibus non modo hodieque totæ viæ & arcæ, ſed & immenſæ altitudinis ædificia, omnis omnino ruinæ ſecura, ſuſtententur, exiſtimat *Famianus Nardinus* lib. III. de Roma vetere cap. V. Tomo IV. Theſauri Antiquitt. Græviani pag. 1459. *Tam vaſtæ enim amplitudinis urbs*, inquit, *ſupra flumina & arcus, & ut ita loquar, ſupra abyſſos aquarum ſedem ſuam poſuit.* Vide ibi plura, & quæ inde repetiit *Amelius* in der Erörterung Tom. I. pag. 225. ſq. & *Zornius* in Opuſculis Sacris Tom. II. p. 100. Certum id eſt, quod ex Spiritus S. mente ad gentes, quæ Romæ, non paganæ, ſed Antichriſtianæ, obnoxiæ ſint, reſpici debeat. Vide v. 15.

Verſ. 2. καὶ ἐμεθύσθησαν ἐκ τοῦ οἴνου τῆς πορνείας αὐτῆς) Vide ad XIV. 8.

Verſ. 3. γέμον ὀνομάτων βλασφημίας) Per *nomina blaſphemiæ* ad elogia illa, quibus Roma *Dea* & *urbs æterna* appellata eſt, reſpici exiſtimat doctiſſimus *Elsnerus* pag. 459. adductis variis ex antiquitate exemplis. Confer, quæ ſupra ſcripſimus ad XIII. 1. *Urbis æternæ* elogium non demum ſub Antoninis natum eſſe contra Ill. *Spanhemium* idem oſtendit ex *Tibullo*, *æternæ urbis mœnia* prædicante lib. II. Eleg. V. v. 23.

Verſ. 4. Καὶ γυνὴ ἡ περιβεβλημένη) καὶ ἦν γυνὴ, legit, præeuntibus codicibus aliquot, *Bengelius.*

γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆς) Pro ultimis his habes καὶ τὰ ἀκάθαρτα τῆς πορν. α. in codicibus variis, quos ſecutus eſt *Bengelius*, & ſequendos judicavit *Millius* in Prolegom. §. 655. cui vox ἀκαθάρ-

θάρτητ☉ ob ſyntaxin, ex phraſi ἀκάθαρτα τῆς, nata videtur. Dubito utique, num vox ἀκαθάρτης Græca ſit, ſaltem nullo hactenus exemplo conſtat: nec Græcæ linguæ rationes hanc nominis formam, ex ἀκάθαρτ☉ deducendam, admittere videntur. Græci dicunt ἀκαθαρσία, qua voce & οἱ LXX. & Sacri Scriptores N. T. frequenter utuntur. Neque obſtat reliqua vocum ſtructura, quo minus ἀκάθαρτα τῆς π. legamus. Non enim pendet hæc phraſis ab antecedente γέμον βδελυγμάτων, ſed ab illa, ἔχουσα χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, cum qua ἀμέσως illud, ϗ ἀκάθαρτον τ. π. eſt conjungendum, ita ut γέμον βλασφημίας deſcribat ποτήριον. Conſtat autem, adjectiva neutra frequenter poni pro Subſtantivis femininis. Exempla habes apud Cl. *Georgium* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 225.

Verſ. 5. *Καὶ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς ὄνομα γεγραμμένον· Μυστήριον*) Fuerunt, qui *myſterii* nomen coronæ ſive tiaræ Poppli olim inſcriptum fuiſſe adſeverarent. Tradidit hoc, fide illuſtris *Montmorencii*, *Scaliger* in notis ad h. l. monens præterea, nomen illud a *Julio*, Pontifice Romano, cum altero illo: *Julius*, *Pontifex maximus*, deinde permutatum fuiſſe. Idem quoque confirmant *Franc. le Moyne*, & *Jacobus Brocardus* in h. l. ad αὐτοψίαν provocantes, non diſſimulante *Leonardo Leſſio*. Vide Rev. *Sal. Deylingii* Obſervationes Sacras Part. III. pag. 403. Noſtra porro memoria *Petrus Jurieus* in libro gallico, quem inſcripſit *Préjugés contre le Papisme*, argumentum hoc Pontificiis, locum hunc ad alia omnia detorquentibus, oppoſuit, *Jacobum Benignum Boſſuetum* adverſarium nactus, in commentario ſuper Apocalypſin ſcripto. Huic vero ſe oppoſuit M. *Chriſtianus Gotthilf Blumbergius* an. 1695. in *Exercitio Anti-Boſſuetico*, *quo* Myſterii *nomen in Corona Papali olim fuiſſe conſpicuum adverſus Boſſuetum demonſtratur*, cujus altera pars veritatem rei adſtruit, altera vero cauſam & modum abolitæ illius inſcriptionis exponit. Habes libri ſummam in *Tenzelii* Dialogis menſtruis germanice editis an. 1695. pag. 23. ſeqq. *Blumbergio* poſtea ex noſtratibus occurrit *Joannes Ludovicus Hannemannus*, Profeſſ. Medicus Kilonienſis, in libello ita inſcripto: *Myſterium Papali coronæ adſcriptum* Non Ens, *ſeu commentarius in caput* XVII. *Apocal.* v. 5. *quo demonſtratur*, *Papali coronæ* myſterion *nunquam fuiſſe inſcriptum*. Hamburgi 1698. 8vo. Lege *Neocori* Biblioth. Novorum librorum an. 1698. pag. 854. ſeqq. Non deſeruit cauſam *Blumbergius*, ſed adſeruit potius diatriba ſingulari Cygneæ 1702. 8. edita, & inſcripta: *Myſterium Papali coronæ adſcriptum Ens huc usque reale*, *Non Enti celeberrimi cujusdam Viri oppoſitum*. Lege Acta Eruditorum Lipſienſia an. 1702. pag. 491. ſeq. nec omitte Nova literaria Hamburgenſia an. 1703. pag. 58. & 217. Relationes Theologicas Nov-antiquas an. 1702. 1067. *Balii* Dictionarium Tom. I. pag. 1080. & *Joannem Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum pag. 809. Ad *caput turritum* heic reſpici, quod

quod urbium illuſtrium inſigne fuerit, teſtibus numis, opinatur *Pet. Zornius* in Bibl. Antiquar. Exeg. pag. 32.

Βαβυλὼν ἡ μεγάλη) Romæ Antichriſtianæ hoc indicium eſt: vide ſupra ad XIV. 8. & XVI. 19. Confer *Vitringam* ad *Jeſ.* XIV. 24. p. 446.

ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν) De phraſi hac lege *Er. Schmidium* ad h. l. Spectat huc mos veterum, ex quo meretricum frontibus nomina illarum inſcribi ſolebant. Vide *Martin. de Roa* in Singularibus Scripturæ lib. IV. p. 409. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa p. 765. qui & cellas meretricum earundem nomina præ ſe tuliſſe oſtendit.

Verſ. 6. *καὶ ἐθαύμασα ἰδὼν αὐτὴν θαῦμα μέγα*) Phraſeos hujus probitatem ſæpius adſtruximus. Adde nunc Cl. *Georgii* Vindicias p. 199.

Verſ. 7. *διὰ τί ἐθαύμασας;*) *Joan.* VII. 21. eadem phraſis occurrit, cujus exemplum fortaſſe alibi non dari ibidem obſervat *Er. Schmidius*, ſed non deeſſe illi ſimiles, v. c. *θαυμάζειν τινα ἐπί τινι*, & *ἀπό τινος*, Cl. *Albertius* pag. 494. Obſervatt. adſert illud *Æliani* Var. Hiſtor. XII. 6. & XIV. 36. *αὐτὸν δὲ θαυμάζομεν διὰ τὰ ἔργα.*

ἐγώ σοι ἐρῶ τὸ μυστήριον τῆς γυναικός) Eadem phraſis, obſervante *Schœtgenio*, exſtat in *Sohar* Geneſ. fol. 9. col. 35. מסטרא דנוקבא מסכני *myſterium autem feminæ ſunt pauperes.*

Verſ. 8. *Θηρίον, ὃ εἶδες, ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, κ. τ. λ.*) Et hoc comma crucem fixit Interpretibus. *Jo. Marckius* in commentar. ad h. l. ſtatuit, verba hæc, *ἦν, καὶ οὐκ ἔστι*, *erat, & non eſt, pertinere ad narrationem rei externe a Joanne viſæ. Sic, ut ſenſus ſit: beſtia, quam non vides amplius, ſed mox vidiſti, erat mox coram oculis tuis, & non eſt modo, cum evanuerit cito admodum & antequam ipſe id exſpectaveris. Ad explicationem iſtius viſi emblematis*, ita pergit Marckius, *tum porro fit tranſitus in ſecundo prædicato*, & aſcendet ex abyſſo, & in exitium abibit, *cujus prædicati unum & alterum membrum accurate conveniunt narrationi priori; quemadmodum beſtia erat coram oculis tuis, ita regnum hoc certo* aſcendet ex abyſſo, *& quemadmodum* non eſt *amplius illa coram te, ita &* in exitium abibit *hoc æque certo.* Hanc vero expoſitionem ut *ineptam* exagitavit *Nicolaus Mulerius*, in *Vaticiniis Patmi elucidatis*, quam *Marckius* minus feliciter adſerere conatus eſt in Exercitt. Textualibus p. 469. ſqq. merito eandem repudiante *Vitringa* ad h. l.

ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς) Vide ſupra XIII. 8.

βλέ-

βλέποντες τὸ θηρίον, ὅτι ἦν, καὶ ὐκ ἔϛι, καίπερ ἔϛιν) Extrema verba in edit. *Complutenſi* & codd. nonnullis cum his, ϗ παρέϛαι, permutantur. Vide *Richardi Simonis* Obſervatt. Novas in N. T. p. 264. & Cl. *Bengelii* Appar. Criticum, pag. 937. Atque hic ipſe una cum editore N. T. Græco-Anglicani, ϗ παρέϛαι in contextum recepit, ad *Joannem Dalingium* de Antichriſto pag. 405. *Franciſcum Combefiſium* in notis ad Hippolytum, & *W. Wallium* in Notis Criticis ad N. T. p. 405. tanquam ὁμοψήφυς, provocans. Eandem lectionem approbat *Grotius* & *Joſ. Mede* pag. 524. nec alienus ab eadem eſt *Marckius* in Commentario ad h. l. & in Exercitatt. Textual. pag. 473. quamvis rem non urgeat. Ab altera parte communiorem lectionem tuetur *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 676. *Exemplaria*, inquit, *pleraque omnia habent*, ὐκ ἔϛι, καίπερ ἔϛιν. *Quæ iſtiusmodi videtur contradictio, ut effecerit, ut quidam* καίπερ ἔϛιν *omiſerint; cum neutri interim ad genuinum vaticinii ſenſum penetraſſent. Verum, cum hæc lectio, quam ſequimur, tam generaliter obtineat, quamvis primo aſpectu tam obvia videatur ineſſe incongruitas & repugnantia, irrefragabile profecto argumentum eſt, veram hanc omnino eſſe ac genuinam lectionem; & ex ſola indubitata authenticaque exemplarium fide factum eſſe, ut duæ illæ alteræ lectiones expunctæ ſint, quas quorundam temeritas & imperitia in veræ locum intruſerant.* Similiter *Vitringa* ad h. l. *lectionis illius* ϗ παρέϛαι *nullam ait eſſe elegantiam, & acumen;* ſed *tantum docere, Interpretes vel librarios ænigma hoc ſolvere non potuiſſe.* Idem paulo poſt ſenſum ita ediſſerit, quod *per beſtiam deſignetur* Imperium aliquod Romanum, *de quo myſtice dici ex vero poſſit*, fuiſſe illud quondam & non eſſe amplius; & tamen eſſe, *h. e. exiſtere tamen illud vere licet* alia forma, *quam exſtiterat ante, ut adeo dici poſſit de illo Imperio*, eſſe illud, & non eſſe: *quod ſacrum quoddam ænigma eſt. Imperium nempe Romanum, a Julio Cæſare conditum, deſtrueretur per Gothos, aliosque barbaros populos, atque adeo poſtquam aliquandiu* fuiſſet, *non* eſſet *amplius*, & tamen eſſet; *h. e. reſuſcitaretur in* Imperio Romano Pontificis, *cujus eadem eſſent* ἀξιώματα & ἰδιότητες, *quæ veteris Romani Imperii deſtructi.* Non puto, quicquam accommodatius ad ſenſum hujus loci dici poſſe. Hoc unum addidero, τὸ, ϗ παρέϛαι, etiam ideo locum habere non poſſe, quod de illis ſermo ſit, qui beſtiam illam cum maxime *videant.* Receptæ porro lectioni fraudi eſſe non poteſt, quod S. *Joannes* particulam καίπερ nuſquam adhibeat. Id ſcilicet obvertit Cl. *Bengelius.* Sufficit utique, particulam illam tum Sacris, tum externis Scriptoribus admodum, ubi res fert, receptam eſſe. Præterea *Joannes* nec verbo πάρειμι alias utitur, ceteri vero Scriptores divini idem, ſed nunquam in forma futuri temporis, adhibent. Itaque cum eadem veri ſpecie dubitaveris, verbum παρέϛαι a Joanne eſſe profectum.

Verſ. 9. Ὧδε ὁ νῦς, ὁ ἔχων σοφίαν) Vide ad XIII. 18.

αἱ ἑπτὰ

αἱ ἑπτὰ κεφαλαὶ ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ) Hieroſolymam heic indicari non dubitat Cl. *Jo. Gothof. Lakemacherus* in Obſervatt. Sacris Parte III. p. 288. ſqq. eo inprimis nomine, quod urbem hanc ſepticollem fuiſſe conſtet. Montes itaque hos ſeptem ponit: *Zionem*, *Acram*, *Moriam*, *Bezetham*, qui ipſi Joſepho *λόφοι colles* appellantur, & *tria culmina montis oliviferi*. De quatuor prioribus & ipſe differit, & *Lightfootum*, *Cellarium* atque *Relandum* conſuli jubet. Porro p. 295. ſq. in eo eſt, ut montem oliveti, qui teſte *Cotovico* in Itinerario Hieroſol. & Syr. p. 272. *tria continet cacumina*, atque adeo trium montium loco haberi poteſt, pro parte urbis habitum fuiſſe adpareat. Hoc vero efficit ex eo, quod *Bethphage*, locus, in ipſo illo colle ſitus, a Judæis veteribus pars Hieroſolymorum extrema ſit judicata. Id ipſum vero patet ex locis a *Buxtorfio* in Lexico Chald. Talmud. & Rabbin. p. 1691. & *Lightfooto* in Chorographia, Matthæo præmiſſa, allatis, c. 37. Ipſe quidem ex *Peſachim* fol. 63. col. 2. ſequentem promit. Quærunt ibi doctores: *quid eſt extra mœnia?* & reſpondent: *extra murum Bethphages*. Gloſſa vero addit: *Bethphage locus Hieroſolymorum extremus. Quicquid igitur extra murum Bethphages eſt, id ſimul extra Hieroſolymam eſt.* At, quod pace viri docti dictum velim, nondum confecta videtur cauſa, quam agit. Dubium enim eſt, num illam Hieroſolymorum topographiam Magiſtri omnes agnoverint; dubium etiam, an S. Joannis ætate; dubium denique, an S. Joannes, a Spiritu S. ductus, eandem probarit, atque adeo eo reſpicere potuerit. Ponamus vero, Bethphagen, in monte olivifero ſitam, atque adeo montem ipſum ad urbem Hieroſolymit. vere & communiter relatam eſſe; nondum tamen hinc liquet, ipſum illum montem ex tribus ejus culminibus pro triplici habitum fuiſſe, aut haberi poſſe. De hoc ut conſtet, probari, puto, debebat, ipſa illa culmina ſuis ſingula nominibus inſignita & a ſe invicem diſtincta, imo vero etiam habitata fuiſſe. Alioquin enim dici non poterat, quod *mulier* illa *montes illos inhabitet*. Hactenus itaque conjecturam hanc non credo eſſe veriſimiliorem illa *Jac. Sponii* in *Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grèce, & du Levant* Tom. I. p. 352. ſqq. cui *Roma nova* i. e. *Conſtantinopolis* viſa eſt intelligenda, tanquam quæ & ipſa *ἑπτάλοφος* appelletur, & ad aquas poſita ſit. Recte enim illi *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris Tom. II. p. 98. ſequentia opponit: *Neque enim unum aut alterum attributum hic ſufficit, dum cetera deſunt, & manifeſte repugnant. Spiritus S. demonſtrat, urbem, iſthoc tempore hoc charactere inſignem, quæ jam erat & dudum fuerat in rerum natura, quam non potuiſſet clarius ſignificare, niſi forte ipſius Romæ appoſuiſſet nomen. Illa apud Scriptores eſt ſepticollis, itidemque in nummis; illa habet egregium ſitum; illa denique ſedet in multis aquis; & blaſphemiæ nomina vel in ipſis oſtentat nummis, ut ſatis mirari nequeam*, Sponium *à recto veritatis tramite longius recedere voluiſſe*. Hæc *Zornius*, qui ſingula illa momenta idoneis præſidiis ex antiquitate firmat.

Digitized by Google

Verſ. 10. *Καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν· οἱ πέντε ἔπεσαν, καὶ ὁ εἷς ἔστιν, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε, καὶ ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι)* Et hæc de urbe Hieroſolymitana, ſeu regimine Reipubl. Judaicæ, qualis extremo ejus ſæculo fuit, interpretatur laudatus modo *Lakemacherus* Parte X. Obſervatt. Sacrarum p. 249. ſqq. Septem Reges producit ex familia Herodiana 1) Herodem M. 2) Archelaum, 3) Philippum, 4) Antipam, 5) Agrippam majorem, 6) Herodem, & 7) Agrippam minorem. Ex his primores quinque eo tempore, quo Joanni viſum hoc obtingebat, jam deceſſiſſe ait, quemadmodum *ſextus*, Herodes Agrippæ majoris frater, idemque ſimul gener, tunc exſtiterit, paulo poſt ab *Agrippa juniore* exceptus. Hunc vero *Photius* Cod. XXXIII. p. 19. ex *Juſto Tiberienſi*, Hiſtorico Judaico, *ἕβδομον, ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου, ὕστατον δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεῦσι* appellat, nec diverſus is eſt ab illo, coram quo Paulus cauſam ſuam graviter peroravit, *Act.* XXV. 22. XXVI. 1. ſqq. At vide, ſis, quæ contra hæc diſputat *Zornius* in Hiſtoria Fiſci Judaici, p. 467.

οἱ πέντε ἔπεσαν) Spectat huc ſingularis epiſtola *Jo. Cocceji* Tom. VI. Operum ejus edit. Francofurtenſis p. 77. inter epiſtolas.

Verſ. 11. *Καὶ τὸ θηρίον, ὃ ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι)* Cl. *Lakemacherus* l. c. p. 261. præſtructa *ὑποθέσει* modo dicta, per beſtiam intelligit Rempublicam Judaicam, quæ inſigniter floruerat, ſed mox diſparitura erat, atque ſic interitura, ut veſtigium ejus vix ullum eſſet ſuperfuturum. *Huic*, ita pergit, *ſi conſideraretur ſeparatim ab ipſius Regibus, locus tribui poterat octavus; ſin autem, ut conjunctum quid cum illorum regimine, ex ipſis ſeptem illis eſſe dici poterat; quia Reges illi ſinguli eam tenuerant, adminiſtraverantque vel in univerſum, vel ex parte.* Pro *ὄγδοος* *Coptus* Wilkinſii habet *angelus*. De phraſi *αὐτὸς ὄγδοός ἐστι*, vide mox ad v. 16.

Verſ. 12. *Καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες, δέκα βασιλεῖς εἰσιν)* Per hos Reges idem deſignari opinatur partim Pontifices, partim Synedrii præſides. Pontifices ait fuiſſe 1) Ananiam, 2) Jonathanem, Felicis Procuratoris machinis a ſicariis peremtum, 3) Iſmaëlem, Phabi filium, 4) Joſephum Cabi filium, 5) Ananum, 6) Jeſum Damnæi filium, 7) Jeſum Gamalielis filium, 8) Matthiam Theophili filium, 9) Phanniam, ſive Phannaſum, quem ſeditioſi, tempore belli, Pontificem fecerint, denique 10) Præſidem Synedrii unum, Rabban Simeonem, R. Gamalielis filium, quem Judæorum Hiſtorici XVIII. annis ante excidium Hieroſolymorum Præſidem Synedrii conſtitutum, & in excidio illo interemtum fuiſſe tradant. Reges enim proprie ſic dictos intelligi non poſſe, ex eo putat liquere, quod ipſi illi dicantur poteſtatem accepturi *ὡς βασιλεῖς*, i. e. *Regiæ ſimilem*, qualis utique illa Pontificum & Præſidum Synedrii fuerit.

Con-

Conſtat, *Petrum Jurieum* decem illa cornua accepiſſe de regnis decem, quæ Sæc. V. ex diſciſſo Romano Imperio ſubnata ſint, nempe Gothorum Orientalium, Occidentalium, Vandalorum, Suevorum, Francorum, Burgundionum, Saxonum, Alemannorum, Britannorum, & Græcorum. Huic ſententiæ oppoſitus eſt liber ſingularis, quem Reformati quidam doctores Ducatus Bergenſis Duisburgi an. 1706. ediderant, ſub titulo: Wagſchaale des neuerſonnenen tauſendjährigen Lufft-Himmliſch-Paradiſiſchen Gerichts-Reiches. Confer Novam Bibliothecam Halenſem, lingua vernacula editam, Parte IX. p. 748.

Verſ. 14. ὅτι Κύριος κυρίων ἐςὶ, ϗ βασιλεὺς βασιλέων) Hanc loquendi rationem Græcam eſſe, aliquot *Platonis* locis evincit Cl. *Georgius* in Vindiciis p. 327. Is enim θεὸν θεῶν, ἐπιςήμην ἐπιςημῶν, ἄνδρας ἀνδρῶν appellat, ſicut *Æſchylus* in Supplicibus v. 531. ἄνακτα ἀνάκτων, μακάρων μακάρτατον ϗ τελείων τελειότατον κράτος Jovem vocat.

Verſ. 15. Καὶ λέγει μοι τὰ ὕδατα, ἃ εἶδες, κ. τ. λ.) Comma hoc illuſtrat B. *Wolfgangus Franzius* de Interpretat. Scripturæ Sac. p. 615. ſqq.

Verſ. 16. Καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες ἐπὶ τὸ θηρίον) Multi codices habent, ϗ τὸ θηρίον, ita quidem, ut Cl. *Bengelius* p. 839. Apparatus Critici *non auſit dicere*, τὸ ἐπὶ *in ullo exſtare codice Græco*, ſed ab *Eraſmo* ex Latinis libris depromtum exiſtimet. Idem itaque alteram illam lectionem in contextum recepit, quam *Syrus*, *Arabs* & *Æth.* exprimunt. *Grotius* malebat κατὰ τὸ θηρίον, ad libros provocans, qui tamen ab aliis non adferuntur. *Millius* in Prolegom. §. 657. de illa ſibi nihil liquere profitetur. *Coptus* Wilkinſii habet: *& decem cornua, quæ vidiſti cum beſtia.* Receptam lectionem ad ſenſum accommodatiorem eſſe per ſe patet. Per eam enim indicantur cornua, quæ in beſtia viderat Joannes. Neque phraſis hæc a dictione Joannea aliena eſt. Ita com. 5. hujus capitis habes, ὄνομα ἐπὶ τὸ μέτωπον γεγραμμένον. Interim vel omnium vel plerorumque, codicum Græcorum conſenſus non parvi fieri debet.

οὗτοι μισήσουσι τὴν πόρνην) Pronomen οὗτοι etiam h. l. ſicut v. 11. αὐτὸς ὄγδοός ἐςι, non ad vocem κέρατα, ſed ad perſonas, per *cornua* ſignificatas, refertur. Recte Celeberr. *J. C. Schwarzius*, de ſolœciſmis Diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 83. ita: *Eſto ſane κέρας, quum cornu* bovis, ovis, capri *ſignat, neutrum. Sin ad homines, ad perſonas transferatur, obtineat ratio jus ſuum, obtineat humanitas nominis ſui vim, ut ſermonis intelligentia adjuvetur potius, quam opprimatur.* Idem vero in ſequentibus ſimiles loquendi rationes ex Scriptoribus externis recitat.

Verſ. 17. Καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην) Deeſt in codd. duobus, & in *Vulg.* quoque, quod intruſum crediturum ſe ait *Millius*, absque conſenſu codicum ſi foret. Confer tu *Raithii* Vindicias p. 612.

ἄχρι τελεσθῇ τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ) Codd. plures habent: ἄχρι οὗ τελεσθήσονται οἱ λόγοι τοῦ Θεοῦ, atque hos ſecutus eſt *Bengelius*. Prophetiæ dicuntur τελεῖσθαι, cum *implentur*. Vid. *Luc.* XVIII. 31. & XXII. 37. Similiter Græci dicunt oracula τελεῖσθαι. *Diodorus Siculus* XX. p. 765. ἕκαστος ὑπελάμβανε τετελέσθαι τὸν χρησμόν. *Pauſanias* Corinth. cap. VII. p. 126. ὡς καὶ τὸ λόγιον τετελέσθαι Σιβύλλῃ ἐς τὴν Ῥόδον ἔδοξεν. Habes hæc, itemque alia apud Cl. *Elsnerum* p. 460.

Verſ. 18. ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ ἔχουσα τὴν βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς) Roma pagana olim *Reginæ* vel *regnantis urbis* nomen tulit. *Imperatorum vero*, βασιλέων a Græcis *dictorum*, *exemplo* Roma *quoque eorum ſedes* βασιλὶς, *vel* βασιλευούσης πόλεως *nomine*, *non ab* Euſebio *primum*, *aliisque illius & proximæ ætatis Scriptoribus*, *paſſim dicta*; *ſed pridem ante ab* Herodiano, *ac in præclaris marmoribus Romæ*, *quum ibi agerem*, *ſed paulo ante effoſſis*, ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ, *ſicut poſtea ejus exemplo altera Roma*, *diviſo tum imperio*, *iisdem nominibus eſt ornata*, *quæ obvia utique apud Hiſtoriæ Byzantinæ conditores*; *ac in Latinis etiam Chronicis*, *Victoris Turonenſis aut Marcellini Comitis* Urbs Regia & Urbs Auguſta *frequenter occurrit*, *quibus vulgo Conſtantinopolis deſignatur*. Ita *Ezech. Spanhemius* de uſu & præſtantia Numiſmatum Tom. II. p.401. Confer eundem ad Juliani Orationes p. 30. Vide mox ad XVIII. 7.

CAPUT XVIII.

AD hoc caput lege B. *Philippi Ludovici Hannekenii* Contemplationem ruinarum Babylonis, Witteb. 1695. & *Enewaldi Suenonii* Babylonem magnam ruentem, Aboæ 1669.

Verſ. 1. Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) Per angelum hunc B. Lutherum innui multi noſtratium cenſuerunt. Eos appellatos vide a Celeb. *Joanne Alberto Fabricio* noſtro in Centifolio Lutherano pag. 335.

Verſ. 2. Καὶ ἔκραξεν ἐν ἰσχύϊ, φωνῇ μεγάλῃ λέγων) Variant heic codices, ut apparet ex Apparatu Critico *Bengelii*, qui ſententiam hanc omnem retinet, omiſſa tantum particula ἐν ante ἰσχύϊ; at Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, reliquis expunctis, legit: καὶ ἔκραξεν ἰσχυρᾷ φωνῇ, λέγων. Contra hunc lege *Leonardum Twells* in Examine Critico Part. I. pag. 51. Præpoſitionem ἐν ante ἰσχύϊ retinere equidem malim. Facilius enim fieri potuit, ut a nonnullis ob proxime antecedens ἐν in verbo ἔκραξεν omitteretur, quam adderetur ab aliis.

Ἔπεσεν,

Ἔπεσεν, ἔπεσε κ. τ. λ.) Vid. ad XIV. 8. Verbo *πίπτειν Herodotus* lib. VII. pag. 496. utitur de interitu libertatiſque jactura Græciæ, obſervante *Raphelio.* Τοῦτο δὲ ἤδη δεινὸν γίνεται, μὴ πέσῃ πᾶσα ἡ Ἑλλάς.

Βαβυλὼν ἡ μεγάλη) Romam Pontificiam intelligi, erudite oſtendit Rev. *Sal. Deylingius* in Obſervationibus Sacris Part. III. Obſerv. L. Conf. ad v. 4.

καὶ ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων, ϗ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου) Deſertorum locorum conditionem hac ratione deſcribere ſolent Sacri Scriptores. Vide *Spencerum* de Legibus ritualibus Hebræorum lib. III. Diſſ. VIII. cap. 3. qui & *Maimonidæ* locum adfert Parte III. libri *More Nevochim* cap. 30. de Zabiis hæc teſtantis: *Scribunt in libris ſuis, quod propter iram Martis deſerta & deſolata loca careant aquis & arboribus, & dæmones horrendi loca illa incolant.* Compara *Pet. Zornii* Bibl. Antiquario-Exegetic. pag. 516.

Verſ. 3. Ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη) Vide ad XIV. 8.

καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς) Lege Cl. *Georgii* Vindicias pag. 328.

ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν) *ex facultatibus deliciarum ejus divites facti ſunt:* ita *Eraſmus Schmidius.* *Joannes Vorſtius* in Philologia Sacra Parte II. cap. 29. pag. 125. mavult: *ex divitiis ejus luxurioſis* vel, *delicioſis.* B. *Lutherus:* von ihrer groſſen Wolluſt. Atque poſtremam hanc expoſitionem tuetur *Georgius* l. c. pag. 46. eadem opera oſtendens, vocem δύναμιν ſine Hebraiſmi ſuſpicione, heic in notione *opum* ſeu *divitiarum* accipi poſſe, cum *Thucydides*, inter ceteros, lib. I. cap. 2. ſimiliter dicat: διὰ γὰρ ἀρετὴν γῆς αἵτε δυνάμεις τισὶ μείζους ἐγγινόμεναι στάσεις ἐνεποίουν, ἐξ ὧν ἐφθείροντο, *propter terræ enim bonitatem nonnulli, quorum opes hinc auctæ erant, factiones excitabant.*

Verſ. 4. Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς, ὁ λαός μου) Diſceſſionem Proteſtantium, ab Eccleſia Romana factam, ex his verbis a criminationibus adverſariorum vindicat Cel. *Sal. Deylingius* in Obſervationibus S. loco modo allato, oſtendens per Babylonem h. l. Romam Pontificiam intelligendam eſſe. Inter cetera vero argumenta adfert nummum aureum *Ludovici* XII. Galliæ Regis, cujus poſtica pars cum tribus liliis & ſuperpoſita corona aperta hanc præfert ſententiam: *Perdam Babylonis nomen.* Romam enim Papæam Babylonis nomine ibi indicari plerisque recte perſuaſum eſt. Numi illius effigiem habes apud *Blancum* in Tract. hiſtorico de numis Galliæ, gallic. ed. pag. 263. *Harduinum* in Operibus Selectis pag. 905. *Deylingium* l. c. & nuperrime in Cl. *Jo. Dav. Köhleri* Müntz-Beluſtigung Parte V. pag. 225. ſeq. addita luculenta expoſitione. Adde vero etiam *B. G. Struvii* Bibliothecam Anti-

quariam an. 1706. Februar. pag. 73. & eruditiſſimi *Chriſtiani Sigiſmundi Liebe* Epigraphen numi Ludovici R. G. illuſtratam Lipſ. 1717. 8.

Verſ. 5. Ὅτι ἠκολούθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ) Codices multi habent ἐκολλήθησαν, quod & *Syrus* expreſſit, & *Lat.* expreſſiſſe videri poſſit, convertens, *pervenerunt*. *Arabs* habet: *annexa ſunt ei & pertigerunt*; *Coptus* vero propius, *adhæſerunt*. Eandem lectionem approbat *Grotius*, & *Millius*, ad *Zachar.* XIV. 5. provocans, ubi apud τοὺς LXX. legitur, καὶ ἐγκολληθήσεται φάραγξ. Propius vero huc ſpectant eorundem Interpretum phraſes, quando dicunt κολλᾶσθαι πρὸς αὐτὸν *Deuteron.* X. 20. ἐν σοὶ. XXVIII. 60. & 2 *Regg.* V. 27. ἐκολλήθη ἡ ψυχή μου ὀπίσω Pſal. LXII. 8. In contextum receperunt Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & Cl. *Bengelius*. Mihi quidem ſuſpecta eſt hæc lectio. Verbum enim κολλᾶσθαι de iis tantum dicitur, qui rei alicui vel perſonæ, tanquam ſibi placenti, *adhærent*, quod quomodo de peccatis, atque adeo de peccatoribus, reſpectu ad cœlos habito, dici poſſit, non perſpicio. Placet fere *Vitringæ* ſententia, qui *peccata* de *peccatorum pœnis* accipit ad exemplum phraſeos *Jeremiæ* LI. 9. de Babele: *quia judicium ejus pertinget ad cælos, & usque ad ſuperiores nubes*. Hæc expoſitio firmari poteſt eo, quod *Joannes* ſupra XIV. 13. de beatis dicit: τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ᾽ αὐτῶν. Ibi opera beatos ſequi dicuntur, tanquam in cœlis remuneranda, quemadmodum hic peccata ſequi ad cœlum dicuntur, ut punienda. Huc pertinet phraſis ſequens: ϗ ἐμνημόνευσεν ὁ Θεὸς ἀδικήματα αὐτῆς, quæ non niſi de pœnis, peccantibus inflictis, accipi poteſt. Hyperbolen ab hac phraſi amoliri inſtituit Vener. *Valentinus Erneſtus Læſcherus* in Stromatibus p. 40.

Verſ. 6. καὶ διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς) Per διπλᾶ non *duplum*, ſed *tantundem* pœnarum, quantum offenſarum admiſſum ſit, indicari exiſtimat *Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebraicæ pag. 876. ideo, quod *Jeremias* voce משנה utatur de menſura ad præcedentem aliam accurate exacta, ac præterea juſtitiæ ſit, tantundem, non vero duplum pœnarum reddere. Adde eundem pag. 395. ubi oſtendit, *Jeſ.* LX. 20. vocem כפלים, quæ ratione originis ſuæ *duplum* infert, *tantundem* ſignificare. Confirmari hæc expoſitio poteſt phraſi mox ſequente v. 7. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν ϗ ἐστρηνίασε, τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμόν.

Verſ. 7. Ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν καὶ ἐστρηνίασε) *quantum glorificavit ſeſe & luxuriata eſt*. Ita *Eraſmus Schmidius*. Videtur vero per στρηνιᾶν *inſolentia* quædam innui cum *luxu* conjuncta. Ita B. *Lutherus*: und ihren Muthwillen gehabt. *Heſychius*: στρηνιῶντες, πεπλεγμένοι (lege cum Guieto πεπληστμένοι) δηλοῖ δὲ καὶ τὸ διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν, ϗ βαρέως φέρειν. *Suidas* & *Phavorinus* per ἀτακτεῖν interpretantur. Confer de hoc verbo *Hœſchel.* & *Nunneſium* ad Phrynichum pag. 70. & quæ de verbo καταστρηνιᾶν diximus ad 1 *Tim.* V. 10. & mox ad v. 9. dicemus.

ὅτι

ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς λέγει) Phraſis Hebræis frequens eſt, ſed nec Græcis ignota. *Heſiod.* Εργ. v. 499. *προσελέξατο θυμῷ* h. e. *πρὸς θυμῷ ἐλέξατο*, ſive *ἐνόησεν*, & *Theognis* v. 99. *ταῦτ' ἐνὶ θυμῷ φράζεο.* Vide Cl. *Albertium* pag. 494.

κάθημαι βασίλισσα) Reſpice XVII. 18. ubi ex Ill. *Spanhemio* oſtenſum eſt, Romam paganam olim *βασιλίδα* & *βασιλεύουσαν* dictam eſſe. Idem oſtendit *Elsnerus* pag. 471. qui præterea commode monet, Romam mulieris ſedentis forma fere ſemper in numis conſpici, *victoriam* & *fortunam* altera manu ſuſtentantem, quaſi nulli unquam calamitati ſuccubituram. Adde *Dougtæum* in Analectis Sacris N. T. Exc. CVI. & *Zornium* in Biblioth. Antiquar. Exeg. pag. 31.

Verſ. 9. *οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες καὶ στρηνιάσαντες*) Cl. *Albertius* pag. 495. *τὸ στρηνιᾷν* idem h. l. eſſe vult, quod *luxuriari*, *in deliciis & effrenate vivere.* Conf. hic v. 7.

Verſ. 12. *Γόμον χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κ. τ. λ.*) Merces has Tyri & Babylonis myſticæ exponit doctiſſimus *Lampius* in Dodecade Exercitatt. ad Pſal. XLV. pag. 465. ſeqq.

καὶ πᾶν ξύλον θύϊνον) Interpretes: *& omne lignum thyinum;* ubi *citreum* potius dicendum erat, judice *Salmaſio* in Exercitationibus Plinianis pag. 667. a. *De citro*, inquit, *quæ nomen dedit* citreis *menſis*, *prius videndum. Hæc Græcis θύα vel θύον. In* Theophraſto *ſcribitur θύϊον*, *vel θυΐα. Sed in* Plinii *libris θύον & θύα ſcribitur*, *& θύϊνον inde factum κτητικόν. Gloſſæ*, citreum, *θύϊνον. Et apud* Athenæum: *θύϊναι σανίδες*, citreæ tabulæ, *lib. V. αἱ δὲ τῆς παραστάσεως θύραι τὸν ἀριθμὸν εἴκοσι οὖσαι θυΐναις κατακεκόλληντο σανίσι.* —— —— —— *Apud* Strabonem *lignorum θυΐνων*, *h. e.* citreorum, *fit mentio lib.* IV. *ad menſas faciendas*, *ubi de arboribus loquitur*, *quæ in Liguria reperiuntur: πολλὰ δὲ καὶ τῇ ποικιλίᾳ τῶν θυΐνων οὐκ ἐστι χείρω πρὸς τὰς τραπεζοποιίας.* —— —— *Mentio exſtat apud* Plutarchum *τῶν θυΐνων τραπεζῶν*, *quas Latine* citreas *vocant.* Dioſcorides *agallochum ſimile eſſe dicit θυΐνῳ ξύλῳ h. e.* citreo ligno, *ἐοικὸς θυΐνῳ ξύλῳ ἐστιγμένον.* Paulus Ægineta *ſcribit ἀγάλοχον θύᾳ παραπλήσιον eſſe*, *i. e.* citro ſimile. *Ligni citrei etiam mentio in Apocalypſi* XVIII. & omne lignum citreum. *Sic potius vertendum*, quam thyinum. Confer eundem *Salmaſium* ad Tertullianum de Pallio cap. 5. & in Homonymis Hyles Iatric. pag. 84. *Zornium* in Bibl. Antiquario-Exeget. pag. 541. *J. H. Urſinum* in Arboreto Biblico cap. 42. p. 569. *Thom. Crenium* in Animadverſionibus Hiſtorico-Philolog. Parte X. c. 3. pag. 258. ſeqq. & *Wedelium* in Exercitatt. Medico-Philologic. Centur. II. Dec. II. Exerc. V. Ejus vero judicio pag. 36. arbor *Thyi* vel *Thyæ* intelligitur, ab antiquis ita appellata, cujus lignum ſacris & profanis uſibus apprime dicatum fuerit; ob quos uſus communes, & communia prædicata eodem nomine veniant non pauca, ſed aliquot minimum ligna congenera,

non

non eadem ſpecie, ſed uſu & virtute id nominis promerita. *F. A. Lampius* in Dodecade Exercitatt. ad Pſ. XLV. pag. 468. *hebenum* indicari putat, ad *Ezech.* XXVII. 15. ubi inter merces Tyri cornua eburna & hebenus adferuntur, alludi exiſtimans, quemadmodum & alibi a Scriptoribus *ebur & hebenus* conjungantur. Lege locum, & expende.

καὶ πᾶν σκεῦος ἐλεφάντινον) De lectis eburneis phraſin accipiunt nonnulli, quorum mentio eſt *Amoſi* VI. 4. *Zornius* l. c. p. 552. de illis videri jubet *Ant. Bynæum* de morte Chriſti lib. I. cap. 3. p. 210. & *Bulengerum* de Conviviis lib. I. c. 30.

καὶ πᾶν σκεῦος ἐκ ξύλȣ τιμιωτάτȣ) Pro *ξύλȣ* habet *λίθȣ* *Alex. Vulg.* & *Æth.* male. Vid. *Raithii* Vindicias p. 612.

καὶ χαλκȣ̃) Id æris genus heic indicatur, quod omni auro atque argento habebatur pretioſius. Sic *Joſephus* Antiquitt. Judaicar. XI. 5. p. 369. b. *χαλκᾶ σκεύη χρυσȣ̃ κρείττονα* commemorat, quæ Xerxes dono dederit. Vide *J. B. Ottii* Annotatt. in Joſephum Tom. II. edit. Havercamp. p. 318. a. Spectant huc, quæ de variis æris generibus, & nominatim de *Corinthio*, commentatur *Bochartus* Part. II. Hierozoici p. 877. ſqq. Adde *Chriſt. Helwigii* de ære Schediaſma in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum Decad. III. n. VII. & VIII.

Verſ. 13. *Καὶ κινάμωμον*) Cod. *Alex.* & alii nonnulli addunt, *κ̀ ἄμωμον*, quod *Vulg. Syrus* & *Æthiops* expreſſerunt. *Millius* in Proleg. §. 656. non dubitat, ob *κινάμωμον* proxime antecedens & alteri illi adfine, excidiſſe. In contextum recepit *Bengelius*. Lege de *amomo Salmaſium* in Homonymis Hyles Iatricæ p. 135. ad calcem Exercitatt. Plinianarum. Inter cetera ait: *amomum illud vetus, quod olim fuiſſe non dubitamus, certatim hodie eruditi plantarum quærunt, nec inveniunt. In tam incerta re, ſaltem illud certum, non eſſe verum amomum, quod hoc nomen in officinis gerit. Adeo celebre olim notumque aroma nunc ignorari mirarer, niſi plures æque frequentatos antiquitus atque uſitatos odores eundem feciſſe exitum viderem.*

καὶ σεμίδαλιν) *Salmaſius* l. c. pag. 69. a. commemorans, *Plinium triticum & ſpeltam* ſive *far adoreum* Romanorum, tanquam duo frumenti genera adferentem, addere tertium, *ſiliginem*, hæc ſubjicit: *Sed quænam illa* ſiligo, *quæ diverſa traditur tam a farre quam a tritico? Quædam veteres gloſſæ ὄλυραν exponunt: ſed ὄλυρα* ador *eſt, vel,* far. *Aliæ Gloſſæ σεμίδαλιν interpretantur:* ſiligo, *σεμίδαλις. Sed σεμίδαλις frumenti genus non eſt, ſed ex frumento fit. Græci tamen huic expoſitioni ſuffragantur in his Gloſſis Iatricis: Σίλιγνις παρὰ Ρωμαίοις, ἡ Ἑλληνιςὶ σεμίδαλις ὀνομαζομένη.* Idem mox panem veterum *σεμιδαλίτην* adducens ait: *Hic jam purior ac nitidior panis, ex purgata farina & cribro excuſſa factus, σεμίδαλις Græce dicitur, Latine,* ſimila, *vel* ſimi-

Digitized by Google

ſimilago. *Gloſſa*: ſimilago, σεμίδαλις. *Eædem:* ſimila, σεμίδαλις. *Ex omni genere frumenti poteſt fieri, ſed laudatiſſima e tritico, ut aſſerit Plinius.* Ex his intelligis, Interpretes Latinos recte per *ſimilam*, & B. *Lutherum* per Semmel convertiſſe. *Coptus* ex verſione *Wilkinſii* habet: *& ſimilam tritici.*

καὶ ῥεδῶν) Deeſt apud *Syr.* & *Coptum.* Exempla Græca ſcribunt ῥεδῶν, ῥηδῶν & ῥαιδῶν. *Rhedam* Romanis fere *mularem currum* eſſe, quem Græci ἀπήνην dicant, monet *Bochartus* Parte I. Hierozoici lib. II. c. 19. p. 229. allato *Varrone* de Re ruſtica lib. III. 17. *rhedarias ut tibi haberes mulas.* Atque hinc factum putat, ut *Arabs* pro voce ῥεδῶν illam *mulorum* exhiberet. Adde, quæ de voce habent *Voſſius* de Vitiis Sermonis lib. I. c. 2. & in Etymolog. v. *rheda*, tum *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 899. v. ῥαιδίον.

καὶ σωμάτων) i. e. *mancipiorum*, ſcil. merces. Ita recte *Er. Schmidius.* Hoc ſignificatu vox σῶμα paſſim apud τοὺς LXX. & Scriptores externos occurrere, oſtendit *Elsnerus* p. 462. qui & videri vult *Caſaubonum* ad Athenæum V. 10. & *Ezech. Spanhemium* ad Ariſtoph. Plutum, v. 6. *Ariſtoteles* de cura rei familiaris p. 689. τὰ σώματα πάντα οὐδὲν ἧττον ἀπέδοτο, *mancipia nihilominus omnia vendebantur.* Confer, quæ ſcripſi Vol. III. Curarum p. 236. & Vol. IV. p. 723. item *Gatakerum* de Stylo N. T. c. X. p. 65. Male itaque σῶμα de *ſervo* nusquam lectum putat *Alex. Morus* Not. ad N. T. p. 258. *Phrynichum* ſcilicet & *Pollucem* ſecurius ſecutus.

καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων) Hoc uberioris explicationis cauſſa adjectum eſſe, & *ſervos* denotare videtur *Elsnero* p. 463. Fortaſſe rectius per ψυχὰς ἀνθρώπων intellexeris *homines liberos*, ſeu honoratioris conditionis, in quos non minus, quam in mancipia, pro lubitu graſſata Babylon illa myſtica dicatur. Phraſin ipſam ἑβραΐζειν credidit *Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. p. 280. repugnante *Georgio* in Vindiciis p. 273. *Iſocrates* Orat. de laudib. Helenæ p. 420. A. μετὰ δὲ ταῦτα κοινὴν τὴν πατρίδα, καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πολιτευομένων ἐλευθερώσας, ἐξ ἴσου τὴν ἅμιλλαν αὐτοῖς περὶ τὴν ἀρχὴν ἐποίησε, *deinde patriam omnibus communem conſtituit, & animas civium* (i. e. cives) *in libertatem reſtituens, in contentione ad magiſtratus aditum parem honorem omnibus eſſe voluit.* *Polybius* lib. III. p. 266. ἐταπείνωσε δὲ καὶ κατέπληξε τὰς ψυχὰς τῶν Ῥωμαίων.

Verſ. 14. Καὶ ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς σου ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ) Comma totum, tanquam ab h. l. alienum, *Beza* inter commata 23. & 24. hujus capitis interponendum putat. Idem adſtruxit *Launæus*, quemadmodum *Vitringa* nihil verius certiusque hac ſententia videtur. Verba hæc, fateor, abeſſe ab hoc loco poſſunt, & commode poſt v. 23. collocari. Cum vero & codices omnes, & verſiones, & allegationes, apud Patres nonnullos obviæ, illa h. l. exhibeant, religioni mihi duxerim, quicquam in ordine

ne mutare. Nec obſtat ſtructura ſermonis, qui a recenſione mercium Babylonis variarum ad ipſam Babylonem ſe convertit. Tota ſcilicet hæc oratio, quæ inde a v. 4. procedit, emphatica eſt. Refertur illa primum ad eos, qui Babylonem relinquere debebant: exhortatio fit ad promeritas pœnas ſumendas: deſcribuntur pœnæ illæ: repræſentantur alii, inſignem hanc viciſſitudinem admirantes & dolentes. Quid obſtat, quo minus dicamus, eandem orationem nunc efficaciter converti ad ipſam Babylonem per apoſtrophen Scripturæ S. receptiſſimam? Hoc ſcilicet ſenſu: *adeo, ô Babylon, fructus tibi deſideratiſſimi perierunt.* Nec inſolens Scripturæ eſt hac apoſtrophes figura etiam præter exſpectationem uti. Accipe illuſtre exemplum ex Pſal. LXXVII. 12. ubi in eodem commate Pſaltes, de operibus Dei locutus, ſermonem protinus ad Deum ipſum convertit, his verbis uſus: *recordabor operum Dei: nam recogitabo ab origine facta tua.* Vidit hanc apoſtrophen *Grotius*, ſed ad Reges refert, Romam alloquentes, quorum ſcilicet v. 9. mentio eſt. Aliam viam hic ingreditur *Marckius.* Ejus enim judicio v. 14. pendet a v. 11. *Scilicet*, inquit, *ibi ratio data fletus mercatorum*, quod nemo mercem eorum emeret amplius; *ad quæ, mercium recenſione, juſto ordine & debita conſtructione interpoſita, nunc ſubjicitur*, & fructus deſiderii animæ tuæ abiit a te *&c. ut continuetur adeo per ſolitam copulam* καὶ *ratio luctus mercatorum, & ſimul merces aliquæ vel repetantur vel adjiciantur. Iſta ſic ſponte absque hiatu ullo fluunt, ſi modo poſt & hic ſubintellexeris* ὅτι, quod.

Quod ad phraſes attinet, ὀπώραν τῆς ἐπιθυμίας per *poma deſiderii* convertit *Vulg.* & B. *Lutherus*, das Obſt, da deine Seele Luſt an hatte. Atque id recte fieri oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 463. ad τὺς LXX. *Jerem.* XI. 10. 12. & *Longum* in Paſtoralibus p. 90. δένδρα ἔσειον, ὀπώρας ἤσθιον, *arbores excutiebant, poma edebant*, & p. 100. περιῄεσαν ζητῦντες ὀπώραν ἀκμάζυσαν, provocans. Idem præterea per ἐπιθυμίαν *deſiderium venereum* ſeu *impurum amorem*, qui *Rom.* I. 4. πάθος ἐπιθυμίας vocetur, intelligit, atque adeo *poma* tanquam *amoris*, venerei maxime, *ſymbola & pignora* adferri exiſtimat. His enim uti ſolebant amantes ad conciliandum vel ſignificandum mutuum amorem. Eadem addit cogitaſſe *Ramireſium* commentar. in Canticum p. 57. Confer *Pet. Zornii* Bibliothec. Antiquario-Exegeticam p. 3. ſq. & 742.

Verſ. 16. ἡ περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορφυρῦν καὶ κόκκινον) ſubintellige ἱμάτιον, quod recte monuit Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis antiquatis p. 124. Exempla hujus ellipſeos ſimilia attulit *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 88. edit. Schœtgen.

Verſ. 17. Καὶ πᾶς κυβερνήτης, καὶ ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὅμιλος, καὶ ναῦται) Comma hoc ex antiquitate erudite illuſtrat Rev. *Wilhelm. Erneſtus Ewaldus* in Emblematibus Sacris Miſcellaneis lib. II. Exercit. IX. p. 238. ſqq. ubi oſtendit,

oſtendit, naves eſſe vel veræ vel falſæ Eccleſiæ emblema, naves vero Babylonis myſticas ſtatum Antichriſtianiſmi Eccleſiaſticum deſignare, quam in rem tum partes navium varias, tum diverſa earum genera contemplatur. Adde doctiſſimi *F. A. Lampii* Dodecad. Exercitatt. ad Pſal. XLV. p. 480. *J. H. Heideggerum* Parte II. Diatribes de Babylone magna p. 514. & *Pet. Zornium* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica p. 96. De navibus ſacris Gentilium commentatur etiam Abbas *de Fontenu* in diſſert. de Iſide, ſub forma navis culta, quæ exſtat in *Mémoires de l'Académie des Inſcriptions* Tom. VII. p. 96. ſqq.

καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται) Ἐργάζεσθαι alias proprie dicitur agricola, de quo *Heſiodus* Ἐργ. v. 623. *γῆν δ' ἐργάζεσθαι μεμνημένος*; non minus vero de *mari* dici, idoneis veterum exemplis oſtenderunt *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 720. *Jo. Alberti* in Obſervatt. *Notis* p. 495. & *Pet. Weſſelingius* in Obſervatt. variis lib. I. p. 53. *Ariſtoteles* Problemat. Sect. 38. Probl. 2. p. 640. *τοὺς τὴν θάλατταν ἐργαζομένους* & *Arrianus* de Expedit. VII. 19. 8. *ἐργάτας τῆς θαλάσσης* appellat.

Verſ. 21. *Καὶ ἦρεν εἷς ἄγγελος ἰσχυρὸς λίθον ὡς μύλον μέγαν*) Alludi videtur ad *Jerem.* LI. 63. 64. ubi veteris Babylonis ruina innuitur lapide, cui libellus alligatus erat, in mare projecto. Conf. *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. VI. cap. 5. p. 63. qui & alia ex antiquitate adfert, huc pertinentia. De voce *μύλος* vide, quæ ſcripſi ad *Matth.* XVIII. 6. *Coptus* heic nonnulla addit, nec in codd. Græcis, nec alibi obvia, nempe iſta: & (angelus) *exclamavit clamorem*; item: & (Babylon) *dejicietur in magnum ſtagnum.*

Verſ. 22. *Καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἐν σοὶ ἔτι*) *Nahumi* II. 13. reſpici videtur *Ludov. Cappello* p. 101. a. Operum.

Verſ. 23. *Καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἐν σοὶ ἔτι, καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι*) *φῶς λύχνου lux lucernæ* de *lampadibus ſponſalibus*, quæ *λαμπάδες νυμφικαὶ* appellari, & in ſolemnibus nuptialibus in lætitiæ argumentum adhiberi ſolebant, accipienda videtur, quia ſtatim mentio fit Sponſi & Sponſæ. Vide, quæ de hoc veterum more ſcripſimus ad *Matth.* XXV. 1. Adde *Jo. Spencerum* de Legibus ritualibus Hebræorum p. 1123. edit. Tubingenſis & *Caſp. Calvörium* in Rituali Eccleſiaſtico lib. I. Sect. I. c. 23. Compara *Jerem.* XXXIII. 11.

οἱ μεγιστᾶνες τῆς γῆς) Vide ſupra ad VI. 15.

CAPUT XIX.

VErſ. 1. Καὶ μετὰ ταῦτα ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ λέγοντος) Variant in ultima voce codices, nunc λέγοντος reſpectu ὄχλου, nunc λέγουσαν, propter φωνὴν, nunc λεγόντων, propter perſonas *loquentium*, exhibentes. Cl. *Bengelius* amplexus eſt ultimam, tanquam a pluribus codicibus firmatam.

Ἀλληλοῦϊα) Formula hæc S. Joanni propria eſt, de qua leges, ſi placet, *Cheitomaum* in Vocibus Græco-barbaris, *Druſium* de recta lectione Linguæ S. p. 11. *Dilherrum* in Farragine rituum lib. II. cap. 10. & *Pfeiferum* p. 509. Operum Philologic.

ἡ σωτηρία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν) Codices plures heic omittunt, καὶ ἡ τιμὴ & Κυρίῳ, quos ſequitur *Bengelius*: nonnulli etiam pro τῷ Θεῷ habent, τοῦ Θεοῦ. Atque hanc lectionem malint fortaſſe illi, qui dativum per hebraiſmum h. l. poſitum eſſe cenſent pro genitivo. Hos vero falli, cum dativus a ſubintellecta voce, *ſit*, vel *tribuatur*, pendeat, recte monuerunt *Gatakerus* de Stylo N. T. p. 259. *Vorſtius* in Philologia Sacra Part. I. p. 243. & *Georgius* in Vindiciis N. T. p. 236. Conf. quæ ſupra ad VII. 10. ſcripſimus.

Verſ. 2. ἥτις ἔφθειρε τὴν γῆν ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῆς) Codd. plures habent διέφθειρε, quos ſequitur *Bengelius*: totam hanc ſententiam omittit *Coptus*.

καὶ ἐξεδίκησε τὸ αἷμα τῶν δούλων αὐτοῦ ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῆς) Phraſis ultima multis viſa eſt hebraizans, interque hos *Vorſtio* Part. I. cap. 14. p. 298. Neque tamen inſuetum eſt externis Scriptoribus, vocem χεὶρ pro poteſtate adhibere. Ita *Polybius* lib. XV. dixit: πεσοῦσι δ' ὑπὸ τὰς τῶν Καρχηδονίων χεῖρας, & *Herodotus* VIII. cap. 106. οἱ θεοὶ ὑπήγαγον ἐς χεῖρας τὰς ἐμάς. Hos, itemque alios locos attulit Cl. *Georgius* l. c. p. 281. Conf. quæ ſcripſi ad *Act.* IV. 28.

Verſ. 5. αἰνεῖτε τὸν Θεὸν ἡμῶν) Libri aliqui habent: αἰνεῖτε τῷ Θεῷ ἡμῶν, quos imitatur *Bengelius*.

πάντες οἱ δοῦλοι αὐτοῦ) Pro δοῦλοι apud *Vulg.* legis *ſancti*, repugnantibus codd. Græcis & verſionibus omnibus. Itaque male ad contextum Græcum provocavit *Emſerus*, B. *Lutherum*, tanquam ab illo in opprobrium Sanctorum abeuntem, temere reprehendens. Vide tu *Raithii* Vindicias p. 615.

καὶ οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι) Vide nos ad *Act.* VIII. 10.

Verſ.

Verſ. 7. χαίρωμεν καὶ ἀγαλλιώμεθα) *Quicunque audit vocem legis in hoc mundo, ille dignus redditur, ut audiat vocem illam de qua ſcriptum eſt* Jerem. XXXIII. 11. Vox gaudii & lætitiæ, vox Sponſi & Sponſæ. Locum hunc ex *Debarim Rabba* Sect. VII. init. adfert Cl. *Schœtgenius* pag. 1133. Comma hoc una cum duobus ſequentibus ſtrictim illuſtrat *Gatakerus* in Adverſſ. Miſc. c. 24. p. 273. edit. Londinenſ.

Verſ. 8. Καὶ ἐδόθη αὐτῇ, ἵνα περιβάληται βύσσινον καθαρὸν) Reges Orientis olim amicis ſuis veſtes pretioſas in gratiæ argumentum donare ſolebant. *Xenophon* lib. VIII. Cyropæd. pag. 265. τίς δὲ κάλλιον κοσμῶν φαίνεται στολαῖς τοὺς περὶ αὐτὸν ἢ βασιλεύς; *quis illo Rege ſuos pulcrius ornare ſtolis videtur?* Confer *Cornel. Adami* Obſervationes pag. 160. De frequente albarum veſtium apud veteres uſu, habitaque illis reverentia, lege, quæ adfert *Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. Exc. CVII. p. 160. ſq.

τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματά ἐστι τῶν ἁγίων) Per hæc δικαιώματα alii alia atque alia intelligunt. Singularis eſt interpretatio, quam *Steph. le Moyne* attulit in Diſſert. Theolog. ad Jerem. XXIII. 6. pag. 219. *Niſi dicamus*, inquit, *alludi ad morem Summi Sacerdotis, qui ſacro cum cultu Sanctum & Sanctuarium ingrediebatur; ſed fideles in cœleſte Sanctuarium admittuntur cum veſtibus byſſinis & fulgentibus, juſtitia nimirum Chriſti, quæ eſt δικαιώματα τῶν ἁγίων, quod non eſt intelligendum de fidelibus ſanctis, ſed de Sanctuario cœleſti, cujus ritus, cerimoniæ, juſtitia poſtulant, ut Sacerdotes fideles Chriſti juſtitia induantur, quæ juſtitia eſt ritus præſcriptus & inſtitutus a Deo, ſicut olim veſtes byſſinæ & albæ Sacerdotibus præſcribebantur, a quorum uſu in templo non poterant abſtinere, & quæ erant δικαίωμα, ritus, obſervatio, præceptum, quod a Deo ſummo legislatore originem trahebat. δικαίωμα enim iſto ſenſu ſumitur Matth. III.* Oportet, *inquit Chriſtus Joanni Baptiſtæ*, oportet nos implere omnem juſtitiam, *i. e. omnem ritum, & cerimoniam a cœlo & Deo inſtitutam.* Conferatur idem in epiſtola de Melanophoris, quæ *Gisberti Cuperi* Harpocrati ſubjuncta eſt, pag. 278. Ex his apparet, *Lemonium*, vocem ἁγίων, tanquam ex neutro plurali ἅγια petitam, de *ſanctuario* interpretari. Quo ſenſu quamvis in epiſtola ad *Hebr.* aliquoties occurrat, veri ſimile tamen non eſt, eadem forma & notione accipi heic poſſe. Neque hic de Sacerdote V. T. Sanctuarium ingrediente, ejusque ex legis præſcripto veſtibus, cogitari poteſt, cum fideles repræſententur inſtar ſponſæ, decoro habitu ornatæ. Taceo, Joannem frequenter τῶν ἁγίων meminiſſe ad *ſanctos* indicandos, nunquam autem τὰ ἅγια, ſive *ſanctuarium* commemorare. Ita habes V. 8. & VIII. 4. προσευχὰς τῶν ἁγίων XIII. 10. πίστιν τῶν ἁγίων, XIV. 12. ὑπομονὴν τῶν ἁγίων, cum quibus phraſibus præſens noſtra rectius comparatur. Per δικαιώματα igitur illa aliquid indicari neceſſe eſt, quod in *ſanctis* ſit, eisque decus & ornatum conciliet. Id vero rectiſſime cum B. *Calovio* noſtro acceperis de juſtitia cum imputata, *Rom.*

 IV.

Digitized by Google

IV. *6.* tum inhærente adeoque propria *Ezech.* IV. 24. quæ hic inchoata, ibi conſummata V. 27. Conf. *Rom.* V. 16. ubi δικαίωμα de juſtitia Chriſti imputata adhibetur.

Verſ. 10. καὶ λέγει μοι· ὅρα, μή· σύνδουλός σου εἰμὶ) Interpretes adhuc omnes phraſin hanc ὅρα μή, per ellipſin verbi ποιῇς vel ποιήσῃς interpretati ſunt: *vide*, *ne feceris*; *cave*, *feceris*. At Rev. *Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 734. ſenſum quidem ſatis commodum eſſe largitus, eam tamen per *an non* explicare mavult, & cum ſequentibus ita ἀμέσως connectere, ut ſenſus ſit: *an non conſervus tuus ſum?* In exemplum hujus ſignificatus adfert *Arrianum* in Epictetum lib. 1. c. 28. pag. 111. (vel pag. 157. edit. Londin.) ita ſcribentem: ὅρα, μὴ τῷ παρακολουθεῖν, οἷς ποιεῖ; ὅρα, μὴ τῷ κοινωνικῷ; μὴ τῷ πιστῷ; *vide*, *an non in eo*, *quod poteſt obſervare*, *quod facit? an non communicatione? an non promiſſorum fide?* Locus utique eſt appoſitus; neque tamen probat, τὸ, μὴ eandem h. l. obtinere ſignificationem. Verbum ὁρᾷν tum *inquirendi*, tum *cavendi*, notionem habet. Prior eſt apud *Arrianum*, quod patet ex antecedentibus: ζήτει, καὶ εὑρήσεις, ὅτι ἄλλῳ διαφέρει. *Quære*, *invenies*, *alia re differre*. Jam ait: *vide*, *an non* &c. Ex eadem verborum ſtructura præterea apparet, τὸ μὴ h. l. interrogandi ſenſu acceptum, idem eſſe, quod *nonne?* ſicut & integra ſententia interrogandi nota inſtructa eſt. Talis autem interrogatio ab hoc loco eſt alienior. Joannes Angelo apparenti cultum præſtare volebat, perſona ejus majorem. Hunc averſabatur Angelus; cujus proinde verba rectius in *prohibendi* notione accipiuntur. Idem ex eo apparet, quod mox ſequitur *præceptum* de Deo adorando. Porro *cavendi* ſignificatus verbo huic in ſacris frequentiſſimus eſt. Ita *Matth.* VIII. 4. ὅρα, μηδενὶ εἴπῃς, IX. 30. XVI. 6. XVIII. 10. &c. Apoſiopeſis denique heic obtinet, cujus exempla ex ſacris recitat *Glaſſius* in Rhetorica Sacra pag. 538. ſeqq. Similis huic phraſi illa eſt, quæ exſtat *Exod.* XXV. 40. & *Hebr.* VIII. 5. ὅρα, ποιήσῃς πάντα, *vide*, *ut facias*. Ibi ante verbum ποιήσῃς omittitur ὅπως, quod recte monuit *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. heic vero verbum ποιεῖν.

σύνδουλός σου εἰμὶ) In *Sohar* Geneſ. fol. 61. col. 241. Deus familiam ſuam, i. e. Angelos, ita dicitur allocutus: *Huc usque vos ſoli mecum fuiſtis in mundo*, *inpoſterum vero filii mei in terra erunt ſocii veſtri.* Vide *Schœtgenii* Horas pag. 1133. Vocem σύνδουλος *Thomas Magiſter* tanquam non Atticam ὀβελίζει pag. 130. de Dictionibus Atticis, tuetur autem *Lamb. Bos* in notis pag. 32. loco quodam Theopompi apud Athenæum XI. 6. δεῦρο παρ' ἐμὲ Θεολύτη, παρὰ τὸν νέον σύνδουλον, *accede huc ad me*, *Theolyte*, *ad novitium conſervum tuum.*

καὶ τῶν ἀδελφῶν σου, τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ· τῷ Θεῷ προσκύνησον) *Claud. Sarravius* in epp. a Cl. *Burmanno* cum acceſſionibus recu-

ſis,

ſis, p. 179. codicem adfert, octingentorum & amplius annorum ætatem literarum ductibus referentem, in quo, poſita poſt vocem μαρτυρίαν, ςιγμῆ, & omiſſo articulo τȣ̃, ſequitur: Ἰησȣ̃ τῷ Θεῷ προσκύνησον. *O inſigne*, addit *Sarravius*, *pro divinitate Chriſti teſtimonium*, & *de quo reperto merito exultem & triumphem!* Ipſe tamen de γνησιότητι hujus lectionis dubitat, primum ideo, quod incertum ſit, an phraſis Scripturæ ferat, ut dicantur οἱ ἀδελφοὶ φέροντες τὴν μαρτυρίαν, ſimpliciter, ſine ulla τȣ̃ Χριςȣ̃ vel τȣ̃ πνεύματος adjectione; deinde, quod non tam Ἰησȣ̃ τῷ Θεῷ, quam τῷ Ἰησȣ̃ Θεῷ, vel τῷ Ἰησȣ̃, τῷ Θεῷ ſcribendum fuiſſe videatur. Bonum factum, quod *Sarravio* hæc interpunctio dubia viſa eſt, quam ſi falſam pronunciaſſet, utique non erraſſet. Falſam eſſe ſtatuunt *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. III. pag. 224. edit. Lipſ. & Vener. *C. M. Paffius* in Diſſertat. de Var. Lectionibus N. T. pag. 178. Scilicet vox Ἰησȣ̃ a voce μαρτυρία ſeparari non poteſt. Mox enim eadem phraſis repetitur: ἡ γὰρ μαρτυρία τȣ̃ Ἰησȣ̃ ἐςι τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Eadem phraſis Joanni frequens eſt. Vide I. 2. 9. XII. 17. & XX. 4. Itaque nec mirum eſt, interpunctionem hanc nec in codd. aliis, nec in verſionibus obſervatam eſſe, quam vel ſic amplexus eſt *Amelius* in **der Erörterung** Parte II. pag. 375.

ἡ γὰρ μαρτυρία τȣ̃ Ἰησȣ̃ ἐςι τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας) In horum verborum ſenſum diligenter Vener. *Jo. Laur. Moshemius* vel potius auſpiciis ejus *Joannes Fridericus a Stade* diſſertat. ſingulari de Spiritu Prophetiæ de CHriſto teſtante, Helmſtad. 1734. edita, inquiſivit. Enarratis ibi variorum Interpretum ſententiis pag. 30. iſta ſubjicitur, per quam verba hæc ita collocantur: τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας ἐςὶν ἡ μαρτυρία τȣ̃ Ἰησȣ̃, hoc ſenſu: *ſpiritus prophetiæ eſt teſtimonium JESU.* Hoc poſito pag. 31. iſta inſtituitur totius commatis παράφρασις. *Noli me divino cultu afficere. Nec enim dignus ego ſum hoc honore, qui te non ſuperior ſum, ſed idem, quod tu, munus gero. Quemadmodum enim tu Dei ſervus es, & ad mandata Dei ad homines perferenda unice delectus; ita ego quoque nuncius, legatus & famulus Dei ſum. Et ſicuti tu miſſus es ad auctoritatem & divinitatem Chriſti in orbe terrarum aperiendam & miraculis illuſtrandam: ita ego quoque juſſus ſum, teſtem Chriſti agere, ac de majeſtate & gloria ejus homines certiores facere. Quæres forte: quonam ego modo teſtari poſſim de Chriſto, qui inter cœlites vivo, nec cum hominibus dego. Reſpondeo, edere me hoc teſtimonium per has ipſas vaticinationes, quas fudi & tibi dictavi. Donum enim prophetiæ, quod Deus mihi concredidit, illuſtris eſt de Chriſto teſtimonii loco. Qui nimirum poſt multa ſecula hæc legent oracula, atque videbunt, eveniſſe omnia illa, quæ ſunt a me præſignificata, illi inde cognoſcent, JESUM CHRISTUM Dei filium eſſe, neque dubitabunt illi fidem habere. Æque igitur atque tu Apoſtolus ego ſum; tu præſentis ævi, ego futuri. Utrique de Chriſto teſtamur: tu illis, qui nunc vivunt, ego poſteris. Quocirca ut fratrem me amato, qui munere fungitur eodem;*

dem, non tanquam Deum colito. Non inconvenienter hæc dicuntur: neque tamen diffiteor, ſemper mihi placuiſſe interpretationem, quam pluribus propoſitam leges in *Lud. Cappelli* Spicilegio Notarum in N. Teſt. pag. 146. Rev. *G. G. Zeltnerus* in notis ad verſionem Biblicam vernaculam pag. 229. ita verba *παραφράζει*: teſtimonium de Jeſu eſt anima, h. e. primarium caput & ſcopus palmarius hujus Prophetiæ, totaque hæc *ἀποκάλυψις* eo refertur, ut credentes conſtanter Chriſtum profiteantur, doctrinamque ejus morte ſua obſignent. Itaque noli mirari, quod me ſervum eorum appellem, qui teſtimonium de Jeſu tenent & usque ad mortem tuentur.

Verſ. 11. *καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν καλούμενος πιστὸς καὶ ἀληθινὸς*) De hoc elogio Domini noſtri lege *J. H. Urſini* Analecta Vol. II. p. 106. ſqq.

καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει) Ad חכמה & בינה *ſapientiam & intelligentiam*, duas *Sephiras* Cabbaliſticas, alludi ſuſpicatur magis, quam arbitratur *Vitringa* lib. I. Obſſ. Sacrar. cap. X. pag. 128. Quod mox ſequitur: *καὶ πολεμεῖ*, deeſt apud *Coptum*.

Verſ. 12. *Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρὸς*) Similes externorum Scriptorum phraſes recitat *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 303. cui *ardentiſſimum* Chriſti, ut ingentis herois, *ſtudium* hoſtes ſuos frangendi ſibique ſubjiciendi innui videtur. Homerus Iliad. *ά.* v. 104. de Agamemnone.

—— —— *ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.*

—— —— *oculi vero igni micanti ſimiles erant.*

ἔχων ὄνομα γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ αὐτός) *Complut.* edit. & codices aliquot habent: *ἔχων ὀνόματα γεγραμμένα, καὶ ὄνομα γεγραμμένον*, quæ quidem lectio probabilis videtur *Vitringa*. At veriſimilius eſt *τὸ, ὀνόματα γεγραμμένα* a ſciolo aliquo profectum eſſe, qui pluribus nominibus opus eſſe cenſebat, ob *διαδήματα* in plurium numero ante commemorata. Ideo in duobus codd. a *Millio* allatis, legitur ſimpliciter: *ὀνόματα γεγραμμένα, κ. τ. λ.* Interim nihil obſtat, quo minus ſingulis illis coronis idem nomen inſcriptum fuiſſe cenſeamus. Quæritur heic, quodnam fuerit illud nomen? *Steph. le Moyne* in Diſſertat. Philolog. ad *Jerem.* XXIII. 6. de nomine tetragrammato accipit pag. 90. *Alluſio*, inquit, *fit ad Summum Sacerdotem, qui in lamina aurea, ſuper frontem impoſita, hæc duo nomina inſculpta referebat* קדש ליהוה Sanctitas Domini. *Quibus verbis innuebatur, Sacerdotem non eſſe Deum, ſed curare τὰ πρὸς Θεὸν, & Sanctitati nominis divini ſemper invigilare. Sed Dominus noſter Meſſias eſt ſummus noſter Pontifex, & nobis repræſentatur, geſtans nomen κρυπτὸν ἀνεκφώνητον, nomen illud* Jehova, *cujus ſignificationem æquat & adimplet* Jeſus *noſter* Meſſias. Eadem eſt ſententia *F. A. Lampii* in Dodecade Exercitatt. ad Pſ. XLV. p. 606. *Nomen* Jehova, inquit, *hic innui, colligo, tum ex eo, quod verſu præcedente dicitur:* appel-

appellabatur fidelis & verax, *quæ vera & genuina nominis tetragrammati eſt interpretatio: tum ex eo, quod reſpicitur ad tiaram ſummi Sacerdotis, in cujus lamina aurea* Sanctitas Jehovæ, *legebatur: tum ex eo, quod phraſis alludit ad reverentiam, quam Judæi nomini huic ἀνεκφωνήτῳ dederunt, quod non auſi ſunt pronunciare. Nec obſtat, quod* v. 13. *addatur:* vocaturque nomen ejus: Sermo ille Dei; *ſed potius noſtram hypotheſin confirmat. Valde enim probabilis mihi videtur illorum conjectura, qui per nomen λόγος ad Chaldæorum* מימרא *alluſum putant, non quaſi Meſſiam ſpeciatim hac denominatione ſemper deſignaverint, quod probatu eſt difficile, ſed quia nominis tetragrammati hæc conſueta apud eos periphraſis eſt.* &c. Non inconvenienter hæc a duumviris iſtis dicuntur: malim tamen per nomen illud intelligere id, quod v. 13. diſerte appellatur: ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Conſtat utique, hoc nomen illud eſſe, quo Joannes indicare ſolet Dei Filium & Meſſiam.

ὃ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ αὐτός) *Hoc* οἶδεν *non* ἁπλῶς, *ſed* κατά τι *intelligendum eſt, quod nempe nemo hominum & angelorum ex ſe & per ſe nomen iſtud ſciat, ſicut Chriſtus, ſeſſor ſuper equum album, ex ſe & per ſe illud novit. Ad noſtram enim notitiam requiritur patefactio, ſeu revelatio Filii Dei, per quam myſterium hoc enarratur nobis* Joh. I. 18. 1 Joh. IV. 12. 1 Tim. VI. 16. *Tali vero revelatione Filius Dei opus non habet, utpote qui eſt ipſe Deus, qui & in Patre eſt, &, in quo Pater eſt, quique unum cum Patre eſt,* Joh. X. 30. 38. *Accedit huc, quod nomen iſtud nemo novit tanta perfectione, & tam profunde, ſicut Filius, qui intime, penitiſſime, perfectiſſime, & abſolutiſſime Deum & nomen Dei novit.* Verba habes *Feſſelii* in Adverſariis Sacris lib. I. p. 83. 84. Emphatica hæc verbi, οἶδε, notio tum alias, tum 1 *Cor.* II. 11. locum habet.

Verſ. 13. Καὶ περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι) Placet *Vitringa*, ita hæc verba exponens: *Veſtis indicatur exterior, quæ genuina ſignificatio eſt vocis ἱμάτιον (Luc.* VI. 29. & *Act.* XII. 8.) *chlamys heic loci, ſive paludamentum imperatorium, quo indutus heros ſe publice conſpiciendum dat. Quæ hic veſtis tincta dicitur eſſe ſanguine; vel, quod rubri fuerit & ſanguinei coloris, in ſignum ſanguinis hoſtium effundendi; cujus fuiſſe coloris paludamenta Imperatorum apud Orientales populos, alibi jam obſervavi;* (cap. IX. 17.) *vel, quod vere apparuerit ſanguine tincta hoſtium, jam ante ab Imperatore proſtratorum, quando reſpiciuntur judicia hujus Regis in paganiſmo exſcindendo exercita.*

καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ) De hujus nominis origine & ratione diximus ſatis ad Joh. I. 1. Mirum eſt, *Artemonium*, ſive *Crellium*, in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto p. 293. ad hunc Joannis locum provocare potuiſſe ad ſtabiliendam corruptelam, quam Joan. I. 1. adfricare auſus eſt, legens: καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος. Quaſi vero, qui appel-

 latur

latur λόγος τοῦ Θεοῦ, non eſſe nec appellari poſſit ὁ Θεός. Spiritus S. vocatur πνεῦμα τοῦ Θεοῦ *Matth.* III. 16. &c. idem vero appellatur Θεὸς *Act.* V. 4.

Verſ. 14. Καὶ τὰ ϛρατεύματα, τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ, ἠκολούθει αὐτῷ ἐφ' ἵπποις λευκοῖς, ἐνδεδυμένοι βύσσινον λευκὸν καὶ καθαρόν.) Quemadmodum CHRISTO ut Imperatori & heroi v. 13. veſtimentum rubrum, ſeu ſanguine tinctum tribuitur, ita copiis ejus hoc commate equi & veſtes albæ puræque adſcribuntur. Si *Jac. Lydium* audias, in Syntagm. de re militari lib. III. cap. 2. p. 48. lucem hæc acceperint ex ritu veterum militari, ſecundum quem belli duces purpureo, milites vero gregarii albo, veſtitu incedebant. Confer *Rubenium* lib. II. Electorum cap. 12. & *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario-Exeget. p. 1113. & 1116. Id certum eſt, hoc loco non deſcribi pompaticum aliquem & triumphalem Chriſti inceſſum, cum reſpectu aliquo ad triumphalem illum procedendi modum, quo duces, præcipue Romani, poſt devictos hoſtes urbem pro more ingrediebantur. Ita quidem ſtatuit *Jo. Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. LVIII. p. 162. Enimvero ſequentia oſtendunt, ſermonem heic eſſe de certamine adverſus hoſtes ſuſcipiendo, quod quamvis cum glorioſa victoria fuerit conjunctum, apparet tamen, *album* illum colorem ad habitum potius & conditionem copiarum militantium, quam ad triumphum, qui victoriam ſit excepturus, h. l. referri. VIde Interpretes.

Verſ. 15. Καὶ ἐκ τοῦ ϛόματος αὐτοῦ ἐκπορεύεται ῥομφαία ὀξεῖα, ἵνα ἐν αὐτῇ πατάσσῃ τὰ ἔθνη, καὶ αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ) Reſpicitur ad *Pſal.* II. 9. ubi extrema phraſis de Chriſto adhibetur. Confer B. *Wokenium* in Hermonia V. & N. Teſtamenti Parte II. p. 250. ſq. ubi de differentia exponitur, quæ inter verſionem τῶν LXX. & allegationem heic factam, itemque contextum Hebr. intercedit. Adde quæ ſcripſimus ſupra ad II. 27. De voce ῥομφαία lege *Suicerum* Tom. II. p. 908.

καὶ αὐτὸς πατεῖ τὴν ληνὸν τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ, καὶ τῆς ὀργῆς τοῦ Θεοῦ, τοῦ παντοκράτορος) Conf. *Jeſ.* LXIII. 3. ibique *Vitringam:* nec omitte ſupra XIV. 19. 20. *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. p. 940. b. obſervat, apud Jeſaiam legi פורה, hic vero ληνὸν, hunc autem eſſe *vas*, non *prælum*. *Nam uvæ reſectæ*, ita pergit, *jaciuntur in* ληνὸν, εἰς non ὑπὸ, *& agens eam* πατεῖ, *eam calcat. Is eſt Chriſtus. Et ipſe, quamvis cum exercitu ſuo compareat, ſolus vincit, prout* cap. XIX. 14. 15. *deſcribitur. Sanguis, quo reſpergitur, hoſtium eſt in his pugnis.* Poterant ad hæc nonnulla dici, quæ tamen ab aliis fere ſunt occupata.

Verſ. 16. Καὶ ἔχει ἐπὶ τὸ ἱμάτιον καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ τὸ ὄνομα γεγραμμένον κ. τ. λ.) B. *Jo. Schmidius* comma hoc illuſtravit ſingulari diſſertat. de officio Chriſti Regio, Argentor. 1647. *Veſtibus* olim inſcripta *nomina* & intexta fuiſſe, multi ex antiquitate oſtenderunt. Videantur *Joſ. Maria Suareſius*

reſius

Digitized by Google

reſius in diatriba ſingulari de veſtibus literatis, Vaſione 1652. 3. *Albert. Rubenius* lib. I. de re veſtiaria cap. 10. *Steph. le Moyne* in diſſertat. ad Jerem. XXIII. 6. p. 101. *Pet. Zornius* Tom. II. Opuſculorum Sacrorum p. 759. aliique, tum ab alio ibidem 761. & in Biblioth. Antiquario-Exegetica p. 1109. tum a præſtantiſſimo *Fabricio* noſtro in Bibliographia Antiquaria p. 556. edit. primæ, citati. Locum hunc *Apocal.* ex illo veterum ritu illuſtrant *Amelius* Part. I. der Erörterung p. 208. M. *Andr. Ritterus* in diſp. de veſtibus ſacris, certis literis notatis (Lipſ. 1703.) §. 2. *Jac. Elsnerus* in Obſervatt. p. 464. & *J. H. Urſinus* Vol. II. Analectorum p. 135.

Quod ad nomen, femori inſcriptum, ſpectat, accipe *Vitringæ* verba ex lib. I. Obſervatt. Sacrar. c. 3. p. 136. ed. primæ. *Nomen*, inquit, *quod intextum veſtimento & femori erat, duplex occurrit :* βασιλεὺς βασιλέων, Κύριος Κυρίων. *Reſpiciunt hæc utrumque femur*, τὸ, Βασιλεὺς Βασιλέων, femur dextrum, Κύριος κυρίων, ſiniſtrum. *Hoc vero ſi ſupponamus, ſponte nobis incidit, recurrendum eſſe ad illa nomina* נצח והוד victoria & majeſtas, *quæ depicta heic ſunt in figura* τῶν Sephiroth, *quorum illud ad* dextrum, *hoc ad* ſiniſtrum femur *eſt. Steph. le Moyne* quidem l. c. p. 104. nomen illud non femori ipſi, ſed enſi potius, ex femore pendenti, inſcriptum fuiſſe opinatur. *Sed forſan*, inquit, *quis commodius hoc ſe poſſe interpretari credet alluſione ad arma veterum, ut clypeos, pila, enſes, quæ variis characteribus & nominibus ſolebant obſignari; cum vero gladius femori aptari ſoleat, non mirum, ſi enſis, capulo ferroque inſcriptus nomine Domini & Adonai, occaſionem præbuerit Spiritui S. aſſerendi*, nomen Dei Domini ſcriptum fuiſſe ſuper femur verbi Meſſiæ, *hincque anſam arripuerint Judæi, ineptiſſimum iſtud commentum excogitandi, Jeſum nimirum Nazareuum femori, vel cruci inſcripſiſſe tremendum iſtud & ἀνεκφώνητον nomen Jehovæ.* Ita Judæos quoque *gladios* commemorare, quibus inſcriptum ſit *nomen magnum*, ſpeciatimque nomen *Schembamphoraſch.* oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 1134. Externis gentibus eundem morem receptum fuiſſe evincit *Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exegetica p. 267. ſq. Præſtat utique, de *femore* ipſo his nominibus ſignato, non autem de enſe cogitare. Enſis enim ille non tam ut alligatus femori, quam ut ex ore prominens, reſpectu ſcilicet habito ad verbum Dei, quod heic innuitur, deſcribitur. Heic præterea commode obſervat *Elsnerus* p. 465. in veterum monimentis athletarum, victorum *femora conſcripta* conſpici, ad *Monteſalconium* in Antiquitate explicata Tom. III. Part. II. p. 268. fig. 157. & 158. provocans.

Βασιλεὺς βασιλέων καὶ Κύριος κυρίων) Vide nos ſupra ad XVII. 14. & adde ad h. l. *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 766. *Elsnerum*, *Albertium* pag. 499. & *J. B. Ottium* ad Joſephum Tom. II. edit. Havercampianæ p. 318. Illi enim oſtendunt, Reges Orientis, itemque alios

eodem elogio a ſuis mactatos & delectatos fuiſſe. Hebraiſmum ab hac dicendi formula exſulare præter *Albertium* l. c. p. 497. oſtendit *Georgius* in Vindiciis N. T. p. 326.

Verſ. 17. *λέγων πᾶσι τοῖς ὀρνέοις, τοῖς πετωμένοις ἐν μεσουρανήματι*) Per aves illas, in medio cœlo volitantes, populum Iſraelis fortaſſe intelligendum eſſe, qui divina judicia ſit executurus, ſuſpicatur *Chriſtian. Fendius* in Additamentis ad epiſtolam ad Epheſios, nove converſam & explicatam p. 86. Argumentis ejus non temere quenquam in adſenſum perductum iri, habeo mihi perſuaſiſſimum. Quod ad phraſin, inprimis ſi v. 8. comparetur, pertinet huc, quod legitur in Synopſi *Sohar* p. 114. n. 25. *Illo tempore, cum Deus vindictam exercebit pro populo ſuo Iſrael, carnibus hoſtium illorum cibabuntur, omnes beſtiæ menſibus duodecim, & aves cibum exinde habebunt ſeptem annis.* Attulit locum *Schœtgenius* p. 1135. Repræſentatio prophetica ipſa petita eſt ex *Jer.* XII. 9. ſqq.

δεῦτε, καὶ συνάγεσθε εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ μεγάλου Θεοῦ) Codd. multi legunt: *συνάχθητε* & *τὸ μέγα τοῦ Θεοῦ*, quas lectiones in contextum recepit *Bengelius.* Conf. *Millii* Prolegom. §. 1113. *Δεῖπνον μέγα* heic a Joanne ſcriptum eſſe, præter codicum illorum & Interpretum *Syri* atque *Vulg.* auctoritatem, ex eo quoque probabile videatur, quod Joannes nunquam Dei nomini elogium *τοῦ μεγάλου* tribuat, quo tamen res alias, quas deſcribit, v. c. *φωνὴν, θλίψιν, σεισμὸν, πόλιν* &c. mactare conſuevit. Præterea cœna illa omnino *magna* & illuſtris erat, ad quam tanta hominum copia vocabatur.

Verſ. 19. & ſequentes usque ad finem capitis perſecutus eſt *Anonymus* aliquis in diſquiſitione Theolog. de bello hodiernorum temporum, an. 1697.

Verſ. 20. *ζῶντες ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην ἐν τῷ θείῳ.*) Hac phraſi hominum Antichriſtianorum malam conſcientiam & deſperationem, tum vero ſtatum, doloris invidiæque plenum, indicari opinatur *Bernh. Pet. Karlius* in Bibliotheca Bremenſe Claſſe III. p. 839. ſqq. *Λίμνη πυρὸς* eſt *ſtagnum igneum*, de qua phraſi non hebraizante lege *Georgii* Vindicias p. 319.

CAPUT

CAPUT XX.

CApite hoc toto exponitur de millennio, quod inde a primis Chriſtianæ doctrinæ originibus tot hominum ingenia exercuit, ut diverſas, quas ingreſſi ſunt, vias percenſere difficile ſit futurum. Malim itaque lectorem ad Inſtitutiones Theticas & Polemicas noſtratium Theologorum ablegare, quam hanc operam ſuſcipere. Multum quoque huc fecerint *Friderici Ulrici Calixti* Tractat. Theologicus de Chiliaſmo cum antiquo tum renato, Helmſtad. 1692. 4. *Seb. Schmidii* Diſſert. Hiſtor. Theolog. de Chiliaſmo Apocalyptico, hominum ſuperſtitioſorum & fanaticorum commento, textui Apocal. c. XX. contrario, Argentor. 1674. *Joannis Guilelmi Bayeri* diſſert. de regno eccleſiæ glorioſo, per Chriſtum in his terris erigendo, quæ in Decade I. Diſputatt. ejus Theologicarum recuſa eſt; nec non *Jo. Georg. Neumanni* diſſertationes variæ, ex Reformatis *Gisb. Voëtii* Diſputatt. Selectæ Part. II. pag. 1248. & 1266. & *Joannis Melchioris* Opera Theolog. Tom. I. pag. 689. ſeqq. ex Pontificiis autem *Michaëlis Mauduit* diſſ. de Millenariis, ſive Chiliaſtis, quæ exſtat in calce Analyſeos Apocalypſeos gallice editæ pag. 409 - 586. Variæ illæ ſententiæ ad tres claſſes revocari poſſunt. Alii enim mille annos jam præteriiſſe recte exiſtimant, quæ noſtratium Theologorum communior eſt ſententia; alii eos adhuc exſpectant, cum gloria & pace in his terris a ſanctis exigendos; alii eosdem noſtra ætate agi contendunt, & inde ab origine doctrinæ, a B. Luthero repurgatæ, repetunt. Primam ſententiam, quæ millennii hujus initium ab imperio Conſtantini M. repetit, finem vero in initium Imperii Ottomannici collocat, nuper non inſcite ornavit Anonymus im dritten Blat der Monatlichen Blätter vom Baum des Lebens, Berolin. 1735. 4. ubi commata hujus capitis decem primora per dialogum & ſubjunctam paraphraſin exponuntur. Secundam ſententiam ex noſtratibus nonnulli, (inprimis vero illi, qui a fanaticis ſententiis parum ſibi caverunt, nominatim *Joan. Guil. Peterſenius*,) ex Reformatis vero, multi v. c. *Coccejus*, *Vitringa* & *Joannes Meyerus* in diſſ. de regno millenario ſanctorum, quæ tractatui ejus de veritate ac divinitate hiſtoriæ & prophetiæ Moſaicæ ſubjecta, Harderovici 1705. prodiit, diverſa quidem illi ratione, ornandam ſuſceperunt. *Cocceji* ſententiam firmare non ita pridem conatus eſt *Bened. Petr. Karlius* in *Filo Ariadneo Sacro*, ab Angelo Daniel. VII. tradito, pro felici ac facili ex infinitarum difficultatum Propheticarum labyrintho, in Apocalypſeos præſertim cap. XX. concurrentium, exitu, quod exſtat in Bibliotheca Bremenſe Claſſ. VII. pag. 268 – 310. Confer eundem Claſſ. II. pag. 598. ſeqq. & pag. 961. ſeqq. Eidem vero ſe oppoſuerunt complures in ſcriptis, *Peterſenio* nominatim objectis, quæ h. l. enarrare longum foret. Vide inprimis B. *Neumanni* diſſert. de regno Chiliaſtarum jam dudum præterlapſo, Witteb. 1694.

1694. *Friderici Werneri* diſſert. de vana ſpe regni Chiliaſtici Lipſ. 1723. & Relationes Theologicas Nov-antiquas an. 1702. pag. 527. ubi hoc caput nova quadam ratione explicatur. Tertiam ſententiam tuetur Rev. *Guſtavus Georgius Zeltnerus* in Diſſertat. de Chiliaſmo præſente in quo vivimus, Altorf. 1716. recuſa in Theſauro Diſputatt. Novo Amſtelodamenſi Tom. II. pag. 1042. & nuper admodum in præfat. ad *Johannis Friderici Bonnhoferi* Abhandlung von dem Zuſtande der geiſtlichen und leiblichen Beſitzung des Teufels, Norimb. 1733. 8vo. Contendit ille, ligationem Satanæ factam tunc eſſe, cum B. Lutheri opera doctrina cœleſtis libertati ſuæ vindicata & quaſi in integrum reſtituta fuit, eamque id ſecum ferre, ut Satanas obſeſſionibus aliisque fraudibus ſuis non ita, ut olim, infeſtus eſſe poſſit. Confer den beſchäftigten Secretarium Tomo III. pag. 468. ſeqq. Addere & hoc liceat, de eo diſputatum eſſe, an quæſtio de tempore millennii Apocalyptici problematis loco haberi poſſit. Vide Menſes Reſervatos, germanice editos, Tom. I. pag. 152. ſeq. & jungo Relationes Theologicas Nov-antiquas, an. 1712. pag. 833. quæ chiliaſmum, qui hodie a nonnullis defenditur, Articulo XVII. Auguſtanæ Confeſſ. adverſari, oſtendunt. Inter Anglos *Daniel Whitby* florentiſſima Eccleſiæ Chriſtianæ tempora per millennium hoc præſignificari, diſſertat. IV. quæ commentario ejus in N. T. ſubjuncta eſt, aſſeverat. Adde *Roberti Flemingii*, a *Whitbio* in nonnullis capitibus diſſentientis, diſſertat. de Reſurrectione prima, quæ Tomo II. Chriſtologiæ ſubjecta, cujus ſummam olim in Actis Erudit. Lipſienſ. Tom. IV. Supplement. p. 352. ſqq. ſuppeditavi. Atque hæc quidem de hoc momento pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant.

Verſ. 1. *ἔχοντα τὴν κλεῖδα τῆς ἀβύσσου*) Vide ſupra ad I. 18.

Verſ. 2. *Καὶ ἐκράτησε τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον*) Vide ad XII. 9.

Verſ. 3. *Καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν*) Vocem *αὐτὸν* codd. varii, quos ſequitur *Bengelius*, omittunt. Scribendum videri poterat *αὐτὴν*, tantum quod ad *ἄβυσσον* pertineat. Sed nihil heic eſt ſolœci, cum ad Satanam pertineat, de quo proxime ante dicitur: *καὶ ἔβαλεν αὐτόν. Etſi enim*, audis Celeb. *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis antiquatis pag. 83. *ſigillum magis de loco, in quem quis incluſus & abditus eſt, dici ſoleat, quam de incluſo; tamen, etiamſi quis in profundum carcerem deturbatus eſt, dici poteſt ſigillum impreſſum eſſe ſuper eum.* Vide ibi ſimiles Græcorum & Latinorum loquendi rationes. Ita *Lucianus* Icaromenipp. p. 198. *ὅμοια δὲ τούτοις ἐν τῇ Λιβύῃ καὶ παρὰ Σκύθαις καὶ Θρᾳξὶ γιγνόμενα ἐν τοῖς βασιλείοις ἦν ὁρᾶν μοιχεύοντας, φονεύοντας, ἐπιβουλεύοντας.* Commode quoque monet, noſtrates poma, atque alia ejusmodi clauſa dicere, quamvis locum, in quo recondita illa ſint, intelligant.

ἄχρι

ἄχρι τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη) Judæi tradunt, Deum O. M. mundum tempore Meſſiæ per mille annos eſſe renovaturum. Vide *Jo. Lightfooti* Opera Anglic. Tom. I. p. 209.

Verſ. 4. Καὶ εἶδον θρόνους, καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ κρίμα ἐδόθη αὐτοῖς) Verba hæc ſingulari concione perſequitur idem *Lightfootus* Tom. II. Part. II. pag. 1056-1064. Ibi vero oſtendit, per eos, qui ſuper thronis ſediſſe & judicium exercuiſſe dicuntur, intelligendos eſſe *Sanctos*, de quibus *Daniel* VII. 21. idem tradit, ad quem reſpectus habeatur, quemadmodum & Paulus Apoſtolus aſſeveret, ὅτι οἱ ἅγιοι κόσμον κρινοῦσι. Eandem ſententiam amplius ornat *Vitringa* ad h. l. Illi vero ſunt diſtinguendi ab animabus trucidatorum, in hanc ſententiam: *& vidi thronos, & ſedebant ſuper eos, quibus datum eſt judicium, & animas* &c. ut καὶ poſterius explanativum ſit. Hoc poſito non neceſſe eſt, ut relativa pronomina αὐτοὺς & αὐτοῖς per hypallagen hebraizantem ante expreſſum antecedens poſita dicamus, cum *Beza*, & aliis ad h. l. quaſi ſcriptum eſſet: *deinde vidi animas eorum, qui ſecuri percuſſi ſunt propter teſtimonium Chriſti* &c. *& vidi ſedes, quibus inſederunt, datumque eſt iis judicium.* Vide contra *Bezam* diſputantem Cl. *Georgium* in Vindiciis N. T. pag. 209. qui per illos, thronis inſidentes, intelligit Seniores, de quibus IV. 4. & XII. 16. eadem opera oſtendens, nec externis Scriptoribus hoc hypallages genus inſuetum eſſe.

τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων) Ψυχὰς de corporibus accipi vult *Martianaus* in *Eſſais* p. 401. ad *Levit.* XXI. 11. provocans. Πεπελεκισμένοι ſunt ſecuri percuſſi, quo ſenſu verbum, obſervante *Raphelio*, adhibet *Polybius* pag. 10. μαστιγώσαντες ἅπαντας κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἐπελέκισαν. De hoc ſupplicii genere lege Cl. *Ewaldum* in Emblematibus Sacris Miſcellaneis lib. I. p. 131. Cod. *Alexandr.* male hic legere πεπολεμημένων oſtendit *Henr. Dodwellus* Differt. Cyprian. XII. §. 20.

Verſ. 5. Οἱ δὲ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἀνέζησαν κ. τ. λ.) Comma hoc illuſtrare inſtituit *Lightfootus* Tom. II. Opp. Anglican. p. 1233-1239. Adde epiſtolam Anonymi ad amicum de reſurrectione prima an. 1695. editam, & B. *Brandani Henrici Gebhardi* diſputat. de qualitate regni millenarii contra Chiliaſtas, Gryphiswald. 1709.

Verſ. 7. καὶ ἐὰν τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, κ. τ. λ.) Hoc & ſequens comma ſingulari concione perſequitur idem *Lightfootus* loco citato pag. 1170-1179.

Verſ. 8. Καὶ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη, τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ κ. τ. λ.) Quis ſit ille *Gog* & *Magog*, diſputationibus variis inquiſiverunt ex noſtratibus *Michaël Buchenræder* in Vaticiniis & Præſagiis de irruptione Gog & Magog in montes Iſraël, horumque finali excidio,

cidio, Jenæ 1664. 4. M. *Sam. Dauderſtadius*, Lipſ. 1663. *Brand. Henr. Gebhardi*, Gryphiswaldiæ 1695. D. *Nicolai* in Programmate Lipſ. 1663. edito, & in *Gabr. Terne* Sylloge Programmatum pag. 325. ſeqq. recuſo, *Theodor. Treunerus* in chiliaſticæ eridos irenarcha, Hildburghuſæ 1696. & *Joannes Chriſtophorus Wernerus* in Schediaſmate de Expeditione Gog & Magog, Hamburgi 1723. 4. Confer, quos adfert *Petrus Zornius* in Hiſtoria Fiſci Judaici pag. 256. ſeq. in not. Iidem in origines & ſignificatum vocis *Gog* & *Magog* inquirunt. Cl. *Albertius* in Appendice ad Gloſſarium Sacrum in ſacros libros N. F. pag. 219. ex Codice *Coisliniano* CCII. ſequentia attulit: Τινὲς δὲ τὸν Γὼγ ἀθροίζοντα, ἢ ἄνδροισμα, καὶ τὸν Μαγὼγ ἐπηρμένον ἐκ τῆς Ἑβραΐδος γλώσσης ἑρμηνεύουσιν. In Cod. Coislin. CXCIX. Σκυθικὰ ἔθνη, ὑπερβόρεια, ἤτοι Οὐννικὰ indicari dicuntur. Quid Judæi ſentiant, exponunt *Raymundus Martini* in Pugione Fidei f. 358. *Ant. Hulſius* Parte I. Theol. Judaicæ pag. 503. *Hornbeeckius* de convertendis Judæis pag. 245. & *Imbonatus* in diſſ. I. de adventu Meſſiæ pag. 107-111. in calce Bibliothecæ Latino-Hebr. Conſtat ſcilicet, eos bellum, contra Gog & Magog ſuſcipiendum, inter indicia adventus Meſſiæ numerare.

ὧν ὁ ἀριθμὸς ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης) De formula hac proverbiali lege *Jo. Vorſtium* de Adagiis N. T. cap. II.

Verſ. 9. καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων, καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην) Poſtrema hæc phraſis in Vet. Teſt. paſſim adhibetur de Sione, quam amet Deus & tueatur. Vide Pſal. LXXXVI. 1. Similiter Græcis & Latinis urbes illæ a Diis amari dicuntur, quæ illis inprimis ſint curæ. Vide locos idoneos a Cl. *Elsnero* pag. 466. ſq. allatos. Inter cetera obſervat is, Athenas θεοφιλεστάτας ab *Æſchylo* Eumenid. v. 872. Deumque tutelarem φιλόπολιν in *Septem contra Thebas* v. 182. appellari.

Verſ. 11. Καὶ εἶδον θρόνον λευκὸν μέγαν κ. τ. λ.) Ad illuſtrationem hujus & ſequentium aliquot commatum *Mich. Mauduit*, Presbyter Oratorii, de judicio extremo differit in Analyſi Apocalypſeos gallice edita, diſſ. XI. p. 682. ſqq. locos Scripturæ parallelos, Patrumque de eodem ſententias & circumſtantias ejus hinc certas, hinc dubias adferens.

οὗ ἀπὸ προσώπου ἔφυγεν ἡ γῆ) Cum v. 13. mare mortuos ſuos reddidiſſe, heic vero cœlum & terra fugiſſe dicantur, de Synchyſi quidam cogitarunt, quibus ſe opponit B. *Wokenius* in Pietatis Criticæ Parte II. pag. 141. cum B. *Hoë*, ad h. l. obſervante, judicium prius inchoandum eſſe, quam totum univerſum pereat. Conf. mox ad v. 13.

Verſ. 12. Καὶ εἶδον τοὺς νεκροὺς, μικροὺς καὶ μεγάλους κ. τ. λ.) In hæc verba commentatur B. *Henricus Opitius* in diſſert. de ſtatura & ætate reſurgentium Kilon, 1707. Conſtat, alias diſputari, num homines ſtatura parvi

in

in eadem ſint reſurrecturi. Vide dialogum B. *Caſp. Neumanni* Parentationibus, lingua vernacula editis, ſubjunctum, in quo cauſa hæc in medio relinquitur.

ἐνώπιον τȣ̃ Θεȣ̃) Codices multi & verſiones quoque pro Θεȣ̃ legunt *Θρόνȣ.* Illos ſecutus eſt editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, & *Bengelius.*

καὶ βιβλία ἠνεώχθησαν) Judæos, Daniele præeunte, Deo quosdam rationum libros adſcribere, oſtenderunt *Jo. Buxtorfius* in Synagoga Judaica cap. 23. *Jo. à Lent* in Theologia Judaica cap. 20. & *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 1135. Ita *Sohar* Geneſ. fol. 75. col. 298. *R. Jehuda dixiſſe fertur: omnia opera hominis libro inſcribuntur, ſive bona ſint, ſive mala, illique de omnibus rationem redditurі ſunt.* Eandem ſententiam ad Muhammedanos & Græcos quoque dimanaſſe, oſtendunt *Gaulminus* ad librum de Morte Moſis p. 175. & doctiſſimus *David Millius* Diſſertatt. Select. p. 407. citati ab *Elsnero* p. 468. qui & ipſe idonea adfert teſtimonia, qualia etiam apud B. *Majum* legeris in Obſervatt. Sacris lib. III. p. 55. ed. 1. & 59. ed. 2. Atque hic quidem de *διφθέραις* Jovis ſpeciatim commentatur, de quibus *Suidas*, voce Ζεὺς, ita: *ȣ̓κ ἀπρονόητά φασι τὰ πάντα, ἀλλὰ τὸν Δία εἰς διφθέρας τινὰς ἀπογράφεσθαι, καί ποτε ἐπεξιέναι. Nil ſine providentia fieri ajunt, ſed Jovem, quæ fiant, omnia pellibus quibusdam inſcribere, tandemque ulciſci.* Conf. *Almeloveenii* Opuſcula p. 136.

καὶ βιβλίον ἄλλο ἠνεώχθη, ὅ ἐςι τῆς ζωῆς) De illo vitæ libro diximus ad *Philipp.* IV. 3. & ſupra ad III. 5.

καὶ ἐκρίθησαν οἱ νεκροὶ ἐκ τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις) Vide B. *Jo. Deutſchmanni* diſputat. de libris in judicio divino aperiendis, Witteberg. 1686.

Verſ. 13. Καὶ ἔδωκεν ἡ θάλασσα τȣ̀ς ἐν αὐτῇ νεκρȣ̀ς) *Et dederat mare &c.* Ita nonnulli illud ἔδωκε convertendum eſſe recte cum *Grotio* cenſent, ut Synchyſis amoveatur, quandoquidem mortui non ante judicari poterant, quam ex ſuis cadavera quæque receptaculis prodiiſſent. Vide *Wokenii* Pietatem Criticam, Parte II. de Synchyſi, p. 142.

καὶ ὁ θάνατος, καὶ ὁ ᾅδης ἔδωκαν τȣ̀ς ἐν αὐτοῖς νεκρȣ̀ς) Placent, quæ *Vitringa* ad h. l. habet. *Mortuos*, inquit, *omnes vel mare abſorpſit, vel terra a mari diſtincta habet, pleroſque conditos ſepulchris. Poſterioris generis hic dicuntur reddi à morte & inferno. Mors enim & infernus heic ſignificant terram, capace aliquo loco & ore veluti pabula recipientem mortuos.* Ἅδης, *inquam, Græcis notat locum ſtatumque mortuorum; quippe veteres mortuis communem, & quidem ſubterraneum, tribuebant capaciſſimum locum, ut alias*

monui:

monui: quæ cauſa eſt, quod mors & ᾅδης (Hebrais שאול*) inter ſe paſſim junguntur ut ἰσοδύναμα* Pſ. VI. 6. & XLIX. 15. *Non eſt igitur hic cogitandum de loco ſive ſtatu infernalium cruciatuum* &c. De generali hac vocis ᾅδης notione lege, quæ ſcripſimus Vol. I. harum *Curarum* p. 203. & 1034. In hac expoſitione malim acquieſcere, quam cum *Henr. Dodwello* in Diſcurſu epiſtolari de diſcrimine inter animam & Spiritum, anglice edito p. 241. per ᾅδην intelligere *aërem*, tanquam animarum ſeparatarum receptaculum, quemadmodum *Spiritus*, tanquam immortales, cœlo contineantur. Ita ſcilicet ait *Origenem* phraſin Joanneam intellexiſſe in tract. de Reſurrectione, quod pateat ex verbis ejus, a *Pamphilo* Martyre in Apologia Origenis in hanc allatis ſententiam: *Ut ego puto, mare hic pro humido omni appellatum eſt elemento, infernus autem pro aëre, mors vero pro terra.* Hunc ſenſum verbis & argumento convenientiſſimum eſſe opinatur *Dodwellus*, ideo, quod hac ratione indicetur; ſicut *mors* i. e. ſepulcrum, & *mare* cadavera reddiderint, ita *aërem* ſtitiſſe animas, cum corporibus conjungendas. Hujus interpretationis veſtigia videri ſibi idem videtur in ſcripto *Esdræ* Apocrypho, lib. II. cap. VII. 32. *Et terra reddet, quæ in ea dormiunt, & pulvis, qui in eo ſilentio habitant, & promtuaria reddent, quæ eis commendatæ ſunt animæ.* Non dubitat ibidem, auctorem ἀπόκρυφον & heic & alibi ad locum hunc Joannis reſpexiſſe. Nihil his opponam præter illud, quod hæc vocis, ᾅδης, ſignificatio dictioni Veteris & Novi Inſtrumenti penitus adverſetur. Ibi enim vel ſtatum mortuorum generatim, vel ſpeciatim infelicem & miſerum infert.

καὶ ἐκρίθησαν ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν) Similem φράσιν habes apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. II. p. 40. Βελτίυς γὰρ ἂν καὶ αὐτὺς ἡγεῖτο εἶναι, εἰ εἰδεῖεν, ὅτι ἐκ τῶν ἔργων καὶ αὐτοὶ κρινόμενοι τῶν ἀξίων τεύξοιντο. *Nam & hos magis arbitrabatur ſtrenuos fore, ſi viderent facto prius de operibus ſuis judicio, ita demum præmia ſe merita conſequi.* Vide *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 357.

Verſ. 14. Καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τῦ πυρὸς) Hæc verba ita interpretatur *Jac. Windetus* de vita functorum ſtatu Sect. III. in fine p. 58. Faſciculi IV. Opuſculorum ad hiſtoriam & Philolog. Sacram ſpectantium: *Utcunque vides, τὸν ᾅδην informem materiam Græcis pariter ac Scheol Hebrais eſſe; ejusque regionem per ſpatia longe ampliſſima extendi, quacunque ſe protendit ſphæra generationis & corruptionis. Ut fruſtra ſint, qui τὸν ᾅδην in terra, quod quidam, vel in aëre, quod alii, ſategerint concludere. Quando ergo* Apocalypſeos XX. 14. *legis*, καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης, & mors & infernus jaciebantur in lacum ignis, *detracta larva, qua perſonati veniunt, rem ipſam de tota hac* mortali regione, *fatali demum conflagratione abſorbenda, intelligas.* Præſtat tamen, cum de hominibus, judicio extremo ſiſtendis,

ſiſtendis, & hinc abſolvendis, hinc exitio damnandis, ſermo ſit, conjectionem mortis & ſtatus mortalis in ſtagnum ignis accipere de abolitione mortis temporalis, quæ non amplius locum ſit habitura in homines, quandoquidem alii eorum, nempe quorum nomina in libro vitæ conſignata fuerint, vitæ æternæ, alii vero morti ſecundæ, ſive æternæ, ſint vindicandi. Confer *Vitringam* & *Amelium* Parte II. der Erörterung p. 383. In hanc ſententiam *Auguſtinus* de Civitate Dei XIII. 11. eleganter ita: *Erunt illic homines ſemper in morte, ac per hoc nunquam viventes; nunquam mortui, ſed ſine fine morientes; vitæ morituri, & morti ſine fine victuri. Nunquam autem erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipſa ſine morte.* Lege ſimilia veterum Doctorum effata apud *Gatakerum* ad M. Antoninum VIII. §. 58. p. 319.

ὗτός ἐςιν ὁ δεύτερος θάνατος) Phraſis hæc Judæis admodum eſt familiaris. Mortem alteram vocant מיתא משונה *mortem iteratam*, vel מיתא תנינא, vel מות שני Loca lege apud *Schœtgenium* p. 1136. Ita in *Pirke Elieſer* c. 34. *Omnem idololatram, qui dicit, alium eſſe Deum præter me, ego interimam morte ſecunda, ex qua nemo poteſt reviviſcere.* Ceterum pro his verbis codices quidam habent: ἡ λίμνη τῦ πυρὸς, quemadmodum *Coptus* expreſſit: *plenum ſulphure.* De pice & ſulphure inferni ad h. l. exſtat *Chriſtophori Sonntagii* diſputatio Altorfii 1708.

CAPUT XXI.

VErſ. 1. Καὶ εἶδον ὐρανὸν καινὸν, καὶ γῆν καινὴν) De cœlo & terra, ex Judæorum quoque ſententia aliquando innovandis, lege *Schœtgenium* in Horis Hebr. p. 1138. Ita in *Debarim rabba* Sect. XI. fol. 262. 4. *Cum Moſes ante obitum oraret, cœlum & terra, & omnis ordo creaturarum commotus eſt. Tunc dixerunt: fortaſſe adeſt tempus a Deo præſtitutum, quo renovandus eſt orbis univerſus. Exivit autem Bath kol, dicens, illud tempus nondum adveniſſe.* De argumento ipſo dictum eſt ad 2 *Pet.* III. 13.

καὶ ἡ θάλασσα ὐκ ἔςιν ἔτι) Phraſin hanc id ſibi velle exiſtimat Rev. *Daniel Gerdeſius* in Veſperis Vadanis p. 53. *non ſuperfuturum amplius populum, qui, prout Oceani figura efflagitat, ſe à regno Dei ſeparet, in quo non fiat ſementis verbi, & fructus ædificationis proveniant, omnibus populis Eccleſiæ ſerviturus.*

Verſ. 2. Καὶ ἐγὼ Ἰωάννης εἶδον τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν, Ἱερυσαλὴμ καινὴν, καταβαίνυσαν ἀπὸ τῦ Θεῦ ἐκ τῦ ὐρανῦ) Ita in *Sohar*, Geneſ. fol. 69. col. 271. *R. Jeremias dixit: Deus Sanctus Benedictus innovabit mundum ſuum, & ædificabit Hieroſolymam, ut ipſam deſcendere faciat in medium ſui de cœlo, ita ut nunquam deſtruatur.* Vide *Schœtgenium* p. 1139. Ad hunc Johannis locum re-

 ſpicere

ſpicere videtur *Hermas* in Paſtore apud *Fabricium* noſtrum Tom. III. Codicis Apocryphi N. T. p. 814.

ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς) Targum Pſalmi XLVIII. 3. *Pulchra eſt, ſicut ſponſi, lætitia omnium habitantium terram montis Zion.* Totum comma ſingulari concione explicatum dedit *Lightfootus*, quæ legitur Tomo II. Operum Anglicanorum p. 1196-1203.

Verſ. 3. *Ἰδοὺ, ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων*) Vide huc Cl. *Schœtgenii* diſſert. de Hieroſolyma cœleſti cap. II. 8. 12. ſqq. p. 1217. Horarum Hebraicarum. *In templo Hieroſolymitano*, inquit, *nec non ante illius tempora, in tabernaculo, arcæ fœderis & Cherubinis inſidebat* Schechina, *h. e. majeſtas divina, nubeculam quandam pellucidam repræſentans, ex qua Deus cum Moſe & ſummis Sacerdotibus verba fecit, & nocentes quoque igne ex ea procedente punivit. Hinc ſæpenumero in Sacris Dei & Jehovæ nomine vocatur, prout recte obſervat Moncæjus in* Aarone purgato. Talem Schechinam, quæ erat in templo Hieroſol. terreſtri, etiam in cœleſti templo ex Judæorum mente, dari idem oſtendit p. 1213. ex *Jalkuth Rubeni* fol. 52. 3. & 102. 4. *Et quemadmodum* Schechina *& templum eſt in cœlo, eodem modo* Schechina *& templum eſt in terra.*

καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ λαοὶ αὐτοῦ ἔσονται) Ex duplice hac phraſi *Jo. Spencerus* poſt *Medum* colligit, ad templum conſtituendum duo requiri, nempe Dei *præſentiam* ſingularem, quæ per inhabitationem innuatur, & *proprietatem*, ſeu *dominium*, quod altera phraſi innuatur. Lege illum de Legibus Hebræorum ritualibus p. 892. edit. Tubingenſ. Compara 1 *Cor.* VI. 19. & 2 *Cor.* VI. 16.

Verſ. 4. *καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔσται ἔτι, οὔτε πένθος, οὔτε κραυγὴ*) Judæi tradunt, tempora Meſſiæ decem prærogativis illuſtria futura, quæ recitantur in *Schemoth rabba* Sect. XV. fol. 114. 4. Octava ibi eſt, *quod non amplius erit fletus & ejulatus* Jeſ. LXV. 19. Nona, *quod mors non erit in æternum*, ibidem XXV. 8. Decima, *quod non erit gemitus aut ſuſpirium*, Jerem. XXXV. 10. Vide *Schœtgenium* p. 1140.

οὔτε πόνος οὐκ ἔσται ἔτι) *πόνος moleſtiam & dolorem* infert. Quod ut alias conſtat, ita ex *Herodoto*, prælium *πόνον* appellante lib. VII. p. 509. oſtendit *Raphelius* p. 668. Confer *W. E. Ewaldi* Emblemata Sacra Miſcellan. lib.II.p.216.

ὅτι τὰ πρῶτα ἀπῆλθον) Simili phraſi in *Vajikra Rabba* Sect. 30. fol. 174. 3. Rex ad ſubditos deprecantes utitur: מה ראזל אזל, *quod tranſiit, tranſiit.* Vide *Schœtgen.* p. 1141.

Verſ. 5. *ἰδοὺ καινὰ πάντα ποιῶ*) Quod Domino heic tribuitur, id fortunæ, tanquam omnia novanti, adſcribit *Polybius*, homo gentilis, pag. 377.

Digitized by Google

377. obſervante *Raphelio*: διὰ τὸ καὶ τὴν τύχην ὡσανεὶ κεκαινοτεποιηκέναι πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐν τοῖς προειρημένοις καιροῖς.

Verſ. 6. Καὶ εἶπέ μοι· γέγονε, κ. τ. λ.) Lege *Jo. Philippi Pfeiferi* diſſertationem ſingularem Regiomonti 1677.

ἐγὼ τῷ διψῶντι δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεάν) In *Avoth R. Nathan* cap. 31. *Deus dicitur hominibus ante, quam aquis diluvii perirent, oſtendiſſe excellentiam fontis mundi futuri, ut rem curatius conſiderarent, & dicerent: væ nobis, quod bonum hoc perdidimus, & genus noſtrum ex orbe terrarum exſtirpatur.* Vide *Schœtgenium* pag. 1141.

Verſ. 8. Δειλοῖς δὲ καὶ ἀπίστοις κ. τ. λ.) Si δειλοὺς & ἀπίστους pro iisdem habeas, ſeptem peccatorum genera hoc commate videbis indicari, quæ pœnæ æternæ varii generis maneant. Obſervat hoc Cl. *Elsnerus* ad Matth. XXIV. 56. pag. 113. atque hinc factum ſuſpicatur, ut Judæi & Muhamedani ex ſeptem diverſis peccatis, pœnarumque gradibus totidem in inferno pœnarum conclavia finxerint. Eam in rem videri jubet *Pocockii* notas miſcellan. ad Portam Moſis cap. VII. & *Adrian. Reland.* Tom. II. Diſſertatt. Miſcellan. pag. 69. Enimvero δειλοὺς ab ἀπίστοις non minus heic diſtinguendos arbitror, quam ceteri illi ſex peccatores & ab illis & a ſe invicem diſtinguuntur. Diſcriminis vero ratio ſatis manifeſta eſt, ſi per δειλοὺς *meticuloſos*, fidemque ſemel ſuſceptam periculi metu abjicientes, per ἀπίστους vero *incredulos* intelligas. Hoc quidem tanto veriſimilius eſt, quod mox peccata & vitia, ex fide, vel non recepta, vel poſtliminio abjecta, conſequentia, enarrantur. Sunt quidem, qui per δειλοὺς non *meticuloſos*, ſed *impios*, *improbos*, *maleferiatos* homines intelligi velint. Inter hos ſunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 304. *Jo. Albertius* in Obſervatt. pag. 498. *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 242. ſeq. & Auctor obſervationis, quæ exſtat in Biblioth. Lubecenſi Tom. VII. pag. 468. Nec negari poteſt, eam voci δειλὸς ſignificationem apud Poëtas inprimis, nominatim *Homerum*, *Heſiodum*, *Theognidem* & *Sophoclem*, conſtare. Quando vero recogito, τοὺς LXX. & Sacros N. T. Scriptores eam, ſicut & cognatam, δειλία, non niſi in *timiditatis* & *levitatis* ſenſu adhibere, in ea etiam h. l. acquieſcere malim. Vide v. c. *Judic.* VII, 3. *Deut.* XX. 8. ubi φοβούμενος & δειλὸς conjunguntur, item *Matth.* VIII. 26. & *Marc.* IV. 40. Paulus 2 *Tim.* I. 7. πνεῦμα δειλίας opponit πνεύματι δυνάμεως. Taceo, quod modo monui, *meticuloſos*, atque adeo defectioni a fide facile obnoxios, recte cum *incredulis* conjungi, atque illos quidem his præponi, quod conditio eorum ſit deterior, Deoque magis diſpliceat. Vide 2 *Pet.* II. 21. De argumento ipſo commentatur Rev. *Jo. David Bayerus*, Theologus hodie Altorfinus, in programmate Inaugurali de timidis apoſtatis, ſupplicioque ipſis deſtinato, Altorfii 1730. Ceterum de diverſis peccatorum ſedibus infernalibus, ex Judæorum ſen-

Digitized by Google

tentia, appoſitus affertur locus a *Schœtgenio* ex *Sohar* Levit. fol. 7. col. 26. *Paſtor fidelis hoc docuit: Locus eſt in gehenna iis deſtinatus, qui Sabbatum publice profanarunt, neque ejus rei pœnitentiam egerunt. Succedit alter locus pro illis, qui impuri, & impudentes contra legem fecerunt, ſtatuentes aliquid contra receptam traditionem; porro pro illis, qui ſanguinem innocentem effuderunt, qui mendacia cogitarunt, qui cum muliere menſtruata aut gentili, ſcorto aut ancilla concubuerunt: item pro ſingulis peccatis, quæ quis contra præcepta negativa commiſit, ſingularis locus deſtinatus eſt.* Similes locos habes apud *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Part. II. pag. 328. ſqq.

Verſ. 9. Δεῦρο, δείξω σοι τὴν νύμφην τῦ ἀρνίυ τὴν γυναῖκα) Digna ſunt, quæ heic legantur *F. A. Lampii* verba ex Dodecade Exercitatt. ad Pſal. XLV. p. 340. *Non mirum,* inquit, *in epithalamio Sponſam conjugem dici. Ab ipſo deſponſationis articulo conjux eſt, ſi non poſſeſſione, at ſaltem jure. Et utramque denominationem junctam invenimus Apocal. XXI. 9. Haberet quidem ſuam emphaſin, ſi tantum ut Sponſa conſideraretur. Ita enim ſæpe in Scriptura inducitur,* 1) *quia amores, quos cum Chriſto exercet, ejus puritati non officiunt:* 2) *quia ſemper ſunt calidi & recentes, quales ſponſæ in ſponſum:* 3) *quia ſunt caſti, & nihil admixtum habent adulterinum:* 4) *quia reſtat conſummatio pleniſſima unionis in cœlo. Inſpici hic meretur J. A. Schmidii diſſertatio de Eccleſia virgine, quæ eſt Hiſtor. Theolog. Decad. I. 6.* —— —— *Sed heic mavult Vates ut conjugem conſiderare, quod ſymbolum latius eſt* &c.

Verſ. 10. καὶ ἔδειξέ μοι τὴν πόλιν τὴν μεγάλην, τὴν ἁγίαν Ἱερυσαλὴμ) Lege de hac civitate differentem *Joan. Stephan. Menochium* in *Trattenimenti eruditi* Parte IV. pag. 153. ſqq.

Verſ. 11. Καὶ ὁ φωςὴρ αὐτῆς ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ, ὡς λίθῳ Ἰάσπιδι κρυςαλλίζοντι) De pretioſo hoc lapide, jaſpidi ſimili, lege *Andream Baccium* de gemmis & lapidibus cap. XVI. pag. 116. & *Wedelium* Centuria I. Decade X. Exercitationum, Exercit. VIII. p. 65. ſqq. qui per illum intelligi vult non jaſpidem vulgarem, ſed *adamantem.* Rationes ſententiæ has adfert, quod vocatur λίθος τιμιώτατος, & κρυςαλλίζων, ſicut adamas, quod ad ſplendorem cryſtallo eſt ſimillimus, quodque inconveniens videatur, adamantem inter pretioſiſſima illa omitti, quibus immenſa & ineffabilis beatitudo adumbrari debeat.

Verſ. 12. ἔχυσαν πυλῶνας δώδεκα) Synopſis *Sohar*, obſervante *Schœtgenio*, pag. 115. n. 27. ita: *In atrio mundi futuræ ſunt duodecim portæ, quarum eſt nomen quoddam e duodecim tribubus, v. c. Rubenis, Simeonis, &c. Qui igitur e tribu Rubenis eſt, non recipitur ab ulla portarum, niſi a porta tribus ſuæ; atque ſic ſe habent & tribus reliquæ.* Magiſtri Judæorum alibi in *Jalkut Schimoni* f. 7. 1. duas portas paradiſi ſtatuunt ſexaginta myriadibus angelorum

Digitized by Google

gelorum munitas. Locum ex *Eiſenmengero* Parte II. Judaiſmi detecti pag. 310. adfert *Elsnerus* pag. 469.

Verſ. 13. Ἀπ' ἀνατολῆς πυλῶνες τρεῖς) Cave, hæc pendere cenſeas ex præcedente phraſi, ἔχουσαν πυλῶνας δώδεκα, quaſi ſcribi debuiſſet πυλῶνας τρεῖς. Nova enim heic inchoatur ſententia, & ſubintelligendum eſt verbum εἰσὶ vel ἦσαν. Vide *Stolbergii* Exercitatt. Græc. L. de Solœciſmis & Barbariſmis N. T. pag. 85. *Oſtermanni* Poſitiones ad Novum Teſtamentum Diſp. II. §. 8. & *J. C. Schwarzii* commentationem luculentam de Solœciſmis antiquatis pag. 92.

ἀπὸ βοῤῥᾶ πυλῶνες τρεῖς) Sunt qui βοῤῥᾶ in genitivo pro βοῤῥοῦ per Doriſmum poſitum cenſent. Illis vero Cl. *Georgius* in Hierocritico N. T. pag. 156. recte opponit auctoritatem veterum, qui vocibus, in ας vel ᾶς terminatis, eandem genitivi formam, quæ heic eſt, tribuunt, quemadmodum nominatim *Ælianus* Var. Hiſtor. XII. 61. περὶ βοῤῥᾶ ἀνέμου τιμῆς dixit.

Verſ. 16. Καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται) Figura urbium vel caſtrorum quadrata parum ſe probat *Vitruvio* I. 4. & *Vegetio* IV. 2. Talem tamen & Babeli *Herodotus* lib. 1. & Ninivæ *Diodorus Sicul.* I. 3. tribuunt. Vide *Picinelli* Lumina reflexa pag. 767.

τὸ μῆκος, καὶ τὸ πλάτος, καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἴσα ἐστί.) Vox ἴσα in plurium numero ponitur reſpectu habito ad ſubſtantiva tria antecedentia, junctim ſumta. Ita *Thucydides*, lib. I. §. 23. αὐχμοὺς, λιμοὺς & νόσον commemorans, ſubjungit: ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο, *hæc enim omnia ſimul cum hoc bello contigerunt*. Vide *Georgii* Hierocriticon N. T. p. 47.

Verſ. 18. Καὶ ἦν ἡ ἐνδόμησις τοῦ τείχους αὐτῆς ἴασπις) Spectat huc *W. E. Ewaldi* Exercitatio de muris Hieroſolymæ novæ ex jaſpide, ſymbolo doctrinæ veritatis, quæ exſtat in Emblematibus ejus Sacris lib. IV. pag. 520. ſqq. Murum oſtendit in ſacris literis nunc *Eccleſiam*, nunc *tutelam* ſeu præſidium, nunc *principes* ac *doctores* Eccleſiæ, nunc Evangelium & *doctrinam ſalutis*, ut h. l. ſignificare. Porro docet, quæ inter murum & doctrinam veritatis analogia intercedat, atque eum in finem architectum, materiam, habitum, ex longitudine, latitudine & altitudine æſtimandum, fundamenta, munitionem, portas, turres, arces, cuſtodes &c. expendit, & ad ſenſum myſticum ſingula hæc accommodat.

ὁμοία ὑάλῳ καθαρῷ) ita editi omnes, ſi *Complut.* exceperis. At codices multi, a *Millio* & *Bengelio* allati, legunt ὅμοιον, ut ad *aurum* proxime antecedens, non ad πόλιν referatur. Eandem lectionem exprimunt *Vulg.* *Syr.*

Syr. & B. *Lutherus*, ut videtur. Probat etiam *Millius* in Prolegom. §. 1114. *Qui ſimilitudinem hanc*, inquit, *auri & vitri non deprehendebant, ὅμοιον mutabant in ὁμοία, ut nempe vitrea claritas civitati cœleſti competeret: ſed ὅμοιον recte dicitur. Eſt enim aurum, cui comparatur hæc civitas, ſimile vitro, non omniſariam, ac quoad διαφανὲς, ſed quoad puritatem, ac τὸ ὁμογενὲς partium.* Atque hæc ſententia, ſi quid video, confirmari poteſt ex v. 21. ubi ita: *καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως χρυσίον καθαρὸν, ὡς ὕαλος διαφανὴς*, ubi *ὕαλος* itidem ad *χρυσίον* refertur. Non inconvenienter itaque editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani & *Bengelius* illud *ὅμοιον* in contextum receperunt. De voce *ὕαλος* lege *Bocharti* Hierozoicon pag. 872. *Lamb. Bos* in Obſervatt. Miſcellan. pag. 191. *Stephan. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 475. & *Ez. Spanhemium* ad *Ariſtophanis* Nubes v. 766.

Verſ. 19. *Καὶ οἱ θεμέλιοι τοῦ τείχους παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι*) De Hieroſolymis, tempore Meſſiæ ex variis lapidibus pretioſis ædificandis, paſſim tradunt Judæi, v. c. in *Schemoth rabba* Sect. 15. fol. 114. *Jalkut Rubeni* fol. 13. 4. *Bava Batra* fol. 77. 1. Locos habes apud *Schœtgenium* pag. 1142.

ὁ θεμέλιος ὁ πρῶτος ἴασπις κ. τ. λ.) Quæ heic adferuntur gemmæ, eas illuſtratas videbis a *Franc. Rueo* in tractatu de gemmis aliquot, quarum mentio fit in Apocalypſi, Francof. 1596. 12. & aliis, quos allegat doctiſſimus *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria pag. 357. edit. primæ. Confer *Matth. Hilleri* Tractatum de gemmis duodecim in Pectorali Pontificis Hebræorum, primum Tubingæ 1698. 4. editum, deinde in Syntagmatibus Hermeneuticis, Tubingæ 1711. recuſum, pag. 1. ſqq. (vid. Acta Erud. Lipſ. an. 1699. pag. 279. ſqq.) & *Joannem Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebr. p. 629. ſeqq.

ὁ τρίτος χαλκηδὼν) De hoc lapide *Colomeſius* Obſervatt. Sacr. pag. 105. ita: *Calcedonius eſt carbunculi, vel pyropi (ſi modo lapis ſit) ſpecies. Cui nomen dedit non Χαλκηδὼν, civitas Aſiæ, inclyta quarto Concilio Oecumenico, ſed Καρχηδὼν, ſive Carthago magna, tradente* Plinio XXXVII. 7. Alia ſtatues, ſi legeris magnum *Salmaſium* in Exercitationibus Plinianis pag. 395. *Nec enim* chalcedonius, inquit, *aliunde nomen habuerit, quam ab urbe Chalcedone, & nomen antiquum eſſe oportet. Χαλκηδόνος gemmæ mentio in* Apocalypſi *cap.* XXI. *ubi Interpres vetus* chalcedonium *reddit.* Arethas *ex iis, qui Bithyniaca ſcripſerunt, refert dictum eſſe ab Chalcedone ſupra Chryſopolim, & colorem ſimilem facit carbunculo. Sic videtur confundere τὸν Καρχηδόνιον λίθον, qui genus eſt carbunculi cum τῇ Καλχηδονίῳ, & magna ſane eſt utrimque nominis affinitas. Nam & Χαλκηδόνιος perperam ſcribitur apud* Epiphanium *pro Καρχηδόνιος. Et carchedonii ſmaragdi apud* Plinium *pro calchedoniis, ut ſupra notavimus. Non dubium tamen eſt, aliquem fuiſſe veterum* chalcedonium, *qui gemma fuit.* ——— ——— *Quantum judico hic lapis eſt, quem recen-*

Digitized by Google

recentior ætas abſolute chalcedonium *appellitavit. Nec temere ſic judicaveris: nam omnia ſatis apte conveniunt.* Lege cetera, & compara *Hillerum* in Syntagmatibus p. 100.

Verſ. 21. Καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες δώδεκα μαργαρῖται) Vide *Ewaldum* modo laudatum in Emblematibus Sacris lib. IV. p. 546. Ex eo diſces, margaritas apud veteres nunc *Dei*, nunc omnis rei pretioſæ, v. c. animæ, nunc *doctrinæ Evangelicæ* ſymbolum eſſe. Atque ut ultimam h. l. reſpici cenſet, ita analogiam, quæ inter hanc & margaritas intercedit, ediſſerit, evolutis earum origine, concha, munimento exteriori, candore, ſplendore, rotunditate, firmitate, pretio ſingulari, uſu vario &c.

ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτου) Ita codd. omnes τὸ ἀνὰ exhibent, niſi quod *Alexandr.* legit ἵνα, & alius apud *Bengelium* καί. Illud vero ἀνὰ h. l. vacare ait *Henr. Stephanus* in Theſauro Gr. L. p. 417. a. recte ita vertens: *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ: unaquæque portarum erat ex una margarita*, vel, *& ſingulæ portæ è ſingulis erant margaritis. Quæ ſententia*, ita pergit, *perfecta eſt, cum tamen in interpretatione omiſerim præpoſitionem ἀνὰ, unde & ſupervacaneam eam eſſe apparet. At veteri Interpreti videtur negotium exhibuiſſe hæc particula, non animadvertenti, quod dico. Ita enim vertit:* & duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.

χρυσίον καθαρὸν, ὡς ὕαλος διαφανής.) Vide ad v. 18. Codices varii & verſiones quoque habent διαυγὴς, quod præter editorem N. T. Gr. Anglicani in contextum recepit *Bengelius.*

Verſ. 22. Καὶ ναὸν οὐκ εἶδον ἐν αὐτῷ) Lege *Jac. Nyloë Schrifttuurlyke Aanmerkingen* in calce lib. II. diſſ. III.

Verſ. 23. Καὶ ἡ πόλις οὐ χρείαν ἔχει τοῦ ἡλίου, οὐδὲ τῆς σελήνης) *Jalkut Rubeni* fol. 7. 3. *Etiam Iſraelitis non opus fuit lumine Solis interdiu, & lumine lunæ noctu. Neque in mundo futuro opus erit lumine Solis interdiu, & lumine Lunæ noctu ſecundum* Jeſ. LX. 19. Vide *Schœtgenium.* Alios Judæorum locos, qui animas in paradiſo Numinis luce illuſtrari ajunt, lege apud *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Tom. II. p. 318. Conf. *Elsnerum* p. 469. qui præterea ex *Ariſtophane* in Ranis v. 457. initiatos myſteriis Eleuſiniis, in campis Elyſiis introducit gloriantes:

Μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος
καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστι.

De argumento, quod hac phraſi continetur, lege *Jac. Nyloë* in *Schriftuurlyke Redeværingen* p. 64. ſqq.

Verſ. 24. Καὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι, καὶ οἱ βασιλεῖς κ. τ. λ.) Hæc in edit. Bengeliana ad plurium codicum & verſio-

verſionum quoque exemplum ita exhibentur: *καὶ περιπατήσουσι τὰ ἔθνη διὰ τοῦ φωτὸς αὐτῆς, καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς φέρουσι τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς αὐτήν.* Nec aliter editor N. T. Græco-Anglicani, niſi quod hic poſt *δόξαν* habet etiam *καὶ τὴν τιμὴν* cum editis. Conf. *Millii* Prolegom. §. 1114. Reſpicitur ex parte ad *Jeſ.* LX. 3. ubi *οἱ* LXX. ita: *καὶ πορεύσονται βασιλεῖς τῷ φωτί σου, καὶ ἔθνη τῇ λαμπρότητί σου.* Ibi *τῶν σωζομένων* non fit mentio, ſed *ἔθνη* ſimpliciter commemorantur, *quæ tamen vox id valet, quod expoſitione Joannis in Apocalypſi æſtimatur, nempe τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων.* Ita judicat *Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* p. 42. a. Voces *καὶ τιμὴν* omiſit etiam B. Lutherus, quæ nec in *Aldin.* & *Eraſmi* editt. exſtant.

Verſ. 25. *νὺξ γὰρ οὐκ ἔσται ἐκεῖ*) Tale quid temporibus Meſſiæ ſperare jubent Judæi in *Schemoth rabba* Sect. 18. fol. 118. c. *Temporibus V. T. Deus Iſraëlis miraculum* (cum ſcilicet primogeniti cæderentur) *exhibuit nocte, ſed miraculum iſtud tranſiit. Verum temporibus futuris* (N. T.) *mox fiet dies ſecundum* Jeſ. XXX. 26. Vide *Schœtgenium* p. 1143. Reſpicitur h. l. ad *Jeſ.* XL. 20. *οὐ γὰρ δύσεται ὁ ἥλιός σοι*, quod cum aliis recte monet Cl. *Albertius* p. 499. qui præterea ex *Ariſtophane* locum promit ad v. 23. jam allatum. *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. p. 378. ita: *Illud γὰρ non deſignat cauſam, cur portæ civitatis cæleſtis non claudantur interdiu. Nam quid ad eam rem facit, quod nox ibi nulla ſit. Ergo non reddit rationem rei dictæ, ſed tantum ſui dicti, ſic, ut ibi exſtat, concepti. Scilicet meminit diei, in cujus ſpatio portas claudi negat. Lector autem quæſierit, quid de nocte, an per eam claudantur, vel cur de ea tacuerit, cum ea ſit pars temporis. Hanc itaque ſententiam ſcriptor inſerit, ut aperiat, cur ita locutus ſit, nempe non dicit, ἡμέρας καὶ νυκτὸς, quia non conveniret altera hæc clauſula, quippe nox ibi non eſt; proindeque quod de die dixit, de toto tempore, quoad illud quidem regnum, dixit.* Hæc convenienter admonita puto. Senſum breviter ita expreſſeris: *& portæ ejus interdiu non claudentur, quod vero ad noctem attinet, nulla tunc erit.* Patet utique, tota hac phraſi tranquillitatem & ſecuritatem perpetuam & abſolutam innui.

Verſ. 26. *Καὶ οἴσουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῶν ἐθνῶν εἰς αὐτήν.*) h. e. *& gentes ferent honorem & gloriam ſuam in eam*, ſive quicquid inter gentes præclarum & magnificum erit, id gloriæ ejus accedet. *Joſ. Mede τιμὴν* illam de penſione tributorum & oblatione munerum accipit in Operibus Anglicanis p. 72. quemadmodum eadem vox 1 *Tim.* V. 17. *τιμῆς διπλῆς ἀξιούσθωσαν* de *ſtipendio honorario*, ſeu alimento ſuppeditato accipienda nonnullis viſa eſt. Sed hæc quidem notio locum heic habere non poteſt, quod vel ex v. 24. apparet, ubi eadem phraſis de Regibus adhibetur. Scilicet expoſitio hæc *Medi* ex eo nata eſt, quod regnum illud millenarium literaliter interpretatur. Comma hoc deeſt in *Aldin. Eraſmi* item & *Colin*, editionibus, quod propterea nec B. Lutherus ipſe expreſſerat, a Theologis Witte-

Digitized by Google

Wittebergenſibus editioni Luneburgenſi poſtliminio inſertum. Vid. Cl. *Boyſenii* diſſertat. de codice Græco N. T. &c. p. 23.

Verſ. 27. Καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν πᾶν κοινοῦν καὶ ποιοῦν βδέλυγμα) Codices varii pro κοινοῦν habent κοινὸν, ſicut pro ποιοῦν unus *Alex.* quem *Vulg.* & *Syr.* ſequuntur, legit ποιῶν. Utramque hanc lectionem nempe κοινὸν & ποιῶν illi, quæ in editis eſt, ſubſtituunt editor N. T. Græco-Anglic. & Cl. *Bengelius.* Quod ſi recepta lectio ποιοῦν deſerenda ſit, malim utique ſequi quatuor illos codices, a *Bengelio* allatos, qui habent ὁ ποιῶν. Sic enim & ſenſui ſimul & ſtructuræ vocum conſulitur.

CAPUT XXII.

QUinque primora hujus capitis commata *à ſuperioribus avelli non debuiſſe, quia deſcriptio florentis ſtatus Eccleſiæ continuetur*, Grotius recte monuit, probante hanc ſententiam *Vitringa* & *A. Blackwallo* in Claſſicis Sacris Part. II. p. 131. & ſequente eandem in editione ſua *Bengelio*, facto ad v. 6. novi capitis indicio.

Rich. Bentley, Vir doctiſſimus, novam Novi Inſtrumenti editionem, Græce & Latine curandam, viginti circiter abhinc annis molitus, an. 1720. ſpecimen futuri operis edidit caput hoc XXII. complexum. Vide hanc in rem epiſtolam ejus Bibliothecæ Anglicanæ Tom. II. p. 25. inſertam, ſpecimen vero ipſum ibidem recuſum Tom. VIII. p. 85. ſqq. Huic vero ſpecimini Anonymus Anglus Cantabrigienſis, (quem non D. *Colbatchium*, qui viſus eſt *Bentlejo*, ſed *Conyerum Middletonum* eſſe jam quidem ex proprio ejus indicio conſtat) oppoſuit *Animadverſiones* anglice editas Londini 1721. 4. Has enarratas leges in eadem Biblioth. Anglican. Tom. IX. p. 1. ſqq. ſicut ibidem *Vindiciæ*, ab ipſo *Bentlejo* paulo poſt editæ p. 19. ſqq. percenſentur, quas eodem tempore *Middletonus* novis animadverſionibus excepit. Eodem anno 1721. Londini lucem viderunt Anonymi *epiſtolæ duæ* (Latinæ) *ad celeberrimum doctiſſimumque virum* F. V. *Profeſſorem Amſtelodam. ſcriptæ: quarum in altera agitur de editione N. T. à Cl.* Bentlejo *ſuſcepta, omnesque ejus adhuc in lucem emiſſæ conjecturæ de Sacro textu examinantur; in altera vero, multæ de corruptis, uti videntur, epiſtolarum N. T. locis conjecturæ, jam primum editæ proponuntur.* Summam epiſtolarum habes in iisdem, quas modo dixi, ephemeridibus Tom. X. p. 74. ubi easdem p. 76. *Zachar. Pearce*, qui *Ciceronis libros de Natura Deorum*, & *Longinum* περὶ ὕψους edidit, acceptas communi voce ferri intelliges. Exſtat præterea epiſtola Anonymi Anglicana ad Bentlejum, editorem N. T. Gr. & Lat. 1721. edita. Atque hæc virorum doctorum ſcripta, aliaque item impedimenta interjecta, & ipſius, ut fando accepimus, Cleri Anglicani conatus effecerunt, ut to-

tum hoc inſtitutum hactenus in conſilio acquieverit, & fortaſſe penitus ſit interverſum. Neque negari poteſt, *Bentlejum* nimium ſibi in editione, quam deſtinabat, tributurum fuiſſe, quod ex Specimine ipſo adparet, & exemplis aliquot a nobis oſtendetur. Compara, quæ de hoc *Bentleji* conſilio diligenter nuper commemorata ſunt in *Ephemeridibus eruditorum Tubingenſibus*, quæ an. 1735. edi vernaculo ſermone cœptæ ſunt, Parte II. p. 216. ſqq.

Verſ. 1. *ϗ ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς*) Vocem *καθαρὸν*, in codd. aliquot & verſionibus quoque non obviam, omittunt *Bentlejus* & *Bengelius*. Neque tamen admodum video, cur ea ſit expungenda, quam alii codices agnoſcant. S. Joanni epitheton hoc alias frequentatur, v. c. XV. 6. ubi legis *λίνον καθαρὸν ϗ λαμπρὸν* ut h. l. *ποταμὸν καθαρόν.* Adde XIX. 8. & 14. item XXI. 18. & 21. Convenienter præterea fluvius *καθαρὸς* vocatur, ſicut *ὕδωρ καθαρὸν Ezech.* XXXVI. 25. & *Num.* V. 17. *ὕδωρ καθαρὸν ζῶν*, quæ quidem phraſis cum præſente Joannis *καθαρὸς ποταμὸς ὕδατος ζωῆς* commode confertur. Porro ratio reddi poteſt, cur *καθαρὸν* ante *ποταμὸν* a nonnullis ſit omiſſum, ideo nempe, quod ſuperfluum videbatur ex eo, quod mox ſequitur *λαμπρόν.* Interim aliter judicare illi debebant vel ex XV. 6. ubi utrumque epitheton ſimiliter conjungitur; ne dicam, diverſa utrinque innui. Ab altera vero parte ratio reddi non æque poteſt, cur *καθαρὸν* inſerendum videri cuiquam potuerit. De *ποταμῷ ὕδατος ζωῆς*, Judæis non ignoto, & myſtice accepto, lege ſupra ad XXI. 6. & quæ ad h. l. attulit *Schœtgenius* p. 1144.

ἐκπορευόμενον ἐκ τȣ̃ θρόνȣ τȣ̃ Θεȣ̃ ϗ τȣ̃ ἀρνίȣ) Illuſtrant hæc *Vitringa* tum Obſervationum Sacrarum lib. II. p. 74. ed. primæ, tum in Archiſynagogo p. 212. & Rev. *Salom. Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. II. p. 306. ed. primæ.

Quid per *flumen* illud intelligendum veniat, ex noſtratibus diſſertat. ſingulari oſtendit *Jo. Meinerus* Wittebergæ 1679. quæ recuſa eſt in Theſauro Theolog. Philolog. Tom. II. p. 848. ſqq. Adde Cl. *W. E. Ewaldi* Emblemata Sacra lib. II. p. 260. ſqq. Exercitat. X. de fluvio cryſtallino, ſymbolo donorum Spiritus S. Ibi inter cetera p. 171. ſq. phraſis *λαμπρὸν ὡς κρύςαλλον* erudite explicatur, & quomodo *καθαρὸς* a *λαμπρῷ* diſtinguatur, oſtenditur. Commode inprimis monetur, *Callimachum* in Apoll. v. 111. fluvium itidem *καθαρὸν* appellare. *ἀλλ' ἥτις καθαρή τε ϗ ἀχράαντος ἀνέρπει.* *Oppianum* vero *ἀργυρέȣς ποταμȣ̀ς* reſpectu ad ſplendorem habito dicere Halieutic. *ά.*

Verſ. 2. *Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς ϗ τȣ̃ ποταμȣ̃ ἐντεῦθεν, ϗ ἐντεῦθεν*) Pro duabus vocibus poſtremis codd. aliquot habent *ϗ ἐκεῖθεν*, quos ſequitur *Bentlejus.* Enimvero recte a *Middletono* in animadverſionibus

monitum

monitum eſt, eandem dicendi formulam ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, *hinc & illinc*, adhiberi *Joh.* XIX. 18. (idque, quod notari velim, ſine ulla codicum varietate) ac præterea τοῖς LXX. frequentari, v. c. *Dan.* XII. 5. *Num.* XXII. 24. & *Ezech.* XL. 34. 37. Quod vero idem eam ex Hebraiſmo repetit, in eo vereor ne fallatur. Neque enim video, cur quod ad repetitionem, non æque Græce dici poſſit ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, quam a *Demoſthene*, *Ariſtide* & *Ariſtotele* dictum eſt ἔνθεν καὶ ἔνθεν. Accipe locum *Demoſthenis* περὶ τῆς παραπρεσβείας pag. 146. editionis Aldinæ: καὶ παραστὰς ὁ μὲν ἔνθεν, ὁ δὲ ἔνθεν, οὑτοσὶ καὶ Φιλοκράτης ἐβόων. Cum itaque phraſi illi & auctoritas aliorum Scriptorum & elegantia non deſit, nihil eſt, quod mutationem ullam ſuadeat.

ξύλον ζωῆς, ποιοῦν καρποὺς δώδεκα, κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαστον ἀποδιδοῦν τὸν καρπὸν αὐτοῦ) Judæi in *Schemoth Rabba* Sect. XV. fol. 114. 4. inter decem illas prærogativas, quæ tempora Meſſiæ ſint ornaturæ, tertio loco hanc promunt, quod *Deus faciet arbores, quæ quovis menſe fructus ferent; homo vero, qui de illis comedet, ſaturabitur ſecundum* Ezech. XLVII. 12. Vide *Schœtgenium* pag. 1145. Spectat huc ex parte, quod de malo Perſica *Theophraſtus* Hiſt. Plant. XIII. 3. tradit: Φέρει δὲ τὰ μῆλα πᾶσαν ὥραν, i. e. *fert autem mala omnibus anni temporibus.* Conf. *Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegetic. pag. 8. in notis. Alcinoi hortum a ſimili felicitate prædicat *Homerus* Od. ή. v. 116. ubi de arboribus ejus ita: Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει Χείματος οὐδὲ θέρευς ἐπετήσιος. Ξύλον non per Hebraiſmum, qui *Joan. Vorſtio* in Philologia Sacra Part. I. c. 2. & Part. II. c. 23. viſus eſt, ſed Græce de *arbore* adhiberi, idoneis veterum locis oſtenderunt *J. C. Schwarzius* ad Olearium de Stilo N. Teſt. pag. 241. & *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti pag. 69. *Ariſtoteles* Hiſt. Animal. VIII. 3. ita: νέμονται δ' ἀμφότερα ταῦτα πρὸς τὰ ξύλα προσπετόμενα· ἔτι κολιός. Ἔστι δὲ ὁ κολιὸς τὸ μέγεθος, ὅσον τρυγών· τὸ δὲ χρῶμα χλωρὸς ὅλος. Ἔστι δὲ ξυλοκόπος σφόδρα, καὶ νέμεται ἐπὶ τὰ πολλά. *Paſcuntur autem uterque picus ad arbores advolantes, tum major & minor, itidem galgalus. Eſt autem galgalus, qua magnitudinem, turturi non diſſimilis. Color autem eſt luteus. Eſt autem hic adeo arbores proſcindens, ut magna ex parte ſibi eſcam ab arboribus quærat.* Nec minus Græcis recepta phraſis eſt, ποιεῖν καρπὸν, quod idem oſtendit pag. 138. *Ariſtoteles* lib. I. de Plantis cap. 4. πάλιν τῶν φυτῶν τινα μὲν ποιοῦσι καρπὸν τινὰ δ' οὔ. Conf. lib. II. cap. 9. & I. 4. Ita & *Herodotus* lib. I. p. 89. ἀποδιδοῖ καρπὸν ait, quod obſervavit *Raphelius.*

Verſ. 3. Καὶ πᾶν κατανάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι) Ita editi, ſi *Complutenſem* exceperis, omnes: hic enim habet κατάθεμα, quod & *Bentlejus* & *Bengelius* in contextum receperunt, quorum ille ad cod. *Alex. Arethham*, *Andr.* & codd. pleroſque omnes; hic vero ad eoſdem provocat, addens præter-

ea *Uſſenb.* & quinque alios. *Millius* quoque in Prolegom. §. 1114. *καταναθεμα* tanquam vocem explanatiorem ex margine irrepſiſſe opinatur. Vix equidem mihi perſuaſerim, Joannem ſcripſiſſe *κατάθεμα*, vocem LXX. Interpretibus æque ac Novo Teſtamento & externis Scriptoribus ignotam, adeoque in tantum nihili. Rectius itaque vel ſimplex *ἀνάθεμα*, vel compoſitum potius *καταναθεμα* ab eo profectum putes, cum verbum compoſitum *καταναθεματίζειν* etiam *Matth.* XXVI. 74. legatur, *ἀνάθεμα* autem apud LXX. & Sacros Scriptores frequenter occurrat. Accedit, quod procul dubio reſpectus habitus ſit ad *Zach.* XIV. 11. ubi vox ſimplex *ἀνάθεμα* occurrit in eadem phraſi, & de eodem argumento: *καὶ ἀνάθεμα ὐκ ἔϛαι ἔτι.* Idem proinde voci *καταναθεμα* uſu veniſſe puto, quod vocibus ejusmodi compoſitis accidere ſolet, ut ſcilicet ad ſimpliciorem formam nonnunquam redigantur. Ita pro *παρακαταθήκη* 1 *Tim.* VI. 20. codices aliquot habent *παραθήκη*, quæ proba quidem eſt in ſe, ſed eo tamen loco cum altera illa non erat permutanda. Ceterum *καταναθεμα*, *abſtractum* pro concreto h. l. poſitum eſſe non dubito, ut homo *exſecrabilis*, ſeu exſecratione dignus denotetur. Ideo enim mox ſequitur: *καὶ οἱ δῦλοι ἀυτῦ λατρεύσυσιν ἀυτῷ.* *Heſychius: ἀνάθεμα, ἐπάρατος, ἀκοινώνητος.* In eundem ſenſum B. *Lutherus:* **und wird kein Verbannetes mehr da ſeyn,** qua quidem voce & *abſtracti* formam & ſenſum ſcite expreſſit. Conf. *Lydii* Florum Sparſionem ad Paſſionem Jeſu Chriſti pag. 103. & *Raithii* Vindicias verſionis Germanicæ Lutheri p. 615.

Verſ. 4. *Καὶ ὄψονται τὸ πρόσωπον ἀυτῦ*) De viſione faciei Dei ad h. l. diſſerit Rev. *Ewaldus* in Emblematibus Sacris lib. II. pag. 273. ſeq. Exiſtimat autem per eam h. l. 1) majorem cognitionis divinæ gradum, 2) ampliorem amoris ac delectationis in Deo menſuram, 3) benignitatis divinæ ſenſum ampliorem, 4) incrementa honoris, ſervis Dei exhibendi, 5) zelum in cultu divino majorem, 6) propiorem cum Deo communionem, & 7) ſummam ſervorum Dei *παρρησίαν* ſignificari. Hæc Exercitatio ex Latino belgice converſa exſtat in *Godsgeleerde vermakelyckheeden* an. 1732. menſ. Julio p. 1. ſqq.

καὶ τὸ ὄνομα ἀυτῦ ἐπὶ τῶν μετώπων ἀυτῶν) Et hæc verba ibidem pag. 286. ſeqq. ex antiquitate & ſacris literis illuſtrantur. More olim receptum erat, ut ſervorum frontes nomina Dominorum, militum illi, Ducum, & Sacerdotum denique, Deorum nomina referrent. Oſtenditur itaque, quomodi diverſi illi nomina inſcribendi ritus ad ſervos Dei accommodari poſſint, nomen vero ipſum de eſſentiali illo Dei יהוה explicatur, idque per Spiritum S. tum in regeneratione tum in ſanctificatione fidelium frontibus inſcribi docetur.

Verſ.

Verſ. 5. Καὶ νὺξ οὐκ ἔσται ἐκεῖ) Pro ἐκεῖ *Bentlejus* legit ἔτι in gratiam *Alex. Syri* & *Lat.* quod tamen ex v. 3. antecedente heic repetitum videtur.

καὶ χρείαν οὐκ ἔχουσι λύχνου καὶ φωτὸς ἡλίου) *Bentlejus:* καὶ οὐχ ἕξουσιν χρείαν φωτὸς λύχνου καὶ φωτὸς ἡλίου, ex auctoritate *Alex. Gregorii Palamæ*, codd. Latinorum omnium, *Syri* item, *Copti* & *Æthiop.* Quod ad *Coptum* attinet, fruſtra id quidem in verſione *Wilkinſiana* quæro. Illa enim ſic habet: *Neque fiet nox, neque opus habent lumine in illa, neque lumine Solis.* Verbum ἕξουσι ad antecedens ἔσται refictum videtur, præter rem, cum in ſcriptis Propheticis tempus præſens & futurum promiſcue adhiberi ſoleat. φῶς λύχνου ſupra XVIII. 23. legitur, & fieri potuit, ut eadem phraſis inde huc transferretur.

ὅτι Κύριος ὁ Θεὸς φωτίζει αὐτοὺς) *Bentlejus* & *Bengelius:* φωτίσει ἐπ' αὐτοὺς præeuntibus quod ad φωτίσει *Alex. Pet.* 3. *Gregor. Palama*, *Lat.* multis & *Primaſio;* pro quo plures legunt φωτιεῖ, eadem forma. Præpoſitionem ἐπ' ante αὐτοὺς unus habet *Alex.* afferunt vero *Palamas*, *Iren. Ambroſ. Primaſ.* Supra XXI. 29. in eodem argumento legis ἐφώτισεν αὐτὴν ſine ulla codicum varietate, nec apud τοὺς LXX. φωτίζειν aliter inveneris, quam vel *dativo* vel *accuſativo* junctum.

Verſ. 6. καὶ Κύριος ὁ Θεὸς τῶν ἁγίων προφητῶν) Pro ἁγίων *Bentlejus* & *Bengelius* legunt πνευμάτων τῶν, exemplo *Complut. Alex. Arethæ*, *Græcorum* codd. fere omnium, *Latinorum* omnium, *Syri* item, *Copti* & *Æthiopis.* Ad hos provocat *Bentlejus*, quibus *Uffenbach.* addit *Bengelius.* Expendenda eſt hæc varietas, tot codicibus & verſionibus munita. Eadem phraſis exſtat 1 *Corinth.* XIV. 32. unde huc interpretandi cauſa translata *Millio* videtur.

Verſ. 7. Ἰδοὺ ἔρχομαι ταχύ) Cave, putes cum *Grotio*, verba hæc eſſe Angeli, qui v. 7. Joannem adloquitur. Sunt enim Chriſti, heic interloquentis. Recte hoc monuit, & ad liquidum deduxit *Vitringa. Sunt*, inquit, *ejusmodi interlocutiones hoc in libro frequentes, & ſimile exemplum mox offendemus v.* 10. *Et præfatio voculæ*, Ecce, *arguit exordium orationis alterius perſonæ. Sic itaque ſe res habet. Dum Angelus cum Joanne diſſerit, eumque certum facit de præſtantium horum promiſſorum implemento, audit mox vocem ſibi jam cognitam Chriſti Jeſu, idem de veritate & certitudine hujus prophetiæ aſſeverantis, quæ proinde totam claudit & obſignat. Character Chriſti eſt:* ecce venio cito; *ut jam in ſuperioribus vidimus* (cap. III. 14.) *& mox iterum occurret* (v. 12.) &c. In eandem ſententiam diſſerit *Ludovicus Cappellus* in Spicilegio Notarum in N. T. p. 148. Ille vero comma hoc ſeptimum conjungi vult cum capitis XXI. commatibus 5. 6. 7. 8. & commati octavo ſubnecti, ea vero quæ ſunt a v. 8. capitis XXI. usque ad v. 7. hujus capitis XXII.

XXII. inſerta putat, velut per parentheſin, quæ pleniorem continet deſcriptionem Hieroſolymæ cœleſtis, a Deo deſcendentis, cujus meminerat, ſed brevius, v. 2. & 3. capitis XXI. Malim equidem interlocutionem, ὡς ἀπὸ μηχανῆς factam, quæ in ſcriptis Propheticis frequens eſt, quam παρένθεσιν heic agnoſcere.

Verſ. 9. καὶ λέγει μοι, ὅρα μή, σύνδουλός σου γάρ εἰμι) Particulam γὰρ omittunt *Alex. Arethas*, *Athanaſ. Copt. Syr. Græci codd.* omnes, *Latini* quoque omnes & *Cyprianus* tollunt *enim*, teſte *Bentlejo*, qui & ipſe omittit, quod & ante fecerat editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani & nuper *Bengelius*. Non exſtat quoque ſupra c. XIX. 10. loco huic parallelo, ubi vide quæ ſcripſimus contra novam Rev. *Oederi* interpretationem, qui itidem τὸ γὰρ rectius omitti ſtatuit, inque illo omiſſo ſententiæ ſuæ præſidium ex parte invenire ſibi videtur. Obverti vero illi poteſt, omnem hanc Angeli orationem conciſam eſſe & ellipticam, qualis eſſe conſuevit illorum, qui aliquid graviter averſantur. Itaque mirum non foret, ſi vel maxime γὰρ illud a Joanne omiſſum fuiſſet, quod ex ſerie verborum facile ſe unicuique ingerat, ut rationem prohibitionis heic reddi ſibi perſuadeat.

Verſ. 10. καὶ λέγει μοι, μὴ σφραγίσῃς τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου) Chriſti hæc verba eſſe, jam ad v. 7. admonitum eſt, quod & *Grotius* agnoſcit, manifeſtumque fit ex v. 16. ἐγὼ Ἰησοῦς ἔπεμψα τὸν ἄγγελόν μου, μαρτυρῆσαι ὑμῖν ταῦτα. Qui hæc loquitur, Jeſus eſt, ab angelo ſe diſtinguens; idem itaque ad antecedentia illa, cum quibus hæc cohærent, locutus eſſe exiſtimandus eſt.

Verſ. 11. Ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι, καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω ἔτι) Poſterior hæc ſententia a *Grotio*, *Bentlejo* & *Bengelio* ita exprimitur: καὶ ὁ ῥυπαρὸς ῥυπαρευθήτω ἔτι. Provocant illi ad *Complut. Andr.* & codices Græc. fere omnes. Quod ſi τὸ ῥυπαρευθήτω germana ſit lectio, S. Joannes tali verbo uſus dicetur, quod alibi fruſtra quæras, & Lexica ad unum omnia ignorant, nempe ῥυπαρεύω. Pro ea enim Scriptores habent nunc ῥυπόω, nunc ῥυπάω, nunc ῥυπαίνω. Ῥυπᾷν & ῥυπῶν de *ſqualido* aliquoties adhibet *Ariſtophanes* v. c. in *Avibus* v. 1282. *Pluto* v. 266. & *Lyſiſtrata* v. 279. Cl. *Bengelius* in Apparatu Critico ad h. loc. pag. 856. tradit, Græcos non ῥυπόω ſed ῥυπάω in neutro ponere. Vereor, ut hoc probari poſſit.

καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι) *Bentlejus* & *Bengelius* ita: καὶ ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι. In fidem lectionis afferunt, *Complut. Alex. Andr. Cov. Hunt.* M. *Pet.* 2. 3. *Seidel. Sin. Steph.* ιϛ. *Uffenb.* & ceteros omnes, *Areth. Syr. Arab. Latinos* veteres, qui fere omnes habent: *& juſtus juſtitiam faciat adhuc.*

καὶ

καὶ ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἔτι) Ad hæc verba Cl. *Schœtgenius* adfert illud ex *Jalkut Rubeni* fol. 125. 2. *Quicunque ſanctificat ſe ipſum, Deus quoque ipſum ſanctificat ſecundum* Levit. XX. 7. Et ſanctificate vos, & eſtote ſancti.

De ſenſu horum verborum legantur ex noſtratibus B. *Jo. Fechtius* in Philocalia Sacra p. 13. *Alethæus* Tom. II. der Erläuterung p. 749. ſqq. & *Amelius* Parte II. der Erörterung p. 552. ex Reformatis *Jo. Cloppenburgius* Tom. I. p. 276. *Spanhemius* in Dubiis Evangelicis p. 894. & 900. & *Jo. Vorſtius* Diſſertt. Sacr. lib. III. p. 117. Quod ad priorem ſententiam ſpectat, *ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι*, nemo eſt, qui dubitet, hæc per *συγχώρησιν* nudam explicanda eſſe, quæ in ſacris literis frequens eſt, v. c. *Eccleſ.* XII. 1. *Ezech.* XX. 39. &c. quod ad poſteriorem, res ipſa, de qua agitur, eam inſtar mandati accipere jubet. Heic vero dubium eſt, utrum de juſtitia *inhærente* homini, an *imputata* per Chriſtum ſermo ſit. De inhærente accepit B. *Lutherus*, ita convertens: wer fromm iſt, der ſey immerhin fromm; atque idem Theologos noſtrates ante B. *Jo. Gerhardum* omnes accepiſſe *Fechtius* l. c. affirmat. Atque hos ſequuntur illi, quos modo appellavimus. Alii vero de imputata interpretari malunt, hoc ſenſu: *qui juſtificatus eſt, in ſtatu juſtificationis perſiſtat.* Ita *Fechtius* l. c. Nec aliter *Witſius* Oeconomiæ lib. III. c. 8. §. 11. ita *παραφράζων*: *quicunque per fidem juſtus à Deo reputatus eſt, id ſibi operæ datum exiſtimet, ut illam juſtificationem ſuam coram hominibus & ad propriam conſcientiam ſuam factis comprobet.* Similiter Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem B. Lutheri german. p. 219. Wer ohne Gerechtigkeit iſt, der mag ferner hin (auf ſeine Verantwortung) in dem Stande der Ungerechtigkeit verbleiben; und wer unrein iſt, in ſeiner Unreinigkeit ferner beharren (auf ſeine Gefahr.) Wer aber gerecht iſt, der verharre ferner in dem Stande, daß er vor gerecht gehalten werde, und werden könne (er ſehe zu, daß er aus der Gnade der Rechtfertigung nicht falle, ſondern darinn beſtändig nach GOttes Buß-und Glaubens Ordnung bleibe; und wer heilig iſt, der laſſe ferner ſich (durch GOttes Geiſt) in der Heiligung bewahren und fortführen. Quod ſi lectionem illam, *ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι*, tot codd. & verſionibus firmatam, amplectimur, de inhærente juſtitia ſermonem eſſe omnino judicabimus. De illa enim Joannes eandem phraſin adhibet 1. ep. II. 29. & III. 9. *ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην, δίκαιός ἐστι, καθὼς ἐκεῖνος δίκαιός ἐστι.* & v. 8. *ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί.* Idem porro ſenſus ex eo firmatur, ſi comparemus phraſes, ſibi invicem in hoc commate oppoſitas. In priori membro commemoratur *ἀδικῶν* & *ῥυπαρὸς*, in poſteriori *δίκαιος* & *ἅγιος*. Quemadmodum igitur *ἄδικος*, *ἀδικία* & *ἀδικεῖν*, *ῥύπος* item & *ῥυπαρὸς* de peccatis & vitiorum ſordibus in ſacris literis accipitur; ita vi oppoſitionis *δίκαιος* & *ἅγιος* is dici recte exiſtimabitur, qui virtutibus ſtudet. Accedit præſidium ex v. 12. ubi diſerte operum fit mentio: *ἔρχομαι ταχὺ — ἀποδοῦναι ἑκάστῳ,*

ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται. Nec minus ex v. 14. ubi obſequium, præceptis divinis præſtitum, commendatur: *μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ*, quemadmodum v. 15. homines ſordidi & flagitioſi inſtar canum ejiciendi dicuntur. Neque vero ſic aliquid diminuetur de juſtitia Chriſti ad ſalutem imputata & neceſſaria. Quemadmodum enim ſine illa prævia homo ad ſtatum juſtificationis ne quidem perducitur; ita multo minus ſine ea in eodem ſtatu perſeverare, atque adeo juſtitiæ ſtudere poterit. Nec obſtat quicquam, quo minus vocem *δίκαιος* h. l. in latiore ſignificatu accipiamus, ut hominem juſtificatum & juſtitiæ cum maxime ſtudentem indicet.

Verſ. 12. *καὶ ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ, ἀποδοῦναι ἑκάστῳ ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται*) Ita codd. plerique omnes. Sed vel ſic ultima verba ita refingit *Bentlejus*, *ὡς τὸ ἔργον ἐστὶν αὐτοῦ*, *Alexandr. Gallicum* unum & *Syrum* appellans. Conf. *Raitbii* Vindicias verſionis Lutheri p. 616. & *Schotti* Adagialia N. T. ad h. l.

Verſ. 13. *Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος*) Vide quæ ſcripſimus ſupra ad I. 8. 11. & quos ibi appellavimus. Illis adde nunc *Samuelis Reyheri* Matheſin Moſaicam in Appendice, Loc. 47. ubi de ſigillo Chriſti Α *καὶ* Ω. *Jo. Dougtaum* in Analectis Sacris N. T. Exc. CIX. *Schottum* in Adagialibus, & Anonymi *cogitata Theoſophica* de Α & Ω, quæ leguntur im Heßiſchen Heb-Opfer Faſcic. II. p. 191. ſqq. ubi, quæ utriusque literæ adfectiones ſunt Grammaticæ, aliæve proprietates, non ſine ingenio quodam ad Dominum noſtrum accommodatur. Similia his adfert Cl. *Offerhauſius* loco ad I. 8. citato.

ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος) Ita codices ad unum omnes & verſiones quoque, niſi quod in nonnullis hæ voces, mutato ordine, præmittantur illis: *ἀρχὴ καὶ τέλος*. Et vel ſic illæ ab interpolatoribus repetendæ viſæ ſunt *Artemonio*, i. e. *Sam. Crellio*, in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto Parte I. c. 44. p. 244. ſqq. ubi locum hunc inter eos adfert, qui *ſolo ingenio abſque exemplo ullius codicis emendandi* veniant. Elogium itaque illud, *τὸ* Α *καὶ τὸ* Ω, *ἀρχὴ καὶ τέλος*, pro *titulo Dei Patris* habet, hunc vero titulum Filii, *primus & ultimus*, eo conſilio ab interpolatoribus additum exiſtimat, ut *Filius idem Deus cum Patre haberetur.* Hoc oſtenſurus, ipſam illam, quam diximus, ordinis varietatem ad partes vocat, *tanquam loci interpolati indicium.* Hoc vero argumentum parum ſe probaverit illis, qui ſciant, nihil frequentius eſſe in libris tum ſacris, tum profanis, quam ut ordo phraſium a librariis interdum caſu quodam mutetur, quem tamen caſum *Artemonius* heic adeo non agnoſcit, ut malo potius conſilio omne hoc tribuat. Suffecerit nobis, ex illa ordinis mutatione nihil de ſententia verborum decedere, neque rationem reddi poſſe, cur *data opera* nonnulli ordinem verborum mutaverint. Rectius ſibi conſuluiſſet, ſi ante omnia provo-

Digitized by Google

provocaſſet ad *Coptum* Interpretem *Wilkinſianum*, in quo hoc elogium prorſus deſideratur. Hujus tamen exemplum ut codicem aliquem præſtruit; ita *γνησιότητι* receptæ & communis lectionis *Copti* auctoritas h. l. non magis obeſt, quam in pluribus aliis locis, ubi itidem ab omnibus codicibus deſeritur, officit.

Cardo rei in eo vertitur, ut oſtendat *Artemonius*, elogium *τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος*, titulum Patris eſſe in omnibus, in quibus exſtat, locis Apocalypticis. Hoc oſtenſurus ille a cap. I. 8. facit initium in hanc ſententiam: *Joannes ſalutat Eccleſias* I. 4. 5. *nomine Dei Patris, ſeptem Spirituum & Jeſu Chriſti, quem adſerit* v. 7. *venturum in nubibus, &, ut nos ejus adventus reddat certiores, addit ſtatim verba Dei Patris, promiſſionem de adventu iſto confirmantis: ναὶ, ἀμὴν, ἐγώ εἰμι τὸ Α* &c. Sic, Amen, Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus, qui erat, & qui eſt, & qui (*una cum Filio & in Filio*) venturus eſt, ille omnipotens, *qui cum ſit omnipotens, efficiet omnino, ut Jeſus Chriſtus iterum appareat. Ejus enim apparitionem, ut Paulus ſimili modo,* 1 Tim. VI. 15. *emphatice docet, propriis temporibus exhibebit, & oſtendet nobis Deus Pater, ille beatus, ille ſolus δυνάστης, i. e.* ille omnipotens. *Fuit in primo Chriſti adventu* Alpha, *erit in ſecula* Omega, *& oſtendet, ſe etiam ejus rei non ſolum principium, ſed & finem, conſummationem ac perfectionem eſſe. Voces:* Sic, Amen; *merito ad v.* 8. *referimus, & ipſi Deo Patri, tunc interloquenti, ac rem confirmanti adſcribimus. Sic cap.* XXI *introducto Deo Patre v.* 5. *omnium rerum creatarum innovationem promittente, poſtea ſtatim* v. 6. *pro iſtis verbis*, ſic, Amen; *eum, γέγονε*, factum eſt, *dixiſſe teſtatur*: & dixit mihi: Factum eſt; ego ſum Alpha & Omega, principium & finis &c. *Eundem ergo Deum Patrem, etiam cap.* XXII. 10-13. *loquentem introducit*: Et ecce venio cito (*veniet enim Filio conjunctus, conf.* 1 Jo. II. 28. 29. *coll. cum* v. 24. & III. 2.) & merces mea mecum (*ex* Jeſ. XL. 10.) *reddere cuique, prout opus ejus erit. Cujus ſui adventus nos eo certiores reddens, addit etiam hic cap.* XXII. (*ut cap.* I. 8. *eodem fine addiderat*) Ego ſum Alpha & Omega, principium atque finis. *Prorſus ergo incongrue h. l. titulus Filii*, ille primus & ille ultimus, *ab aliis interpoſitus, ab aliis appoſitus eſt. Non enim hic Filius ipſe, ſed Pater de Filio, aut de ſuo adventu in Filio, loquitur. Idque eo magis incongrue factum, quod verba Dei Patris hic verbis Jeſu Chriſti contradiſtinguantur. Chriſtus enim demum* v. 18. *loquens introducitur.* Ego, Jeſus, miſi Angelum meum, teſtari vobis iſta in Eccleſia. Ego, ſum radix, & genus Davidis, illud aſtrum lucidum & matutinum. *Et notanda hic eſt titulorum diverſitas atque oppoſitio. Pater de ſe* v. 13. *dicit:* Ego ſum Alpha & Omega, principium, & finis; *Filius vero de ſe dicit:* Ego ſum radix & genus Davidis, illud aſtrum lucidum & matutinum. *Nec tamen hic addit*: Ego ſum ille primus, & ille ultimus. *Agit enim hic de ſola ſua gloria Salvator noſter, cum qua vox ulti-*

mus non congruit, & in ea locum non habet, ut ſtatim apparebit. Et hinc etiam eo magis apparebit falſitas illius lectionis in editionibus noſtris, cap. I. 11. *ubi Joannes audiviſſe dicitur vocem dicentem:* ego ſum Alpha & Omega, primus, & ultimus. *Quod ſi vox* ultimus, *ubi de mera gloria Filii agitur, locum non habet, multo minus cum titulo Patris jungi potuit. Nec ſane iſta cap.* I. 11. *exſtant in pluribus bonæ notæ codicibus. Alibi quoque Spiritus Dei cum vocibus* Alpha & Omega, *non voces* primus & ultimus, *ſed* principium & finis, *aliquoties jungit.*

Hæc quidem ſunt, quæ *Artemonius* primo loco affert, ut oſtendat, Deum Patrem I. 8. appellari *α καὶ ω, ἀρχὴν καὶ τέλος*. Nihil novi heic quidem invehit, quandoquidem alii ex Socinianis jam ante idem perſuadere aliis ſtuduerunt. Ita *Socinus* Reſponſ. ad *Wujeckum* p. 147. adfirmare audet, *inepte & ridicule locum hunc ad Chriſtum detorqueri.* Conſentiunt *Enjedinus* & *Volkelius*, quorum locos habes apud B. *Calovium* noſtrum in Apodixi fidei Catholicæ de præexiſtentia Filii Dei ante nativitatem temporalem cap. XXVI. p. 231. data opera hæc confutantem. Nos h. l. in illis hærebimus, quæ *Artemonius* adfert. Is primo quidem opinatur, voces *ναὶ, ἀμὴν*, referendas eſſe ad initium commatis octavi, atque hoc una cum illis duabus adſeverandi formulis a Patre interloquente, & adventum Chriſti confirmante, profectum eſſe. Contra hæc ſupra ad I. 7. eviciſſe mihi videor, *τὸ, ναὶ καὶ ἀμὴν* h. l. Joannis eſſe, qui v. 5. & 6. Chriſtum a variis beneficiis, humano generi præſtitis, celebraverat, & v. 7. adventum ejus ultimum deſcripſerat. Id patere dixi ex collato *Apocal.* XXII. 20. ubi Domini noſtri profeſſioni: *ναὶ, ἔρχομαι ταχὺ*, ad adventum extremum pertinenti, ſubjicitur a Joanne: *ἀμὴν, ναὶ, ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ*. Jam hæc addo. Joannes v. 6. beneficium Domini noſtri prædicans, & doxologiam ſubjungens, addit adſeverandi particulam, *ἀμήν*. Cur non idem feciſſe exiſtimandus eſt, quando mox commemorat ultimum illud in his terris beneficium, quod adventu ejus glorioſo, & ad fidelium ſalutem relato, continetur? Cur non heic æque, *ναὶ, ἀμὴν*, atque ibi *ἀμὴν* ſubjeciſſe cenſebitur? Jam pergit Joannes v. 8. commemorare eum, ad quem tota illa Apocalypſis refertur, facta ſummaria deſcriptione perſonæ & majeſtatis ejus, quemadmodum v. 4. Patrem deſcripſerat per *τὸ, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος*. Hoc patet ex interjecta commati huic phraſi, *λέγει ὁ Κύριος*, *ait Dominus.* Hæc ſcilicet verba ſunt Joannis, verba Domini, quæ mox ex ipſo auditurus erat, recitantis. Quis vero ille *Κύριος*? Non alius utique, quam qui hoc nomine in Novi Inſtrumenti tabulis frequentiſſime appellatur. Is, de quo Paulus 1 *Cor.* VIII. 6. *ἀλλ' ἡμῖν —— εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ*. Is denique, ad quem Joannes XXII. 20. *ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ*. Dixi, Joannem hic recitare vocem, quam mox auditurus erat ex ipſo Domini loquentis ore. Ita enim ait v. 11. ſe audiiſſe vocem dicentem:

tem : Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. Eam vero vocem a Domino noſtro prolatam eſſe manifeſtum fit ex v. 13. ubi loquens ille apparet Joanni inter ſeptem candelabra medius, ὅμοιος υἱῷ ἀνθρώπου. Conf. v. 18. Neque vero excipi poteſt, quod hoc modo Chriſto tribuatur idem elogium quod v. 4. Patri tribuitur: ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ἐρχόμενος. Chriſto enim ſæpe ea tribui, quæ Patri, ut alias ſatis conſtat, ita ad h. l. oſtenſum eſt a *Calovio* l. c. pag. 234. Idem appellatur ὁ παντοκράτωρ, *omnipotens*. Et qui ita non appellaretur, qui dicere poterat: ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, *Matth.* XXVIII. 18. Conf. ad *Philipp.* II. 9. ſeqq. *Artemonius* quidem, ut vocem hanc Patri vindicet, id inprimis urget, quod infra XXI. 5. ubi inſidens throno dixiſſe narratur: γέγονε, & ſtatim ſubjeciſſe: ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος. Hæc vero verba a Patre ait eſſe profecta, tanquam qui in throno ſedens repræſentari ſoleat. Enimvero & Chriſtus de ſe III. 21. ait: ὡς κἀγὼ ἐνίκησα, καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῷ θρόνῳ αὐτοῦ. Itaque & h. l. ille, qui throno inſidet, de Chriſto accipi poteſt. Imo vero accipi debet. Id patet ex addito mandato: γράψον, *ſcribe*. Hæc mandandi formula, præter h. l. undecies in Apocalypſi occurrit, ſemper vero ita, ut Chriſto tribuatur. Itaque nec h. l. ad Patrem transferri poteſt. Idem evincunt cetera *prædicata*. Chriſtum enim πάντα καινὰ ποιεῖν, *omnia facere nova*, nec ipſi Sociniani diffitentur. Chriſtus dat *bibere e fonte aquæ vivæ*. Ipſe enim *Joh.* IV. 14. Ὃς δ' ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος, οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. Et infra XXII. 17. ὁ διψῶν ἐλθέτω, καὶ ὁ θέλων λαμβανέτω τὸ ὕδωρ ζωῆς δωρεάν. Itaque nihil hactenus attulit *Artemonius*, quod vocem hanc, atque adeo elogium: ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω cap. I. 8. Patri vindicet. Proinde nec rectius h. l. ad eundem referetur. Imo vero, quæ inde a v. 10. ſqq. leguntur, Chriſti omnino eſſe, ſupra oſtenſum eſt, & vel ex phraſi illa apparet: καὶ ἰδοὺ ἔρχομαι ταχύ. v. 12. Illa enim frequens eſt in hoc libro, & ſemper de Chriſto adhibetur, ſive de judicio ſpeciali ſive univerſali illo ſermo fit. Vide v. c. I. 7. II. 5. 16. III. 11. XVI. 15. & XXII. 20. Nec ſufficit dicere, *Deum Patrem Filio conjunctum venturum*. Joannes 1 epiſt. II. 28. Filii παρουσίαν, nempe ad judicium, ſimpliciter commemorat, neque ullam Patris mentionem facit; hæc vero fruſtra ex commate 20. cum hoc comparato, ab *Artemonio* elicitur. Neque enim ſequitur, quoniam in *Filio* & *Patre* manere jubemur, ideo Patrem æque ac Chriſtum, ut futurum judicem, repræſentari. Expendatur, quæſo, diſertum Chriſti oraculum *Joh.* V. 22. 23. Οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ. Ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. Taceo, Chriſtum in forma hominis viſibili, quæ in Patrem non cadit, ad judicium venturum. Vide *Matth.* XXIV. 30. καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. Tunc *ſedebit ſuper thronum gloriæ* Matth. XXV. 31. quemadmodum heic repræſentatur, ut *throno inſidens*. Tunc

Digitized by Google

ſam atque indicatam. Alpha *quidem* & Omega *prima & ultima eſt, in alphabeto Græco litera, qua Deus Opt. Max. deſignatur, prout etiam Cabbaliſtæ eum* את Aleph Tau *vocant. Et putare quis poſſet,* principium & finem, *nihil aliud eſſe, quam explicationem* τοῦ Alpha & Omega. *Sed primo, ſi* principium & finis *nil niſi* τοῦ Alpha & Omega *explicatio eſt: ergo &* primus & ultimus, *ſi eodem verſu legi debet, nil niſi altera* τοῦ Alpha & Omega *explicatio eſſet: at vero, quid erat neceſſe, unam rem bis eodem loco explicare? Secundo, cum vox* Alpha *non tantum principium alphabeti, ſed etiam rem aut perſonam omnino* præſtantem *atque* notabilem *deſignet; &* Omega *non tantum alphabeti finem verum etiam* O magnum *ſignificet, adeoque eum, qui in fine magnus & notabilis eſt, indicet; patet hinc, titulum ſequentem,* principium & finis, *non exprimere omnem* τοῦ Alpha & Omega *emphaſin, adeoque aliud quid præterea ſignificare. Quod ſi vero* principium & finis *non exprimit, nec exhaurit voces illas* Alpha & Omega, *multo minus phraſis illa,* primus & ultimus. *Principium & finis Deus non reſpectu ſuæ perſonæ, ſed aliarum rerum vocatur, quas non tantum incipit, ſed & ad optatum finem perducit & conſummat. Qui autem* primus & ultimus *dicitur, reſpectu ſuæ ipſius perſonæ ita dicitur, ſi phraſis iſta,* primus & ultimus *a* principio & fine *differt, & diverſum quid ſignificat. Prout ſane diverſum quid ſignificat, aut mera eſt tautologia. Si non eſt tautologia, ergo, prout* principium & finis *differt ab* Alpha & Omega, *ſic quoque* primus & ultimus *differt a* principio & fine. *Quod ſi vero is, qui* primus & ultimus *dicitur, reſpectu ſuæ ipſius perſonæ ita dicitur, bifariam ita dici poteſt, aut reſpectu* temporis, *aut reſpectu* dignitatis & indignitatis. *Reſpectu* temporis *nec Deus nec Chriſtus* ultimus *dici poteſt. Nam omnes res a Deo creatæ, a Deo procedentes, Deo & Jeſu Chriſto Salvatori ſemper coëxiſtent. Deus enim eas non annihilabit, ſed omnia nova faciet & reſtaurabit. Ergo* primus & ultimus *non niſi altero reſpectu ſumi poteſt; & nihil aliud, quam* præſtantiſſimum & abjectiſſimum, contemptiſſimumque *ſignificat, qui titulus Deo Patri aptari nequit. Ergo* Apocal. XXII. 13. *a ſciolis abſurde cum titulis Dei Deoque dignis, cum* Alpha & Omega, *& cum* principio & fine *omnium rerum, conjunctus eſt.*

Hoc ſcilicet agit *Artemonius*, ut oſtendat, tautologiam h. l. agnoſcendam eſſe, ſi verba ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ceteris ἀρχὴ καὶ τέλος a Joanne juncta credamus. Nihil equidem hujusmodi video. Duplicem enim expoſitionem affert Joannes, ſed diverſo reſpectu. Primum τὸ Α & Ω explicat per ἀρχὴν καὶ τέλος ad illarum literarum conditionem reſpiciens, quæ ita comparata eſt, ut binæ illæ in alphabeto Græcorum reliquarum hinc initium, hinc finem faciant. Eadem eſt ratio τοῦ א & ת apud Hebræos. Hinc fit, ut Hebræorum magiſtri eadem ratione duas illas literas myſtice interpretentur. Ita *Jalkut Rubeni* fol. 3. 2. ad verba *Geneſ.* I. 1. את השמים ſic commentatur: *In voce* את *comprehenduntur omnes*

vero vocatur, quod exiſtet, quamdiu aliquid exiſtet, &, ubi omnia pro nutu ejus perierint. Ita apud Jeſaiam c. 45. & 48. ſpeciatim tanquam *primus & ultimus* opponitur Diis gentilium, hoc utique ſenſu, quod Deus revera erat ante, quam deaſtri illi hominum animis effingerentur, & futurus quoque eſt poſt eos, ubi eorum memoria & cultus etiam ex hominum animis perierit, Deusque ſe ſub finem ſæculi ut ſummum illud & unicum Numen oſtenderit. Videamus nunc, qua ratione voci ἔσχατος, reſpectu ad Chriſtum habito, *abjectiſſimi* ſignificatum vindicare conetur.

Utique, inquit p. 248. *his verbis*, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ille primus & ille ultimus, *Filius hominis ſe ipſum, tanquam titulo ſibi maxime proprio, cap.* I. 17. *& cap.* II. 8. *deſcribit, aut deſignat. Cum Joannes, perſecutionem propter Jeſu teſtimonium paſſus, in inſula Pathmo procul ab humaniori ſocietate verſaretur, atque ſic indigno modo tractaretur; ac tunc viſa Filii hominis majeſtate perculſus pro mortuo ad pedes ejus procidiſſet, ille, Joannis ſui amantiſſimus, inclinato ad eum capite & corpore, imponit ei dextram, ſeptem ſtellis fulgentem, & his verbis eum affatur, atque erigit:* Ne time, ego ſum ille primus & ille ultimus, *videlicet inter filios hominum; ego ille præſtantiſſimus omnium, à mundo adeo contemtim habitus & deſpectus, ſimul fui ille ultimus & abjectiſſimus; ne igitur, homo mihi dilectiſſime, animum deſponde; licet te mundus ultimo habeat loco, & deſpiciat omnino, es tamen mihi chariſſimus, & in oculis meis primus, & dextra mea ſeptem ſtellis ornata coronaris. Macte & exemplo meo, & imitatione mei. Conſuevit Salvator in exordiis epiſtolarum, ad ſeptem illas Eccleſias datarum, cognomina ſibi dare ex primo capite Apocalypſeos deſumta, & ad ſtatum iſtarum Eccleſiarum apprime accommodata. Scribens ergo ad Smyrnenſes pauperes & adflictos, ſibi tamen valde dilectos, & nullius criminis reos, iſtis utitur verbis:* Hæc dicit ille primus & ille ultimus; *in conſolationem nempe Smyrnenſis Eccleſiæ, præſtantiſſimæ ſimul, & in oculis hominum ultimæ, abjectæ, adflictæ atque depreſſæ. Deinde titulus iſte* primi & ultimi *utroque loco jungitur cum commemoratione mortis & reſurrectionis.* Ego ſum ille primus & ille ultimus, ille vivens, (*vivificans*) & fui mortuus. *Et poſtea:* hæc dicit ille primus, & ille ultimus, qui erat mortuus & revixit. *Ut adeo iſta omnia probent, titulum* primi & ultimi *Chriſto, Filio hominis, in Apocalypſi ita eſſe proprium, & ita ejus excellentiam & exinanitionem hic exprimi, ut plane incongruum ſit, eum cum titulis Dei Patris, cum Alpha & Omega, principio & fine, miſceri. Quod cum Apoc. XXII.* 13. *fiat, &c.*

Jam ſupra ad I. 17. obſervavi, *Artemonium* præter rem vocem ἔσχατος eo loco per *abjectiſſimum* interpretari, ut ſic Joannes, tanquam abjectiſſimus & contemtiſſimus hominum, a pavore ſuo, quem Dominum conſpiciens ſentiebat, eo melius revocaretur. Nonne enim pavor hic æque amoveri poterat, ſi intelligeret Joannes, cum eo ſibi rem eſſe, qui pro divina ſua omnipotentia omnia nunc præſtare poſſet; cum eo etiam, qui olim

Digitized by Google

fuerit mortuus, jam vero vivat, adeoque is ſit, quem ut Salvatorem ſuum recte agnoverit? Hac ſcilicet ratione Dominus ſe Joanni ut Deum vivum, & ut hominem, olim pro hominibus, & ipſo adeo Joanne, mortuum, repræſentabat, ut non minus, quam Thomas olim, Chriſtum ex mortuis excitatum conſpiciens, fiduciæ plenus dicere poſſet: ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, *Joh.* XX. 28. *Artemonii* cogitata aliquam veri ſpeciem haberent, ſi pavor ille Joannis ex oborta illi tunc temporis calamitate, quæ ſolatio aliquo eſſet demulcenda, ortus fuiſſet. Jam vero omnis ille metus ex illuſtri illa Chriſti apparentis ſpecie, quæ oculis, inſtar ignis fulgentibus, & gladio, ex ore prodeunte, pavorem incutiebat, oriebatur. Nonne vero ille propelli poterat, ſi intelligeret Joannes, eum ſe videre, qui in omni ſua majeſtate ſibi ita ſit propitius, ut ſe voluntatis ſuæ interpretem ad Eccleſias eſſe jubeat? Ita enim ſtatim Dominus ad Joannem: γράψον ἃ εἶδες. Idem ſcilicet hic uſu veniebat Joanni, quod olim diſcipulis ejus. Illi enim, Dominum ex mortuis excitatum videntes, quoad ſpectrum ſibi videre videbantur, metu erant exanimes; animum autem ſumebant, cum intelligerent, cum eo ſibi rem eſſe, quem vivum Deum Dominumque ſuum agnoviſſent. Nulla itaque cauſa eſt, cur Dominus priſtinam ſuam eamque abjectam conditionem Joanni in animum, ad levandum metum ejus, revocare voluerit. Quod ſi hæc Domino mens fuiſſet, dicturus potius erat: ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος, καὶ ἐγενόμην ἔσχατος, quemadmodum v. 18. ait: καὶ ὁ ζῶν (ſcilicet εἰμι,) καὶ ἐγενόμην νεκρός. Jam vero de præſente ſua conditione, omni ex parte majeſtatica, ait: ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. Quemadmodum vero ad Joannis calamitatem h. l. non reſpicitur, ita nec neceſſe eſt, ut II. 8. Smyrnenſis Eccleſiæ, calamitatem in cauſa fuiſſe putemus, cur hunc inprimis titulum in allocutione ſua Dominus ſibi tribuat. Nam & illa bono animo eſſe poterat, ſi certa eſſe juberetur de divina majeſtate & vita Domini ſui, pro ſe olim mortui. Neque juvat *Artemonium*, quod titulus, *primus & ultimus*, cum morte & reſurrectione utrinque conjungatur. Alterum enim non explicat alterum, ſed alterum divinæ naturæ & majeſtatis, alterum humanæ naturæ, divinæ majeſtatis uſui pleniſſime vindicatæ, argumentum eſt.

Facile perſpexit *Artemonius*, ſententiæ ſuæ inprimis obſtare illos *Jeſaiæ* locos, ubi Deus vocatur ראשון ואחרון, *primus & ultimus.* Videndum igitur eſt, quomodo ab illis ſe extricet. *Objectioni*, inquit p. 249. *tamen graviſſimæ adhuc reſpondendum eſt. Nempe* Jeſ. XLI. 4. XLIV. 6. & XLVIII. 12. *Deum Summum, Deum Patrem vocari* primum & ultimum; *ergo & in* Apocalypſi *cap.* XXII. 13. *ita vocari potuiſſe. Reſpondeo: Ita quidem* Vulgatus *Interpres Latinus hos locos* Jeſaiæ, *ex Apocalypſi* Joannis *perperam intellecta, vertit, ſed non ita* LXX. *Interpretes, quorum ſtylum Scriptores N. T. ſequi conſueverunt. Deinde Hebrææ voces* riſchon ve ahharon *non*

ſolum

ſolum adjective, ſed etiam ſubſtantive principium & finis, *verti poſſunt, imo & adverbialiter nonnunquam in Scriptura ſumuntur. Eadem enim vox Hebræa pro re nata non tantum adjective, ſed & ſubſtantive reddi ſolet, ut etiam ex iis, quæ infra Parte* II. c. VI. §. 2. *dicimus, patet. Et notum eſt, Interpretes & Lexicographos vocem* riſchon *Jerem.* XVII. 12. *vertere* principium, *ergo & vox* ahharon, *ei è diametro oppoſita atque reſpondens,* finis *verti poteſt.*

Hæc generatim monet *Artemonius*, ut oſtendat, verba *primus & ultimus* hic locum habere non poſſe, cum in illis, qui ut paralleli adferuntur, *Jeſaiæ* locis longe alium ſenſum habeant voces Hebraicæ, *riſchon veahharon*, de Deo adhibitæ. Propterea Vulgatum Interpretem culpat, qui *Jeſaiæ* mentem male ita expreſſerit, & originem erroris ex Apocalypſi Joannea perperam intellecta repetit. Quaſi vero voces Hebr. *riſchon veahharon* adeo raræ ſint, in Veteri Codice, ut Interpres aliquis in Novo Teſtamento notionem earum quærere debeat. At *οἱ* LXX. tamen aliter verterunt. Quid tum? Non crediderim, *Artemonium* illos pro norma certiſſimæ & fidiſſimæ interpretationis habere, quos frequenter lapſos eſſe non ignorat. Sit ita, Scriptores N. T. ſtylum eorum ſequi ſolere. At non ſemper ſequuntur, neque Joannes ſpeciatim ſecutus eſt, v. c. cap. I. 7. *καὶ ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμὸς καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν, καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς.* Ibi enim *οἱ* LXX. ita: *καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν κοπετόν.* Omitto locos ſimiles. Largior, vocem *riſchon* pro re nata verti poſſe ſubſtantive per *initium*, quod factum eſt a Græcis *Jerem.* XVII. 12. מראשון מקרום קרשׁינו ubi in nonnullis codd. ita: *ἀπ' ἀρχῆς ἁγίασμα ἡμῶν.* Ibi vero vox ראשון non nude poſita eſt, ſed cum particula מ conjuncta, totaque phraſis indicat, in Hebræo ſubſtantivum aliquod ſubintelligendum eſſe, cujus ellipſis recte exprimi poterat per *ἀπ' ἀρχῆς.* Per ſe quidem vox *riſchon* adjectivi formam habet, quod ex feminino ראשונה patet. Atque eadem eſt ratio vocis אחרון, quam tamen vel ſic Græci nunquam per *τέλος*, *finem*, expreſſerunt.

Sed conſideremus, ita pergit *Artemonius* pag. 250. *ſigillatim iſta Jeſaiæ dicta: differunt enim ab invicem. Primo loco eſt* אני יהוה ראשון ואת אחרונים אני הוא LXX. *reddunt: ἐγὼ Θεὸς πρῶτος, καὶ εἰς τὰ ἐρχόμενα ἐγώ εἰμι.* i. e. *Ego, Deus primus, & in ea, quæ ventura ſunt, ego ſum. In ſecundo eſt:* Sic dicit Dominus, Rex Iſraël, & ejus Redemtor, Dominus exercituum, יהוה צבאות אני ראשון ואני אחרון ומבלעדי אין אלהים LXX. *Ἐγὼ πρῶτος, καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα, πλὴν ἐμοῦ οὐκ ἔστι Θεός. Ego primus & ego poſt hæc, præter me non eſt Deus: ubi cum poſuerint, πλὴν ἐμοῦ, & non καὶ πλὴν ἐμοῦ, videtur inde ſequi, in Hebræo eos non* ומבלעדי *ſed ſolummodo* בלעדי *legiſſe, adeo, ut literæ iſtæ* ומ *pertineant ad finem vocis præcedentis* אחרון & Jod *pro* Vau *repoſito, ita eſſe legendum:* ואני אחרונים בלעדי אין אלהים

אלהים *Adeo ut locus iſte ſecundus cum primo, quoad vocem* ahharonim *accurate conveniat. In tertio quidem loco nunc legimus* אני הוא אני ראשון אף אני אחרון *Sed cum LXX. hic habeant*, Ego ſum primus, & ego ſum in ſæculum, *ἐγώ εἰμι εἰς τὸν αἰῶνα, apparet hinc, Interpretes iſtos vocem* ultimus *de Deo Summo neutiquam uſurpare voluiſſe, & ſtudioſe vitaſſe. Verum etiam hoc poſtremo loco, fortaſſe non* אחרון *ſed* אחרונים, *ut in prioribus duobus locis in Hebræo textu olim exſtabat. Non tantum, quia in duobus locis, in ſimili plane argumento, ab Eſaia vox pluralis eſt adhibita, ſed etiam, quia Chaldæus Interpres omnes tres locos ſimili prorſus modo vertit. Nam pro voce Hebraica, quam etiam hoc tertio loco* אחרונים *fuiſſe probabile eſt, habet ubique:* etiam ſæcula ſæculorum mea ſunt. *Ergo nec id pro certo aſſerere potes, quod in Hebr. textu vox* אחרון (*quam Vulgata* ultimus *reddit*) *apud Eſaiam ullibi de Deo ſummo re ipſa reperiatur. Illas etiam voces*, ani riſchon, *quæ ab omnibus vertuntur*, ego ſum primus, *Chaldæus iſte non vertit adjective*, ego ſum primus, *ſed in duobus poſterioribus locis*, ego ſum ab initio; *in primo vero loco habet:* ego Dominus creavi ſæculum a principio. *Deinde cum in ſecundo loco, juxta emendationem noſtram, ſit* ahharonim, *ſi in priore vocem* ואת *non pro conjunctione* cum, *ſed pro nota nominativi accipias, idem prorſus erit utrobique ſenſus:* ego ſum primus, & ego ſum poſtrema, *aut* ultima, *nempe, tempora vel ſæcula, ſi vocem* ahharonim *adjective ſumis. Quod cum nullum commodum habeat ſenſum, imo Deum eſſe tempore* ultimum, *falſum ſit omnino, ut jam* §. 3. *diximus, ſequitur manifeſte, omnes tres locos ſubſtantive eſſe vertendos, duce Apocalypſi, nempe:* ego ſum principium, & ego ſum finis. *Atque ita loci iſti Eſaiæ illis Apocalypticis, ubi Deus ſummus dicit:* ego ſum principium & finis, *perfecte conveniunt, imo in Apocalypſi verba iſta ex his Eſaiæ deſumta eſſe patet. Idque eo magis patet, quod etiam illud dictum*, Ego ſum -- Omega, *ex hoc verbo plurali* ahharonim: ego ſum -- finis, *quodammodo deduci poſſit. Notum enim eſt, voces Hebræas plurales ſignificationem augere, & excellentiorem reddere. Qua de re infra Diſſert. I.* §. 13. *&* 14. *nonnihil attulimus. Cum ergo Propheta prius in ſingulari:* ego ſum principium, (*riſchon*) *locutus, poſtea pluralem*, & ego ſum fines (ahharonim) *ſubjunxiſſet, hac ratione indicavit eum, qui non tantum res inceptas finit & conſummat, ſed etiam in fine & conſummatione magnus, & excellens apparet, magnos atque illuſtres fines facit, atque ita ſe in fine* Omega, O magnum *eſſe oſtendit. Adeo ut, cum emphaſis phraſeos Hebraicæ:* ego ſum riſchon, & ego ſum ahharonim, *una phraſi Græca exprimi non poſſet, duæ ejus loco, nempe*, ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, *in Apocalypſi Joannis, adhibitæ eſſe videantur. Profecto, ſi in voce plurali* ahharonim *tanta emphaſis eſt, etiam hinc patere videtur, eam a Propheta Eſaia omnibus tribus locis fuiſſe uſurpatam, adeoque etiam tertio illo loco, cap.* XLVIII. 12. *omnino* ahharonim, *non* ahharon, *in eodem plane negotio, fuiſſe poſitam.*

Adfert

Digitized by Google

Adfert hæc *Artemonius*, ut probet, ne apud *Jeſaiam* quidem Deum appellari אחרון, ſive *ultimum*. Jam quod ad XLI. 4. ſpectat, legitur utique in Hebr. את אחרונים i. e. *cum ultimis*, neque id inconvenienter verterunt οἱ LXX. per, εἰς τὰ ἐρχόμενα, *in ventura*: non quidem ideo, quod *ultima* de Deo dicere vererentur, ſed quod reſpicerent ad phraſin antecedentem: ὁ καλῶν αὐτὴν ἀπὸ γενεῶν ἀρχῆς. Quemadmodum enim ἀπὸ γενεῶν ἀρχῆς Deus aliquid vocaſſe dicitur, ita conveniens illis videbatur, τὰ ἐπερχομενα ſcilicet γενεῶν nunc commemorari, quæ ſive *ultima* dixeris, ſive *ventura*, quod ad ſenſum nihil intereſt. Qui vero cum futuris eſt, idem quoque vocari poteſt per conſequentiam *ultimus*, cum nihil ſit, quod ſine eo ſequatur. Itaque non mirum eſt, Græcos vocem אחרונים per εἰς τὰ ἐπερχόμενα vertendam cenſuiſſe, cum talis vox in promtu eſſet, quæ & formam pluralem Hebraicæ exprimeret, & antecedentibus γενεαῖς ἀρχῆς reſpondere magis videretur. Quid porro fiet de altero loco XLIV. 6. ubi אחרון diſerte legitur? Corruptelam heic agnoſcas *Artemonii* periculo, & plorare jubeas librarios omnes. Auge vocem אחרון & capitis damna ſequentem ומבלעדי. Memento vero etiam τὸ ו mutare in י. Sic habebis germanam lectionem אהרונים בלעדי. Cur vero ita? Scilicet Græci vertunt μετὰ ταῦτα, & non exprimunt Hebraicum ו. Num vero hinc conſequitur, eos non legiſſe illud ו? Nonne & alibi idem in interpretando omiſerunt, quando exſtat in Hebræo? Non dicam, figuram τῦ ם etiam olim, ut hodie, aliam in fine, aliam in medio & initio vocis fuiſſe. Id enim dubium eſt, quamvis Judæorum magiſtri hanc ſcribendi varietatem ad Moſen referant ad Codicem *Megilla* cap. 1. f. 71. Confer *J. A. Danzii* Literatorem Hebraic. p. 23. not. Id vero certum eſt, τὰς LXX. *Jeſ.* XLVII. 12. loco huic prorſus parallelo τὸ ו ante vocem אחרון legiſſe, & expreſſiſſe. Certum quoque eſt, Chaldæum illud ו legiſſe. Expreſſit enim per אף quod mox patebit. Si conjecturis agere licet, eadem veri ſpecie dicerem, eos nec אחרון, nec אחרונים legiſſe, ſed אחר. Hanc enim vocem illi ſæpiſſime per μετὰ ταῦτα convertunt, vocem vero אחרונים nusquam ita interpretantur, ut h. l. fieri opinatur *Artemonius*. Idem pari ratione graſſatur in XLVIII. 12. eandem vocem אחרונים invehens. Scilicet de ſimili plane heic agitur, quod ait, argumento, de quo in duobus præcedentibus? Nonne vero de eodem argumento phraſes alias atque alias, vel ſaltem cum levicula quadam varietate adhibere licet? Taceo, in primo loco manifeſtam eſſe a ceteris diverſitatem, quod non legitur ſimpliciter אחרונים ſed את אחרונים, quodque præterea in eodem Deus dicitur futurus perpetuo cum *rebus* ſive *actionibus*, ſive *generationibus*; quemadmodum in duobus poſterioribus ſpeciatim ſermo eſt de Diis, qui ſcilicet aliquando etiam in hominum animis ſint defituri, quando Deus ſuam majeſtatem cuique ſpectandam præbebit. Porro, inquit, Chaldæus Interpres tres illos locos ſimili prorſus modo convertit. Accipe verſionem ejus. In

primo ita habet : אנא יהוה, ברית עלמא מבראשית אף עלמי עלמיא דילי אינון. In ſecundo : אנא הוא דמלקדמין אף עלמי עלמיא דילי אינון. In tertio : אנא הוא דמלקדמין אף עלמי עלמיא דילי אינון. Vides hic Chaldæum neque vocem ראשון per adjectivum aliquod v. c. קדמין illi proxime reſpondens, ſed per ſubſtantivum, nempe, nunc בראשית *a principio* nunc per מלקדמין ab *originibus* expreſſiſſe. Hinc patet ratio, cur vocem quoque אחרונים per ſubſtantivum עלמי עלמיא i. e. *ſecula ſeculorum*, ſeu εἰς τὸν αἰῶνα, ut *οἱ* LXX. Jeſ. XLVIII. 12. converterit. Conſtat præterea, Chaldæum non tam Interpretem, vocibus inſiſtentem, quam Paraphraſten agere conſueviſſe. Id apparet inprimis ex verſione loci primi, in cujus calce ea præterea leguntur, quæ in Hebr. non exſtant, ſed ex ſecundo loco mutuo ſumta ſunt, nempe illa : בר מני לית אלהא, quæ ipſa in tertio quoque loco, præter Hebraici contextus fidem, junxit. Num igitur ex ejusmodi interpretandi ratione probabilem conjecturam facere poſſis, quam vocem, quamve vocis formam Interpres in contextu originali invenerit? Certe, ſi me audis, nihil aliud inde collegeris, quam, hunc vel illum ſenſum vocibus lectis accommodatiſſimum viſum Interpreti fuiſſe. *Artemonius* conjecturas ſuas alia, non probabiliore, fulcit. Vocem את in primo loco non pro *conjunctione* (*præpoſitione* ſcribere voluit) *cum*, ſed pro *nota nominativi* caſus haberi cupit, ut ſenſus ſit : *ego ſum poſtrema*. Non jam ingrediar illam diſputationem, inter Philologos olim agitatam, num *τὸ* את aliquando *nominativum* indicet. Nobis h. l. ſuffecerit, monuiſſe, *Artemonium* hac expoſitione & *Græcos*, & *Chaldæum* Interpretes, ceterosque omnes deſerere, atque eam præterea voci אחרונים ut nempe τέλος, ſeu *finem* inferat, ſignificationem ingerere, quæ ſacris literis prorſus ignota eſt. Hac vero ratione ſimul ruit comparatio phraſium Jeſaiæ cum noſtro Apocalypſeos loco, eo fine facta, ut verba ἐγώ εἰμι τὸ Α ϗ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος illa *Jeſaiæ*, אני ראשון ואני אחרון repræſentare exiſtimentur. Repetit denique *Artemonius* id, quod ſupra jam monuerat, Deum non poſſe ullo modo ratione temporis dici *ultimum*. Vide itaque quæ ſupra p. 638. ad hæc regeſſimus.

Sed nondum acquieſcit *Artemonius*. *Diximus*, inquit pag. 252. *a Cabbaliſtis Deum* Aleph Thau, *prima & ultima Alphabeti Hebraici litera vocari, prout in Apocalypſi Græce ſcripta* Alpha & Omega *ex Græco alphabeto vocatur. Voces illæ* principium & finis *deſumtæ ſunt ex Eſaia, quidni &* Alpha ac Omega? *Tranſpone ergo apud Prophetam cap.* XLI. 4. *unicam vocem, & lege* אני יהוה ו את ראשון אחרונים אני הוא *i. e.* Ego (*ſum*) Jehova & Aleph Thau, principium, fines idem ego. *Atqui hoc ipſum verbis illis :* Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, *accurate exprimitur. Si una phraſis ex Eſaia deſumta eſt, etiam altera deſumta eſt.* Aleph & Alpha *eandem ſignificationem ac emphaſin obtinent : quod ſi vero* Omega *majoris eſt emphaſis,*

Digitized by Google

phaſis, quam Hebraicum Thau, *habes viciſſim in* ahharonim *majorem, quam in Græca voce* τέλος finis, *emphaſin. Certe ab Eſaia illud* ואת *ſive id pro nota nominativi, ſive pro conjunctione (præpoſitione* ſcribere voluit) *ſumere velis, commodiſſime abeſſe poteſt; ſed ſi pro nomine Dei* Aleph Thau *ſumatur, magna emphaſi pollet. Deinde prout in Eſaia cum* Aleph Thau *non* primus & ultimus, *ſed* principium & finis, (*aut fines*) *jungitur, ſic & in Apocalypſi cum* Alpha & Omega. *Quam belle ergo omnia conveniunt. Quid ſi etiam tertio loco pro* אף *legeremus* את, *& verba ita transponeremus:* אני הוא אני. א ת אני ראשון אחרונים Ego ſum ſemper idem, ego Aleph Thau, ego principium, fines; *locum elegantem haberemus elegantiorem, & cum primo Eſaiæ loco cap.* XLI. 4. *magis adhuc conveniret. Quid vero ſi arbitraremur, in ſecundo quoque Eſaiæ loco, nempe* XLIV. 6. *olim* Aleph Thau *exſtitiſſe, ſed quia in voce* צבאות Aleph Vau Thau *immediate præcedebat, excidiſſe hic iſtum Dei titulum* Aleph ve Thau *propter omnimodam trium præcedentium literarum in voce iſta* Tzebaoth *ſimilitudinem, & a librario, eum non intelligente, omiſſum, tanquam ſuperfluum, ac meram ultimarum ſyllabarum vocis* Tzebaoth *repetitionem? Quod ſi itaque h. l. ita ipſum Prophetam ſcripſiſſe ſtatueremus:* יהוה צבאות א ו ת אני ראשון ואני אחרונים בלעדי אין אלהים Sic dicit Dominus, Rex Iſrael, —— Dominus exercituum, Aleph & Thau, ego principium & ego fines, præter me non eſt Deus; *ſi, inquam, ipſum Prophetam ita ſcripſiſſe ſtatueremus, haberemus in Eſaia tribus locis hanc phraſin,* Aleph Thau principium & fines; *quemadmodum in Apocalypſi* Alpha & Omega principium & finis, *Joannes tribus locis poſuit, nempe cap.* I. 8. XXI. 6. XXII. 13. *Sed dicet nobis aliquis: Siſte gradum conjector! tu nil niſi conjectura es. Sufficiat tibi eviciſſe, quod Deum Summum in Eſaia dici* ultimum, *probari nequeat.*

Miraberis mecum, ſat ſcio, hominis frontem, qui conjecturas conjecturis tegere audeat, ne perpluat. Quid ſtatuas de illo, qui, ut tria Scripturæ loca ad ſuum ingenii luſum detorqueat, voces ipſas nunc decurtet, nunc augeat, nunc transponat, nunc voces in literas, materialiter ſumtas, convertat, nunc ſignificationes vel inſolentiores vel alieniſſimas invehat; præterea vero Interpretes Græcos & Chaldæum nunc ad partes vocet, nunc, quaſi nihili ſint, penitus deferat? Quovis ego pignore contendere auſim, neminem vel antiquioris vel recentioris memoriæ tanta temeritate in Scriptorem externum ullum graſſatum eſſe, quanta noſter hic in *Jeſaiam*, Scriptorem divinum, eademque opera in S. *Joannem* ſævit. Sed hæc quidem ſunt illa Divini Numinis judicia, a quibus Paulus timet Corinthiis 2 ep. XI. 3. *Φοβοῦμαι δὲ, μήπως, ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν.* Scilicet *Artemonius* nolebat Chriſtum *θεάνθρωπον* dici *πρῶτον καὶ ἔσχατον*, quem titulum illi a Joanne tributum eſſe & codices omnes, & ætas omnis agno-

agnoverant. Ridet hanc *ἁπλότητα*, eamque cum ſerpentina quadam aſtutia permutare non veretur. Memini dicti Paulini 2 *Timoth.* III. 13. *πονηροὶ δὲ ἄνθρωποι καὶ γόητες προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι.* Non exſpectabit a me lector, ut conjecturas has audaciſſimas denudem & pudendas ſiſtam, quas *Artemonius* ipſe tanquam inſolentes agnoviſſe videtur. Satis ſecurus ſum, cordatum quemque idem cogitaturum eſſe, quod ipſe *Artemonius* cogitatis ſuis inſtar ſigilli impreſſit. Miror interim, qui factum ſit, quod idem ille in codice Hebraico non invenerit locum aliquem, ubi inſignis illa corruptela loci Joannei I. 1. Evangelii: *καὶ τοῦ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος* eadem ratione, qua illa loci Apocalyptici, expreſſa legatur.

Verſ. 14. *Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ*) Ita codices Græci plerique omnes, verſiones item, *Arab. Syr.* & *Copt.* tum vero Patres, *Tertull. Cyprian.* & *Ticonius.* At *Alex. Cov. Athanaſius*, *Æth. Vulg.* & *Caſſiodor.* legunt: *πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν.* Probat hanc poſteriorem lectionem *Millius* in Prolegomenis §. 1212. *Phraſeos hujus myſticæ*, inquit, *interpretamentum videtur excuſum noſtrum, οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, pervetuſtum tamen, &, quod in Italicæ verſionis codices quosdam irrepſit ante* Cypriani & Tertulliani *tempora.* In contextum recepit editor N. T. Græco-Anglicani, & ante illum *Bentlejus* in Specimine. Priori illi, ut & *Millio*, recte ſe oppoſuit *Leonardus Twells* in *Vindiciis* ſuis, Anglice editis. *Millius*, inquit, *favet novæ illi lectioni* (ab editore dicto receptæ) *& alteram pro ſcholio marginali phraſeos myſticæ, πλύνοντες τὰς στολὰς α. habet. Hoc autem parum eſt veriſimile, quia interpretamenta ejusmodi convenientius eo in loco exſpectantur, ubi phraſis obſcurior prima vice occurrit, quod fieri videas* Apocal. VII. 14. *Ibi vero nullum ſcholii hujus veſtigium exſtat. Ab altera parte convenientia, quæ inter duas illas lectiones h. l. occurrit, magis facit, ut credamus, varietatem illam librariorum incuriæ deberi. Librarius aliquis antiquus, phraſin cap.* VII. 14. *memoria tenens, exemplo ſuo h. l. negligentius inſpecto opinabatur, phraſin* XXII. 14. *obviam eundem ſenſum ſecum ferre, ideoque eam alteri ſubſtituens ſcribebat: πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν. Librarii alii mox longius procedentes ex eodem cap.* VII. 14. *addebant voces ἐν αἵματι τοῦ ἀρνίου. Ex ejusmodi exemplo nata eſt* Vulgata *verſio.* Mihi quidem probabilius videtur, primum in margine codicis ad phraſin, *οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ*, ſcriptam ab aliquo fuiſſe lectionem cap. VII. 14. tanquam *παράλληλον*, quæ deinde cum textuali permutata eſt ab aliis, qui inter phraſin utramque, etiam quod ad dictionum habitum, nihil intercedere diſcriminis, atque adeo eandem utroque in loco legi debere opinabantur. Interim germanam eſſe receptam hodie lectionem, vel ex eo apparet, quod v. 11. de *virtutibus* & *vitiis* ſermo eſt. Reſpectu itaque ad *virtutes* habito Joannes commemorat *τοὺς ποιοῦντας τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ*, quemadmodum, vitia reſpiciens, v. 15. homines

flagitiis

Digitized by Google

flagitiis deditos appellat. Confer *Raithii* Vindicias verſionis Lutheri p. 616. ſqq.

ἵνα ἔςαι ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς) ut fiat illis poteſtas (eundi) *ad lignum vitæ.* Ita recte *Er. Schmidius.* Senſus eſt, ut liceat illis ex arbore vitæ comedere. Confer *Jo. Vorſtii* diſſertationem de Paradiſo §. 11. quæ recuſa eſt in Opuſculis ad hiſtoriam & Philologiam Sac. ſpectantibus, Faſcic. IV. p. 321. & *H. Blackwalli* Claſſicos Sacros Tom. II. p. 55.

καὶ τοῖς πυλῶσιν εἰσέλθωσιν εἰς τὴν πόλιν.) Lege *Vitringam* ad Jeſaiam Tom. II. p. 56.

Verſ. 15. *Ἔξω δὲ οἱ κύνες, κ. τ. λ.*) Vide *Gatakeri* Adverſaria Miſcellan. p. 385. & *Saldeni* Otia p. 136. Formula olim ſolemnis hæc erat, qua impuri & profani homines a templis & ſacris arcebantur. Talis illa *Callimachi* hymn. in Apollin. v. 2. *ἑκὰς, ἑκὰς, ὅςις ἀλιτρός.* Ad illam lege *Ezech. Spanhemium*, & quæ adfert Cl. *Elsnerus* p. 471. Idem ex antiquitate oſtendit, canes apud Græcos ante templa pro foribus vinctos excubuiſſe, & a locis ſacris abactos fuiſſe. Per *canes* h. l. Judæos intelligi, exiſtimat *Jo. Lightfootus* in Horis Hebr. ad *Matth.* XV. 26. & cum eo *Pet. Zornius* Tom. II. Opuſculorum Sacrorum p. 527. *Grotius* & *Vitringa* malunt reſpici *τοὺς ἐβδελυγμένους* de quibus XXI. 8. i. e. *ἀρσενοκοίτας* & *μαλακούς.* Adde *Alethæi* Erläuterung Tom. IV. p. 377. Sic & *Feſſelius* Adverſar. Sacr. II. 29. §. 10. *κύνας* accipit de *pueris meritoriis*, ad exemplum *Deuter.* XXII. 18. ubi pretium canis in domum Domini inferri prohibetur. Recte vero obſervat *Elsnerus* l. c. homines *impuros* quosvis generatim indicatos potius videri, quæ & *Bocharti* Hierozoici lib. II. c. 56. ſit ſententia. Confer quæ ſcripſi ad *Philipp.* III. 2. Judæos olim homines, a Judaica religione alienos, כלבים, *canes*, vocaſſe, oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 1145. Chriſtianis ſpeciatim hanc notam ab illis impingi, apparet ex locis ab *Eiſenmengero* in Judaiſmo detecto Parte I. p. 713. ſqq. allatis.

καὶ οἱ φαρμακοὶ) Hoc nomine Græcis olim dicebantur, qui ſe pro ſalute publica morti devovebant, *δημόσιοι* alias & *καθάρματα* vocati. Schol. ad *Ariſtophanis* Equites v. 1133. ita: *δημοσίους δὲ, τοὺς λεγομένους φαρμακοὺς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῷ ἑαυτῶν φόνῳ, ἢ τοὺς δημοσίᾳ καὶ ὑπὸ τῆς πόλεως τρεφομένους.* Confer ibi *Kuſterum*, ut & ad *Ranas* v. 745. præter illum vero *Valeſium* ad Harpocrationem, v. *φαρμακὸς*, *Meurſium* Lection. Atticarum IV. c. 22. & *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 127. Hoc loco aliam vocis eſſe notionem nemo dubitaverit ex ceteris vocibus, quas ſibi junctas habet. Talis vero eſt notio, quam Græci alias per *φαρμακεῖς* exprimunt. Accipe *Euſtathii* verba ad Odyſſ. *ά.* v. 257. p. 54. edit. Baſil. *Ὁ δὲ φαρμακὸς ἤτοι τὸ κά-*

ϑαρμα ἑτεροῖόν τι ἐμφαίνει φαρμάκȣ σημαινόμενον. Ἀριστοφάνης· πόθεν δ᾽ ἐγώ σοι συγγενὴς, ὦ φαρμακέ; ὁ μέντοι φαρμακεὺς ἢ κατὰ Πλάτωνα φαρμακευτὴς, ὁ φαρμάκοις διαφθείρων, τῷ φαύλῳ φαρμάκῳ παρωνόμασαι, ὥσπερ ϗ ἡ φαρμακὶς ϗ φαρμακεύτρια γυνή. Hoc ſenſu occurrit vox apud *Photium* cod. XLIV. fin. ubi Apollonium ex Philoſtrato ait ἀπεχθάνεσθαι μάγοις ϗ φαρμάκοις. Tales itaque indicantur homines, qui clandeſtinis artibus, veneficorum more, noxam & interitum parant. Ex quo fit, ut illis proxime οἱ φονεῖς jungantur. Confer Muſeum Bremenſe Tom. I. p. 665. ſq. Obſervo porro, a *Polluce* VI. 36. §. 152. φαρμακέα, φαρμακίδα, δωροδόκον, λῃστὴν, καταποντιστὴν & πόρνον conjungi.

ϗ οἱ πόρνοι) Hos de cinædis, ſeu pueris meritoriis, quos per κύνας alii, ut modo diximus, indicari cenſent, interpretatur *Gatakerus* in Adverſar. Sacr. cap. 38. Malim equidem illi voci generalem impudicitiæ notionem h. l. tribuere, de qua dixi ad 1 *Cor.* V. 1. & 10.

καὶ πᾶς ὁ φιλῶν ϗ ποιῶν ψεῦδος) Hebraica videri poſſit phraſis, qua utitur *Jerem.* VIII. 10. כלה עושה שקר & Pſaltes V. 4. כל פועלי שקר Eadem autem fere phraſi uſus eſt *Plato.* Obſervavit locum *Wilb. Wollaſtonus* in libro Anglicano, quem inſcripſit: *the religion of nature delineated*, p. 13. in notis. *Plato*, inquit, *eadem dicendi formula utitur:* ψεῦδος μηδεὶς μηδὲν μήτε λόγῳ, μήτε ἔργῳ πράξειε. *Contrarium huic eſt, quod apud* Ariſtotelem *legitur*, ἀληθεύειν ὁμοίως ἐν λόγοις ϗ πράξεσιν, *&* ἐν βίῳ ἀληθεύειν. Compara *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 103.

Verſ. 16. Ἐγὼ Ἰησȣ̃ς ἔπεμψα τὸν ἄγγελόν μȣ, μαρτυρῆσαι ὑμῖν ταῦτα ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις) Præpoſitionem ἐπὶ codices multi prorſus omittunt, quos ſequitur *Bengelius;* alii habent ἐν, quos expreſſit *Bentlejus.* Alterutram illarum retinendam putem, ut ſic doctores, & nominatim Joannes, cui hæc revelata erant, diſtinguantur ab eccleſiis, ad quas per illos vaticinia hæc perferri debebant.

ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ϗ ὀρθρινός.) *Bentlejus* ita: ὁ ἀστὴρ, ὁ λαμπρὸς ϗ ὁ πρωϊνός. *Bengelius:* ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ὁ πρωϊνός. Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani: ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ϗ πρωϊνός. Contra hunc vero *Twelſius* in Vindiciis Parte I. p. 52. obſervat, ſcribendum fuiſſe ὁ πρωϊνὸς, cum nullus codex, nulla verſio habeat, καὶ πρωϊνός. Utraque vox, πρωϊνὸς & ὀρθρινὸς ejuſdem eſt ſignificationis: utraque a τοῖς LXX. eodem ſenſu adhibetur; prior quidem frequentius, poſterior rarius, v. c. *Hoſ.* VI. 4. & XIII. 3. Prior exſtat quoque ſupra II. 28. Placet expoſitio *Vitringæ* ita habens: Stella *quidem eſt, quod diſpellit erroris & ignorantiæ tenebras:*

bræ: Splendida, *quia ſuis peculiaribus characteribus, majoris lucis, ſplendoris claritatisque copia in cœlo Eccleſiæ eſt notabilis;* matutina, *quod cum ortu ſuo adferat amœnum illum diem Novi Teſtamenti* (2 Pet. I. 19.) *Adeſt dies, pellitur caligo noctis, ubi Chriſtus oritur.* Poterat, fateor, *ſtellæ* nomen etiam ad divinam Chriſti naturam referri, niſi illa jam in elogio, *radix David*, lateret, & humana illa per *genus Davidis* exprimeretur, (quod ſupra ad v. 13. monitum eſt) atque adeo de illo heic ſermo eſſe videretur, qualem ſe Chriſtus inſtar *ſtellæ*, humano generi in ſalutem exortæ, præſtet.

Verſ. 17. Καὶ τὸ Πνεῦμα ϗ ἡ νύμφη λέγουσιν· ἐλθέ. κ. τ. λ.) Multi codices & heic & in ſequentibus pro ἐλθὲ legunt ἔρχου, & pro ἐλθέτω, ἐρχέσθω. Hos ſequuntur *Bentlejus* & *Bengelius*. Cum Eccleſia heic, inſtar ſponſæ, Chriſtum, ut ſponſum, alloquatur, id vero nunquam in Veteri Inſtrumento fiat, ſi *Canticum* V. 1. excipias; B. *Wokenius* ſuſpicatur, ad illum Cantici locum heic alludi. Vide ejus Harmoniam Veteris & Novi Teſtamenti p. 400.

Verſ. 18. Συμμαρτυροῦμαι γὰρ παντὶ) Plerique codd. Græci, & Complut. edit. habent μαρτυρῶ ἐγὼ παντὶ, quam lectionem *Bentlejus* & *Bengelius* ſequuntur, poſterior vero receptam hodiernam ex *Gal.* V. 3. natam exiſtimat. Ab omnibus codicibus abit Editor N. T. Græco-Anglicani, legens: συμμαρτυρῶ ἐγώ.

ἐάν τις ἐπιτιθῇ πρὸς ταῦτα) Multi codd. ἐπιθῇ exhibent, quod *Bentlejus* & *Bengelius* præferunt.

ἐπιθήσει ὁ Θεὸς ἐπ' αὐτὸν) Similis Hebræorum phraſis eſt, obſervante *Schœtgenio*, in *Tikkunim Sohar chadaſch* fol. 75. 4. *Quicunque Sabbato addit ad cibum, ejus quoque deliciis multa adduntur.* Et quemadmodum mox v. 19. τὸ ἀφαιρήσει opponitur τῷ, ἐπιθήσει, ita utrumque verbum conjunctum, monente *Raphelio*, exhibet *Polybius* p. 703. ἐὰν δὲ δοκῇ ἡμῖν ἀφελεῖν ἢ προσθεῖναι πρὸς τόνδε τὸν ὅρκον. Adde p. 1443. His verbis ad *Deuter.* IV. 2. reſpici, Interpretes multi monuerunt. Citationem tamen proprie ſic dictam agnoſci debere, negat *Wokenius* in Moſe Harmonico p. 155. *Millius* nominatim ad h. l. ut parallelos affert *Deut.* IV. 2. & XII. 32. & in Prolegomenis §. 259. monet, *minus, quæ heic habentur, id unum agere Apoſtolum, ut ad exemplum Moſis, ipſisque adeo fere illius verbis libri ſui auctoritatem ſtabiliat.* Sed de hoc aſſerto mox videbimus. Alios Deuteronomii locos, ad quos reſpici videatur, adfert diligentiſſimus *Fabricius* noſter in Biblioth. Græca lib. V. cap. 1. p. 75. ubi h. l. illuſtrat.

Verſ. 19. Καὶ ἐάν τις ἀφαιρῇ ἀπὸ τῶν λόγων βίβλου τῆς προφητείας ταύτης, ἀφαιρήσει ὁ Θεὸς) Multi codd. ita: Καὶ ἐάν τις ἀφέλῃ ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ βιβλίου τ. π. τ. ἀφελεῖ ὁ Θεός. Atque ita verba exhibent *Bentlejus* & *Bengelius*, nec non Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, niſi quod hic pro ἀφελεῖ habet receptum illud ἀφαιρήσει. Senſus utrinque idem eſt.

τὸ μέρος αὐτοῦ ἀπὸ βίβλου τῆς ζωῆς) Pro βίβλου iidem, quos modo dixi, legunt ξύλου, præeuntibus ed. *Complut.* & codicibus Græcis, teſte *Bentlejo*, fere omnibus, porro etiam verſionibus *Æth.* & *Syr. Bengelius* his addit *Coptum*, qui tamen ex verſione doctiſſimi *Wilkinſii* lectionem βίβλου cum *Arabe*, *Armeno*, & *Latinis* multis expreſſit. Lectio ξύλου videtur omnino rectior. Ita enim v. 14. dicitur: ἵνα ἔσται ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς. Porro, ubi de libro vitæ in ſacris ſermo eſt, nuſquam dicitur *pars* alicujus de eo *demi*; ſed potius, *nomen deleri*. Ex altera vero lectione *pars* i. e. *jus*, & *poteſtas* ex v. 14. in lignum ſeu arborem vitæ demi alicui diceretur. Præterea fieri facile potuit, ut vox ξύλον cum βίβλος permutaretur, cum mentio *libri vitæ* in ſacris & Apocalypſi quoque frequens ſit. Denique in Latina lingua voces *libri* & *ligni*, inprimis, ſi per compendium ſcribantur, proxime ad ſe invicem accedunt. Conf. Cl. *Bengelii* Apparatum Criticum p. 859. Qui receptam lectionem ſecuti ſunt, ad h. l. commentantur de libro vitæ & in eum inſcriptione, nominatim *Jo. Meiſnerus* in diſputat. Wittebergæ 1670. & *Seb. Niemannus* in alia *Jenæ* habita.

καὶ ἐκ τῆς πόλεως τῆς ἁγίας) ἐκ habet cum editis *Bentlejus*, omittit *Bengelius*, quod fere miror, cum duo tantum codices adferri poſſint, qui omiſerint, neque voces, τῆς πόλεως τῆς ἁγίας, commode referri queant ad antecedens ἀπό. Quemadmodum enim τὸ ἀπὸ, cum ξύλῳ magis convenit; ita τὸ ἐκ magis reſpondet τῇ πόλει, ex qua quis ejici dicitur.

καὶ τῶν γεγραμμένων ἐν βιβλίῳ τούτῳ) ϗ deeſt in ed. *Complutenſi*, & in codd. Græcis, teſte *Bentlejo*, fere omnibus, nec minus in verſionibus *Æth. Armen. Copt.* Omittitur ideo a *Bentlejo*, Editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani & *Bengelio*. Hæret ſane ſenſus ſine illo ϗ, niſi dixeris, illud γεγραμμένων ita accipiendum eſſe, ut deſcriptum in hoc libro dicatur eſſe tum *lignum vitæ*, tum *urbs* illa *ſancta*, quemadmodum v. 18. *plagæ* dicuntur γεγραμμέναι ἐν βιβλίῳ τούτῳ. Quod ſi vero ϗ legeris, τὰ γεγραμμένα pertinebunt ad egregias illas prærogativas, quarum in hoc libro ſpes facta eſt fidelibus.

Expen-

Expenſis ita commatum 18. & 19. verbis & phraſibus, ſupereſt, ut de argumento ipſo, quod heic tractatur, dicamus. Illud ſingularibus diſſertationibus perſecuti ſunt *Jo. Balthaſar Bernholdus*, Theologus hodie Altorfinus doctiſſimus, de minaci Bibliorum clauſula, Altorfii 1725. & M. *Jo. Juſtus Spier*, præſide *Georg. Guil. Kirchmaiero*, Profeſſore Wittebergenſe, de addendi detrahendique vi a verbis Apocalypticis prohibenda, Witteberg. 1730. Adde *Amelii* Erörterung Tom. II. p. 839. Taceo alios ex noſtratibus, qui in Inſtitutionibus Theologicis, ubi de canone Biblico, & integritate ejus exponitur, Joanneum hoc oraculum urgere & explicare conſueverunt. Verba ipſa ſatis produnt, gravibus minis caveri, ne quis quicquam libro Apocalypſeos vel addat, vel auferat. Non æque vero liquet, quid per diminutionem vel additionem intelligatur. Multi ſunt, qui omnem hanc obteſtationem ſimpliciter ad *librarios* & *falſarios* pertinere cenſent, cum *Vitringa*. *Cum enim*, inquit ille ad h. l., librarii *ſæpe in libris, quos deſcribebant, ſocordius verſarentur; tum vero non deerant* falſarii, *ſic vero & proprio ſuo nomine dicti, qui ſacrorum librorum lectionem adulterabant, ut eandem ad ſuæ ſectæ placita accommodarent, de quibus luculenta exſtant* Tertulliani (adv. Marcionem II. 17.) & Euſebii (H. E. IV. 23. & V. 25.) *teſtimonia. Id prævidebat Joannes, & ex ſui temporis moribus jam colligere potuit, hujus quoque eſſe poſſe fatum libri, niſi huic fraudi & impietati ſeria obteſtatione occurreret: quod aliis etiam Scriptoribus in more fuiſſe poſitum, alibi jam obſervavimus* (Obſervatt. Sacr. lib. III. c. 19. §. 12.) & Grotius *quoque hic adſcribere non neglexit.* Confer in eandem ſententiam *Anton. Dalenium* in diſſert. ſuper hiſtor. Ariſteæ p. 195. Exempla ejuſmodi obteſtationum minacium, a librariis antiquioris & recentioris ætatis ſub finem codicum conſignatarum, varia attulit diligentiſſimus *Montefalconius* in Palæographicæ Græcæ lib. I. variis capitibus, ubi *notæ* ejuſmodi librariorum deſcribuntur. Confer Celeb. *Fabricium* noſtrum in Biblioth. Græc. lib. V. cap. 1. p. 75. ſqq. M. *Gottlob Henricum Pippingium* diſput. de imprecationibus libris adſcriptis, Lipſ. 1721. & Rev. *Mich. Lilienthalium* in Selectis Hiſtoricis & literariis Obſ. I. Ad falſarios & impoſtores potius, quam ad librarios hæc ſpectare cenſet *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. III. p. 243. ed. Amſtelod.

Ab altera parte *Jo. Millius* in Prolegomenis §. 259. contendit, S. Joannem hac libri clauſula tantum *libri ſui auctoritatem ſtabilire voluiſſe. Certe*, ita pergit, *haud præviſos ei fuiſſe, qui in Apocalypſeos textum quicquam tentarent, exinde conſtat, quod nemo jam ab ipſo Apoſtolorum ævo repertus ſit, qui partem ejus vel minimam de induſtria violaverit. Tantum vero aberat, ut corruptelarum aliquorum, in Apoſtolica ſcripta invectarum, notitiam habuerit Joannes, ut, cum epiſtolarum autographa in Eccleſiarum ſcriniis tunc repo-*

ſita jacerent, extra omne depravationis periculum poſita, deſcriptaque ex iis exemplaria pauca jam fuerint eaque apud orthodoxos conſervata, Evangelia noſtra, quantum ex Euſebio colligere licet, ne quidem in conſpectum ei venerint, niſi paulo ante mortem, cum ab Aſianis Epiſcopis deferrentur demum ipſi perlegenda, ejusque calculo comprobanda. Similiter *Humfr. Hody* in lib. adverſus hiſtoriam Ariſteæ cap. 16. negat Joannem huc reſpexiſſe. *Millius* itaque non ad voces phraſesque, nullo modo a librariis oſcitantibus aut falſariis mutandas, ſed ad doctrinas & præcepta, quæ libro hoc continentur, ut divina & nullo modo migranda vel mutanda, reſpici exiſtimat. Atque eadem eſt M. *Spierii* in diſput. allegata ſententia. Apocalypſin ait p. 15. repræſentari *ut regulam & normam cui nec addi quicquam fas ſit, nec adimi, unde ſi quis deflectat, adeoque a via Apocalypſeos, ejusque præſcripto diſcedat, is plagas aliquando graviſſimas ſit ſenſurus.* Firmat hanc ſententiam ex *Deuteron.* IV. 2. & XII. 32. ubi hæc legas apud τὰς LXX. πᾶν ῥῆμα, ὃ ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον, τοῦτο φυλάξῃ ποιεῖν, οὐ προσθήσεις ἐπ᾽ αὐτὸ, οὐδὲ ἀφελεῖς ἀπ᾽ αὐτοῦ. Ibi ſcilicet obſervatio præceptorum divinorum inculcatur, atque claritatis cauſa adjicitur, quid ad eam præſtantiam agnoſcendam cavendum ſit, nempe hinc additio, hinc diminutio. Atque hunc præcipuum admonitionis Joanneæ ſcopum fuiſſe ut non inficior; ita tamen nihil obſtat, quo minus Apoſtolum eadem opera ad illas quoque mutationes reſpexiſſe cenſeamus, quæ vaticiniis, præceptisque, ſartis tectisque conſervandis, fraudi eſſe poterant. Hoc autem fieri omnino poterat interpolationibus, vel incuria vel conſilio in contextum illatis. Non obſtat, quod *Millius* ait, Joanni haud prævifos fuiſſe, qui in Apocalypſeos textum quicquam tentarent, ideo, quod nemo jam ab ipſo Apoſtolorum ævo repertus ſit, qui partem ejus vel minimam de induſtria violaverit. Ponam, id de induſtria factum non eſſe, factum tamen vere eſſe, varietates illæ oſtendunt, quæ omnium confeſſione in variis Apocalypſeos codicibus præ ceteris, eæque interdum non levis momenti, occurrunt. Dabo etiam, Joannem ſua ætate ejusmodi corruptelarum exempla in ſcriptis Apoſtolicis & Evangelicis non inveniſſe, nonne tamen prævidere poterat, tale quid & illis & ſuis ſcriptis ſecutura ætate imminere? Taceo, id revera *Marcionis* aliorumque fraudibus uſu veniſſe, de quibus *Millius* ipſe diligenter in Prolegomenis ſuis commentatur §. 306. ſqq. Imo, quod plus valet, ipſi Apocalypſi, Cerinthi dolo, accidit. Ab eo enim non Apocalypſin aliquam de integro ſcriptam, ſed potius Joannis illam aliquot locis interpolatam fuiſſe, patere videtur ex *Caji* verbis apud Euſebium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ III. 28. quæ in hanc ſententiam recte interpretatur *Fabricius* noſter in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti p. 956. & in Biblioth. Græca, lib. IV. c. 5. p. 148. itemque *F. A. Lampius* in Proleg. comment. in Evangel. Joannis p. 129. ſq.

Reſtat

Reſtat aliud momentum, de quo paucis videbimus. Conſtat, Theologos tum noſtrates, tum alios, non paucos, ita ſtatuere, quod S. Joannes his verbis canonem librorum Novi Teſtamenti clauſerit & obſignarit. Vide *Lampii* Prolegomena commentarii in Evangelium S. Joannis lib. I. c. 5. p. 80. Alii vero aliter ſentiunt, nominatim Vener. *C. M. Pfaffius* in Inſtitutionibus Theologiæ dogmaticæ & moralis p. 59. ſqq. *Ex quo ipſo*, inquit, *conſpicere eſt, Canonem Novi Teſtamenti* Apoc. XXII. 18. 19. *haud clauſum fuiſſe, cum & verba illa, ubi dicitur, nihil addendum vel detrahendum libro τῆς προφητείας ταύτης, ſolam reſpiciant Apocalypſin, & βιβλίον τοῦτο, quod memoratur, non totum Novum Teſtamentum, cujus libri tum nondum in ſyſtema fuſi erant, & ad quod Evangelium Joanneum nondum tunc acceſſerat.* Conferatur idem in limine commentarii in Evangelium S. Matthæi. Similiter *F. A. Lampius* l. c. p. 80. ait: *Huc collineant, qui ſignaculum Apocalypſeos c. XXII. 18. 19. putant, non hunc tantum librum, ſed etiam totam Scripturam concernere. Nos fatemur, ſingulari providentia divina factum eſſe, ut ultima Scripturæ Sacræ pagina ſigillo tam venerando muniretur; nollemus tamen ex hoc loco pugnare, quia abunde patet, Apoſtolum per τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου ſolam Apocalypſin reſpicere.* Idem tamen mox adfert nonnulla, quæ Joannis operam, colligendis libris Canonicis impenſam, firmare poſſint. Nec ipſe ego negaverim, ſigillum hoc Apocalypſi tantum a Joanne impreſſum eſſe, atque adeo ad eam primario pertinere. Nihil tamen obſtat, quo minus eadem clauſula ad ceteros libros Novi Teſtamenti omnes referatur, cum & S. Joannes omnium Scriptorum θεοπνεύστων ſit ultimus, &, quod de uno libro θεοπνεύστῳ adfirmatur, idem ad reliquos omnes ejuſdem generis pertineat. Lege plura in hanc ſententiam in B. *Juſti Weſſelii Rumpæi* Commentatione Critica ad libros N. T. in genere p. 112. ſq. & p. 202.

Verſ. 20. *Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα κ. τ. λ.*) De hoc commate ſuperius diximus. Confer præterea B. *Julii Franciſci Lutkenii* Conciones Funebres num. XVI.

ἀμήν. Ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ) *Τὸ ναὶ* omittunt codd. multi & verſiones quoque, cumque illis *Bentlejus* pariter & *Bengelius.*

Verſ. 21. *Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.*) Pro his iidem duumviri ita: *ἡ χάρις Κυρίου Ἰησοῦ μετὰ πάντων.* Ultima vox, *ἀμήν*, quæ in codicibus manu exaratis pleriſque, & editis omnibus legitur, nec proinde omittenda erat, occaſionem dedit B. *Jo. Bartholdo Rüdigero*, Theologo Gieſſenſi, ſcribendi *Meditationem Sacram de Chriſto per primam ac ultimam Sacræ Scripturæ vocem* Geneſ. I. 2. בראשית & Apo-

& Apocal. XXII. 21. *ἀμὴν indicato*, Gieſſæ 1724. eo conſilio, ut oſtenderet, utroque in loco *Chriſtum ipſum, tanquam primum & poſtremum ſalutis noſtræ punctum atque cardinem ſignificari.* Summam hujus commentationis habes in Hiſtoria eruditionis Heſſorum, vernacule edita, Trimeſtri I. p. 84. ſeqq. Verba hæc is p. 28. ita παραφράζει· *Gratia Domini Jeſu Chriſti ſit vobiscum omnibus, ἀμὴν, in veritate, quæ Jeſus eſt, veriſſimus ille Amen.* Cauſas, cur ita ſentiat ὁ μακαρίτης, has adfert. Chriſtus ſe ipſum III. 14. ὁ ἀμὴν appellat, hoc nomine pridem *Jeſ.* LXV. 16. vocatus. Origo vocis ac ſignificatio, per quam *fidum* & *firmum* infert, Chriſto convenit. Porro *ἀμὴν veritatem* inprimis denotat; jam vero nemo excellentiori ſenſu, quam Chriſtus *veritas* ſeu ἀλήθεια appellari poteſt. Vide *Joh.* I. 14. XIV. 6. & *Apoc.* III. 7. Facile quivis, me non monente, intelligit, hæc pie magis, quam ſolide, & argumento, de quo in hoc commate agitur, convenienter cogitari.

'EK

Digitized by Google

ΕΚ ΤΩΝ ΦΩΤΙΟΥ ΑΜΦΙΛΟΧΙΩΝ ΤΙΝΑ.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ Οδ. 1)

Τȣ̃ Κυρίȣ πρὸς τὴν Σαμαρεῖτιν 2) εἰπόντος· 3) πίςευσόν μοι, γύναι, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ὅτε ȣ̓́τε ἐν τῷ ὄρει τȣ́τῳ, ȣ̓́τε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ Πατρί. ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ ȣ̓κ οἴδατε. ἡμεῖς προσκυνȣ̃μεν, ὃ οἴδαμεν. ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰȣδαίων, καὶ ἑξῆς. Τȣ́των δὴ τῶν σεβασμίων λόγων τὴν δύναμιν διὰ ποίας ἐπιβολῆς καταληψόμεθα;

Η μὲν Σαμαρεῖτις τῶν Ἰȣδαϊκῶν ἐθῶν καὶ δογμάτων τὰ τῆς Σαμαρείτιδος δόξης ἐξαίρειν καὶ ὑπερτιθέναι τὴν ὅτι μάλιςα σπȣδὴν κατεβάλλετο. διὸ καὶ τό· 4) μὴ μείζων εἶ σὺ τȣ̃ πατρὸς ἡμῶν Ἰακὼβ; ὕδωρ ζῶν ὑποσχομένȣ τȣ̃ Σωτῆρος παρασχεῖν ἀντεφθέγξατο. ὁ δὲ Σωτὴρ, οἰκονομεῖν ἅπαντα σοφῶς εἰδὼς, τὸ μὲν ἐξᾶραι τὰ Ἰȣδαίων,

QUAEDAM EX PHOTII AMPHILOCHIIS.

QUÆST. LXXIV.

Quando Dominus ad Samaritanam dicit: *crede mihi, mulier, quod veniet hora, quando nec in monte hoc, nec Hieroſolymis, adorabitis Patrem: vos adoratis, quod neſcitis; nos adoramus, quod ſcimus, quoniam ſalus eſt ex Judæis,* &c. horum venerandorum eloquiorum vim quo tandem ſtudio adſequemur?

Samaritana illa operam cum maxime dabat, ut Samaritanorum placita inſtitutis & dogmatibus Judaicis præferret & anteponeret. Propterea etiam illud: *num major tu es Patre noſtro Jacobo?* Salvatori noſtro, aquam viventem pollicenti, occentabat. Cum vero Servator, qui omnia ſapienter curare novit, probe intel-

 lige-

1) Lege huc *Balthaſ. Corderii* Catenam in S. Joannem p. 123. 128. ubi *Photii*, in idem oraculum, ſed alia ratione, commentantis, quædam leguntur.

2) Ita ſcribo cum *Colbertino* pro Σαμαρίτιν.

3) *Joan.* IV. 21. 22.

4) *Joan.* IV. 12.

ligeret, animum mulieris, præjudicio contrario occupatæ, & non niſi ſenſibilia ſapientis, valde perculſum iri, ſi res Judæorum extolleret, & majorem ſe eſſe profiteretur; id quidem omne ſilentio prætermittit, ut taceam, humilius & Jeſu majeſtate indignum fuiſſe, ſervum Domino majorem profiteri. Quæ enim inter Dominum & ſervum facta comparatione, differentia intercedit, illa ita comparata eſt, ut ſecundæ partes ſervum deceant, idem vero, ſi primas teneat, Dominum ſuum ornet. Propterea Dominus illa quidem tegit ſilentio, verbis vero aliis, quæ hinc non minus ad rem conficiendam accommodata erant, hinc vero ab humili dicendi genere aliena, inſuperque ad demulcendas feminæ aures magis idonea, ſuam exponit ſententiam. Neque enim vel comparationem illam, vel dignitatis differentiam urget, ſed fœminam eo ducit, ut ex illis, quæ mox adferenda erant, prærogativæ ſuæ præſtantiam colligere poſſet. *Qui enim*, inquit, *ex iſta aqua biberit, ſitiet denuo; qui vero biberit ex aqua, quam ego illi daturus ſum, non ſitiet in æternum.*

καὶ τὸ μεῖζον 5) εἰπεῖν αὐτόθεν πλῆξαι πρόχειρον ἐπιςάμενος, καὶ τότε γυναικὸς διάνοιαν προλήψει τῶν ἐναντίων προκατασχεθεῖσαν, καὶ οὐδὲν τῶν αἰσθητῶν ὑψηλότερον τέως φανταζομένης· τοῦτο μὲν ἀποθησαυρίζει τῇ σιωπῇ ἄλλως τε καὶ μικρολογίας εἶναι καὶ ἀνάξιον εἶναι τῆς Ιησοῦ μεγαλειότητος, καὶ τὸ μείζω εἶναι τὸν δοῦλον τοῦ δεσπότου ἀποφαίνεσθαι. Ἡ 6) γὰρ ἐν συγκρίσει δεσπότου πρὸς δοῦλον διαφορὰ τοῖς δευτερείοις μᾶλλον σεμνύνει τὸν δοῦλον, καὶ διὰ τῶν πρωτείων μεγαλύνει τῶν δεσπόζοντα. Διὸ ταῦτα μὲν ἔχειν ἀφίησι τὴν σιωπὴν, διὰ δὲ ῥημάτων ἑτέρων, οὐδὲν μὲν ἧττον τοῦτο κατασκευάζειν δυναμένων, καὶ φευγόντων δὲ ἅμα τὴν μικρολογίαν, λεαίνειν τε τὴν ἀκοὴν ἐπιτηδειοτέρων, τὴν γνώμην 7) παρίςησιν. Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τὴν σύγκρισιν καὶ τὴν ἐν δόξῃ διαφορὰν αὐτὸς ἐπάγει, ἀλλὰ παραπέμπει τὸ γύναιον ἐκ τῶν ῥηθησομένων τῆς ὑπεροχῆς τὴν ὑπερβολὴν συλλογίσασθαι. Καὶ γὰρ 8) ἐκ τούτου, φησὶ, τοῦ ὕδατος ὁ πίνων διψήσει πάλιν· ὃς δ' ἂν πίῃ 9) ἐκ τοῦ ὕδατος, οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα.

Jam

5) *Colb.* μείζων, rectius puto, ſubintellecto εἶναι; niſi malis μείζω, ut paulo poſt.

6) Sic *Colb.* pro εἰ, quod librarii incuria invexerat.

7) Poſt γνώμην in apographo legebatur καὶ, quod, ut ſuperfluum, & ſermonis ſeriem turbans, omiſi.

8) *Joan.* IV. 13. 14.

9) Ita *Colb.* & mox διψήσῃ pro πίῃ & διψήσει, rectius.

Καὶ ὅρα τὸ σοφὸν τῶν λόγων καὶ τὴν δύναμιν. τὸ μὲν, ὅτι διψήσει πάλιν, εἶπεν, οὐ δεόμενον κατασκευῆς ἀλλαχόθεν. αὐτόκλητον γὰρ εἶχε τὴν γυναῖκα μάρτυρα. τὸ δὲ, οὐ μὴ διψήσει εἰς τὸν αἰῶνα, τῷ μεγέθει τῆς ἀπαγγελίας εἰς ἔφεσιν αὐτὴν τῆς ὑποσχέσεως διανιστῶν δι᾽ ἀμφοῖν δὲ πρὸς ἐπιστασίαν ἄγων θειοτέρας ὑπολήψεως· μόνον οὐχὶ λέγων· εἰ τὸν Ἰακὼβ ἄγεις ἐν μείζονι τιμῇ καὶ θαυμασίῳ κατορθώματι, ἐπεὶ παρέσχεν ὑμῖν ὕδωρ, ἐξ οὗ πάλιν ὁ πίνων εἰς τὴν αὐτὴν ἐπαναστρέφει δίψαν· τίνα ἂν σε λογίσασθαι χρὴ, ὃς ὕδωρ παρασχεῖν ἐστι δυνατὸς, οὐ σωματικὴν δίψαν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πραῧνον, ἀλλὰ δυνάμενον τῷ πιόντι πηγὴν χρηματίσαι ὕδατος ἀενάου, καὶ παρέχειν ῥεῖθρα σωτηρίας, ἃ τοῖς ἀρυσαμένοις καταρδεύει καὶ προξενεῖ ζωὴν τὴν αἰώνιον; Καὶ γὰρ τὸ ὕδωρ, 10) φησὶν, ὃ ἐγὼ δώσω, γενήσεται αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. Ὥσπερ δὲ τὸ ὕδωρ θεραπεύει μὲν τὴν δίψαν, καθαίρει δὲ 11) τὸν ἔξωθεν τοῦ σώματος μολυσμὸν, οὕτω καὶ τὰ νοερὰ καὶ ἀνθρώπινα τῆς διδασκαλίας τοῦ Ἰησοῦ νάματα, καὶ ἡ περὶ αὐτοῦ θειοτέρα ὑπόληψις ἰᾶται μὲν τὴν ἀπὸ τῆς ἀπιστίας δίψαν, ὅλην ἐκδαπανῶσαν τῆς νοερᾶς ἐνεργείας τὴν ζωτικήν τε καὶ συνεκτικὴν ἰκμάδα, καθαίρει δὲ τὴν ψυχὴν τῶν ῥυπασμάτων,

Jam vide horum verborum ſapientiam & efficaciam. Quando enim ait, *quod ſitiet iterum*, id quidem nulla aliunde confirmatione egebat, cum ipſa femina teſtem ſe ultro præberet; quando vero addit, *quod non ſitiet in æternum*, eandem hujus promiſſi magnitudine ad deſirium ejus excitat, utrinque vero eo ducit, ut divinius aliquid ſubeſſe ſuſpicaretur; quaſi diceret: ſi Jacobum in magno habes pretio, & admiratione proſequeris, quod aquam vobis dedit, ex qua qui biberit, eadem ſiti denuo corripitur; qualem illum exiſtimare te oportet, qui aquam largiri poteſt, quæ non corporalem ſitim ad breve tempus mitigare, ſed bibenti fontem aquæ perennis, & illa ſalutis flumina ſuppeditare valeat, quæ haurientibus vitam æternam largiantur & conferant? *Aqua enim*, inquit, *quam ego dabo fons ipſi fiet aquæ, in vitam æternam ſalientis*. Quemadmodum enim aqua tum ſiti medetur, tum externas corporis ſordes abluit; ita doctrinæ Jeſu flumina, intellectu hominis adſequenda, & ſublimior de eo ſententia tum ſitim levant ex incredulitate ortam, quæ alias vitalem conſervantemque facultatis intelligendi

10) *Joan.* IV. 14.
11) δὲ illud addidi ex *Colbert.*

gendi humorem abſumit; tum vero animam à ſordibus purgat, quas peccatorum ſpurcities & impiarum opinionum caligo allevit. Tam divine Salvator noſter reſponſionem inſtruxit ad illam quæſtionem, per quam Jacobo prærogativa quædam & præſtantia ſingularis tribui videbatur.

ἣν ἁμαρτημάτων κατεῤῥύπωσε 12) μολυσμὸς, καὶ λογισμὸς ζοφώδης δυσσεβούντων δοξασμάτων. ἀλλ᾽ ὁ μὲν Σωτὴρ τὴν ἀπόδοσιν τῆς ἐρωτήσεως, δι᾽ ἧς καὶ Ιακὼβ τὸ πρωτεῖον ἔχειν ἐδόκει, καὶ μεγαλύνεσθαι, οὕτως ὑπερφυῶς ἐμεθόδευσεν.

Jam vide, quæſo, quam præclare mox vis ejus eluxerit. Statim enim fœminæ illius mentem illuminavit, adduxitque, ut fide reciperet promiſſionem, omnem fidem ſuperantem, atque adeo, Dominum majoribus ſuis longe majorem eſſe agnoſceret. Animo enim ab aqua Patris ſui Jacobi avocato, ad alteram illam aquam ſe convertens ait: *da mihi, Domine, aquam illam.* Quare vero tu patriarchalem illam aquam negligis? Ideo utique, quod, ſitim ad breve tempus levans, iterum ſitire me jubet, & novam parit moleſtiam. Ne ſcilicet, inquit, iterum ſitiam, nec huc veniam hauſtura, ſed potius, tuo fonte fruens, patriarchali illo fonte nunquam indigeam.

Καὶ ὅρα παραυτίκα τὴν ταύτης ἐνέργειαν ἀπαστράπτουσαν. κατεφώτισεν εὐθὺς τῆς γυναικὸς τὴν διάνοιαν, καὶ εἶλεν ἐλθεῖν, καίτοι παράδοξον οὖσαν, εἰς πίστιν τῆς ὑποσχέσεως, καὶ γνῶσιν ἀναλαβεῖν, κατὰ πολὺ τῶν προγόνων μείζονα εἶναι τὸν Κύριον. Καταλιποῦσα γὰρ τῇ γνώμῃ τὸ ὕδωρ τοῦ πατρὸς αὐτῆς Ιακὼβ, πρὸς τοῦτο τὸ ὕδωρ ἐπείγεται, καὶ φησίν· δός μοι, Κύριε, τὸ ὕδωρ τοῦτο. 13) καὶ διὰ τί τὸ προγονικὸν ὕδωρ ὑπερορᾷς; ὅτι ἐν βραχεῖ παῦον τὴν δίψαν, οὐδὲν ἔλαττον διψᾷν ἀφίησι πάλιν, καὶ κόπων ἐστί μοι πρόξενον. Καὶ γάρ, φησι, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχομαι ἐνταῦθα 14) δὲ ἀντλεῖν, ἀλλὰ τῆς σῆς ἀπολαύουσα πηγῆς, οὐκέτι τοῦ προγονικοῦ δεήσομαι φρέατος.

Hac

12) In apographo male: κατεῤῥύπωσαι.
13) *Joan.* IV. 15.
14) *Colbert.* ἐνθάδε. Vtraque vox eodem, qui heic obtinet, ſenſu adhibetur, ſed ἐνθάδε frequentius; quod & h. l. rectius puto, indice δὲ illo, quod poſt ἐνταῦθα abundat.

Ουτως δὲ καταυγασθεῖσα τὴν διάνοιαν, ἐπεὶ καὶ περὶ τῶν ἀνδρῶν εἶπεν αὐτῇ, ὧν λαθραίοις καὶ μυστικοτέραις ὁμιλίαις τὴν κοινωνίαν ἠσπάζετο, 15) εὐθέως μὲν προφήτην αὐτὸν ἀνακηρύττει, οὐδὲν δὲ τῶν βιωτικῶν αὐτῷ προτείνει· οὐδ' ὅσα σῶμα συνέχει, καὶ περὶ σῶμα συνίσαται, οὐδὲν τούτων οὔτε μαθεῖν, οὔτε λαβεῖν ἐπιζητεῖ, ἀλλὰ παλαιὸν ἀνακινεῖ ζήτημα, καὶ ἐν ἐρωτήσει γνῶναι τὴν λύσιν αὐτοῦ διανίσαται. οἱ πατέρες ἡμῶν, 16) φησιν, ἐν τῷ ὄρει τούτῳ προσεκύνησαν, πατέρας μὲν τοὺς περὶ τὸν Αβραὰμ ὀνομάζουσα. καὶ γὰρ ἐν ἐκείνῳ τῷ ὄρει λόγος ἀρχαῖος τὸν Αβραὰμ ἀνενεγκεῖν αὐτοῦ τὸν υἱὸν ἱστορεῖ· 17) εἶτα· καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ιεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος, ἔνθα χρὴ προσκυνεῖν. δύο, φησὶ, προσκυνήσεις· δύο χωρία τῆς προσκυνήσεως. ἑκάτερον βωμὸς καὶ τέμενος λατρείας θεοῦ. τίς οὖν τὸ ἄμεινον διαπράττεται; ὁ Σαμαρείτης, ἢ ὁ Ιουδαῖος; ὁ δὲ φιλάνθρωπος σωτὴρ κἀνταῦθα ταπεινοτέρου ζητήματος λύσιν ἐπιζητούσῃ τῇ γυναικὶ πολὺ μείζω παρέχεται χάριν. καὶ θειότερον ἐκδιδάσκει δόγμα. ἀντὶ τῆς φιλολόγου προαιρέσεως πρὸς θεωρίαν ἀνάγων φιλόσοφον. φησὶ γάρ· πίστευσόν μοι 18) γύναι, ὅτι ἔρχεται ὥρα,

Hac luce mentem perfuſa, cum & Dominus mentionem feciſſet virorum, cum quibus furtivum & clandeſtinum commercium habuerat, ſtatim eum Prophetam profitetur, nihil vero quicquam, quod ad vitam naturalem ſpectaret, quodque vel corpus aleret, vel ad corpus pertineret, requirit: nihil, inquam, horum vel cognoſcere, vel accipere ſtudet; ſed veterem quæſtionem iterum movet, ejusque ſolutionem ſciſcitando percipere conatur. *Patres noſtri,* inquit, *in monte hoc adorarunt.* Patres quidem Abrahamum appellans, quem vetus fama filium ſuum in monte illo ſacrificii inſtar obtuliſſe teſtatur. *Vos vero*, ita pergit, *dicitis Hieroſolymis locum eſſe, ubi adorare nos oporteat.* Duæ, inquit, ſunt adorationes; duo adorationis loci: uterque altare & templum cultui divino ſacrum habet. Vter itaque partes meliores ſequitur? utrum Samaritanus, an Judæus? At humaniſſimus Salvator etiam heic fœminæ, levioris dubii ſolutionem expetenti, longe majorem gratiam exhibet, & ſublimiorem doctrinam inſtillat, a curioſiori quodam problemate ad meditationem philoſophi-

 cam

15) *Colb.* pro ἐισπράττετο.
16) *Joan.* IV. 20.
17) Sic recte *Colbert.* pro αὐτὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἱστορεῖ.
18) *Joan.* IV, 21.

cam & ſublimiorem adducens. Ait enim: *crede mihi, mulier, quod hora venit, & jam eſt, qua veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Quaſi diceret: tu quidem quæris, utrum Judaica an Samaritana opinio potiorem locum habeat, & divinior judicanda ſit. Ego vero tibi myſterium adhuc abſconditum aperio, *venturum ſcilicet tempus, & jam eſſe, quo neque in monte hoc, neque Hieroſolymis Patrem adorabitis.* Tum mulier ad philoſophicam meditationem, præter fœminarum morem, Salvatoris noſtri verbis perducta, non amplius ſua placita illis Iſraelitarum præferenda eſſe, ut antea, contendit, ſed Domini doctrina provecta & emendata, id, quod præſtantius eſſet, doceri cupiebat. Propterea etiam inquit: *Patres noſtri in monte hoc adorarunt.* Hoc enim ipſum erat, quod Samaritanorum de rebus ſuis opinionem extollebat inprimis & amplificabat. Cum itaque præſentem haberet Prophetam, qui Spiritus divini auſpiciis res aliis ignotas cognitas habebat, ab illo veriorem & meliorem ſententiam diſcere ſtudebat.

καὶ νῦν ἐςιν, ὅτε οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ προσκυνήσουσι τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. ἀντὶ τοῦ, σὺ, φησὶ, ζητεῖς, πότερον ἡ Ιουδαία δόξα ἢ τῆς Σαμαρείτιδος γνώμης τὸ τιμιώτερον καὶ θειότερον ἀποφέρεται. ἐγὼ δέ σοι μυςήριον ἀποκεκρυμμένον ἀνακαλύπτω, ὅτι ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐςιν, ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ιεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ Πατρί. ἡ μέν γὰρ γυνὴ πρὸς φιλοσοφίαν θᾶττον γυναικὸς τοῖς τοῦ Σωτῆρος ῥήμασι μετελθοῦσα, οὐκ ἔτι τὰ ἑαυτῆς ἴσως προτιμώμενα δεῖξαι τῶν Ισραηλιτῶν, ὥσπερ καταρχὰς, ἐσπούδαζεν, ἀλλ᾽ ἐνδιδοῦσα καὶ βελτιουμένη τῇ σωτηριώδει διδασκαλίᾳ μαθεῖν ἐζήτει τὸ ἄμεινον. διὸ καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν, φησὶν, προσεκύνησαν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ. τοῦτο γὰρ ἦν τὸ μάλιςα τῶν Σαμαρειτῶν ἀνυψοῦν καὶ ἐξαῖρον 19) τὴν ὑπόληψιν. οἷα 20) γὰρ παρόντος προφήτου καὶ ἐμπνεομένου τῷ πνεύματι τῶν ἄλλοις ἀδήλων τὴν διάγνωσιν, παρ᾽ ἐκείνοις τὴν ἀληθεςέραν δόξαν καὶ τελειοτέραν ἐπεζήτει μαθεῖν.

Propter-

19) *Colb.* pro ἐξαιρῶν.
20) οἷα, idem, pro ὡς.

Διὰ τοι τοῦ καὶ ἀρχομένη τῆς ὑποθέσεως ἔλεγεν· Κύριε, 21) θεωρῶ, ὅτι προφήτης εἶ σύ. ὁ δὲ φιλάνθρωπος Ιησοῦς πρότερον μὲν τὸ τέλος ἑκατέρας προαγγέλλει, ἵνα μὴ λυπήσῃ ταύτην ἐν τῷ προκρίνειν τὴν Ιουδαϊκὴν λατρείαν. Τί γὰρ ἂν καὶ ἀνιάσῃ τῆς ἰδίας δόξης προκρινόμενον σέβας, ὃ μετ᾽ ὀλίγον ἔμελλεν ἐις τὸ αὐτὸ συγκαταλήγειν τέλος; ἔπειτα τὴν διαφορὰν αὐτῶν ἀπαγγέλλει. ὑμεῖς γάρ, 22) φησι, προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε, ἡμεῖς δὲ προσκυνοῦμεν, ὃ οἴδαμεν. Πῶς δὲ οὐκ ᾔδεισαν οἱ Σαμαρεῖται, ὃ προσεκύνουν; ὅτι τοῦτο μὲν τῶν ἐνοικούντων οὐκ ὀλίγων ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας ἦσαν τῶν Βαβυλωνίων ἀνακληθέντες, καὶ τοῖς ἐκεῖθεν ἔθεσι διαβιοῦντες, καὶ τὴν Ισραηλιτικὴν θεοσέβειαν διεφθαρμένοι. Τοῦτο δὲ, τὸ πλῆθος αὐτῶν Βαβυλωνίας καί Μήδων γενεᾶς καὶ λατρείας ὄντες, ἐις τὴν Σαμάρειαν μετῳκίσθησαν, καὶ τὸν παρὰ Ιουδαίοις θεὸν ὥσπερ πάλαι τοὺς πατρῴους ἐπιχώριον θεὸν, καὶ μόνου 23) τοῦ ἔθνους τὴν ἐπιστασίαν ἔχειν, καὶ δεσποτείαν ἐνέμιζον. Ταύτῃ τοι καὶ τὴν λατρείαν ἐκείνῳ προσφέροντες, οὐδὲ τοὺς δαίμονας θεραπεύειν ἀφίςαντο. Τὸ δὲ Ιουδαίων ἔθνος, ἐι καὶ μὴ σύμπαν, ἀλλ᾽ οἵγε τῶν Μωσαϊκῶν νόμων τὴν μνήμην ἀντὶ τῆς λήθης προτιμήσαντες, ταύτης παντελῶς ἀπηλλαγμένοι τῆς ἐναγοῦς ἦσαν ὑπολή-

Propterea, argumentum hoc proponere adgreſſa, ajebat: *video, Domine, quod ſis Propheta.* Atque ibi quidem humaniſſimus JESUS utriusque cultus finem ante nunciat, ne, Judaicum cultum præferens, illam redderet triſtiorem. Quomodo enim illa contriſtaretur, ſi eundem cultum, quem ſuo illi præferri videbat, paulo poſt ſimiliter abolendum eſſe intelligeret? Poſtea vero utriusque cultus differentiam exponit. *Vos enim*, inquit, *adoratis, quod neſcitis, nos vero adoramus, quod ſcimus.* Quomodo vero neſciebant Samaritani, quid adorarent? Ideo, quod primum quidem non pauci incolarum ex captivitate Babylonica revocati erant, qui inſtituta Babylonica adoptaverant, & Iſraeliticum Dei cultum depravaverant; deinde vero quod plerique eorum, Babylonii & Medi, tum origine, tum religione, exiſtentes, & in Samariam commigrantes, Deum Judæorum, non minus quam olim patrios ſuos, proprium illis eſſe, gentisque hujus unius curam agere, illique imperare ſtatuebant, atque hoc nomine & illi cultum præſtabant, & a colendis dæmonibus ſuis non abſtinebant. Ab altera vero parte gens Judæorum, ſi non

21) *Joan.* IV. 19.
22) *Joan.* IV. 22.
23) *Colb.* *μόνον.*

non omnis, ſaltem illi, qui legum Moſaicarum memoriam oblivioni præferebant, a deteſtanda hac opinione penitus erant immunes, Deumque, quem colebant, ut omnium rerum conditorem, ita etiam inſpectorem & curatorem eſſe, agnoſcebant. Ideo ait: *nos adoramus, quod novimus; vos adoratis, quod non noſtis. Adoramus*, inquit, Judæis ſe accenſens: neque enim tunc omnes Deitatis ſuæ radios in illos ſpargebat. Propterea & aquam poſcebat, & itineris moleſtias ſubibat, defatigationemque ex itinere natam humo, tanquam throno ſponte nato, ſolabatur. Accedit etiam, quod mulierem adloquebatur, quæ ſublimiorem de ipſo opinionem adoptaverat, eum ex Prophetarum numero eſſe, & Judæorum, Deoque præ ceteris carum & ſanctiorem exiſtimans: Propterea ait: *adoramus*.

Sic itaque prima differentia erat expoſita, per quam cultus Judaicus illo Samaritanorum præſtabat. Quæ vero eſt altera? *Salus*, inquit, *ex Judæis nata.* Quomodo vero ſalus eſt ex Judæis? Num fortaſſe ideo, quod cum genus hominum omne profanus cultus obnoxium ſibi haberet, veri Numinis cognitio inde ad alios homines perlata eſt; quodque Judæis debebatur, quod Samaritæ

ψεως, καὶ ὥσπερ δημιουργὸν συμπάσης κτίσεως οὕτω καὶ ἔφορον καὶ προνοητὴν τὸν λατρευόμενον Θεόν ἐπεγίνωσκον. Διὰ τοῦτο μέν φησιν ἡμεῖς προσκυνοῦμεν, ὃ οἴδαμεν· ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε. προσκυνοῦμεν δέ, φησι, συγκαταλέγων ἑαυτὸν τοῖς Ιουδαίοις, οὔπω γὰρ ἐναστράπτειν πάσας ἠφίει τῆς ἐν αὐτῷ Θεότητος τὰς ἀκτῖνας. διὸ καὶ ὕδωρ πιεῖν ἐπεζήτει, καὶ κόπον βαδίζων ὑφίστατο, καὶ τὸν κόπον τῆς ὁδοιπορίας αὐτοσχεδίῳ θρόνῳ τῷ ἐδάφει διελύετο. ἄλλωστε καὶ πρὸς γυναῖκα διελέγετο, σεβασμίαν μὲν λαβοῦσαν ὑπόληψιν περὶ αὐτοῦ, ὡς ἕνα μέντοι γε τῶν προφητῶν ὅμως αὐτὸν ἡγουμένην καὶ ὡς Ιουδαῖον, καὶ θεοφιλέστερόν τε τῶν ἄλλων καὶ ἁγιοπρεπέστερον διακείμενον. Διὰ τοῦτο οὖν τὸ, προσκυνοῦμεν εἴρηται.

Αλλ᾽ ἔιρηται μὲν ἡ μία διαφορὰ, καθ᾽ ἥν τὸ Ιουδαῖον σέβας τῆς τῶν Σαμαρειτῶν θρησκείας ὑπερεῖχεν. ἡ δὲ ἑτέρα τίς; ἡ σωτηρία, φησὶν, ἐκ τῶν Ιουδαίων. πῶς δέ ἐστιν ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ιουδαίων; ἢ διότι πανταχοῦ τῆς τῶν εἰδώλων πλάνης τὸ γένος ἐπινεμομένης, ἐκεῖθεν ἤυγασε τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἡ θεογνωσία, καὶ διότι αὐτὸ τὸ ὅλως προσκυνεῖν τοὺς Σαμαρέιτας τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν Ιουδαίων ἀρχὴν ἔσχεν. μᾶλλον δὲ

Deum

σωτηρίαν ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων προελθοῦσάν ἐστιν ἐννοεῖν τὴν αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν, καὶ τὴν δι' αὐτοῦ γεγενημένην τοῦ γένους ἀνάκλησίν τε τοῦ παλαιοῦ πτώματος, καὶ τὴν μηκέτι κλεπτομένην καὶ παραφθειρομένην ἐχθρῶν ἐπιβουλαῖς καὶ βασκανίαις ἀποκατάστασιν. Τὸ δὲ, ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, τὸ πάντως καὶ διὰ ταχέων ἐπόμενον μηνύει. οὐ γὰρ, ὥσπερ οἱ προφητικοὶ χρησμοὶ χρόνῳ ὕστερον ἔλαβον τὸ πέρας, ἀλλ' ὁ περὶ ἐμοῦ ῥηθεὶς λόγος ἤδη πάρεστιν· ἤδη ἐνέστηκεν τὴν ἀπὸ τῶν ἔργων ἐπαγόμενος μαρτυρίαν.

Deum qualicunque modo colebant? At enimvero ſatius fuerit, ſalutem, ex Judæis ortam, de ipſius Chriſti adventu, factaque per eum gentis humanæ a priſtino lapſu liberatione, & inſtauratione, inimicorum inſidiis & artibus nunquam iterum ſurripienda & temeranda, interpretari. Quod vero dicitur: *venit hora, & jam eſt*; id quidem indicat, rem ipſam omnino & brevi quidem eſſe eventuram. Prophetarum quidem oracula, inquit, aliquo tempore poſt eventum ſortiebantur, id vero, quod de me dictum eſt, jam in promtu eſt, & opere ipſo teſtimonium præbet.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ Οϛ'.

Τί δηλοῖ τὸ παρὰ τοῦ Κυρίου τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἰρημένον· Ὑμῖν 1) δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσι;

Τὸ ῥητὸν, 2) οὗ μαθεῖν τὴν διάνοιαν ᾔτησας, τοῖς τέταρσι μὲν τῶν εὐαγγελιστῶν ἀναγέγραπται. 3) Ἐστι 4) δὲ προειρημένον Ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. 5) ἀλλ' οἱ μὲν τρεῖς παραφράσεως 6) νόμῳ συνυ-

QVÆST. LXXVI.

Quid ſibi vult illud, quod a Domino diſcipulis in Evangelio dicitur: *Vobis datum eſt, noſſe myſteria regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant?*

Dictum illud, cujus ſenſum ex me requiſiviſti, a quatuor quidem Evangeliſtis perſcriptum exſtat, a *Jeſaia* vero Propheta prænunciatum eſt. Tres autem eorum oraculum

Nnnn hoc

1) *Luc.* VIII. 10.
2) οὗ illud eſt ex *Colb.* quod ſenſus poſtulat.
3) *Colb.* pro ἐγγέγραπται.
4) Ἐστι *Colb.* pro τί.
5) *Jeſ.* VI. 9. 10.
6) Sic recte *Colb.* pro: ἄλλοι μὲν λόγοις παραφράσεως.

hoc ſuis verbis & quidem paraphraſtice contexunt, divinus vero *Mattheus* ſuis illud, inſtar teſtimonii, adponit. *Jeſaias* enim, cum conſpectu gloriæ Domini dignus habitus eſſet, & ab uno ex Seraphimis carbone linguam ſuam purgatam vidiſſet, divinam illam vocem audivit, jubentem: *abi, & dic populo illi: audiendo audietis, & non intelligetis, & videndo videbitis; & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus difficulter audiverunt, & oculis nictarunt, ne videant oculis, & auribus audiant, & mente percipiant, & convertantur, & ſanem illos.* Ita habet oraculum Propheticum, quo utuntur Evangeliſtæ; idemque tum improbitatem Judæorum illius ætatis prodit, tum vero non minus prænunciat ſtuporem poſterorum, qui eandem imitando expreſſuri, & Salvatoris doctrinam non admiſſuri ſint, qui & admirandis operibus & verbis divinioribus & aures eorum & oculos convincere conabatur. Illi ſcilicet data opera aures mutas, oculos autem præ incredulitatis caligine cœcos, reddebant, neque aures ad verba adeo ſalutaria aperire, neque oculos ad divinam

φαίνουσι τὸ ῥητὸν λόγοις ἰδίοις. ὁ δέ γε θεσπέσιοις Ματθαῖος κατὰ παράθεσιν αὐτὸ καὶ μαρτυρίας τύπῳ εἰσάγει. 7) Ησαΐας γὰρ, ἡνίκα τῆς δόξης Κυρίου θεατὴς ἠξιώθη γενέσθαι, καὶ τῷ ἄνθρακι δι' ἑνὸς τῶν Σεραφεὶμ ἐκαθάρθη τὰ χεῖλη, τηνικαῦτα καὶ τῆς θείας ἐκείνης ἤκουσεν φωνῆς, πορεύθητι, λεγούσης, καὶ εἰπὸν τῷ λαῷ τούτῳ. ἀκοῇ ἀκούσετε καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ ὀφθαλμοὺς ἐκάμμυσαν, μήποτ' ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσιν, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσιν, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. Αλλὰ ταῦτα μὲν τὰ προφητικὰ ῥήματα, ὧν ἡ χρῆσις τοῖς εὐαγγελίοις περιείληπται, δηλοῦσι δὲ τὴν ἀγνωμοσύνην τῶν κατ' ἐκεῖνο 8) καιροῦ Ιουδαίων. οὐδὲν δὲ ἧττον προλέγουσι καὶ τῶν ὕστερον αὐτῶν τὴν μίμησιν ἐναπομαξαμένων, καὶ τῇ τοῦ Σωτῆρος διδασκαλίᾳ μὴ πεισθέντων, ὡς ἔργοις τε παραδόξοις καὶ λόγοις ὑπερφυέσι τήν τε ἀκοὴν αὐτῶν καὶ τὴν ὄψιν διήλεγξεν, τὴν μὲν κωφεύουσαν ἑκουσίως, τὴν δὲ τυφλώττουσαν τῇ λήμῃ τῆς ἀπιστίας. καὶ οὔτε πρὸς τοσαύτην ῥημάτων 9) ὠφέλειαν τὴν ἀκοὴν ἀνοῖξαι ἐθέλοντας 10) οὔτε πρὸς οὕτω θεοπρε-

7) προάγει, *Colb.* Vid. *Matth.* XIII. 14.

8) Sic ſcripſi pro ἐκεῖνο. Eadem phraſi mox n. 13: utitur *Photius*, nec minus alias frequenter.

9) ῥημάτων eſt ex *Colbert.*

10) θελήσαντας, *idem.*

πεῖς θαυμάτων 11) λαμπηδόνας τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀναπετάσαι βουληθέντας. Διὸ καὶ ὁ προφήτης τὸ κωφὸν αὐτοῖς καὶ τυφλὸν οὐκ ἀλλαχόθεν, ἐκ δὲ τῆς ἰδίας μοχθηρίας περιεῖναι διαμαρτυρόμενος, ἐπαχύνθη, φησὶ, ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου. Καὶ ἐπεὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν ἐπάχυναν, διὰ τοῦτο καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν.

nam miraculorum lucem expandere volebant. Ideo Propheta, ſurditatem eorum & cœcitatem non niſi ex propria malitia ortam teſtaturus, ait: *incraſſatum enim eſt cor populi hujus.* Et quoniam incraſſarunt cor ſuum, propterea auribus ſuis ægre audiunt, & oculis ſuis nictant.

Εἶτα μηδ᾽ ἀνανῆψαι τούτους ἐθέλειν δηλῶν τῆς ἑκουσίου πηρώσεως, ἐπάγει· μή ποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι καὶ ἐπιστρέψουσι, καὶ ἰάσομαι αὐτούς. Επαχύνθησαν τοιγαροῦν τὴν καρδίαν, διὰ τοῦτο βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν. ἐκάμμυσαν δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰ ὦτα ἐβάρυναν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶ ἀκούσωσιν. καὶ τούτων δὲ τὴν πήρωσιν ἑκόντες ὑπῆλθον, 12) ἵνα μὴ ἐπιστραφέντες τῶν τηλικούτων παθῶν τῆς ἰάσεως τύχωσιν. Οὕτω μὲν οὖν σαφῶς ὁ προφήτης τοῦ τυφλώττειν καὶ κωφεύειν τὴν αἰτίαν τῆς Ιουδαϊκῆς ἀνάπτει γνώμης καὶ προαιρέσεως, ἀλλ᾽ οὐχὶ θεοῦ ψῆφον ὑμενοῦν οὐκ εἰσάγει, ταῦτα τοῖς Ιουδαίοις ἐπιφέρουσαν. ὥσπερ δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο 13) καιροῦ τῶν Ιουδαίων τοὺς ἀγνώμονας ὁ προφήτης στη-

Significaturus porro, eosdem ex ſpontanea cæcitate non eſſe evigilaturos, addit: *ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ego illos ſanem.* Incraſſati itaque erant corde: propterea ægre audiverunt, & oculos ſuos occluſerunt. Occluſerunt vero oculos ſuos, & aures difficiles reddiderunt, ne oculis viderent, & auribus audirent. Vtroque vero ſenſu ſponte ſe privarunt, ne converſi aliquando a tantis malis liberarentur. Clare itaque Propheta cœcos illos oculos & ſurdas aures ab ipſorum Judæorum conſilio & arbitrio repetit, tantum abeſt, ut ad decretum divinum, Judæis irrogatum, referat. Sicut vero Propheta eo tempore improbos Judæos caſtigaturus, dicebat, eos neque oculos aperire, neque aures

11) θαυμάτων, ex *Colb.*
12) *Colb.* pro ἐπῆλθον.
13) *idem*, pro κἀκεῖνο. Vid. not. 8.

ad recipiendam ſalutarem ſibi divinamque doctrinam adhibere velle, idque per peccata, quibus adſueverant, maxime vero per faſtum & arrogantiam, majusque errorum quam pietatis ſtudium; ita & illi claudebant oculos, auresque ſuas cohibebant, ſe ipſos & cœcos & ſurdos efficientes; &, quod pejus eſt, ita affecti aliis ſe oculatiores eſſe opinabantur, præclare de ſe ſentientes. Quapropter etiam legis periti ſibi videbantur, Prophetarumque oracula, id quod crimen eorum augebat, labiis circumferebant, eoque ipſo morbum ſuum immedicabilem reddebant. Ideo Salvator noſter, poſtquam homini, a natalibus cœco, viſum reſtituerat, illi vero linguam, Deo inimicam, loco cultus præſtandi, ad injurias evomendas adhibebant, dicebat: *ad judicium ego veni in mundum, ut non videntes videant, videntes vero cæci evadant.* Cumque Phariſæi exciperent: *num & nos cæci ſumus?* reſpondebat: *ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum: jam vero dicitis; videmus: ideo peccatum apud vos manet.* Qui enim novit, ſe per

λιτεύων, ἔλεγεν, μήτε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐθελῆσαι διανοῖξαι, μήτε πρὸς ἀκοὴν παρασχεῖν τὰ ὦτα πρὸς τὴν σωτηρίαν αὐτῶν, καὶ θεοπρεπῆ διδασκαλίαν, ἐκ δὲ 14) τῶν συνήθως 15) αὐτοῖς ἁμαρτανομένων, μάλιστα δὲ τοῦ τύφου, καὶ τῆς ἀλαζονείας, καὶ τοῦ πρὸς τὴν πλάνην μᾶλλον ἢ τὴν εὐσέβειαν ῥέπειν. ἔμυόν τε τὰ ὄμματα, καὶ τὴν ἀκοὴν συνεῖχον, αὐτοὶ ἑαυτοὺς τυφλοὺς καὶ κωφοὺς ἀπεργαζόμενοι. καὶ τὸ χαλεπώτερον, οὕτω παθόντες 16) ἑαυτοὺς βλέπειν 17) τῶν ἄλλων μᾶλλον ἐνόμιζον, καὶ τῷ τῆς οἰήσεως ἐφλέγμαινον πάθει. Διότι νομομαθεῖς τε ἐδόκουν, καὶ τῶν προφητῶν τὰς φωνὰς, ὃ πλέον αὐτῶν τὴν κατηγορίαν ἐπέτεινεν, τοῖς χείλεσιν περιέφερον, διὸ καὶ ἀνίατον αὐτοῖς τὴν νόσον κατεσκεύαζον. Εντεῦθεν ὁ μὲν Σωτὴρ τὸν ἐκ γεννητῆς τυφλὸν δεικνὺς ὁρῶντα, τῶν δὲ τὴν θεομάχον γλῶτταν ἀντὶ τοῦ θυσιάζειν εἰς ὕβριν κινούντων, εἰς κρίμα, φησὶν, ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα 18) ἵνα οἱ μὴ βλέποντες βλέψωσι, καὶ οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται. καὶ δὴ καὶ τῶν Φαρισαίων ἐπιφθεγγομένων, μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; εἰ τυφλοὶ ἦτε, φησὶν, οὐκ εἴχετε ἁμαρτίαν. νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν, διὰ τοῦτο 19) ἡ ἀ-

igno-

14) malim legere ἔκ τε.
15) ita cum *Colb.* pro συνήθων.
16) *Colb.* διαθέντες.
17) idem pro τὸν ἄλλον.
18) *Joan.* IX. 39.
19) Ibid. v. 41. ubi pro διὰ τοῦτο, legis: ἡ οὖν.

μαρτία ὑμῶν μένει. ὁ μὲν γὰρ εἰδὼς ἑαυτὸν ἐξ ἀγνοίας τυφλὸν, συνῆκεν τε τὸ πάθος, καὶ θᾶττον χωρεῖ 20) πρὸς τὸν ἰατρὸν, καὶ τοῦ φωτὸς ἐπιζητεῖ τὴν ἀπόλαυσιν, καὶ πρὸς ἐκεῖνο σπεύδει, καὶ τῆς φιλανθρώπου διὰ τοῦτο προνοίας καταξιοῦται, ταῖς σελασφόροις αὐτῆς ἀκτῖσι τὸν νοῦν φωτιζόμενος, καὶ πρὸς τὴν σωτήριον θεωρίαν ἀναγόμενος. Ὁ δὲ τῇ πωρώσει μὲν ἐσκοτισμένος, βλέπειν δὲ οἰόμενος, 21) διπλὴν ἑαυτῷ τὴν τύφλωσιν 22) κατεσκεύασεν, ὅτι τε μὴ βλέπει, καὶ ὅτι μὴ βλέπων ὀξύτερον δοκεῖ τῶν ἄλλων ὁρᾷν. ἡ γὰρ οἴησις 23) σκότος οὖσα ψυχικῶν ὀμμάτων βαθὺ, τῆς προκατασχούσης ἀμαυρώσεως ἐπιτείνει μᾶλλον τὸ 24) νόσημα.

ignorantiam cœcum eſſe, & morbum ſuum intelligit, & citius ad Medicum ſe convertit, luciſque uſum requirens, ad eam feſtinat, ideoque cura clementiſſima dignus habetur, radiis ejus ſplendidiſſimis illuminatus & ad ſalutarem meditationem adductus. Qui vero præ cordis duritie in tenebris verſatur, & vel ſic videre ſe exiſtimat, duplicem ſibi cœcitatem arceſſit, quoniam nihil videt, &, dum nihil videt, acutius aliis cernere ſe opinatur. Præclara enim de ſe opinio profundas tenebras offundit oculis animæ, morbumque cœcitatis, qua correptus homo eſt, vehementer auget.

Ἀλλὰ γὰρ οὕτω μὲν τῶν προφητικῶν ῥημάτων τεθεωρημένων, οὕτω δὲ τῶν σεπτῶν λογίων διευκρινημένων, καὶ εἴ τι μέρος αὐτῶν ὑπάρχον τῇ εὐκρινείᾳ μὴ συμπεριείληπται, οὐκέτι τοῖς ἀκροαταῖς ὁμοίως οἶμαι οὐδὲ τοσαύτην πρόφασιν ζητήματος παρέξει. δῆλον μὲν γὰρ ὡς τοῖς μαθηταῖς δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, ἐπεὶ μήτε τὴν καρδίαν ἐπαχύνθησαν, 25) μήτε βαρέως ἤκουον, μήτε τὰ ὄμματα ἔμυον. τοῖς δὲ λοιποῖς, οὓς καὶ ἔξω καλεῖ, ἔξω γὰρ

Quod ſi itaque verba Prophetæ ita accipiantur, & veneranda Domini eloquia hoc modo judicentur (ſi vel maxime non omnia eorum æque forent perſpicua) non putem illa audientibus gravem admodum diſputandi occaſionem præbere poſſe. Manifeſtum enim eſt, diſcipulis datum hoc fuiſſe, ut myſteria regni Dei cognoſcerent, quoniam neque craſſum factum erat cor eorum, neque oculos claudebant. Reliquis vero,

20) *Colb.* pro χωρὶς.
21) ὁ δὲ οἰόμενος, addidi ex *Colb.*
22) *idem*, pro τύφωσιν.
23) *idem*, pro οἴκησις.
24) *idem*, pro νόημα.
25) *idem*, pro ἐπαισχύνθησαν.

vero, quos & externos vocat (nam ſe ipſos a ſalute excluſerant) idem non dabatur. Cum enim vitiis modo commemoratis ſalutem omnem a ſe averterint, jure quodam id datum non eſt, ideo, quod ſe ipſos ad illud recipiendum idoneos non præſtiterunt. Propterea quoque conſultius erat, per parabolas cum ipſis loqui, quam gratiæ myſteria nuda proponere. Neque enim vel commodum eſt, vel judici cordato convenit, dignum & indignum, quod ad doctrinam & ſalutem ſpectat, eodem loco habere; quemadmodum nec porcis margaritas projicere, neque canibus ſancta offerre fas eſt.

τῆς σωτηρίας σφᾶς αὐτοὺς περιέστησαν, οὐκέτι δέδοται. τοῖς γὰρ εἰρημένοις πάθεσι πᾶσαν ἑαυτοῖς ἀποτειχίσαντες σωτηρίαν καὶ ὠφέλειαν, εἰκότως οὐ δέδοται, ὅτι μηδὲ λαβεῖν αὐτοὺς ἐπιτηδείους παρεσκεύασαν. Διὸ καὶ παραβολαῖς προσῆκε μᾶλλον λαλεῖν, ἢ γυμνὰ προτιθέναι τῆς χάριτος τὰ μυστήρια. Ουτε γὰρ συμφέρον, οὔτε κρίσεως ἀδεκάστου, εἰς τὴν αὐτὴν τάξιν τῆς διδασκαλίας καὶ σωτηρίας τιθέναι τόν ἄξιόν τε καὶ τὸν ἀνάξιον. ὥσπερ οὐδὲ τοῖς χοίροις τοὺς μαργαρίτας προβάλλειν, οὐδὲ τοῖς κυσὶ ῥίπτειν τὰ ἅγια. 26)

Ex dictis porro conſtat, quomodo intelligenda ſint illa: *ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* *Vt* enim illud adfine jam eſt voci *ideo*, & alterum pro altero ſumi poteſt. Similiter etiam *non* illud hoc loco non *prohibitionem*, ſed *negationem* ſignificat. Hoc vero loco dictiones illas ita accipiendas eſſe, non meris conjecturis nititur, ſed tum ſenſus verborum Propheticorum, unde Domini eloquium fluxit, invicte teſtatur; tum vero S. *Matthæus* in eadem ſententia pro parti-

Ἐξ οὖν 27) τῶν εἰρημένων καὶ τὸ, ἵνα 28) βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν, ὁδὸν εὑρίσκει τῆς διαγνώσεως. Τὸ γὰρ ἵνα νῦν συγγενές τε ἐστι τοῦ διότι, καὶ μεταλαμβάνεσθαι πέφυκεν θάτερον πρὸς τὸ ἕτερον. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ, μὴ, οὐκ ἀπαγορεύσεως, ἀρνήσεως δὲ χώραν νῦν ἐπέχει. Καὶ ὅτι τὸ λαμβάνειν τὰς λέξεις οὕτως ἐνταῦθα μεῖζον τοῦ εἰκάζειν καθίσταται, τῶν τε προφητικῶν ῥημάτων ἡ διάνοια, δι' ὧν προῆλθε καὶ τὰ Κυριακὰ λόγια, μάρτυς ἐστὶν ἀπαράγραπτος. ἀλλὰ καὶ ὁ ἱερὸς Ματθαῖος ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐννοίας

cula

26) *Matth.* VII. 6.
27) Poſt οὖν legebatur καὶ, quod *Colb.* rectius omittit.
28) ἵνα ex *Colb.*

ἀντὶ τοῦ ἵνα χρησάμενος τῷ, ὅτι, καὶ ἀντὶ τοῦ ἀπαγορεύειν ἀρνητικῶς ἀπαγγείλας τὸ χωρίον. Καὶ γὰρ εἰσάγει τὸν Κύριον λέγοντα. διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ δῆλον, ὅτι σαφὲς κατέστη καὶ τὸ ἵνα τοῖς ἄλλοις εὐαγγελισταῖς ἀντὶ τοῦ ὅτι παρειλημένον, καὶ τὸ 29) ἀπαγορευτικὸν μόριον τὴν τοῦ ἀρνητικοῦ δύναμιν ἀναδεδεγμένον.

cula ἵνα alterum ὅτι adhibens, locumque ipſum non prohibendi, ſed negandi, ſenſu recitans. Dominum enim ita introducit loquentem: *Propterea per parabolas loquor*, quia *videntes non vident, & audientes non intelligunt.* Manifeſtum itaque hinc evadit, illud ἵνα a reliquis etiam Evangeliſtis pro ὅτι eſſe uſurpatum, & particulam illam prohibitivam negantis vim obtinere.

Ἀλλ᾽ οὕτω μὲν τὴν προγονικὴν τὸ Ἰουδαίων ἔθνος ἀπένοιαν καὶ ἀγνωμοσύνην οἰκειούμενοι τῆς δεσποτικῆς διδασκαλίας καὶ ὠφελείας ἀποστερεῖν ἑαυτοὺς κέρδος ἐτίθεντο. καὶ γὰρ οὐ τοσοῦτον τὰς πηγὰς τῆς σωματικῆς γενέσεως εἰς ἐκείνους ἀνέφερον, ὅσον τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀχάριστον. Θαλάσσης ὁ παλαιὸς Ἰσραὴλ ὑγρὰ κύματα πεζοποροῦντες διέβαινον, στύλος πυρὸς καὶ νεφέλης τὴν ὁδὸν αὐτοῖς παρεσκεύαζεν ἄλυπον. ὁ μὲν ἐν νυκτὶ πυρσὸν ἀνάπτων, ἅμα καὶ χειραγωγῶν τὸν ἀχάριστον. ἡ δὲ τὴν λυποῦσαν τοῦ ἡλίου φλέγα ἀντὶ τῆς κατ᾽ οἶκον ὀροφῆς ἀποστέγουσα, καὶ τὴν ἡμέραν τῆς ὁδοιπορίας εὐφροσύνης ἡμέραν ἀποφαίνουσα. Καὶ, ἐν κεφαλαίῳ φάναι, τῶν ὑπὲρ λόγον εὐεργεσιῶν ἀπολαύοντες, καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν βίον ἀγαθοῖς περιρρεόμενοί τε καὶ πιαινόμενοι, ἀπελάκτιζον μᾶλλον καὶ πρὸς

Scilicet gens Judaica, majorum ſuorum inſaniam & improbitatem ita ſuam fecit, ut Dominicæ ſalutariſque doctrinæ jacturam ſpontaneam in lucro reputaret. Neque enim illi natalium ſuorum originem ad majores magis, quam cordis ſui duritiem ingratumque animum referebant. Veteres illi Iſraëlitæ maris fluctus tranſibant, columna porro ignis & nubis iter ipſis jucundum præſtabat, quando prior quidem noctu facem accendebat, & viam ingratis præmonſtrabat; poſterior vero infeſtam Solis flammam inſtar tecti alicujus, quo domus munitur, arcebat, atque adeo itineris diem lætitiæ diem efficiebat. At iidem illi, ut ſummatim dicam, tot beneficiis, quæ omnem eloquentiam ſuperant, fruentes, omnibusque vitæ bonis inundati

29) Poſt καὶ τὸ, exſtabat ἀντὶ τοῦ. ex ſuperioribus intempeſtive hic repetitum, ideoque in *Colb.* omiſſum.

inundati & ſaginati, recalcitrabant, &, furore quaſi quodam correpti, in Divinum Numen erant injurii, fidem, conditori ſuo præſtandam, cum idololatriæ ſordibus permutantes. Ita & poſteri eorum, non minus animo quam natalibus illis ſimiles, poſtquam ſimilia & divina miracula a nato Salvatore noſtro patrata vidiſſent, quando nunc quidem morbi corporis, alias immedicabiles, verbo propulſabantur, nunc vero homines, a noxis & inſidiis Diabolicis liberabantur, nunc animæ vulnera doctrina ſalutari ſanabantur, nunc mortui inter vivos numerabantur, nunc vim mortis jam fractam eſſe docebantur, multisque aliis donis & beneficiis mactabantur, vel ſic animum ad illa omnia advertere, aut benefactori ſuo gratiam rependere nolebant, ſed linguam potius, Deo inimicam, acuebant. Imo videntium & audientium elogium per rapinam ſibi ipſis vindicantes, neque Domini verba, quæ eos, buccina clarius, ad ſalutem vocabant, multos vero ex Gentilibus ad eam perducebant, veritatisque cognitionem inſtillabant, audire, neque miracula, quæ in oculos incurrebant, videre cupiebant, ſed potius ad convicia tantum & men-

τὴν τοῦ θείου ὕβριν ἐξεμαίνοντο τῶν ειδωλικῶν μιασμάτων 30) τὸ σέβας τῆς εἰς τὸν δημιουργὸν ἀνταλλαττόμενοι πίστεως. καὶ οἱ τῆς ἐκείνης δὲ γνώμης οὐκ ἔλαττον ἢ τῆς γονῆς φύντες, διὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιδημίας παραπλησίων καὶ ὑπερφυῶν θαυμάτων τελουμένων θεαταὶ γινόμενοι, νῦν μὲν παθῶν σωματικῶν ἀνιάτων ἐλαυνομένων λόγῳ, νῦν δὲ βλάβης δαιμονίας καὶ ἐπιβουλῆς τοῦ πλάσματος ἀπαλλαττομένου. καὶ ψυχικῶν δὲ τραυμάτιων τῇ διδασκαλίᾳ θεραπευομένων. νεκρουμένην δ' ἤδη θανάτου τὴν ἰσχὺν ευαγγελιζομένων. καὶ πολλῶν ἄλλων δωρεῶν τε καὶ ἐυεργεσιῶν ἀξιούμενοι, οὐδὲν μὲν τούτων καθορᾷν γνώμην εἶχον, οὐδ' ἀμείψασθαι * τὸν εὐεργέτην, πρὸς μόνην δὲ τὴν θεομάχον ἐξωτρύνοντο γλῶσσαν, καὶ τῶν βλεπόντων καὶ ἀκουόντων ἁρπάζοντες τὸ ἀξίωμα, καὶ σφίσιν αὐτοῖς περιτιθέντες, οὔτε ἀκούειν ἤθελον τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων, σάλπιγγος γεγωνότερον αὐτοὺς πρὸς τὴν σωτηρίαν ἀνακαλουμένων, καὶ πολλοὺς τῶν ἐθνῶν πρὸς αὐτὴν συναγόντων, καὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσιν ἀναδιδασκόντων. οὔτε τὰ ὑπ' ὄψιν τελούμενα τῶν θαυμάτων βλέπειν ἐβούλοντο, πρὸς μόνας δὲ τὰς δυσφημίας, καὶ τὸν νοῦν αὐτῶν καὶ τὴν γλῶτταν ἐξώπλιζον. Διόπερ εἰκότως αὐτοῖς τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας οὐκ ἐπιστεύετο. χωρὶς γὰρ τῶν ἄλλων καὶ διότι μεῖζον

tem

30) *Colb.* pro βιασμάτων.
* Sic ſcribo pro ἀμείνασθαι, niſi malis ἀμείβεσθαι.

αὐτοῖς κρίμα περιῆπτε 31) πιστευόμενον. Ὅσῳ γὰρ ἄντις μειζόνον ἀξιοῦται, ὁ δὲ πρὸς τὸ χεῖρον ἀντὶ τῆς ἐπὶ τὸ κρεῖττον μεταβολῆς ἀπονεύει, οὗτος 32) διπλῆς ἔνοχος κατακρίσεως, τῆς τε προλαβούσης κακίας, καὶ τῆς ἐπ' αὔξησιν μοχθηρίας τὴν εὐεργεσίαν ποιησαμένης προαιρέσεως.

tem ſuam & linguam armabant. Hæc cauſa erat, cur myſteria regni divini illis non crederentur. Nam, ut alia omittam, majori crimini futuri erant obnoxii, ſi ea illis commiſſa fuiſſent. Quo quis enim majoribus beneficiis cumulatur, qui tamen pejor potius, quam melior evadere geſtit, hoc magis duplici condemnationi eſt obnoxius, hinc ob malitiam antegreſſam, hinc ob animum peſſimum, quandoquidem ipſa beneficentia ad incrementum pravitatis abutitur.

Ὅτι δὲ μὴ ἀποκληρωτικὸν εἶναι τὸ δεδόσθαι μὲν τοῖς μαθηταῖς ἐπιγνῶναι τὰ μυστήρια, τοῖς δὲ μή, καὶ πρότερον μὲν ἀποδέδεικται. οὐδὲν δὲ ἧττον παρίστησι καὶ ὁ Σωτὴρ, μακαρίζων τοὺς μαθητὰς, ὅτι βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούουσιν. ὁ μακαρισμὸς γὰρ παρά γε τοῖς λογίοις καὶ μάλιστα τοῖς κυριακοῖς, οὐκ ἀνάγκης ἐστὶν εἰσαγούσης τὸ ἀπαραίτητον, προαιρέσεως δὲ γινομένης τοῦ βελτίονος. μακάριος γὰρ ἀνὴρ, ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. 33) καὶ μακάριος ἀνὴρ, 34) ὃς οἰκτείρει ψυχὰς κτηνῶν αὐτοῦ. ὁ δὲ Σωτὴρ καὶ κατὰ συνέχειαν πολλοὺς μακαρισμοὺς συνάπτων. 35) οὐδένα τούτων, ἐφ' ὧν ἀποκλήρωσις ἔχει

Non vero fato quaſi quodam accidiſſe, ut diſcipulis facultas daretur cognoſcendi myſteria, aliis vero non item; jam ante a nobis eſt oſtenſum. Idem vero non minus Salvator indicat, beatos prædicans diſcipulos, quod videntes videant, & audientes audiant. Quando enim in Scripturæ Sacræ, ſpeciatimque Domini noſtri, dictis beatus aliquis prædicatur, id quidem non infert, rem aliter fieri non potuiſſe, ſed voluntariam melioris electionem indicat. Ita *beatus* dicitur *vir, qui non ambulat in conſilio impiorum; & beatus vir, qui miſeratur vitam jumenti ſui.* Quan-

do

31) *idem* pro πῖπτειν
32) idem pro ὄντως.
33) *Pſalm.* I. 1.
34) Reſpicere videtur ad *Prov.* XII, 10. ubi tamen legitur: δίκαιος οἰκτείρει ψυχὰς κτηνῶν αὐτοῦ.
35) *Matth.* V. 3. ſqq.

do porro Salvator noſter multas una ſerie benedictiones affert, nullam earum iis, in quibus diſtinctio quædam locum habere poterat, impertitur, ſed in eos omnes confert, quorum virtus bonæ mentis fructus & ſeges erat. Itaque nec diſcipulis per ſortem quandam fatalem facultas facta eſt myſteria regni Dei cognoſcendi, neque improbis Judæorum ignoratio illorum irrogata. Imo vero ideo, quod ſponte ſua ſe cœcos & mutos effecerant, divinum & falli neſcium judicium illis indignos eos eſſe pronunciavit. Quo vero ſenſu is, quem Dominus ex diſcipulis inprimis amabat, magnum illud Theologiæ inſtrumentum, dicit: *excæcavit oculos eorum, & obduravit cor eorum;* facile ex dictis æſtimari poteſt. Si enim *Jeſaiam* verborum teſtem non advocaſſet, aut dictum ejus ad aliud argumentum probandum attuliſſet, dubitandi fortaſſe naſceretur occaſio, quæſtioque hæc alia, præter dictas illas, ratione eſſet dirimenda. Quoniam vero etiam illa ex Prophetæ verbis adferuntur, quorum ſenſus perſpicuus eſt, nihilque difficultatis continet;

τὴν ἰσχὺν, ἀπονέμει, εἰς ἐκείνους δὲ συνάγει πάντας, ὧν ἀρετὴ καρπὸς ὑπάρχει καὶ γεώργιον τῆς προαιρέσεως. Ουκοῦν οὔτε τοῖς μαθηταῖς κατ' ἀποκλήρωσιν ἐδέδοτο τὰ μυςήρια γνῶναι τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, οὔτε τοῖς ἀγνώμοσι τῶν Ιουδαίων τούτων ἡ ἄγνοια, ἀλλ' ὅτι τυφλοὺς τε καὶ κωφοὺς ἑκόντες ἀπέφηναν ἑαυτούς. τούτων ἀναξίους ἡ θεία καὶ ἀδέκαςος κρίσις διήλεγξεν. Πῶς οὖν τῶν μαθητῶν ὁ ἠγαπημένος τὸ τῆς θεολογίας ὄργανον 36) λέγει· τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, 37) οὐδὲν ἔργον ἐκ τῶν εἰρημένων ἤδη συνιέναι. Ει μὲν γὰρ μὴ ἐκάλει τοῦ λόγου τὸν Ησαΐαν μάρτυρα, ἢ 38) ἐφ' ἑτέρου θεωρήματος προῆγε τὰς αὐτὰς φωνὰς, ἀπορίας ἂν τινος ὑπῆρχεν ἀφορμὴ, καὶ ζήτησις παρὰ τὰς εἰρημένας ἄλλης ἐπιλύσεως. Ἐπεὶ δὲ διὰ τῶν προφητικῶν καὶ ταῦτα προάγεται λόγων, ἐξ ὧν σαφεςάτη καὶ οὐδὲν ἄπορον ἐπιφέρουσα ἐξέλαμψεν ἡ διάνοια, καὶ μὴν καὶ τῶν ἄλλων εὐαγγελιςῶν, ὅσον ἦν ἀμφισβητούμενον, διεκρίθη· δῆλον, ὅτι προδιαλέλυται καὶ ὅπερ ἔμελλεν ἐπὶ τῶν ῥημάτων τούτων διαπορεῖσθαι. ἴσον γάρ. * Ο πρῶτος ἀναγραψάμενος τὰς δεσποτικὰς πράξεις ἐκδι-

36) Alludit ad *Theologi* cognomen, quod *Joannis* eſſe conſtat.
37) *Joan.* XII. 40.
38) ἢ *Colb.* pro εἰς.
* In MS. ita: ἴσον γὰρ ὁ πρῶτος κ. τ. λ. Ibi poſt γὰρ poſui ςιγμὴν & pro ſequente δύνασθαι ſcripſi δύναται. Alioquin enim de ſenſu vix conſtare poterit. Loquitur autem de Matthæo, Evangeliſtarum primo, ad quem ſupra inprimis provocat.

δάσκειν δύναται τὸ, τετύφλωκεν καὶ πεπώρωκεν. καὶ τὸ, διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες, οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν.

continet, illa quoque ceterorum Evangeliſtarum a dubiis omnibus liberata modo ſunt; patet utique, etiam illud jam ſolutum eſſe, quod ex his verbis ſcrupulum injicere poterat. Similia enim ſunt ſibi invicem. Ille, qui primus Domini noſtri geſta deſcripſit, explicare optime poteſt, quomodo intelligi debeat illud, *occæcavit*, &, *obduravit*; itemque illud: *propterea per parabolas illis loquor, quia videntes non vident, & audientes non audiunt.*

Εἰ δέ τις τὸ, τετύφλωκεν καὶ πεπώρωκεν, οὐ προηγούμενα πάθη, ἀλλ᾽ ἐκείνοις ἑπόμενα μᾶλλον θείη οἷόν τινα ἀντιμισθίαν τῶν φθασάντων ὄντα· οὐδ᾽ οὗτος ἂν εἴη σκοποῦ διαμαρτάνων, δι᾽ οὗ φέροιτ᾽ ἂν οὐ πόῤῥω τῆς ἀληθείας. Ἐπεὶ γὰρ ἑκόντες ἔμυσαν τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰ ὦτα συνέσχον, τούτων προηγησαμένων τῶν παθῶν ποινὴ γέγονεν αὐτοῖς ἐπακολουθήσασα τῇ ἑκουσιότητι τῆς μοχθηρᾶς γνώμης ἡ τύφλωσις καὶ ἡ κώφωσις, ὧν ἓν εἴη καὶ τὸ μὴ δεδόσθαι αὐτοῖς τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας γνῶναι. Ἔστι δὲ καὶ πρὸ βραχέως ἀκοῦσαι λέγοντα τὸν Ἰησοῦν, ὡς αὐτὸς ὁ τῆς βροντῆς ἔγραψεν υἱός· 39) ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ᾽ ὑμῶν ἐστι. περιπατεῖτε, ἕως τὸ φῶς ἔχετε, ἵνα μὴ τὸ σκότος ὑμᾶς καταλάβῃ, καὶ ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ οὐκ οἶδε, ποῦ ὑπάγει. ἔ-

Si quis vero illa verba: *occæcavit & obduravit*; non tam pro peccatis, quæ anteceſſerint, quam pro talibus, quæ ea inſtar mercedis promeritæ, ſint ſecuta, habere maluerit; nec ille a ſcopo aberraverit, per quem non longe a veritate abſit. Quoniam enim illi ſponte ſua oculos clauſerant, & aures cohibuerant, cœcitas & ſurditas merito inſtar pœnæ antecedentium vitiorum ſpontaneam animi improbitatem excipiebat. Huc inter cetera pertinebat illud, quod nec facultate myſteria regni cœleſtis cognoſcendi inſtruebantur. Porro paulo ante Jeſum audimus, prout idem filius tonitruum ſcribit, dicentem: *exiguum adhuc tempus lux vobiſcum eſt: ambulate quoad lucem habetis, ne tenebræ vos apprehendant, &, qui in tenebris ambulat,*

39) *Joan.* XII. 35.

Digitized by Google

ambulat, non novit, quo vadat. Salvator enim mundi adveniens, ut vera lux ſplenduit; illi vero oculos in eam convertere, aut in luce dogmatum ejus ſplendidisſima verſari nolebant. Propterea tenebræ eos convenienter excipiebant, tanquam pœnam improbitatis receptæ poſcentes. Id ipſum vero & *occæcari* & *obdurari* appellari videtur. Quemadmodum porro eum, qui in luce ambulare vult, id conſequitur, ut ſciat etiam, quo vadat; ita is, qui in luce ambulare non vult, fructus loco id habet, ut ambulans in tenebris verſetur, viamque inſtar cœcorum & obduratorum emetiatur. Jam ante vero admonitum eſt, ſplendorem ſalutaris doctrinæ, à Domino traditæ, Judæos ut cœcos & obduratos notaſſe, caliginemque & cœcitatem, quæ oculos animorum occupaverat, manifeſtiorem feciſſe. Quemadmodum enim Sol, qui conſpicitur, lucidiſſimus, immiſſis orbis ſui radiis, eos, qui ex oculis laborant, ægritudinis ſuæ convincit; ita & Sol, intellectu perſpiciendus, lux illa nunquam occidens nec veſperaſcens, Chriſtus, Deus noſter, cum in mundo verſabatur, Deitatisque ſuæ radios, editis divinis & rationem ſuperantibus miraculis ſpargebat

λαμψεν μὲν γὰρ τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν παραγεγονὼς ὁ τȣ̃ κόσμȣ Σωτήρ. οἱ δὲ ȣ̓κ ἠθέλησαν ἐνατενίσαι πρὸς αὐτό. ȣ̓δ' ἐν 40) τῇ σελασφόρῳ αἴγλῃ τῶν δογμάτων αὐτȣ̃ περιπατεῖν. Διὸ ἀκολȣ́θως αὐτȣ̀ς κατέλαβεν ἡ σκοτία δίκην ἀπαιτȣ̃σα τῆς προκατασψύσης αὐτȣ̀ς μοχθηρίας. ϗ τȣ̃το λέγοιτ' ἂν τετυφλῶσθαι καὶ πεπωρῶσθαι εἰκότως. ϗ ὥσπερ τῷ θελήσαντι περιπατεῖν ἐν τῷ φωτὶ ἕπεται 41) ϗ τὸ εἰδέναι, πȣ̃ ὑπάγει, ȣ̆τως τῷ μὴ θελήσαντι περιπατεῖν ἐν τῷ φωτὶ συνακολȣθεῖ τὸ, βαδίζοντα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἶναι, καὶ τυφλῶν καὶ πεπωρωμένων ὁδὸν ἀθλίως ἐξανύειν. Προείρηται δὲ καὶ, ὡς τῆς δεσποτικῆς καὶ σωτηρίȣ διδασκαλίας ἡ ἀστραπὴ τυφλȣ̀ς καὶ πεπωρωμένȣς ἐστηλίτευσεν τȣ̀ς Ιȣδαίȣς, καὶ τὴν πρὶν ἐνȣ̃σαν τοῖς ψυχικοῖς αὐτῶν ὄμμασι λήμην 42) καὶ ἀβλεψίαν ἐμφανεστέραν δὲ καὶ κατάδηλον ἐποίησε μᾶλλον. Ὥσπερ γὰρ ὁ αἰσθητὸς ȣ̃τος καὶ περικαλλὴς ἥλιος λαμπρὰς τȣ̃ δίσκȣ τὰς ἀκτῖνας ἐναφιεὶς ἐλέγχει τȣ̀ς νοσȣ̃ντας τὰ ὄμματα. ȣ̆τω καὶ ὁ νοητὸς ἥλιος, τὸ φῶς τὸ ἄδυτον καὶ ἀνέσπερον, Χριστὸς, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἐπιδημήσας τῷ κόσμῳ, καὶ διὰ τῶν θεοπρεπῶν τε καὶ ὑπὲρ λόγον θαυμάτων ἐναστράψας αὐτȣ̃ τῆς θεότητος τὴν αἴγλην, ἐπὶ πλέον διήλεγξεν τῶν ἀγνωμόνων Ιȣδαίων τὸ προκατασχὸν

tenebras

40) ȣ̓δ' ἐν. *Colb.* pro ȣ̓δὲν.
41) ἕπεται - - ἐν τῷ φωτὶ, ſunt ex *Colb.*
42) *Colb.* recte pro λύμην.

αὐτῶν τὰ τῆς ψυχῆς ὄμματα σκότος καὶ τὴν ἀβλεψίαν· ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ ἐγκόσμιος ἥλιος ἐκ ἔςιν αἴτιος τῆς τυφλότητος, ἐλέγχων τὴν ἀβλεψίαν τῶν ἐνεχομένων τῇ νόσῳ· ἕτω καὶ ὁ ὑπερκόσμιος καὶ νοητὸς ἥλιος, τὸ ἀπαράλλακτον καὶ ἀληθινὸν ἀπαύγασμα τῦ πατρὸς, τὴν προκατασχῦσαν τύφλωσιν τῶν ἑαλωκότων τῷ πάθει ςηλιτεύων, ὑμενῦν ἐκ ἂν αἴτιος νομισθείη, εἰ καὶ τετυφλωκέναι λέγοιτ᾽ ἂν, διότι μηδὲ πρὶν λανθάνεσαν τὴν πήρωσιν αὐτῶν τὸ ἐσκοτισμένον τῶν λογισμῶν μᾶλλον ἐθριάμβευσεν. Ει γὰρ μὴ τοσαύτη τῦ θείε Φωτὸς ἐνήςραπτεν ἡ λαμπρότης, ὥςε καὶ τῶν ἐν σκότει καὶ σκιᾶ καθημένων ἐθνῶν καταυγασθῆναι τὰς διανοίας, καὶ πρὸς τὴν θεογνωσίαν ἀναβλέψαι, ἐκ ἂν ἐπὶ τοσῦτον τυφλὸν τὸ Ιεδαίων ἐδείκνυτο γένος. ἀλλ᾽ ἡ διὰ τῶν ἔργων προιῦσα τῆς αἴγλης ὑπερβολὴ, καὶ τῆς Φωτιςικῆς δυνάμεως ἡ ἐνέργεια καὶ τῶν ἐθνῶν ἡ ἀνάβλεψις, ἔλεγχος σαφὴς κατέςη τῶν μὴ προσδραμόντων τῷ Φωτὶ τῆς ἀληθείας, καὶ καταυγασθέντων τὴν εὐσέβειαν, ἔτι περ ἑκέσιον ἑαυτοῖς κατεσκεύασαν τὴν τύφλωσιν, καὶ τῆς παγκοσμίε σωτηρίας ἑαυτὲς ἐξ ὑπερβαλέσης ἀπονοίας ἀπεςέρησαν.

tenebras & cœcitatem improborum Judæorum, quæ animi oculos ante occupaverant, magis conſpiciendas præbuit. Sicut vero Sol, in mundo conſpicuus, non eſt auctor cœcitatis, quando cœcitatem hominum, ex oculis laborantium, demonſtrat; ita nec Sol ſupramundanus, & intellectu tantum perſpiciendus, ſplendor Patris immutabilis & verus, cœcitatem, quæ homines illi obnoxios occupaverat, in apricum proferens, ejusdem auctor cum ratione nunquam exiſtimari poterit, etiamſi cœcos eos reddidiſſe dicatur; quoniam auctæ intellectus tenebræ cœcitatem eorum, quæ nec antea ignota erat, magis ſpectandam præbuerunt. Niſi enim tam illuſtris divinæ lucis ſplendor eluxiſſet, ut gentium quoque in tenebris & umbra ſedentium, mentes illuminarentur, & ad Divini Numinis cognitionem adſpirarent, gentis Judaicæ cœcitas nunquam adeo facta fuiſſet manifeſta. Jam vero ſplendoris illius magnitudo, ex miraculis conſpicua, & facultatis illuminatricis efficacia, & gentium ad lucem converſio, argumentum non inficiandum præbebant, eos, qui ad lucem veritatis ſe non conferrent, nec ad pietatem erudirentur, ſuæ ſibi cœcitatis auctores exſtitiſſe, ſeque ipſos ſalute, omnibus hominibus deſtinata, per incredibilem quandam vecordiam privaſſe.

QVÆST. LXXXI.

Quid ſibi vult illud : *Pro Chriſto igitur legatione fungimur , tanquam Deo adhortante per nos : reconciliamini Patri ?*

Dictio illa, ὑπὲρ Χριστοῦ, ſignificat *loco Chriſti*, eo quod diſcipuli miniſterium loco Magiſtri ſuſceperant. Heic velim recogites, nos quoque, ſi forte legationem in cauſis gravibus & honeſtis obeamus, & perſonæ ipſius mentionem ſubjiciamus, legationem ipſam illuſtriorem reddere ſolere. Idem facit Paulus, dicens: *Chriſti loco legatione fungimur;* perſonæ hujus majeſtate ad reverentiam præſtandam eos excitaturus, ad quos legatio illa ſpectabat. Illius igitur, inquit, loco adhortamur, qui mundum morte ſua reconciliavit. Itaque & nos morigeros eſſe oportet, quoniam alioquin inſignis illa & ineffabilis adverſus nos humanitas quoad nos irrita & probri plena futura erat. Mox eandem perſonam amplius extollens, ait, quod

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΠΑ.

Τί ἐστι 1) ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, καταλλάγητε τῷ πατρί. 2)

Εἰρηται τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ ἀντὶ τοῦ Χριστοῦ, ὡς τῶν μαθητῶν ἀντὶ τοῦ διδασκάλου τὴν διακονίαν παρειληφότων. Νοήσαις δ' ἂν, ὡς καὶ ἡμεῖς πολλάκις ὑπέρ τινων σπουδαίων πρέσβειαν ποιούμενοι, καὶ τοῦ προσώπου * προσεπιβαλλόμενοι 3) μνήμην, αἰδεσιμωτέραν τὴν πρεσβείαν ποιούμενοι· 4) τοῦτο καὶ Παῦλος πράττει, ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν, λέγων, ἐκ τοῦ κατὰ τὸ πρόσωπον μεγέθους εὐλάβειαν 5) καθιστῶν τοὺς, οἷς προσάγεται ἡ πρεσβεία. ὑπὲρ ἐκείνου τοίνυν παρακαλοῦμεν, φησὶ, τοῦ τὸν κόσμον ἐν θανάτῳ καταλλάξαντος. ὥστε χρὴ καὶ ἡμᾶς πειθηνίους εἶναι, ἐπεὶ τόγε ἐφ' ἡμῖν, ἡ πολλὴ καὶ ἄφατος ἐκείνη περὶ ἡμᾶς φιλανθρωπία τὸ ἄπρακτον ἕξει καὶ ἐφύβριστον. εἶτα τὸ πρόσωπον ἐπὶ πλέον ἐπαίρων φησὶν, ὅτι ὁ θεὸς ἁμαρτίαν μὴ γνόντα αὐτὸν ἁμαρτίαν ἐποίησεν. καὶ πάλιν ἑτέρας αὐξήσεως προσθήκη ἐκ τῆς

1) Vid. 2. *Cor.* V. 20. Addiderim heic τὸ poſt τί.
2) Pro τῷ πατρὶ hodie in codd. omnibus legitur τῷ Θεῷ.
3) *Colb.* προσυποβαλλόμενοι rectius, ut puto.
* Sic ſcripſi pro τὸ πρόσωπον.
4) Malim legere ποιοῦμεν.
5) *Colb.* pro ἔνβειαν, quæ vox nihili eſt.

εὐεργεσίας λαβοῦσα τὸ ὕψωμα, ἵνα ἡμεῖς Θεοῦ φησιν δικαιοσύνη γενώμεθα ἐν αὐτῷ. συνεργοῦντες δέ φησι καὶ παρακαλοῦμεν, μὴ εἰς κενὸν τοῦ Θεοῦ τὴν χάριν δέξασθαι ὑμᾶς. οὕτως ἑαυτὸν ὁ Παῦλος διασαφεῖ οἷον ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβευόμενος. ἵνα τί γένηται; ἵνα τὴν ἐκείνου χάριν τοσαύτην οὖσαν μὴ κενὴν τόγε ὑμέτερον μέρος ἀπελέγξῃ. οὐχ ἡμεῖς δὲ μόνον τὴν πρεσβείαν ὑμῖν προσάγομεν, ἀλλ' ὡς καὶ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς μεθ' ἡμῶν ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ παρακαλοῦντος. ἐντράπητε τοὺς πρεσβευτὰς, δυσωπήθητε τοὺς παρακαλοῦντας, εὐλαβήθητε τὸν 6) ὑπὲρ οὗ ἡ παράκλησις. τούτου δὲ τοῦ ῥητοῦ ἐκλαμβανομένου, καὶ τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ οὐκ ἀντὶ Χριστοῦ, ἀλλ', ὡς εἴρηται, κατ' εὐθείαν παραληφθήσεται.

quod Deus illum, qui nullum noverat peccatum, peccatum fecerit; iterumque novæm beneficentiæ amplificatæ argumentum allaturus, ſubjungit: *ut nos juſtitia Dei fiamus per ipſum.* Hanc igitur operam præſtantes, inquit, etiam nos adhortamur, ne vos fruſtra gratiam Dei accipiatis. Ita Paulus ſe ipſum repræſentat, tanquam pro Chriſto legationem obeuntem. Quo, quæſo, fine? ut vos ex veſtra parte tantum ejus beneficium non irritum apud vos fuiſſe oſtendatis. Non vero ſolum nos, inquit, legatos ad vos agimus, ſed ita, ut ipſe quoque Deus & Pater una nobiſcum pro filio ſuo adhortetur. Revereamini itaque legatos, magni faciatis adhortantes, in pretio habeatis illum, pro quo inſtituitur adhortatio. Quod ſi dictum illud hac ratione accipiamus, τὸ, ὑπὲρ Χριστοῦ non idem erit, quod ἀντὶ Χριστοῦ (*loco Chriſti*) ſed rectius ita, ut modo dictum eſt, accipietur.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΠϚʹ.

Διὰ τί προσκυνεῖ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου; 1)

Προσκυνεῖ μέντοι τὴν ῥάβδον τοῦ παιδὸς, ὁ νοῦς ὁ ὁρῶν τὸν θεὸν. 2) τοῦτο γὰρ ὁ Ισραὴλ. ὅτι ἐκ τῆς ῥάβδου ἄνθος

QVÆST. LXXXVI.

Quare ſummitatem baculi adoras?

Adorat quidem baculum filii, animus, Deum reſpiciens. Id enim ſignificat *Iſrael.* Flos enim ex virga efflore-

6) *Colbert.* pro τοὺς.
1) Vid. *Hebr.* XI. 21.
2) ישראל quaſi איש רואה אל *vir, videns Deum.* Ita *Philo* olim cenſuit, caſtigatus ideo a R. *Aſaria de Rubeis* in אמרי בינה cap. V. p. 38. b. & recte quidem. Eadem tamen etymologia ſe & aliis probavit, de quibus lege *Dallæum* p. 188. ſq. de Pſeudepigraphis Apoſtolicis. Confer *Leusdenium* ad Jonam Illuſtratum p. 212. *Druſium* Animadverſ. II. 27. & *Feſſelium* in Adverſariis Sacris lib. IV. c, 3. p. 319.

Digitized by Google

effloreſcens ſignificabat, fore, ut non ſolum ab Iſraele juvene, ſed ſene quoque adoraretur. Idem porro benedictiones ſuas filiis non æqualiter impertitur, ſed alios quidem benedictionibus cumulat, aliis vero filiis diras imprecatur; ideo ſcilicet, quod, quemadmodum hic (*Jacobus*) veterem illum populum genuit, ita Dominus, ſpiritualiter parturiens, novum populum gignit, eumque benedictionis ſuæ reddit participem, non quidem omnes, ſed eos, qui ſe ipſos illa dignos reddiderint. Benedictionem itaque filiis non proprio quodam ſtudio diſpertit Jacobus, ſed ipſorum actiones diſpertitionis hujus arbitras conſtituit.

προεμήνυε προσκυνηθήσεσθαι, οὐ μόνον ὑπὸ τοῦ νέου, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τοῦ γεγηρακότος Ισραήλ. Αλλὰ καὶ τὰς εὐλογίας τοῖς παισὶν 3) οὐκ ἐπίσης μερίζει· ἀλλὰ τοὺς μὲν εὐλογίαις ὑποβάλλει, τοὺς δὲ υἱοὺς ἀρὰς ἀπελέγχει. * διότι ὥσπερ οὗτος τὸν παλαιὸν ἀπέτεκεν λαὸν, οὕτω καὶ ὁ Κύριος ταῖς πνευματικαῖς ὠδῖσι τὸν νέον ἀπογεννᾷ λαὸν καὶ τῆς εὐλογίας μεταδίδωσιν, οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς παρασκευακόσιν ἀξίους ἑαυτούς. οὐ Φιλοτιμίᾳ τοίνυ διανέμει τὴν εὐλογίαν τοῖς τέκνοις ὁ Ιακὼβ, ἀλλὰ τὰς πράξεις τούτων κριτὴν ποιεῖται τῆς διανομῆς.

QUÆST. LXXXVII.

Quid eſt illud: *quod non habitat in me, h. e. in carne mea bonum?*

Id quidem non de ſe ipſo dicit Paulus, ſed in quantum perſonam naturæ humanæ ſuſtinet. Jam vero tum bonum in carne noſtra non habitat, quando, conſuetudine & tempore, peccato obnoxii facti malum pertinax & difficulter amoliendum circumſe-

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΠΖ.

Τί ἐστιν· οἶδα, ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου τὸ ἀγαθόν; 1)

Τοῦτο οὐκ εἰς ἑαυτὸν ὁ Παῦλος εἴρηκεν, ἀλλὰ τὸ πρόσωπον τῆς ἀνθρωπίνης οἰκειούμενος Φύσεως. Τότε δὲ οὐκ οἰκεῖ τὸ ἀγαθὸν ἐν τῇ σαρκὶ ἡμῶν, ἡνίκα ἔθει καὶ χρόνῳ καταδουλωθέντες τῇ ἁμαρτίᾳ ἔμμονον τε καὶ δυσεξάλειπτον ἐν ἑαυτοῖς Φέρομεν τὸ κακόν. ὁ γὰρ δου-

3) Malim legere πᾶσιν, *omnibus:* ita mox in *Coiſlin.* legitur παισὶν, ubi *Colbert.* recte habet πᾶσιν.

* Vereor, ne hæc parum ſana ſint.

4) πᾶσιν ſcripſi cum *Colb.* pro παισὶν.

1) Vid. *Rom.* VII. 18.

λωθεὶς τῇ χρονίᾳ τέτων διατριβῇ, κἂν βϐληθῇ πάλιν πρὸς τὴν ἀρετὴν ἐπαναδραμεῖν, δύσεργόν τε καὶ δυσήνυτον εὑρίσκει τὴν βϐλήν. διὸ φησὶ· ὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, τϐτέστιν, ὐκ ἐμὸν οἶδα τὸ ἔργον. πῶς γὰρ ὅγε στενοχωρϐμενος ὑπ᾽ αὐτϐ; ἀλλὰ τῆς οἰκϐσης ἐν ἐμοὶ ἁμαρτίας, ἑδραίαν καὶ ἀμετακίνητον τὴν οἴκησιν κεκτημένης. 2) διὸ καὶ ἀποδύρομαι, τὴν ἐλευθερίαν ζητῶν καὶ ἀνακράζων· ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, καὶ ἑξῆς.

cumſerimus. Qui enim diuturnæ illorum conſuetudini ſerviit, etiamſi ad virtutis ſtudium reverti contendat, inſtitutum ſuum difficulter admodum & non ſine magno labore perfici intelligit. Propterea ait: *non jam ego id perficio*: h. e. novi non meum eſſe hoc opus. Quomodo enim perficere illud poſſim, qui a malo conſtringar? Debetur itaque hoc peccato fixam ſtabilemque ſedem apud me habenti. Propterea & lamentor libertatem anhelans, & clamans: *me miſerum hominem* &c.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΠΗ.

Τί ἐστι τὸ, ὑμεῖς ἐκ τϐ πατρὸς τϐ Διαβόλϐ ἐστὲ, καὶ τίς ἐστιν ὁ τϐ Διαβόλϐ πατήρ; 1)

Πρῶτον μὲν ἀντιφθέγγεται τὸ μηδαμϐ τῆς ἱερᾶς ἡμῶν γραφῆς μήτε κατὰ τὰ παλαιότερα τῆς νομοθεσίας, μήτε ἐν αὐτῇ τῇ χάριτι πατέρα τϐ διαβόλϐ λαβεῖν τὸ ῥῆμα τὸ εἰρημένον, καί τοι γε πολλοὶ πολλάκις περὶ τῆς πονηρᾶς ἐκείνης δυνάμεως καταβέβληνται λόγοι. ἀλλὰ Σατὰν μὲν καὶ διάβολον καὶ ἀποστάτην, καὶ τὰ τοιαῦτα, τὸν ἀρχέκακον τϐ γένϐς ἡμῶν ἐχθρὸν εὑρίσκεται τὰ λόγια ὀνομάζοντα, καὶ υἱὸν ἔσθ᾽ ὅτε δια-

QUÆST. LXXXVIII.

Quid ſignificat illud: *Vos ex Patre Diaboli eſtis*: &, *Quis eſt Diaboli pater?*

Primum quidem heic obſtat illud, quod nusquam in ſacris literis vel antiqui vel novi Fœderis nomen commemoratum, *pater Diaboli*, occurrat, quamvis multis in locis malæ illius poteſtatis fiat mentio. Nunc enim *Satanam*, nunc *Diabolum*, nunc *apoſtatam*, aut ſimiliter antiquum illum humani generis hoſtem in ſacris literis; nonnunquam etiam illum qui prava ejus ſemina ſibi ineſſe

 ſeque

2) Ita ſcribo pro κεκτημένη, quod eſt in *Coisl.* quando *Colbert.* habet κτησάμενος. Patet utique, illud κεκτημένης ad vocem ἁμαρτίας referri debere. Ceterum quid de ipſa hac expoſitione, quam & alii noſtra memoria adoptarunt, habendum ſit, intelliges ex *Curis* noſtris ad l. c.

1) *Joan.* VIII. 44.

ſeque ad exemplum ejus conformatum, probat, *filium Diaboli* vocari videas. Huc ſpectat, quod a divo *Paulo* ad Elymam dicitur: *fili Satanæ*. Hoc primum eſt, quod *Pater Diaboli* nunquam in ſacris literis commemoratur.

βόλου τὰς πονηρὰς αὐτοῦ γονὰς ἐν ἑαυτῷ δεικνύντα, καὶ τῷ χαρακτῆρι τῆς πλάνης διαμορφούμενον, ὡς τὸ πρὸς τὸν Ἐλύμαν εἰρημένον τῷ μακαρίῳ Παύλῳ, υἱὲ διαβόλου· 2) ἀλλ' ἓν μὲν τοῦτο, τὸ μηδαμοῦ κατονομάζεσθαι πατέρα διαβόλου τῷ ἰδιώματι τῆς γραφῆς.

Deinde Salvator noſter non id agebat, ut doceret, quis tandem ille Diaboli pater ſit, ſed ut oſtenderet, cujus Patris filios improba Judæorum gens ſe & eſſe, & appellari fecerit. Illi enim nunc Abrahamum patrem ſe habere profitebantur; nunc ajebant, unum habemus Patrem Deum; non vero, patrem habemus Dei patrem. Jam Salvator noſter eosdem a reſpectu paterno, qui nomine hoc inferebatur, abducturus, quoniam ipſi ſe a ſimilitudine ejus abſtraxerant, ait: vos Patris filios vos ipſos audetis appellare, cum tamen Diaboli potius filii ſitis: & mox; *& mandata ejus facere vultis*. Non ſane, *patris Diaboli*; Ubi enim ille præcepta dedit, de quo ex Scriptura nihil quicquam conſtat? ſed diaboli ipſius, qui pater veſter eſt, præcepta. Ejusmodi vero ſunt, ſcortatio, adulterium, furtum, cædes, mendacium,

Δεύτερον δὲ, οὐ περὶ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου, τίς ὅλως 3) ἦν, τῷ Σωτῆρι πρόκειται σκοπός. ἀλλὰ τίνος πατρὸς παῖδας ἑαυτοὺς ὁ τῶν Ἰουδαίων ἀγνώμων λαὸς παρεσκεύασαν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι. Καὶ γὰρ νῦν μὲν ἔλεγον πατέρα ἔχειν τὸν Ἀβραάμ, 4) νῦν δὲ, ἡμεῖς πατέρα ἕνα ἔχομεν τὸν θεόν. 5) οὐχὶ δὲ, πατέρα ἔχομεν τὸν πατέρα τοῦ θεοῦ. καὶ ὁ Σωτὴρ ἀπάγων τῆς πατρικῆς ἐν τῇ κλήσει σχέσεως, ἐπείπερ αὐτοὶ ἑαυτοὺς διεσχίσαντο καὶ διετέμοντο τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητος, τολμᾶτε, φησι, λέγειν ἑαυτοὺς υἱοὺς εἶναι τοῦ πατρὸς, ὑμεῖς τοῦ διαβόλου ἐστέ. εἶτα; καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ θέλετε ποιεῖν. οὐχὶ τοῦ πατρὸς δηλονότι τοῦ διαβόλου. ποῦ γὰρ παραδέδωκεν ἐκεῖνος ἐντολὰς, ὅς ὅλως οὐδὲ γνωρίζεται τῇ γραφῇ; ἀλλὰ τὰς ἐντολὰς τοῦ διαβόλου, ὅς ἐστιν ὑμέτερος πατήρ. αἵτινές εἰσι πορνεία, μοιχεία, κλοπὴ, φόνος, ψεῦδος, καὶ ὅσων ἄλλων ἐκεῖνος κακῶν σπορεὺς τῇ γνώμῃ

& quæ

2) *Act.* XIII. 10.
3) ὅλως *Colb.* recte, pro ὁ λόγος.
4) *Joan.* VIII. 39.
5) *ibid.* v. 41.

Digitized by Google

γεγονεν, καὶ ἀρχηγὸς τολμᾶσθαι τὰ ἀτόλμητα, καὶ καταπράττεσθαι. καὶ τὸ, ἐκεῖνος ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνος ἐςὶν, εἰς τίνα ἂν οἰκειότερον ἀνενεχθείη, ἢ εἰς αὐτόν γε τὸν διάβολον, ὅς τῇ γλώσσῃ τὸν Ἀδὰμ τοῦ παραδείσου ἐξέβαλεν, καὶ πρόξενος αὐτοῦ θανάτου καὶ φθορᾶς γεγένηται; Θεὸς γὰρ θάνατον οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ τέρπεται ἐπ' ἀπωλείᾳ ζώντων. 5) Τίς δὲ ἕτερος τὸν θάνατον διὰ τοῦ ψεύδους ἐχαλκεύσατο, καὶ κατὰ τῶν σπλάγχνων τοῦ Ἀδὰμ τὴν φθορὰν, εἰ μὴ ὁ παραδὺς μὲν τὸν ὄφιν, δι' αὐτοῦ δὲ τὸν θανατηφόρον ἰὸν τῆς εἰς θεὸν βλασφημίας τῇ γυναικὶ, καὶ διὰ ταύτης τῷ Ἀδὰμ κερασάμενος;

& quæ alia mala idem pro ſententia ſua ſevit, ad prava quævis audenda & perpetranda dux & auctor exiſtens. Id vero quod dicitur: *ille ab initio homicida fuit*; ad quem tandem potiori jure, quam ad ipſum Diabolum referetur, qui lingua ſua Adamum e paradiſo ejecit, mortique & perniciei pararius exſtitit? Deus enim mortem non condidit, neque viventium pernicie delectatur. Quis autem alius mortem per mendacium fabricavit, perniciemque viſceribus Adami attulit, niſi is, qui ſumto ſerpentis habitu, per ipſum illum mortiferum blaſphemiæ, in Deum conjectæ, venenum primum uxori, deinde per eam Adamo miſcuit?

Ἐκ τούτων οὖν ἁπάντων καὶ ἑτέρων τοιούτων δείκνυται περὶ τοῦ διαβόλου τὸν σωτήριον διαλαμβάνειν λόγον, καὶ τοῦτον πατέρα κατονομάζειν τῶν ἀγνωμόνων Ἰουδαίων. Καὶ γὰρ κἀκεῖνοι τὸν θεὸν ἐφιλοτιμοῦντο πατέρα καλεῖν, καὶ εἰς υἱοὺς αὐτοῦ καταλέγεσθαι. εἰς δύο δὲ μοίρας μερίζων ὁ Σωτὴρ τὸν παρόντα λόγον, συμπλέκει μὲν πάλιν ἑκατέρῳ ἑκάτερον. νῦν μὲν προτάττων τὸν διάβολον, καὶ ὑποτάττων τοὺς Ἰουδαίους, 6) νῦν δὲ προκαταλέγων τοὺς Ἰουδαίους, εἶτα ἐπάγων τὸν διάβολον. Διὸ περὶ τοῦ διαβόλου προδιαλαβὼν, καὶ ἐκ τῆς τῶν ἔργων συγγενείας καὶ ὁμοιότητος

Ex his itaque omnibus aliiſque ſimilibus apparet, Salvatoris noſtri verba de Diabolo accipi debere, eumque male feriatorum Judæorum patrem appellari. Nam & illi Deum patrem ſuum ambitioſe vocabant, interque filios ejus numerari cupiebant. Cumque Servator noſter ſermonem hunc ſuum in duo membra diſtinguat, alterum alteri deinde connectit, nunc quidem Diabolum priore, Judæos vero poſteriore loco collocans; nunc autem Judæos præponens, Diabolum vero ſubjungens. Propterea

 cum

5) Ita *Colb.* pro ἐπαπωλιαζόντων.

6) νῦν δὲ - τοὺς Ἰουδαίους, *Colb.*

cum de Diabolo antea diſſeruiſſet & ex actionum convenientia & adfinitate Judæos patrem illum habere oſtendiſſet, mox ad Judæos ipſos revertitur, a quibus omnis illa nata erat diſputatio. Ait itaque: quando Judæus mendacium profert, ſicut vos, nunc quidem dicentes, *patrem habemus Deum*, &, *patrem habemus Abrahamum*, de propriis loquitur, h. e. ex ventre ſuo, non autem ex ſententia Spiritus loquitur. Quod vero homo hujuſmodi mendax ſit, tum ex illis apparet, de quibus gloriatur, tum ex iſtis clare intelligitur, per quæ, ſimilibus rebus perpetratis, Patrem ſibi ipſe adſcivit. Propterea ait: quandocunque Judæus mendacium loquitur, & ipſe mendax eſt, & pater ejus. Illum enim Servator, quod ſæpius admonitum eſt, Diabolum, non autem alium eſſe & teſtatus eſt, & hoc nomine appellavit.

δείξας τοὺς Ἰουδαίους πατέρα ἔχειν αὐτὸν, μεταβαίνει πάλιν ἐπ᾽ αὐτοὺς τοὺς Ἰουδαίους, δι᾽ ὧν καὶ ἡ ὅλη τοῦ λόγου γέγονεν εἰσβολή. καὶ φησίν· ὅταν ὁ Ἰουδαῖος τὸ ψεῦδος λαλῇ, ὥσπερ καὶ ὑμεῖς νυνὶ λέγοντες, πατέρα ἔχομεν τὸν Θεὸν, καὶ, πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραὰμ, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ. τουτέστιν ἀπὸ κοιλίας φωνεῖ, καὶ οὐκ ἐκ τῶν κριμάτων τοῦ πνεύματος. ὅτι δὲ ψεύστης ἐστὶ, καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἀλαζονεύεται, δείκνυται, καὶ ἐξ ὧν ἔθετο ἑαυτῷ πατέρα διὰ τῆς τῶν πράξεων ὁμοιότητος, περιφανῶς ἀναδείκνυται. διὸ καὶ φησὶν, ὅταν ὁ Ἰουδαῖος τὸ ψεῦδος λαλῇ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. ὃν ὁ σωτὴρ, ὡς πολλάκις εἴρηται, τὸν διάβολον καὶ οὐκ ἄλλον εἶναι, καὶ ἀπεφήνατο, καὶ κατωνόμασεν.

QVÆST. XC.

Vtrum in verbis: *Miſit Deus filium ſuum* γεννώμενον, (natum) *dicere an* γενόμενον (factum) *per unum* ν. *oportet?*

Γενόμενον (*factum*) *ex muliere* dicere oportet, ſicut & *γενόμενος ſub lege* dicitur per unum ν. nunquam

ΕΡΩΤ. ϟ.

Ἐξαπέστειλεν 1) ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γεννώμενον δεῖ λέγειν, ἢ γενόμενον δι᾽ ἑνὸς ν; 2)

Γενόμενον δεῖ λέγειν ἐκ γυναικὸς, ὥσπερ καὶ γενόμενον ὑπὸ νόμον διὰ

mutan-

1) *Gal.* IV. 4.
2) *Colb.* addit: οὐ διὰ δύο.

τοῦ ἑνὸς ἀμεταβόλου. πρῶτον μὲν ἐκ τῆς συνεχοῦς παραθέσεως τῶν νοημάτων τε καὶ ῥημάτων. δεύτερον δὲ, ὅτι γεγένηται μὲν ὁ Χριστὸς ἐκ παρθένου τῶν δύο γραφομένων κατὰ τὴν δευτέραν συλλαβὴν ἀμεταβόλων. οὐ μὴν δὲ γεννᾶται. ἅπαξ γὰρ ἐκ παρθένου γεγέννηται. Μηδενὶ δὲ ἡ τοῦ Θεολόγου Γρηγορίου 3) φωνὴ πλάνης αἴτιον γενέσθω. ἐκεῖνος γὰρ ἔφησεν, Χριστὸς γεννᾶται, 4) οὐχ ὅτι διὰ παντὸς ἐκ παρθένου γεννᾶται, ἀλλ' ὅτι γε ἡ παροῦσα τότε πανήγυρις τῆς τοῦ δεσπότου γεννήσεως ἐτύγχανεν ἡμέρα. διὸ παντὶ τρόπῳ φυλακτέον τοῦ γενόμενον ἐκ γυναικὸς διὰ τῶν δύο ν̄, μήτε τὴν γραφὴν μήτε τὴν ἐκφώνησιν ποιεῖσθαι.

mutandum. Primum quidem, quod ſententiæ & voces ſibi invicem ſemper reſpondere debent: deinde vero, quod Chriſtus quidem genitus eſt (*γεγέννηται,*) ex virgine, ubi verbum illud in ſecunda ſyllaba per duo *ν* ſcribendum eſt; non autem amplius gignitur: ſemel enim tantum ex virgine genitus eſt. Nemini vero heic *Gregorii*, Theologi, dictum errandi occaſionem præbeat. Illi enim dixit: *Chriſtus gignitur*; non quod ſemper ex Virgine gignitur, ſed quod feſta illa concio die Domini noſtri natali habebatur. Itaque omni modo cavendum eſt, ne phraſin *γενόμενον ἐκ γυναικὸς*, vel ſcriptione vel pronunciatione per duo *ν* efferamus.

ΕΡΩΤ. ϟβ.

Τίνα νοῦν ἀναπτύσσει τὸ τοῦ Ἀποστόλου ῥητόν. ἐκάθισεν ἡμᾶς ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρός. 1)

Ὅτι 2) κρείττους ἀγγέλων γεννῆσθαι διὰ τῆς ἐν σαρκὶ τοῦ λόγου παρουσίας ἡμᾶς ἡ θεία γραφὴ διακέκραγεν, καὶ ἐν τῇ ἀναστάσει ἰσαγγέλους ἔσεσθαι. Ἐκάθισεν γὰρ ἡμᾶς ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καὶ

QUÆST. XCII.

Quem ſenſum habet illud Apoſtoli dictum: *collocavit nos ad dextram Dei & Patris.*

Præſtantiores angelis nos per adventum Verbi in carnem factos eſſe, & in reſurrectione Angelis ſimiles futuros, divinior Scriptura teſtatur. *Collocavit enim nos ad dextram Dei*

3) *Gregorium Nazianz.* intelligit, quem *Theologum* antiquitas κατ' ἐξοχὴν appellavit. Vid. *Cælerii* Monum. Eccleſ. Gr. Tom. III. p. 571. & Tom. IV. p. 411.

4) Exſtat hæc phraſis in limine ejus εἰς τὰ Θεοφάνια, Tom. I. Opp. p. 613.

1) Fruſtra quidem hanc φράσιν in epiſtolis Paulinis quæſiveris. Similis tamen illi eſt, qua Dominus noſter utitur *Apocal.* III. 21. ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου, κ. τ. λ. Conf. *Epheſ.* II. 6.

2) Ὅτι deeſt in *Colb.* & revera abundat.

& Patris, ut divus Paulus clamat, &c. Neque vero hæc ſecum invicem pugnant. Manifeſtum enim eſt, nos ultra Angelicam gloriam & dignitatem eo ipſo evectos eſſe, quod illud, quod ex nobis adſumtum eſt, in throno Patris eſt collocatum. Quando vero in reſurrectione nihil eorum, quæ ad corpus pertinent, vel amovetur, vel contemnitur, nulla vero etiam re, quam corporis natura alias poſtulat, idem amplius indiget; id quidem nobis commercium conditionis rerum incorporearum ita largitur, ut & ſimiles Angelis, & ſuperiores iisdem ſimus futuri. Superiores quidem ideo, quod natura noſtra per eum, qui illam adſumſit, juxta Patrem collocata eſt; ad ſimilitudinem vero mentium incorporearum perducti; poſtquam ab affectibus & corruptibilitate immunes, & à corporeis adfectionibus, petulantiaque & inconſtantia, cui marteriale quodque obnoxium eſt, liberi evaſimus.

πατρὸς, ὡς ὁ Θεῖος Παῦλος βοᾷ, καὶ ἑξῆς. καὶ οὐ μάχεται ταῦτα. τῷ μὲν γὰρ συνεδριάσαι τῷ θρόνῳ τῷ πατρικῷ τὸ ἐξ ἡμῶν πρόσλημμα, τῆς ἀγγελικῆς καὶ δόξης δῆλον ὅτι καὶ τιμῆς ὑπερανεστήκαμεν. τῷ δὲ μηκέτι μηδενὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἐν τῇ ἀναστάσει μήτε καθέλκεσθαι, μηδὲ παρασύρεσθαι, μηδ᾽ ὅλως ἐν χρείᾳ καθίστασθαι τῶν, ὅσα σαρκὸς φύσις 3) ἐδούλευεν, τῆς τῶν ἀσωμάτων λήξεως χαρίζεται τὴν συγγένειαν, ὥστε εἰκότως 4) καὶ ἰσάγγελοι, καὶ κρείττους ἐκείνων ἐσόμεθα. τῷ μὲν τὴν φύσιν ἡμῶν ἐν τῷ προσλαβόντι συνεδριάσαι τῷ πατρὶ, κρείττους. τῇδε καθέκαστον ἡμῶν ἀπαθείᾳ καὶ ἀφθαρσίᾳ, καὶ σωματικῶν πάντων καὶ παθῶν καὶ σκιρτημάτων, καὶ ταχύτητος ἀπηλλάχθαι προσύλου, τὴν πρὸς τοὺς ἀσωμάτους νόους ἰσότητα ἀναδεδεγμένοι. 5)

Heic vero etiam obſervandum eſt, verbis illis, *erunt ut Angeli Dei*, non eandem naturæ dignitatem, ſed id potius indicari, quod nihil eorum, quibus in carne fuerant obnoxii, im-

Ἐπισκεπτέον δὲ τὸ, ἔσονται ὡς ἄγγελοι Θεοῦ, 6) οὐ τὴν ἰσοτιμίαν κηρύττει τῆς φύσεως, ἀλλὰ τὸ μηδὲν πάσχειν, ὧν ἔπασχον πρότερον, σαρκικῶν. παραπλησίως δὲ τῆς ἀγγελικῆς ἀπα-

po-

3) Pro φύσις *Colb.* φύσιν. Neutrum rectum puto: legerim φύσει. Fortaſſe vero pro ἐδούλευεν, legendum fuerit ἐβούλευεν, *ſuadebat.* Et ſic retineri poſſit φύσις.
4) ὥστε εἰκότως *Colb.* pro προσειθηκότω.
5) Ita ſcripſi pro ἀναδεδειγμένοι, ex verbo ἀναδέχομαι.
6) *Matth.* XXII. 30.

θείας καὶ αὐτοὺς ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν σαρκικῶν ἀπηλλαγμένους πολιτεύεσθαι, κρείττους δὲ καὶ ἄλλως ἀγγέλων, ὅτι ἡμῶν μὲν ὀλισθησάντων τὴν φύσιν ἀνέλαβεν ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς καὶ ἀνεσώσατο, ἐκείνων δὲ οὐκέτι. καὶ ζητεῖν δεῖ τὴν αἰτίαν, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἐπλάνησαν, ἡμεῖς δὲ τῶν πλανηθέντων. καὶ ὅτι αὐτοὶ μὲν πολλὰς ἀφορμὰς εἶχον τοῦ μὴ ἐξαμαρτῆσαι, τὸ δυσπαθές τε καὶ τὸ πλησιάζειν μᾶλλον θεῷ καὶ τὸ ἀσώματον. τοῖς δέ ῥοπὴν ἐλέου παρέχει καὶ τὸ εὐπαθέστερον καὶ τῷ σώματι καθέλκεσθαί τε καὶ συνδεδέσθαι. καὶ, τὸ μεῖζον, ὅτι οὐκ ἐπιγεγέννηνται ἐκ τῶν πεσόντων ἕτεροι, δι' οὓς ἂν τὸν φιλάνθρωπον εἷλκεν τὸ πλᾶσμα πρὸς ἔλεον. ἀλλ' αὐτοί γε οἱ παραβάντες τὴν παράβασιν διαπαντὸς μένουσι στέργοντες. ἔτι οὐδ' ὅμοιον οὐδ' ἔγγὺς ἀγγέλων τε φύσεως καὶ ἀνθρώπων ἐπιλαβέσθαι. τί γὰρ καὶ ὤνησεν τοὺς οὐ πεσόντας; εἰ δὲ διὰ τοὺς πεσόντας; πῶς οὐ χείρους οἱ μὴ πεπλωκότες τῶν πεπλωκότων ἢ * τοῦτο ἐπεργαστέον. ἔτι σαρκωθεὶς ὁ λόγος τά τε τῆς ἀρετῆς καὶ τὰ τῆς εὐσεβείας μαθήματα ἡμᾶς ἐξεπαίδευσεν, δι' ὧν ἡμῖν γένονεν τῇ παρ' αὐτοῦ χάριτι κατορθοῦντας, 7) ἃ ὑπέθετο τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἀδιάδοχος κληρονομία. ἡ δὲ ἀγγελικὴ φύσις καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς εὐσεβείας εἶχεν

poſterum ſimus experturi, Angelicæ vero indolentiæ participes & a paſſionibus corporeis immunes vitam in reſurrectione acturi, quamvis interim Angelis eo ſimus ſuperiores, quod noſtram lapſorum naturam Dei filius adſumſit & redemit, illorum vero non item. Cujus quidem rei rationem in eo quærere oportet, quod illi quidem nos ſeduxerunt, nos vero ſeducti ſumus; quodque illi varias prærogativas habuerunt, quo minus peccarent, quippe qui adfectibus minus paterent, ad Deum vero propius accederent, & corpore denique carerent. Ab altera parte nobis quidem miſerationem magis conciliavit, quod vitiis magis patebamus, corporique obnoxii & alligati eramus; tum vero inprimis, quod ex illis, qui lapſi erant, tales non geniti ſunt, per quos Numen benigniſſimum ad veniam lapſus faciendam adduci poterat. Imo vero illi, qui legem violaverant, eandem violare ſemper amant. Porro neque ſimilia neque adfinia ſunt, Angelorum naturam & hominum illam adſumere. Quid enim hoc profuiſſet illis angelis, qui non erant lapſi? Si vero in lapſorum gratiam id factum eſſet, nonne,

* Legendum puto. εἰ.

7) Malim κατορθοῦσι, ut referatur ad antecedens ἡμῖν.

nonne, hoc facto, illi, qui lapſi non erant deterioris, quam lapſi, conditionis fuiſſent? Præterea Verbum incarnatum & virtutis & pietatis præcepta nos docuit, per quæ, ſiquidem illa per gratiam ejus obſervemus, eorum reddimur participes, quæ perpetua regni cœlorum hereditas ſperare jubet. Jam vero Angelorum natura & virtutis & pietatis notitia erat inſtructa. Virtutis quidem, ceu ex eo patet, quod homines, ab illa avocatos, in contraria omnia pellexerunt: nec minus pietatis. Argumento eſt ille, qui clamabat; *novi te, quis ſis: Sanctus Dei; &, Veniſti, ut ante tempus nos adfligeres.* Cujusmodi complura alibi exſtant. Itaque Dominus fruſtra Angelorum naturam erat ſuſcepturus. Incarnabatur præterea Verbum, viam nobis per ea, quæ agebat, oſtenſurum, per quam reditus nobis in cœlum pateret. Dæmonibus vero in exemplum propoſiti ſunt ſimiles illis Angelorum ordines, priſtinam ſedem tuentes, atque illis ipſis, quæ agunt, viam ad beatita-

τὴν γνῶσιν. τῆς μὲν ἀρετῆς, ἐξ ὧν τοὺς ὑπ' αὐτῆς 8) ὑποσκελιζομένους πρὸς τἀναντία μεθεῖλκέν τε καὶ ὑπεδελέαζεν. καὶ τῆς εὐσεβείας δ' ὁμοίως, καὶ ἐξ ὧν ἐβόα· οἶδά σε τίς εἶ· ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ. 9) καὶ, ἦλθες πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς. 10) καὶ μυρία ἄλλα. ὥστε εἰς μάτην αὐτὴν τῶν ἀγγέλων ὑπήρχετο φύσιν. Ἔτι σαρκοῦται ὁ λόγος, ὁδὸν ἡμῖν, δι' ὧν ἔπραττεν, ὑποδεικνὺς, δι' ἧς ἡμῖν ἡ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἄνοδος πορισθήσεται. τοῖς δὲ δαίμοσι πρόκειται τὰ ὁμογενῆ τάγματα τῆς ἀρχαίας λήξεως, δι' ὧν πράττουσι, τὴν μακαριότητα προδεικνύοντα. ἀλλ' ἐκεῖνοι γνώμης ἀπονοίᾳ οὔτε ἕπονται, οὔτε πρὸς αὐτοὺς ἐπιστρέφονται· ὥστε περίεργόν ἐστιν ἀγγέλων τὴν τοῦ θεοῦ φύσιν ὑπελθεῖν. μᾶλλον δὲ εἰς μείζω καὶ βαρυτέραν, εἴπερ οἷόν τε ἐστι, τῆς ἀποκειμένης αὐτοῖς κολάσεως. Ἔτι ἀγγέλων εἴπερ ἔμελλεν ὁ λόγος φύσιν ὑπέρχεσθαι, 11) πῶς· ἂν ὑπῆλθεν, τόκου μὴ μεσιτεύοντος; εἰ δ' ἁπλῶς κατ' οἰκείωσιν καὶ σχετικὴν σύνοδον τοῦτο προσῆν τοῖς δαίμοσιν, ἀλλ' ἐκεῖθεν διεῤῥάγησαν. 12) Ἔτι τίνος 13) τῶν πεπτωκότων ἐποιεῖτο τὴν κατὰ τὸ ἀ-

8) *αυτης Colb.* pro *αὐτοὺς.*

9) *Luc.* IV. 34.

10) *Matth.* IX. 29.

11) Sic ſcribo pro, *ὑπέρχεται.*

12) ita *Colb.* pro *καὶ ἐῤῥάγησαν.*

13) *Τίνος* ſcripſi pro *τινὸς.* Sed vel ſic ſenſus hiat, niſi ſubintellexeris *χάριν*, vel ſequentem vocem *πεπτωκότων* cum illa *ἀγγέλων* permutes. Mox enim angeli in *ἑστῶτας* & *πεπτωκότας* diſtinguuntur. Ita vero legendum fuerit *τίνος τῶν ἀγγέλων*; *quem angelorum chorum ſibi appropriaſſet?*

χρον οἰκείωσιν; εἰ μὲν τῶν ἑςώτων, καὶ τί ἂν τὸ πεπ]ωκὸς ὤνητο; ἐκείνων γὰρ καὶ πρὶν μενόντων 14) ἐν τοῖς ἀμείνοσι τὸ δαιμόνιον ταλανίζεται. εἰ δὲ τῶν πεπ]ωκότων, πῦ τὸ δίκαιον; πῶς δ᾽ ἂν ὐκ ἔσχεν χώραν ἐκλέγεσθαι τὸ κατεγνωσμένον Παύλῳ· 15) ποιήσωμεν τὰ κακά; ἔτι δὲ τόκυ ταῖς ἀγγελικαῖς δυνάμεσι μὴ μεσιτεύοντος, ὐδὲ φύσιν ἦν δυνατὸν ἀυτῶν ἀναλαβεῖν τὸν λόγον]ῦ Θεῦ, ἀλλά τινα τὸν καθ᾽ ἕκαςον. ὃν δ᾽ ἂν ἔλαβεν, μόνον ἐκεῖνον ἂν καὶ ἔσωζεν. ὥςε συνέβαινεν ἂν ἀυτὸν μυριάκις ἀγγέλων ἄτομα 16) ὑποδύεσθαι. μᾶλλον δὲ ἀνίλεως εἴη 17) δαιμόνων, οἵ πάσης κακίας ἑαυτὺς ἀπέδειξαν ὄργανα.

beatitatem commonſtrantes. Illi vero, mente averſi, nec ſequuntur illos, nec ad eosdem convertuntur. Itaque ſupervacaneum foret, ſi Dei natura illam Angelorum ſuſciperet; imo id ipſum pœnam imminentem majorem & graviorem, ſiquidem talis dari poteſt, redderet. Quod ſi præterea Verbum Angelorum naturam adſumere unquam voluiſſet, quomodo id ſine intercedente partu aliquo fieri potuiſſet? Si porro tantum per appropriationem aliquam & relationem moralem Verbum illud ſe cum dæmonibus communicaſſet, illi vel ſic ab eo ſejuncti fuiſſent. Qua porro de cauſa Verbum lapſos illos ſibi maxime appropriaſſet? Si dixeris: in gratiam illorum, qui ſtationem ſuam retinuerant, quid inde commodi ad lapſos perveniſſet? Illis enim meliore conditione pridem fruentibus, dæmones vices ſuas miſerantur. Si vero in gratiam lapſorum; quomodo id fas fuiſſet? Nonne potius id factum eſſet, quod *Paulus* averſatur: *faciamus mala.* Quando denique partus Angelicis copiis mederi & uſu venire non potuit, nec naturam angelorum Verbum Dei adſumere, ſed unum aliquem eorum, potuit. Quemcunque vero eorum aſſumſiſſet, illum unum ſalvaſſet. Ita vero futurum erat, ut illa Angelorum indiviſibilia millies ſuſciperet. Satius itaque erat, Dæmonum non miſereri, qui ſe ipſos omnis pravitatis inſtrumenta præſtitiſſent.

14) Sic ſcribo cum *Colb.* pro μὲν ὄντων, quam lectionem tamen in verſione expreſſi.
15) *Rom.* III. 8.
16) Sic *Colb.* pro ἄτοπα, quod huc non quadrat.
17) Noſter: ἀλλήλοις εἴδη, nullo ſenſu: *Colb.* pro εἴδη habet εἴη. Legendum itaque ἀνίλεως.

QVÆST. XCIII.

Quare *Jeſus Petrum, mortem ejus ægre ferentem, increpavit?*

Cauſa rei hæc eſt, quod, quamvis ex calido affectu & amore fervente ita loqui videretur, eadem tamen opera Diabolo gratum faciebat. Chriſtum enim non perpeti, maximum lucrum conciliabat Satanæ, de poteſtate ſua in homines nunquam alioquin deturbando. Propterea etiam increpatio ita habebat: *retrocede, Satana, neque enim ſapis ea, quæ Dei ſunt.*

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ϛγ.

Διὰ τί ἐπετίμησεν ὁ Ἰησοῦς τῷ Πέτρῳ, τὸν θάνατον δυσανασχετοῦντι; 1)

Ὅτι περ εἰ καὶ φίλτρῳ ζέοντι καὶ στοργῇ ἐμπύρῳ ἐδόκει προαγαγεῖν τὸ ῥῆμα, ἀλλ᾽ οὖν ἡδονὴν ἔφερεν τῷ διαβόλῳ. τοῦ γὰρ μὴ παθεῖν τὸν Χριστὸν, κέρδος ἦν μέγιστον τῷ Σατανᾷ, ἅτε δὴ τῆς τῶν ἀνθρώπων τυραννίδος οὐκ ἐξισταμένῳ. διὰ τοῦτο οὖν καὶ ἡ ἐπιτίμησις λέγει· ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, διότι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ. 2)

QVÆST. XCV.

Quomodo *Salvator noſter, omnes amare jubens, diſcipulos tamen ſuos ad prædicandum mittens, præcipit, ne quem in via ſalutent?*

Noverat, ea ſibi invicem non adverſari. Amplexibus enim & ſalutationibus vacare non licet illis, qui præconium Evangelii potiore loco habent. Idem vero amorem adeo non intervertebat, ut augeret potius, cum illud diſcipulorum præconium hominibus libertatem a vitiis, placabilitatem

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ϛε.

Πῶς 3) ἐντελλόμενος ὁ Σωτὴρ πάντας ἀγαπᾷν, ἐπιτάττει πέμπων τοὺς μαθητὰς εἰς τὸ κήρυγμα, μηδένα ἀσπάζεσθαι κατὰ τὴν ὁδόν. 4)

Ἤδει, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐναντία ταῦτα ἀλλήλων. ἀπασχολεῖσθαι γὰρ περὶ τοὺς ἀσπασμοὺς καὶ τὰς δεξιώσεις, ταῦτα προκρίνοντος 5) τοῦ κηρύγματος, οὐκ ἐᾷ. οὐ μήν γε κωλύει τὴν ἀγάπην, ἐπιτείνει δὲ μᾶλλον, εἴπερ τὸ κήρυγμα τῶν μαθητῶν τοῖς ἀνθρώποις τὴν ἐλευθερίαν ἐχαρίζετο τῶν παθῶν, καὶ τὴν εὐμέ-

1) Deeſt in *Cod. Colb.*
2) *Matth.* XVI. 23.
3) Deſideratur & hoc reſponſum in *Colb.*
4) *Luc.* X. 4.
5) Ita codex: legerim προκρίναντος.

Digitized by Google

νειαν, καὶ τὴν σωτηρίαν τὴν ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ϛθ.

Πῶς συμβιβασθήσεται τὸ Αποςολικὸν ῥητὸν, τὸ φάσκον, τὰ σημεῖα ȣ̓ τοῖς πιςεύȣσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπίςοις, 1) τοῖς δεσποτικοῖς λογίοις, τοῖς λέγȣσιν, ἡ πίςις σȣ σέσωκέ σε. 2) καὶ, ȣ̓κ ἠδύνατο ποιῆσαι σημεῖα διὰ τὴν ἀπιςίαν αὐτῶν, 3) καὶ ὅσα ἄλλα τὴν αὐτὴν ὑποβάλλει διάνοιαν.

Τῷ διερευνῶντι φιλομαθῶς ȣ̓κ ἐργώδης τῶν εἰρημένων ἡ κατανόησις. Τοῖς τε γὰρ ἤδη χρόνῳ πεπιςευκόσι, καὶ μηδεμίαν ἀμφιβολίαν περὶ τȣ̃ καθ᾽ ἡμᾶς μυςηρίȣ παραδεχομένοις, ὡσαύτως δὲ καὶ τοῖς τελείως τῇ ἀπιςίᾳ κεκραθημένοις, καὶ μὴ θέλȣσι διὰ τῶν σημείων πρὸς τὴν εὐσέβειαν χειραγωγηθῆναι, κενὸν καὶ μάταιον ἡ τῶν σημείων ἐπίδειξις. Τοῖς δέ γε ἐν τῇ ἀπιςίᾳ μὲν τεθραμμένοις, εἶτα ἠρέμα πως τȣ̀ς λογισμȣ̀ς πρὸς τὴν εὐσέβειαν ἐνδιδόναι διανιςαμένοις, τȣ́τοις οἰκεία καὶ πρόσφορος τῶν παραδόξων ἔργων ἡ φανέρωσις. Διὰ τȣ̃το καὶ ὁ Κύριος ȣ̃̓τε παρὰ τῶν παντελῶς ἀπίςων πίςιν ἐπιζητεῖ. ᾔδει γὰρ ȣ̓χ εὑρίσκων ἐν αὐτοῖς· ȣ̃̓τε παρὰ τῶν εἰλικρινῶς πεπιςευκότων. προειλήφει γὰρ καὶ ταύτην προεισενεγκόντων αὐτῶν. ζητεῖ δὲ παρ᾽ ἐκείνων,

1) 1 *Cor.* XIV. 22.
2) *Matth.* IX. 22.
3) *Matth.* XIII. 58.

litatem item, & ſalutem à Deo impetrandam offerret.

QVÆST. XCIX.

Quomodo dictum illud Apoſtolicum: Signa non credentibus, ſed incredulis; *cum illis Domini oraculis conciliari poteſt:* fides tua ſalvum te fecit; *&*: Non poterat facere ſigna propter incredulitatem eorum; *itemque alia, eandem ſententiam inculcantia.*

Qui diſcendi ſtudio in hæc inquirit, illi dictorum ſenſus non difficulter patebit. Illis enim, qui jam per tempus aliquod crediderunt, nec dubio aliquo de magno illo, quod profitemur, myſterio vexantur; ſimiliter vero etiam illis, qui incredulitati penitus ſunt obnoxii, nec ad doctrinam pietatis per miracula adduci cupiunt, ſignorum demonſtratio fruſtra & vano conatu offertur. Contra vero illis, qui in incredulitate educati quidem ſunt, poſtea vero ſenſim mentem ſuam ad pietatem convertere ſuſtinent, operum mirandorum manifeſtatio accommodata & proficua eſt. Propterea & Dominus nec ab illis, qui penitus erant increduli, fidem poſtulat; noverat enim ſe apud illos non inventurum: neque ab illis,

qui ſincere credebant; noverat enim, eos illam jam ante probaſſe. Poſtulat vero ab illis, qui ab impietate ad pietatem converſi fidem apud ſe ipſos parturiebant. Credentibus itaque ſigna non eduntur; id enim ſupervacaneum foret: neque illis, qui ab incredulitate avocari non poſſunt; fruſtra enim id fieret: ſed illis tantum, qui ab incredulitate ad fidem perducuntur. Horum enim fides perfectior reddi debet, facta vero perfectior ad fructum ex divinis miraculis capiendum perducitur. Divi itaque *Pauli* oraculum cum verbis Evangelii non pugnat. In eorum enim, qui corde penitus obdurati erant, gratiam Deus, in hominum ſalutem omnia faciens, miracula edere non ſuſtinebat. Qui vero ſincere, crediderant, illis ad credendum non indigebant. Relinquitur itaque, Salvatorem noſtrum eorum cauſa miracula patraſſe, qui nondum crediderant, ſed incredulorum hactenus locum occupantes ea requirebant, per quæ ad fidem pervenirent, miracula autem inſtar ducis nacti in credentium cœtum transferebantur.

οἱ ἐξ ἀσεβείας εἰς εὐσέβειαν μεταβαλλόμενοι, ἤδη 4) τὴν πίςιν ὠδίνȣσιν ἐν ἑαυτοῖς. Τοῖς τοίνυν πιςοῖς ȣ̓ δίδοται τὰ σημεῖα. περιττὸν γάρ. ȣ̓δὲ τοῖς ἀμεταβλήτως ἔχȣσιν ἀπὸ τῆς ἀπιςίας. εἰς κενὸν γάρ. ἀλλὰ τοῖς ἐξ ἀπιςίας εἰς πίςιν μεταβαλλομένοις. ὧν καὶ ἡ πίςις ἐπιζητεῖται τελεσφορηθῆναι, ϰ̀ τελεσφορȣμένη πρόξενος γίνεται τῆς ἀπολαύσεως τῶν θεοσημείων. Ουδὲν ȣ̓ν διαμάχεται τȣ̃ θεσπεσίȣ Παύλȣ ἡ φωνὴ τοῖς εὐαγγελικοῖς ῥήμασι. Πρὸς 5) μὲν γὰρ τȣ̀ς πεπωρωμένȣς τὴν καρδιαν ȣ̓κ ἠξίȣ παραδοξοποιεῖν ὁ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων πάντα πράττων Θεός. οἱ δὲ εἰλικρινῶς πεπιςευκότες ȣ̓κ ἐδέοντο τȣ́των εἰς τὸ πιςεῦσαι. ὑπόλοιπον, πρὸς ἐκείνȣς τὰς θαυματȣργίας τὸν τȣ̃ γένȣς ἡμῶν Σωτῆρα ἐπιτελεῖν, οἵ ȣ̓́πω μὲν πεπιςευκότες ἦσαν, τὴν δὲ τῶν ἀπίςων ἔτι χώραν ἀνεπλήρȣν, ὅμως ἐζήτȣν, δι' ὧν πιςεύȣσιν, καὶ χειραγωγὸν λαμβάνοντες τὰ σημεῖα, εἰς τὴν τῶν πιςῶν μετηλλάττοντο μοίραν.

QVÆST.

4) Sic *Colb.* pro ἴδη.
5) πρὸς illud eſt ex *Colb.* quod ſenſus poſtulat.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΒ.

Διατί ἀγγέλων μνήμην οὐκ ἔσχεν ἐν τῇ Κοσμογενείᾳ Μωσῆς; 1) καὶ τί σημαίνει τό· τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

Αμφω μὲν τὰ ζητήματα ταῦτα καὶ ἐν ἑτέροις ἡμῶν γράμμασιν * οἶμαι τὴν λύσιν εὑρεῖν, τῆς μὲν ἀκριβείας οὐκ ἂν εἴποιμι μηδὲν ἀποδέουσαν, τῆς δὲ δυνάμεως οὐδὲν ἔχουσαν ἐνδεέστερον. Επεὶ δέ σοι φίλον, καὶ ἰδιαίτερον ἔχειν τὴν περὶ αὐτῶν θεωρίαν καὶ ἀνάμνησιν, καίτοιγε κεχαριτωμένος ὢν καὶ αὐτὸς οὐ μόνον εἰδέναι τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις μαθεῖν παρέχειν, τῆς σῆς συνέσεως τὴν αἴτησιν οὐ παρῃτησάμεθα. Διὸ φαμὲν, ἐξ ὧν τῆς μνήμης καὶ τῶν λογισμῶν ὁ πολὺς ὄχλος, καὶ τῶν πειρασμῶν καὶ τῶν θλίψεων οὐκ ἀφείλαντο, ἀλλ' ἔτι μένειν τινὰ τῶν λειψάνων ὑπελείποντο, ὡς καὶ δι' ἄλλας μὲν αἰτίας Μωσῆς, ἧς κοσμογενείας εἰς ἐμφανῆ διήγησιν καθισάμενος, ἀγγέλων οὔτε οὐσίας οὔτε γενέσεως ἐπεμνήσθη. Κεχωρισμένα τε γὰρ ταῦτα τῆς αἰσθητῆς κτίσεως. καὶ τοῖς ἐξ Ισραὴλ ἄρτι πρὸς θειοτέραν θεωρίαν ἀναγομένοις ἀπὸ τῆς

QUÆST. CII.

Cur Angelorum mentionem non fecit Moſes in creatione mundi; &,quid ſibi vult illud: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus?

Duas has quæſtiones etiam in aliis ſcriptis noſtris ſolutas eſſe exiſtimo, ita quidem, ut, quamvis accurationi ſolutionis nihil deeſſe non dixero, efficacia tamen non ſit inferior. Quoniam vero tibi placuit, ſingularem aliquam diſquiſitionem & commentationem de argumentis illis in promtu habere, mihi vero ipſi jucundum ſit, non ſolum ſcire talia, ſed &, ut alii diſcant, efficere, petitionem tuam averſari nolui. Dico itaque: quamdiu vulgus Judæorum memoriam & recordationem variarum tentationum & calamitatum nondum amiſerat, ſed reliquias quasdam in promtu habebat, Moſen quidem præter alias quoque cauſas accuratam orbis conditi enarrationem ingreſſum, nec exiſtentiam nec origines Angelorum commemoraſſe. Hæc enim a rebus, quæ ſenſibus obviæ ſunt, vehementer ſunt diſtincta. Porro Iſraëlitis, tanquam qui ad ſublimiorem

1) *Colb.* ita: διὰ τί Μωυσῆς ἐν τῇ κοσμογενείᾳ οὔτε ἀγγέλων οὐσίας, οὔτε γενέσεως ἐμνημόνευσεν;

* Fortaſſe hoc factum eſt in commentariis Photii in varios Codicis Sacri libros, quos paſſim videas adferri. In epiſtolis certe ejus altum eſt de utroque capite ſilentium.

limiorem quandam meditationem ab Ægyptica inprimis ſuperſtitione, (in qua longum tempus, eidem quidem errori non obnoxii, ſed inter eos tamen,) qui illo capti erant, exegerant, nuper admodum perducti fuerant, non facile nec obvium erat, ut ad incorporeas Deoque ſimiles mentes percipiendas animum eveherent. Non minus vero, niſi potius magis huc, præter dicta, pertinet, quod leges laturus erat non Angelis, ſed hominibus, qui & conditi erant, & ex nihilo exiſtere cœperant. Ideo rerum conditor doctrinas neceſſarias, & cum utilitate conjunctas, h. e. cœli terræ, aliorumque ſimilium originem, exponit, quoniam illa quidem ante, quam hominem conderet eſſe voluit, quodque homo ipſe in illis vitam acturus erat, quod denique etiam alia, ad vitam naturalem neceſſaria, illis, quibus leges ferebantur, ſuppeditare volebat. Dei enim notitiam, ſi non accuratam, ſaltem qualemcunque animis infixam habebant, Angelorum vero illam minime omnium: quemadmodum etiam Sadducæorum ſecta multis ſeculis poſt Deum quidem profitebatur, Angelorum autem & Spirituum nomina

Αἰγυπτιακῆς μάλιστα δεισιδαιμονίας, ἐν ᾗ πολὺν χρόνον, εἰ καὶ μὴ τῇ πλάνῃ κάτοχοι, ἀλλ᾽ ἐν γε 2) τοῖς κατεχομένοις τὸν βίον διέτριβον, οὐκ ἦν εὐχερὲς οὐδὲ ῥάδιον φέρειν πρὸς τὴν τῶν ἀσωμάτων καὶ θεοειδῶν νόων ἐπανάγεσθαι μάθησιν. Οὐδὲν δὲ ἧττον, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον τῶν εἰρημένων, ὅτι μηδ᾽ ἀγγέλοις τοὺς νόμους 3) εἰσφέρειν ἔμελλεν. ἀλλ᾽ ἀνθρώποις, οἷς ἦν καὶ ἡ γένεσις, καὶ ἡ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι πρόοδος. καὶ ὁ γενεσιουργὸς ἀναγκαῖα μαθήματα, καὶ τὸ χρήσιμον παρεχόμενα, οὐρανοῦ μέντοι καὶ γῆς καὶ τῶν ἄλλων εἰσάγει γένεσιν, ὅτι ταῦτά τε πρὸ τῆς τοῦ ἀνθρώπου 4) οὐσίας ὑπέστη, καὶ ὅτι ἐν αὐτοῖς τὴν δίαιταν ὁ ἄνθρωπος ἔμελλεν ἔχειν, καὶ διότι τὰς κατὰ τὴν αἴσθησιν ἄλλας ἀναγκαίας χρείας τοῖς νομοθετουμένοις ἔμελλε παρέχειν. Θεοῦ μὲν γὰρ ὁποίαν δήποτε ταῖς ψυχαῖς, εἰ καὶ μὴ πρὸς τὴν ἀκρίβειαν ἀνηγμένην, ὅμως ἔννοιάν τινα καὶ φαντασίαν εἶχον, ἀγγέλων δὲ οὐδαμῶς. ὅπου γε καὶ τὸ Σαδδουκαίων μετὰ πολλὰς γενεὰς ἔθνος θεὸν μὲν ὁμολογεῖν ἐφρόνει, ἀγγέλους δὲ καὶ πνευ-

2) Ita ſcripſi pro ἐν γυ.
3) *Colb.* pro τοῖς νόμοις.
4) *Idem* pro ποιητὴς οὐρανοῦ, quæ poſterior vox ex compendio ſcriptionis ανου, i. e. ἀνθρώπου, nata eſt, ad quam voces πρὸ τοῦ in ποιητὴς mutata ideo a librario videtur, quod voci οὐρανοῦ magis videretur accommodata.

ματα οὐδὲ ἀκοῇ παραδέχεσθαι ἀνεκτὸν ἡγοῦντο. 5) Οτι δὲ δι' ἀσθένειαν τῶν δεχομένων ἡ τῶν ἀσωμάτων νόων διήγησις τῷ θεόπτῃ κατ' ἀρχὰς παραλέλειπται Μωσεῖ, δῆλον, ἐξ ὧν ἐπὶ τέλει τῆς ἄλλης ἱστορίας, καὶ τῶν πολλῶν λόγων εἰς μνήμην αὐτῶν περιῆλθεν, εἰ καὶ μηδὲ τότε γένεσιν εἰσάγων, ἀλλ' εὐφροσύνην μὲν οὐρανῶν, προσκύνησιν δὲ ἀγγέλων. εὐφράνθητε, λέγων, οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. 6) ὁ μέντοι γε θεοπάτωρ 7) Δαβὶδ πυρός τε αὐτῶν ἀνεῖπεν τὴν οὐσίαν, καὶ δημιουργὸν ὑπάρχειν, 8) ὅς καὶ τῆς ἄλλης ἐστὶ κτίσεως ἁπάσης, καὶ ἐπιγινώσκεται δημιουργός. ὁ μὲν οὖν καιρὸς περὶ τῶν ἀγγέλων τοιαῦτα παρέσχεν εἰπεῖν.

mina nec audire ſuſtinebant. Quod vero Moſes, qui Deum vidit, mentium incorporearum commemorationem propter imbecillitatem illorum, qui eam audituri erant, ſub initium omiſerit, ex eo manifeſtum eſt, quod in fine reliquæ hiſtoriæ, & poſt alia multa recitata, mentionem eorum fecit, quamvis ne tunc quidem creationem illorum, ſed lætitiam cœlorum & Angelorum adorationem commemoravit. *Lætamini*, inquit, *cum illo cœli, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Similiter *David*, Dei pater, & igneam eorum eſſentiam commemorat, & conditorem eorum appellat, qui reliquarum rerum omnium auctor ſit & adgnoſcatur. Atque hæc quidem hac occaſione de Angelis adferre licuit.

Τὸ δὲ, τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, 9) ἀντὶ τοῦ, ἐπισυνάξεις τοὺς καταvεμομένους αὐτοῦ καὶ διαφθείροντας τὴν κεφαλὴν ἄνθρακας. καὶ γὰρ θᾶττον ἂν αὐτὴν διεργάσαιντο, εἰ μὴ θᾶττον αὐτοὺς σὺ ταύτης ἀποσωρεύσῃς καὶ ἀπαλλάξῃς τοῦ ἕρποντος καὶ κατεσθίοντος αὐτὴν πάθους. Πῶς δ' οὐκ ἂν

Quod vero ad illud dictum ſpectat: *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres in caput ejus*; idem illud eſt, ac ſi dixeris: coacervabis carbones, caput ejus depaſcentes & conſumentes. Citius enim illud conſumerent, niſi mature illos ab eo removeas, & a repente ac conſumente labe illud liberes. Nonne vero, ita ſi egeris, optimus

5) *Matth.* XXIII. 8.
6) Vid. *Deuter.* XXXII. 43.
7) Hoc elogium Davidi ob Chriſtum θεάνθρωπον, ex familia ejus natum, tribuitur e *Chryſoſtomo* & aliis, quorum locos habes apud *Suicerum.*
8) *Pſalm.* CIV. 4.
9) *Rom.* XII. 20.

optimus proximi tibi Medicus videberis? Si enim menſa & convictu hoſtis tuus a te excipiatur, quomodo fieri poteſt, ut, ſi non ob boni virtutiſque ſtudium, ſaltem propter indolentiam, cujus fructum a te cepit, animum ſuum ab inimicitia revocet, ab inſidiis vero faciendis abſtineat, mentiſque ſobrietate recepta, flammas & iram, quas inimicitia excitaverat, in placidos manſuetoſque mores convertat, atque adeo ſenſim eo adducatur, ut amare diſcat benefactorem, benefica & amica manu eo uſus, ut acerbitatem ex odio natam molliat, ſimultatemque adverſus benefactorem, quæ & animum ejus, & corpus, & caput depaſcit, in pudorem quendam & amorem convertat? Quod ſi tamen poſt tantam beneficentiam, per quam benignitatis pulchritudo repræſentatur, homo, invidiæ & odio in proximum ſibi obnoxius, nec melior reddatur, nec ad mutationem morumque correctionem reſpicere velit; ille quidem fera beſtia potius, quam homo fuerit, qualis tamen inter homines rariſſime inveniatur. Tu autem nihilominus vel ſic, imo vero diligentius carbones, caput ejus depaſcentes, provida cura poſt tantam amentiam coacervans beneficiis tuis, Do-

ὀφθείης ἄριστος οὕτως πράττων τοῦ πλησίον ἰατρός; τραπέζῃ γὰρ καὶ φιλοτησίᾳ παρὰ σοῦ δεξιούμενος ὁ ἐχθρὸς, εἰ καὶ μὴ διότι φιλόκαλος, καὶ τῆς ἀρετῆς ἐραστὴς, ἀλλ' οὖν γε διὰ τὴν ἀπάθειαν, ἧς παρὰ σοῦ τὴν ἀπόλαυσιν ἔχει, πῶς οὐκ ἂν ἐκστῆναι μὲν τῆς ἔχθρας λογισμὸν ἀναλάβοι, ἐκστῆναι δὲ διαναστaίη τῆς ἐπιβουλῆς; καὶ ἀνανήψας τοὺς λογισμοὺς καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς πύρωσίν τε καὶ φλεγμονὴν, ἣν ἀνέφλεγεν ἡ ἔχθρα, πρὸς τὸ μαραίνεσθαι καὶ πραΰνεσθαι μεταβαλὼν, κατὰ μικρὸν ἐπὶ τὸ εἰδέναι καὶ στέργειν τὸν εὐεργέτην χειραγωγηθείη διὰ τῆς εὐεργέτιδος καὶ φιλοφρονούσης δεξιᾶς πᾶσαν τὴν τοῦ μίσους διαγλυκάνας πικρίαν, καὶ τὴν ψυχὴν, καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν κεφαλὴν κατὰ τοῦ εὐεργέτου δυσμένειαν εἰς αἰδῶ διαλυσάμενος καὶ στοργήν; Ει δέ γε μετὰ τὴν τοσαύτην εὐεργεσίαν, δι' ἧς τὸ τῆς ἀγαθότητος ἐξεικονίζεται κάλλος, οὐδὲν πρὸς τὸ βέλτιον, ὁ τῷ φθόνῳ τοῦ πλησίον καὶ τῷ μίσει κάτοχος, οὐδὲ πρὸς μεταβολὴν καὶ διόρθωσιν ἐπιβλέψαι βούλοιτο, θηρίον μὲν ἂν ὁ τοιοῦτος καὶ οὐκ ἄνθρωπος εἴη, καὶ σπάνιον ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει τὸ τοιοῦτον κακόν. σὺ δὲ οὐδὲν μὲν ἧττον οὐδὲ 10) μετὰ τὴν τοσαύτην ἀπόνοιαν, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον τοὺς κατανεμομένους αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν ἄνθρακας τῇγε σῇ προνοίᾳ σωρεύων, τὴν δεσποτικὴν ἂν εἴης

mini

10) Sic ſcribo pro οὐδὲν. Proximum τὴν addidi ex *Colb.*

μίμησιν ταῖς εὐεργεσίαις ἀναπληρῶν, ἐκεῖνος δ' αὐτοῦ τὸ ἁμάρτημα πάσης 11) ἀθλίως ἐπὶ πλέον ὥσπερ εὐεργεσίας, οὕτω καὶ συγγνώμης ἔδειξε δυνατώτερον. Ει δέ τις τὸ· ἄνθρακας πυρὸς ἐπισωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ καὶ κατὰ τὴν πρόχειρον ἐκδοχὴν, καὶ τοὺς πολλοὺς παρακαλοῦσαν, εἰς τὸ μὴ τὴν ἔχθραν ἔχθρᾳ καὶ ἀμύνῃ χαλεπωτέραν ποιεῖν, θελήσει νοεῖν, οὐδὲ τοῦτο ἂν εἴη στοχασμοῦ διαπεσεῖν, ὑφ' οὗ παρασκευάζεται. καὶ πρὸς συγκατάθεσιν ἕλκειν μᾶλλον δύναται ἢ τοῦ μὴ ἀμύνασθαι παραινοῦσα τοὺς πολλοὺς πειθώ.* οὐ παύεται βέλη κινῶν ὁ μάτην κατὰ σοῦ τὴν ἔχθραν ὑπελθὼν, ἄμεινον μὲν ἂν εἴη, τὸν κοινὸν πλάστην καὶ τὴν πλάσασαν δεξιὰν καὶ τὴν αὐτὴν φύσιν ἐννοοῦντα νικῆσαι γνώμης χρηστότητι τὸν μισούμενον. διότι παράγει 12) δι' ἔχθρας τὸ ὁμοφυές. εἰ δὲ μὴ, βούλει δὲ τοῦτον ἀμύνασθαι καὶ λυπῆσαι, καὶ μηδὲν ἐν τούτοις διαμαρτεῖν, ψώμιζε, πότιζε αὐτόν. πῶς καὶ διὰ τί; τὸν κοινὸν δεσπότην διὰ τούτων σαυτοῦ παρασκευάζεις ἐκδικητὴν, ἐκεῖνον δὲ διὰ τῶν εὐεργεσιῶν εἰς ἐκδίκησιν κινήσεις, θᾶττον ἂν ἴδοις τὸν ἐχθρὸν οἷα πυρὶ τῇ ἐκείνου δίκῃ καὶ κρίσει φλεγόμενόν τε καὶ καταπιμπράμενον, καὶ αὐτῇ συναπολλύμενον ἔχθρᾳ καὶ ἐπιβουλῇ.

mini exemplum imitaberis; alter vero ille oſtendet, peccatum ſuum apud ſe plus valere, quam omnis ejuſmodi beneficentia factaque liberaliter venia efficere poſſit. Si quis vero verba illa: *carbones ignis congeres ſuper caput ejus*; de proclivi in gratiam receptione, quæ multos compellit, ut inimicitiam inimicitiâ & vindictâ graviorem non reddant, accipere malit, nec ille judicio, quo utitur, admodum falletur. Quæ enim ad vindictam cavendam adhortatur oratio, illa ad conſenſionem animorum conciliandam egregie facit. Quod ſi enim is, qui præter rem inimicitiam adverſus te fovet, tela movere non deſinat; præſtiterit tamen, communem conditorem, dextramque, quæ utrumque formavit, eandem porro utriusque naturam recogitare, & facilitate ſua iniquum oſorem vincere. Naturæ enim adfinitas per inimicitiam tollitur. Sin minus hoc placeat, maliſque injurias ulciſci, & injurium triſtitia adficere, eadem vero opera non peccare, ciba & pota illum. Quomodo vero & cur ita? Sic enim communem Dominum vindicem tibi concilias, quem ſi beneficiis illis tuis ad ultionem capiendam excitaveris, inimicum pœna ejus & judiciis, tanquam igne quodam, conſumtum & combuſtum, inimicitiaque ſua & odiis devoratum citius videris.

11) πάτης debeo *eidem* pro πᾶσι.

12) *Colb.* διότι πῦρ ἄγει.

* Crediderim, heic excidiſſe, εἰ δ'.

QVÆST. CXI.

Ex quo Scripturæ loco conſtat, Adamum a Diabolo deceptum eſſe?

Quod quæris, unde ex Scriptura conſtet, Adamum a Diabolo eſſe ſeductum, id quidem piis omnibus exploratum habetur. Scriptura tamen, quæ Evam tantum per ſerpentem, per illam vero Adamum deceptum ſiſtit, luculentiorem quæſiti hujus ſolutionem adfert. Ipſe enim Dominus noſter in Evangeliis nos docuit, dicens: *ille ab initio homicida eſt*. Neque enim ibi, quod nonnullis viſum eſt, Cainum innuit; ſed in ipſum Satanam crimen hoc refert. Serpens enim, qui Diaboli inſtrumentum vocatur, nihil dubii movet, quippe qui primarius & princeps ſeductionis auctor haberi non poſſit. Propterea vero per ſerpentem, non autem per aliud animal malus dæmon fraudem Evæ facit, quod animal illud mulieri jucundum eſſet ideo, quoniam, pro ſingulari indole ſua, alia quæcunque imitando facillime exprimere poterat. Cum vero præterea Diabolus animal hoc naturali quadam ſagacitate inſtructum videret, idem illi maxime viſum eſt accommodatum, cujus miniſterio ad fraudem faciendam

uteretur;

ΕΡΩΤ. ΡΙΑ.

Πόθεν ἐστὶ τῆς γραφῆς λαβεῖν ὑπὸ τοῦ διαβόλου τὸν Ἀδὰμ ἀπατηθῆναι;

Ὁ δὲ ἐπηρώτησας, ὡς πόθεν ἐστὶ τῆς γραφῆς λαβεῖν, ὑπὸ τοῦ διαβόλου τὸν Ἀδὰμ ἀπατηθῆναι, πᾶσι μὲν εὐσεβέσι νομίζεται τοῦτο, ἀλλ' ἡ γραφὴ * διὰ τοῦ ὄφεως μόνον ἀπατηθῆναι 1) τὴν Εὔαν, δι' αὐτῆς δὲ τὸν Ἀδὰμ εἰσάγει, περιφανεστέραν τοῦ ζητήματος τὴν λύσιν ἔχει. Αὐτὸς γὰρ ὁ Κύριος ἐν εὐαγγελίοις ἐδίδαξεν ἡμᾶς εἰπών· ἐκεῖνος ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνος 2) ἐστίν. Καὶ γὰρ οὐχ, ὡς ἐνίοις ἔδοξε, τὸν Καῒν μηνύει. ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν Σατανᾶν τὴν κατηγορίαν ἀναφέρει. Ὁ γὰρ ὄφις, ὄργανον μὲν τοῦ διαβόλου χρηματίζων, οὐδεμίαν παρέχεται ἀπορίαν, αὐτουργὸς δὲ καὶ πρωταίτιος τῆς ἀπάτης οὐδαμῶς ἂν ἔχῃ χώραν νομισθῆναι. διὰ τοῦτο δὲ, καὶ οὐχὶ δι' ἄλλου ζώου, προσάγει ὁ πονηρὸς τὴν ἀπάτην τῇ Εὔᾳ, ὅτι κεχαρισμένον ἦν τοῦτο τὸ ζῶον τῇ γυναικὶ, διὰ τοῦ τὴν ἄλλην εὐφυίαν καὶ πρὸς τὸ μιμήσασθαι δυνατὸν ἦν. ἄλλως τε δὲ καί τινος ἐμφύτου μετέχον τοῦτο τὸ ζῶον ὁρῶν φρονήσεως ὁ διάβολος, ἐπιτήδειον ἐνόμισε πρὸς τὴν ὑπηρεσίαν αὐτῷ τῆς ἀπάτης χρηματίσαι ὄργανον, ἅτε δὴ μάλιστα καὶ γλῶσσαν ῥήμασιν ὑπηρετήσα-

* Poſt γραφὴ excidiſſe videtur facili lapſu librarii, οὐ.

1) *Coislin.* ἀπατιθῆναι, *Colb.* ἀπαιτηθῆναι.

2) *Joan.* VIII. 44.

σθαι λαχόντα τότε τὸν ὄφιν. ἀφράστου δὲ προνοίας ἔργον ἦν καὶ τὸ, τὸν ὄφιν φωνὰς ἐνάρθρους ἀφιέναι. Ενορῶν γὰρ ὁ πλάνης τὰς τοῦ πονηροῦ ἐννοίας, καὶ ὡς εἰ μὴ τὸν ὄφιν ὄργανον τῆς ἀπάτης λάβοι, αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὴν ἑαυτῶν ἀπάτην συλαγωγήσει, συγχωρεῖ τὸν ὄφιν ἀνθρωπίνους φωνὰς προϊέναι, ἵνα μὴ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀνθρώπων ἡ τῶν ἀνθρώπων λύμη ἐκβλαστήσῃ, καὶ ἡ τοῦ κακοῦ ἀρχὴ ἐκεῖθεν τὴν πρόοδον λάβοι. Ει γὰρ αὐτοὶ τῆς εἰσηγήσεως τοῦ ἁμαρτήματος καθεστηκότες ὤφθησαν ἀρχηγοὶ, ὅπερ ἂν ἐπὶ τοῦ ὄφεως ἐπράχθη, καὶ ἐπ᾽ ἐκείνων ἂν διεφυλάχθη. καὶ οὐδ᾽ ἀνακρίσεως τυχόντες ἄν, ὥσπερ οὐδ᾽ ὁ ὄφις, τὴν καταδικάζουσαν ἐδέξαντο ψῆφον. ἀλλὰ παραχωρεῖται τῷ ὄφει τῶν ἀνθρώπων ὁ λόγος, ἵνα μὴ ὁ ἄνθρωπος ἀρχηγὸς ὀφθῇ γεγενημένος τῆς κακίας. Τοιοῦτον γὰρ τὸ θεῖον. ἐξ ὧν ὁ ἀντικείμενος τὴν κακοτεχνίαν ἐπινοεῖται, διὰ τούτων αὐτοῦ τὰ μηχανήματα περιτρέπει τε καὶ καταλύει.

uteretur ; inprimis cum idem tunc quidem linguam haberet ad verba proferenda idoneam. Interim ineffabili providentiæ debetur etiam illud, quod ſerpens voces articulatas formare potuit. Cum enim conditor optimus mali dæmonis conſilium perſpiceret, ſciretque, eum, niſi ſerpentem fraudis ſuæ inſtrumentum haberet, hominibus ipſis ad mutuam ſui deceptionem uſurum eſſe, ſerpentem humanam vocem emittere paſſus eſt, ne pernicies hominum ex ipſis hominibus naſceretur, malique origo ab ipſis prodiret. Quod ſi enim ipſi auctores perſuaſionis ad peccandum exſtitiſſent, idem illis uſu veniſſet, quod ſerpenti accidit, ita quidem, ut, ſine inſtituto cauſæ examine, ad exemplum ſerpentis, condemnatoriam ſententiam audiviſſent. Itaque ſermonis humani facultas ſerpenti permittitur, ne homo mali auctor fuiſſe videretur. Ita enim Deus agere conſuevit, ut, per quæ adverſarius malas artes molitur, per eadem peſſima ejus conſilia evertat, & disturbet.

ΕΡΩΤ. ΡΙΘ.

Διὰ τί μάγοι ἐξ ἀνατολῶν καὶ Περσῶν, καὶ οὐκ ἐξ ἑτέρας χώρας ἢ ἔθνους τῷ δεσποτικῷ τόκῳ παραγεγόνασι πρῶτοι;

QUÆST. CXIX.

Quare Magi ex Oriente & Perſide, non vero ex alia regione aut gente ad Dominicum partum primi acceſſerint?

Variis de cauſis id factum eſſe opinor. Primum quidem ita oraculum aliquod Propheticum impleverunt, ita habens: *Reges Arabum & Sabæ dona afferent.* Perſæ enim tunc temporis ſummam poteſtatem in regiones illas exercebant: eadem vero terra & aurum præſtantiſſimum, & myrrham & thus profert. Porro Ægyptiorum imperio ad Aſſyrios translato, Aſſyriorum vero illo ad Perſas devoluto, Perſarumque Regibus tunc primatum tenentibus, conveniens erat, ut, qui ea ætate præcipui eſſent, iidem primo & uni ſeculorum Regi, in terra conſpecto, Chriſto, & Deo noſtro, adventu ſuo cultum præſtarent, & dona offerrent, iis, quæ faciebant, profitentes, quod Rex modo natus ipſorum, qui tantum non omni orbi imperarent, & gentibus omnibus ſuperiores eſſent, herus, dominus & Rex appellaretur, tanquam adoratus ab illis, & ſatellitio regio ſtipatus. Quoniam porro inde Abrahamus Patriarcha oriundus etiam fuit (is enim ex Chaldæorum regione primum pro-

Διὰ πολλὰς οἶμαι αἰτίας. Πρῶτον μὲν γὰρ προφητείαν τινὰ ἐξεπλήρουν, τὴν λέγουσαν· βασιλεῖς Ἀράβων καὶ Σαβᾶ δῶρα προσάξουσιν. 1) Καὶ γὰρ οἱ Πέρσαι τηνικαῦτα τῶν χωρῶν ἐκείνων τὸ κράτος εἶχον. Φέρει δὲ ἡ ἐκείνων γῆ ἐπίσημόν τε χρυσὸν καὶ σμύρναν, καὶ λίβανον. ἄλλως τε δὲ καὶ τῆς μὲν Αἰγυπτίων βασιλείας εἰς Ἀσσυρίους διαλελυμένης, τῶν Ἀσσυρίων δὲ εἰς Πέρσας μεταῤῥυείσης, καὶ τῶν ἐπὶ γῆς τότε βασιλέων Περσῶν τὰ πρεσβεῖα ἐχόντων, ἔδει τοῖς τὸ πρωτεῖον ἐν τοῖς τότε καιροῦ λαχοῦσι, τῷ πρώτῳ καὶ μόνῳ βασιλεῖ τῶν αἰώνων, ἐπὶ γῆς ὀφθέντι Χριστῷ, τῷ Θεῷ ἡμῶν, παραγεγονότας τε προσκυνῆσαι, καὶ δῶρα κομίσαι, δι' ὧν 2) ἔπραττον ἀνομολογοῦντας, 3) ὅτι ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς καὶ αὐτῶν, τῶν μικροῦ τῆς γῆς ἁπάσης κρατούντων, καὶ κατὰ πάντων τὸ πρωτεῖον ἐχόντων, δεσπότης καὶ κύριος καὶ βασιλεὺς χρηματίζει, προσκυνούμενός τε ὑπ' αὐτῶν καὶ δορυφορούμενος. 4) εἰ δ' ὅτι ἐκεῖθεν ἐτύγχανεν καὶ Ἀβραὰμ ὁ πατριάρχης, ἐκ Χαλδαίων γὰρ γῆς πρῶτος ἀπά-

fectus

1) *Jeſ.* LX. 6.
2) Sic ſcribo pro, δι' ὃν.
3) *Coisl.* male ἀνολολογοῦντας.
4) *Coisl.* δωρυφορούμενος. Legendum videri poterat δωροφορούμενος, quaſi *muneribus cohoneſtatus.* Præſtat vero noſtrum illud, quo & Photius alias, & Scriptores frequenter utuntur, ubi de ſatellitio regio ſermo eſt. Vide quæ de δορυφόρους adfert *Elliſius* in Fortuitis Sacris p. 50. & de δορυφοροῦσι *Ezech. Spanhemius* ad Cæſares Juliani p. 384.

ρας θεογνωσίαν ἐκήρυξεν, διὰ τοῦτο καὶ οὗτοι εἰς προσκύνησιν τοῦ σωτῆρος πρῶτοι τῶν ἄλλων ἐκεῖθεν ἐκινήθησαν παραγενέσθαι, τρανῶς διασαλπιζούσης τῆς τοιαύτης οἰκονομίας, ὅτι ὁ αὐτός ἐστιν ὁ καὶ τότε καὶ νῦν ἐνεργῶν. τότε μὲν τυπικῶς, νῦν δὲ αὐτοῖς πράγμασι καὶ ἀληθείᾳ. Ουδὲ τοῦτο ἂν εἴη τῆς ὀρθῆς ἄπωθεν διανοίας. Νόει δέ μοι κἀκεῖνο. Οἱ Ασσυρίων βασιλεῖς τήν τε Ιερουσαλὴμ πολλάκις ἐπόρθησαν, καὶ τὰ ἐν τῷ θείῳ νεῷ κειμήλια ἀπεσύλησαν. καὶ αὐτὸν ἐσθ᾽ ὅτε τὸν ναὸν πυρὸς ἔργον ἀποφήναντες. καὶ ὅσα ἄλλα ἡ περὶ ταῦτα ἱστορία διέξεισεν. ἡ δὲ τῶν Ασσυρίων ἀρχὴ εἰς Πέρσας μετέπεσε, καὶ τὸν ἐκείνοις πλοῦτον ἅπαντα, ὅσος 5) τε ἐν λαφύροις, καὶ ὅσος ἐν ὑπηκόων φόροις εἰς ἐκείνους συμμετέστησεν. Αγει τοίνυν ὁ θεὸς τοὺς Πέρσας εἰς προσκύνησιν τοῦ βασιλέως τοῦ Ισραὴλ, ὅς ἐστι Χριστὸς, ὁ θεὸς ἡμῶν, ᾧ τινι καὶ ἀνεῖτο μὲν ἐν Ιεροσολύμοις νεὼς, ἀνεφέροντο δὲ καὶ αἱ θυσίαι, 6) καὶ τρέχουσι δρομέως, καὶ προσφέρουσι ἀντὶ μὲν τῆς παρὰ τῶν πατέρων αὐτῶν γεγενημένης εἰς τὰ ἱερὰ τοῦ θεοῦ ἀτιμίας τιμὴν, ἀντὶ δὲ τῶν δυσφημιῶν θεολογίαν, καὶ προσκύνησιν ἀντὶ τῆς ἄλλης παροινίας, ἀντὶ δὲ τῶν συλαγωγηθέντων δῶρα. τῆς προγονικῆς ὥσπερ ὑπεραπολογούμενοι τόλμης, καὶ τὴν

fectus Divini Numinis cognitionem publice urſit) propterea & illi primi omnium excitati ſunt, ut ex eadem regione ad cultum, Salvatori præſtandum, advolarent, ſapientiſſimaque hæc rerum directio perſpicue ſignificaret, eundem eſſe, qui & tunc & nunc operaretur, tunc quidem in typis, nunc vero re ipſa & opere. Si quis ita ſtatuat, nec hunc a recto judicio putaverim aberrare. Jam vero & hoc velim expendas. Aſſyriorum Reges Hieroſolyma ſæpe expugnarunt, templique, Deo ſacri, cimelia abſtulerunt, ipſum interdum templum ignis prædam facientes, ut plura alia taceam, quæ de his hiſtoria tradit. Poſtea Aſſyriorum imperium ad Perſas pervenit, omnesque eorum opes, quæ vel in ſpoliis, vel in ſubjectorum tributis poſitæ erant, ad eos transferebantur. Deus itaque Perſas excitat ad adorationem Regis Iſraëlis, qui eſt Chriſtus, Deus noſter, cui & templum Hieroſolymis erectum erat, & ſacrificia offerebantur. Illi citato curſu ad eum feruntur, eique pro probris, a majoribus ſuis in ſacra conjectis, honorem, pro injuriis fidei, tanquam in Deum, profeſſionem, pro flagitiis aliis cultum, pro ſpoliis olim factis dona offerunt, hoc modo quaſi avitam teme-

5) Ita *Colb.* pro ὅσα.
6) *Coisl.* male ἀνθυσίαι.

meritatem excuſaturi, veniamque illis propriis ſuis moribus procuraturi. Et aurum quidem offerunt pro auro illo & cimeliis, quæ per rapinam olim abſtulerant; thus vero pro ſacrificiis, quæ fieri vetuerant; & myrrham denique pro illis, qui ab ipſis erant trucidati, quosque in frequentibus ſuis obſidionibus, excitare & n integrum reſtituere potuiſſent; his enim myrrha cultum quaſi ſuum & ſtudium teſtari poterant. Fortaſſe vero etiam per myrrham animi ſui ſententiam declarare voluerunt, quod ſcilicet pro virili ſua parte templum olim everſum & urbem Jeruſalem inſtaurare libenter vellent. Myrrha enim ea, quæ diſtracta & diſturbata ſunt, conſtringere & continere ſolet. Quamvis enim ſub *Esdra* & *Zorobabele* nonnulla, quæ ex ſacris in prædam ceſſerant, offerrentur, tenue tamen illud omne & leve erat, cum nec Liberator & Servator noſter adveniſſet, nec illi, qui prædam fecerant, ſpolia illa ipſi, ſed per alios, offerrent. Porro idem Perſarum ante ceteros adventus præſignificabat, Gentiles priores, quam Judæos, Dominum ſuum agnituros

συγγνώμην ἐκείνοις διὰ τῆς οἰκείας ἐκκαλούμενοι πράξεως. Καὶ προσφέρουσι μὲν χρυσὸν ἀντὶ τοῦ χρυσοῦ καὶ τῶν ἱερῶν κειμηλίων, ὧν ἐσύλησαν. λίβανον δὲ ἀντὶ τῶν θυσιῶν, ἃς ἐκώλυσαν, καὶ σμύρναν ἐπὶ τοὺς ἅπαξ ὑπ᾽ αὐτῶν ἀνῃρημένους, 7) πάλαι κατὰ τὴν πολιορκίαν ἐνῆν αὐτοῖς ἀναστῆσαι καὶ παραστῆσαι, ὥσπερ τιμὴν ἐκείνοις 8) τὴν σμύρναν κομίζοντες, τάχα δὲ καὶ τὴν γνώμην αὐτῶν ἐνδεικνύμενοι. ὡς τόγε ἐπ᾽ αὐτοῖς καὶ τὸν καταστραφέντα ναὸν, καὶ τὴν πόλιν Ἱερουσαλὴμ αἱρετὸν 9) ἦν ἀνανεῶσαι. Καὶ γὰρ ἡ σμύρνα συσφίγγειν εἴωθεν τὰ διεστῶτα καὶ διεσπασμένα. καὶ γὰρ εἰ καὶ ἐπὶ Εσδρα 10) τε καὶ Ζοροβάβελ ἀνηνέχθη τινὰ τῶν λαφυραγωγηθέντων ἱερῶν, ἀλλ᾽ οὖν ἐνδεῶς ἐπράττετο ταῦτα, μήτε τοῦ λυτρωτοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν παραγεγονότος, μήτε αὐτῶν τῶν συλαγωγησάντων αὐτοπρόσωπον τὴν προσφορὰν τῶν σεσυλημένων, ἀλλὰ δι᾽ ἑτέρων ποιουμένων. προμήνυμα δ᾽ ἂν εἴη καὶ ἡ Περσῶν πρώτη ἄφιξις, ὅτι πρῶτον οἱ ἐξ ἐθνῶν, ἤπερ 11) ὁ Ισραὴλ, τὸν οἰκεῖον ἐπιγνώσονται δεσπότην. Ει δὲ

7) Poſt ἀνῃρημένους puto per adfinitatem ſyllabæ ultimæ excidiſſe οὓς, frequenti librariorum incuria.
8) Ita ſcribo pro ἐκείνους.
9) Sic *Colb.* pro ἀρετῶν.
10) *Idem* pro ἴδρα.
11) Sic ſcribo pro εἴπερ.

τις ἐθέλοι καὶ τὰ προσκομισθέντα δῶρα τὸν μὲν χρυσὸν ὡς Βασιλεῖ προσενεχθῆναι τῶν ὅλων, οἱονεὶ φόρον τινὰ καὶ ὑπακοῆς σημεῖον, ὡς Θεῷ δὲ τὸν λίβανον, καὶ σμύρναν, ὡς δι' ἡμᾶς γενησομένῳ νεκρῷ, καὶ τοῦτο οὐκ ἂν ἀναρμόστως τῷ προτεθέντι περιαχθείη.

turos eſſe. Si quis denique de oblatis illis ſtatuere malit, aurum quidem Chriſto, ut Regi hujus univerſi, inſtar tributi, & in obedientiæ argumentum, thus vero, ut Deo, myrrham denique, ut tali, qui pro nobis moriturus ſit, oblata eſſe; id quoque non inconvenienter modo dictis jungi poſſit.

ΕΡΩΤ. ΡΚ.

Διὰ τί ἐπικελεύεται ὁ Ηρώδης τοῖς εἰς προσκύνησιν ἥκουσιν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ μάγοις· ἀκριβῶς ἐξετάσατε, λέγων περὶ τοῦ παιδίου, ἐπὰν δὲ ἕυρητε, ἀπαγγείλατέ μοι, ἵνα κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ. 1)

QVÆST. CXX.

Cur præcipit Herodes Magis, qui Salvatorem noſtrum, Chriſtum, adoraturi veniebant: inquirite diligenter, *inquiens*, in puerum; ubi vero inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum?

Οσον μὲν ἀπὸ τοῦ γράμματος διὰ τοῦτο, ὅτι βασιλεὺς ἦν τῆς Ιουδαίας, καὶ βασιλέως τόκον ἀκούσας, ἐταράχθη τε καὶ ἐζήτει ἀνελεῖν τὸν ἐλπιζόμενον παραλῦσαι τῆς βασιλείας αὐτόν. Καὶ ἐπείπερ οὐκ ἦν ῥᾶον αὐτὸν ἀνευρεῖν, δόλον προβάλλεται καὶ ἀπάτην. Καὶ διὰ τοῦτο φησίν· ἵνα κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ. Αλλ' ἄυτη μὲν ἡ ἐπὶ τῷ γράμματι κατανόησις. τάχα δὲ καὶ ἄκων προφητεύει τὸ μέλλον, ὅτι μὴ μόνον τὰ ἔθνη διὰ τῶν Περσῶν προσκυνήσει τὸν Χριστὸν, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἐκείνων προσκύνησιν καὶ Ιουδαία πᾶσα προσκυνήσει αὐτῷ. εἰ βούλει δὲ, καὶ αὐτόθεν ἔχει ὁ τύπος

Id quidem ſecundum ſenſum literalem ideo faciebat, quod ipſe erat Rex Judææ, perceptoque Regis partu conſternabatur, adque adeo eum interficere ſtudebat, qui imperium ſibi erepturus videbatur. Quoniam vero eum difficulter invenire poterat, dolos & fraudem nectit. Propterea etiam ait: *ut & ego veniens adorem illum.* Hæc expoſitio ex verbis ipſis naſcitur. Fortaſſe vero etiam invitus ipſe prænunciat, fore, ut non ſolum Gentiles per Perſas, qui primum venerant, Chriſtum adorarent, ſed & Judæa univerſa poſt cultum, ab illis præſtitum, eum religioſe venerare-

1) *Matth.* II. 8.

neraretur. Vel, ſi malis, procliviori modo ratio typica oſtendi poſſit. Herodes enim ipſe duas illas gentes repræſentare queat, qui ex gentibus ortus Judæis imperabat, atque adeo, quamvis invitus, &, quæ dicat, ipſe neſcius, Prophetam agit, perſonamque totius generis humani, Gentilium æque ac Judæorum, ſuſtinens, Deo, ad homines divertenti, religioſum cultum præſtandum eſſe, profitetur. Nihil vero obſtat, quo minus Prophetam egiſſe exiſtimetur. Similiter enim & Caiphas ignorabat, quid loqueretur. Nam dum mens ejus furibunda in cædem ferebatur, labiis tamen vaticinium edebat, dicens: ***præſtat, unum hominem mori, quam totam gentem perire.*** Niſi enim Chriſtus, Deus noſter, mortem obiiſſet, genus humanum nunquam fuiſſet ſalvatum. Quamvis enim uterque eorum dono prophetico eſſet indignus, hinc tamen Sacerdotalis, hinc Regia dignitas, doni alicujus fructum capiebat, quandoquidem ad cædem Domini noſtri nondum erant progreſſi. Videas vero ſimiliter etiam alia quædam, malo quidem animo & ſanguinolento impetu prolata, inſtar vaticiniorum, eventum ſortita fuiſſe. Tale erat illud. *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper liberos noſtros,*

τὸ ἀπευθύνεσθαι. Τῶν γὰρ δύο λαῶν φέροι ἂν ὁ Ηρώδης ἐκτύπωμα. ἐξ ἐθνῶν γὰρ ὢν Ιουδαίων ἐβασίλευεν, καὶ εἴη ἂν ἄκων καὶ μὴ εἰδὼς, ὃ λέγει, ὅμως προφητεύων, καὶ ὡς ἐκ προσώπου παντὸς τοῦ ἀνθρωπίνου γένους οἷον ἐθνῶν τε καὶ Ιουδαίων τὴν προσκύνησιν ἀνομολογήσας τῷ ἐπιδημήσαντι πρὸς ἀνθρώπους θεῷ. οὐδὲν δὲ κωλύει προφητεύειν αὐτόν. Καὶ γὰρ καὶ ὁ Καϊάφας οὐκ ᾔδειμεν, ὃ λέγει. ἀλλὰ τὸ τῆς καρδίας αὐτοῦ μανιῶδες πρὸς μιαιφονίαν ἀνηρέθιστο, τὰ χείλη δὲ προφητείαν ἐξέφερον ἐν τῷ λέγειν· συμφέρει, ἵνα εἷς ἀποθάνῃ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. 2) Καὶ γὰρ εἰ μὴ Χριστὸς ἀπέθανεν ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐκ ἂν τὸ ἀνθρώπινον γένος ἐσώζετο. Εἰ γὰρ καὶ ἀνάξιος ἑκάτερος αὐτῶν προφητικοῦ χαρίσματος ἐτύγχανεν, ἀλλ᾽ οὖν τόγε τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα, καὶ τὸ τῆς βασιλείας ἔτι τινὸς χαρίσματος παραπήλαυεν, οὔπω τῆς κατὰ τοῦ δεσπότου μιαιφονίας τούτοις τετολμημένης. Ιδοις δ᾽ ἂν παραπλησίως τούτοις καὶ ἕτερά τινα κακούργῳ μὲν γνώμῃ καὶ ὁρμῇ μιαιφόνῳ προενηνεγμένα, πέρας δὲ προφητικὸν εἰληφέτα. ὡς, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ᾽ ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. 3) Καὶ γὰρ ἐπέπεσεν

Tandem

2) *Joan.* XI. 50.
3) *Matth.* XXVII. 25.

αὐτοῖς ἔσχατον ἡ τῶν αἱμάτων ἔκχυσις, καὶ ὁ διὰ ξίφους φόνος. καὶ, ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν ζῆν, πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτὸν, καὶ ἐλεύσονται οἱ Ρωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν τὸ ἔθνος, καὶ τὴν πόλιν. 4) καὶ γὰρ ἀφῆκαν καὶ ἄκοντες ζῆν. οὐ γὰρ ἠδύναντο κύριοι καταστῆναι τοῦ τῆς ζωῆς ταμείου, καὶ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα. Διὸ τὴν μὲν πονηρὰν καὶ μιαιφόνον ἐνέφηναν γνώμην, τοῦ δὲ σκοποῦ μὴ τυχόντες ἀπώλοντο καὶ αὐτοὶ, καὶ τὰ γένη, καὶ ὁ ναὸς, καὶ ἡ πόλις. ὃν δὲ ἔδοξαν ἀνελεῖν, τοῦτον ζωῆς χορηγὸν καὶ ζωοποιοῦντα τοὺς νεκροὺς τὰ ἔθνη δεξάμενοι, καὶ τὴν ἐκ νεκρῶν αὐτοῦ προσκυνοῦντες ἀνάστασιν, θεὸν ἴσασιν ἀληθινὸν ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ γένους ἐνανθρωπήσαντα, καὶ λατρεύουσιν εἰλικρινῶς καὶ θειάζουσιν. Καί γε δὴ καὶ οἱ Ρωμαῖοι ἐπιστάντες αὐτοῖς πολέμῳ, τήν τε πόλιν κατεστρέψαντο, καὶ τὸν ναὸν κατηρήμωσαν, 5) καὶ τῷ διὰ ξίφους θανάτῳ τὸ ἔθνος ὑπήγαγον. Ευρήσεις δὲ καὶ ὄνον ἐν τοῖς γράμμασι τοῖς παλαιοῖς προμανθάνουσάν τε καὶ προδιδάσκουσαν τὰ ἐσόμενα. 6) ἐξ ὧν ἁπάντων οὐδὲν κωλύον θεωρήσεις, καὶ τὸν Ηρώδην εἰπεῖν κατὰ προφητικὸν τύπον τὰ πρὸς τοὺς μάγους εἰρημένα.

Tandem enim ſanguinis effuſio, & cædes, gladiis facta, eos opprimebat. Nec minus illud : *ſi eum vivere patiamur, omnes in eum credent, tunc venient Romani, gentemque noſtram & urbem delebunt.* Nam etiam inviti vivere eum patiebantur, cum non poſſent in eum dominari, qui vitæ erat penu, & omnia vivificabat. Propterea malum quidem & ſanguinolentum animum prodebant, ſcopo vero fruſtrati, & ipſi & tota gens, & templum, & urbs peribant. Quem vero ſibi e medio tollere videbantur, hunc gentes, tanquam vitæ auctorem, & mortuos vivificantem, recipientes, ejuſque ex mortuis reſurrectionem religioſe venerantes, eundem, ut verum Deum, in ſalutem generis humani hominem factum, agnoſcunt ſincereque colunt & reverentur. Ab altera vero parte Romani, bello in illos moto, & urbem evertebant, & templum devaſtabant, gentemque omnem gladio perimebant. Videas vero etiam aſinam in libris V. T. repræſentari futura & edoctam & prænunciantem. Ex his omnibus intelliges, nihil obſtare, quo minus Herodes Prophetico more ad Magos locutus cenſeatur.

4) *Joan.* XI. 48.
5) Ita ſcribo pro κατηρήπωσαν.
6) Reſpicit aſinam Bileami Num. XXII. 23.

QUÆST. CXXI.

Quare præcurſor (Joannes) *Herodem reprehendit?*

Præcurſor & Baptiſta Joannes Herodem, tanquam in peccatum ruentem, recte reprehendebat. Quamvis enim alienigena eſſet, Herodis antiquioris nepos, Judæis tamen imperabat, & ad Judæorum leges ac inſtituta vitam componebat, neque adeo per leges fieri poterat, ut Herodiadem, quæ ex fratre pepererat, uxorem duceret. Lex enim, mortuo ſine relictis filiis fratre, fratri alteri conſuetudinem cum uxore demortui integram facit, *ut* ſcilicet *fratri ſemen excitet*. Semine vero & maſculo relicto, prohibitum erat cum ejuſmodi uxore conjugale commercium. Præcurſor itaque in Herodem animadvertit, non tam ipſius ratione habens, quam ad vulgus emendandum reſpiciens. Quando enim ea, quæ ab imperantibus & Regibus prave patrantur, ſine animadverſione prætermittuntur, ſubjectorum vulgus ad illorum imitationem facile abripitur. Quando vero illi a facinoribus ejuſmodi prohibentur, ſubjectos quoque ab illis diligentius ſibi cavere neceſſe eſt. Venit præterea in mentem recordari ex Vete-

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΚΑ.

Διὰ τί ὁ Πρόδρομος ἐλέγχει τὸν Ηρώδην;

Ο δὲ Πρόδρομος καὶ Βαπτιστὴς Ιωάννης ἐλέγχει τὸν Ηρώδην δικαίως εἰς παρανομίαν ἀποκλίναντα. Καὶ γὰρ εἰ ἐξ ἀλλοφύλων κατήγετο, ἀπόγονος ὢν τοῦ παλαιοῦ Ηρώδου, ἀλλ᾽ οὖν Ιουδαίων τε ἐβασίλευεν, καὶ τοῖς Ιουδαίων ἐπολιτεύετο νόμοις, καὶ ἔθεσιν, καὶ οὐκ ἐξῆν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἀδελφοῦ παῖδα ἔχουσαν τὴν Ηρωδιάδα εἰς γάμον ἀναλαβεῖν. ὁ γὰρ νόμος, ἄπαιδος μὲν τοῦ ἀδελφοῦ τελευτήσαντος, ἐπιτρέπει τὴν πρὸς τὴν γυναῖκα τούτου συνάφειαν, ἵνα, φησὶν, ἐγείρῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ. 1) καταλελειμμένου δὲ σπέρματος καὶ γονῆς, ἀποτρόπαιον ἦν ἡ 2) πρὸς τὴν νύμφην ὁμιλία. Καὶ τὸν ἔλεγχον ὁ Πρόδρομος ποιεῖται, οὐ τοσοῦτον κηδόμενος ἐκείνου, ὅσον τὸ πλῆθος διορθοῦσθαι πρόνοιαν ποιῶν. Καὶ γὰρ τῶν τοῖς ἄρχουσι καὶ βασιλεῦσι πλημμελουμένων ἀνεπιτιμήτων μενόντων, ἑτοίμως τὸ πλῆθος πρὸς τὴν μίμησιν παρακαλεῖται. ἐκείνων δὲ τῆς πράξεως ἀναχαιτιζομένων, ἀναγκάζεται καὶ τὸ ὑπήκοον εὐλαβέστερον πρὸς τὰς παρανομίας διακεῖσθαι. Περίεστι δέ μοι καὶ εἰς μνήμην νυνὶ παλαιὰ ἱστο-

ris

1) *Geneſ.* XXXVIII. 8.
2) ἡ *Colb.* pro καὶ.

ρίας ἀνάγνωσις, 3) ὡς καὶ τῷ ἀδελφῷ ὥσπερ ὁ πρὸς τὴν ἐκείνου γυναῖκα ἔρως μὴ 4) ἀνακόπτοιτο. Καὶ δι᾽ ἄμφω ταῦτα σταθερώτερόν τε καὶ παῤῥησιαστικώτερον ὁ Πρόδρομος εἴη τῷ Ηρώδῃ προσφερόμενος τὸν ἔλεγχον.

ris Teſtamenti lectione, fratri quoque amorem in fratris uxorem eſſe prohibitum. Vtrumque horum effecit, ut Præcurſor tanto conſtantius & liberius in Herodem animadverteret.

ΕΡΩΤ. ΡΚΒ.

Πῶς νοητέον τό· 1) ἐν γεννητοῖς γυναικῶν μείζων Ιωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ οὐκ ἐγήγερται.

QVÆST. CXXII.

Quomodo accipiendum eſt illud: *Inter natos ex mulieribus major Joanne Baptiſta non ſurrexit.*

Περὶ τοῦ ἐν γεννητοῖς γυναικῶν μὴ ἐγηγέρθαι μείζονα Ιωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ, καὶ ὅπως ὁ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μείζων αὐτοῦ ἐστιν, εἴρηται μέν μοι καὶ ἀλλαχοῦ. 2) Ουδὲν δὲ κωλύει τῆς ὑμῶν αἰτήσεως χάριν ἐκεῖνο διαλαβεῖν, ὡς ἡ διάνοια τοῦ ῥητοῦ, μὴ ἐγηγέρται ἐν τῷ νόμῳ παρίστησι μείζονα προφήτην αὐτοῦ. Καὶ γὰρ πλησιαίτατός τε κατὰ τοὺς χρόνους γέγονε τοῦ Χριστοῦ, καὶ φωνὴ βοῶντος 3) ἀναγέγραπται, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου, διασαλπίζουσα. Φησὶ δ᾽ οὖν καὶ τὸ γράμμα, ὡς αὐτοῦ μὲν μείζων ἄλλος οὐκ ἐγήγερται. οὐ συναναγκάζει δὲ νοεῖν, ὡς οὗτος τῶν ἁπάντων εἰς βαθμὸν ἀνέδραμε μείζονα. Τὸ δὲ μὴ 4) μείζονα

De eo, quomodo inter natos ex mulieribus nemo, Joanne Baptiſta major, exſtiterit, & quomodo minimus in regno cœlorum illo major eſſe dicatur, alibi a me diſputatum eſt. Nihil vero prohibet, quo minus ad petitum veſtrum denuo moneamus, dictum illud hoc ſibi velle, quod in Veteri Teſtamento non ſurrexerit Propheta, ipſo major. Ille enim quod ad tempus Chriſto proximus erat, & vocabatur *vox clamantis: parate viam Domini,* pronuncians. Scriptura itaque ait, quod nemo illo major ſurrexerit; non vero ideo cogitare nos jubet, quod idem in gradum, ceteris omnibus altiorem, fuerit evectus. Hoc vero, quod

 Præ-

3) *Levit.* XVIII. 16.
4) Τὸ μὴ alieno loco poſitum eſt, & rectius omittitur.
1) *Matth.* XI. 11.
2) Idem ſcilicet argumentum *Photius* perſequitur, ſed alia quadam ratione, in epiſtola CXXXV. quæ ipſa totidem verbis in *Amphilochiis* extſtat num. CLXVI.
3) *Matth.* III. 3.
4) μὴ illud expungere res ipſa jubet. Natum illud videtur ex prima ſyllaba vocis μείζονα, quæ, ratione pronunciationis tunc receptæ, cum voce μὴ eadem eſt.

Præcurſor aliis omnibus major ſit, non prohibet, quo minus multi alii æquales ipſi habeantur.

τὸν Πρόδρομον τῶν ἄλλων εἶναι, τοῦτο οὐδὲν κωλύει πολλοὺς συνδραμεῖν αὐτῷ πρὸς ἰσότητα.

Alterum vero illud: *minimus vero, major illo eſt*; alii quidem de Chriſto accipiunt, qui, quamvis Dominus eſſet, ætate tamen corporisque ſtatura & vulgi judicio eo tempore minor haberetur. Ego vero ut alibi de hoc momento ſententiam dixi, ita huic expoſitioni phraſin: *inter natos ex mulieribus*, adverſari exiſtimo. Chriſtus enim non ex muliere ſimpliciter, ſed ex virgine natus eſt: virgo vero mulier proprie appellari non poteſt, niſi vocem eo ſignificatu induere velis, quo divus Paulus uſus eſt, dicens: *natus ex muliere.* Cum igitur Chriſtus ex virgine, non autem proprie ex muliere, natus ſit, merito quidem a comparatione, cum *Joanne* inſtituenda, diſtinxiſſe ſe exiſtimabitur.

Τὸ μέντοι· ὁ δὲ μικρότερος αὐτοῦ μείζων αὐτοῦ ἐστιν, οἱ μὲν ἐξειλήφασιν περὶ τοῦ Χριστοῦ, χρόνῳ τε καὶ τῇ τοῦ σώματος ἀναδρομῇ, καὶ τῇ τῶν πολλῶν ὑπολήψει κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ τὸ μικρότερον ἀποφέροντος τοῦ δεσπότου. Ἐμοὶ δὲ τοῦτο καὶ ἀλλαχοῦ τῆς πρεπούσης διαίτης ἠξίωται, 5) ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν γεννητοῖς γυναικῶν ἔχει τι ἀντιπίπτον τῇ προειρημένῃ ἀναπτύξει. Οὐ γὰρ ἐκ γυναικὸς ἁπλῶς γεγένηται ὁ Χριστὸς, ἀλλ᾽ ἐκ παρθένου. ἡ δὲ παρθένος οὐκ ἂν κυρίως κληθείη γυνὴ, εἰ μή τις ἐθέλοι τῷ ῥήματι καταχρήσασθαι, ὡς που καὶ ὁ θεσπέσιος Παῦλος φησί· γενόμενος ἐκ γυναικός. 6) ἐκ παρθένου οὖν ὁ Χριστὸς προελθὼν, ἀλλ᾽ οὐ κυρίως ἐκ γυναικὸς, ἑαυτὸν ἂν 7) ἔξω τάττοι τῆς πρὸς τὸν Ἰωάννην συγκρίσεως.

Alii vero contendunt, minorem in regno cœlorum hoc loco eum dici, qui gratiæ Novi Fœderis factus ſit particeps: hoc ſcilicet ſenſu, neminem ex iis, qui ſub Lege geniti ſint, hominibus Joanne majorem eſſe; ex iis vero, qui poſt Gratiam prædicatam exſtiterint, etiam minimum

Ἕτεροι δέ φασι μικρότερον ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν ἐνταῦθα εἰρῆσθαι τὸν ἀξιωθέντα τῆς χάριτος, ἵνα εἴη τοιοῦτον ὁ νοῦς, τῶν μὲν κατὰ νόμους γεγονότων ἀνθρώπων οὐδεὶς ἂν εἴη τοῦ Ἰωάννου μείζων. Τῶν δὲ μετὰ τὴν χάριν ἀναφανέντων ἔσον ἐπὶ τῷ ἀξιωθῆναι, ὧν ἐκεῖνος οὐκ ἔφθασε τυχεῖν, κατὰ τοῦτο τὸ

priores

5) Vid. epiſtolam modo appellatam p. 181. edit. Montacutianæ.
6) *Gal.* IV. 4.
7) ἂν eſt ex *Colb.*

κατ᾽ αὐτοῦ μεῖζον ὁ μικρότερος ἀπενέγκοιτο ἄν. Καὶ γὰρ ὁποῖος ἄν τις ὢν ἐν τοῖς τύποις καὶ τοῖς προχαράγμασιν κατὰ μέγεθος καὶ δόξαν προκριθῇ, οὗτος τῶν ἐν τῇ ἀληθείᾳ καὶ αὐτοῖς τοῖς πράγμασι συντεταγμένων τε καὶ ἀναφανέντων οὐδὲ τοῦ τὴν ἐσχάτην δοκοῦντος τάξιν ἐπέχειν εἰς ἰσότητα λόγον εὑρήσει. Ει γὰρ καὶ ὁ Ιωάννης αὐτόπτης γέγονε τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῷ τοῦ βαπτίσματος μυστηρίῳ ὑπηρετήσατο, καὶ μάρτυς διαπρύσιος τοῦ ἀμνοῦ, τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, κατέστη. ἀλλ᾽ οὐκ 8) ἔτι τοῦ νόμου καὶ τῆς σκιᾶς ἐν τοῖς λειψάνοις σωζομένης, καὶ μήπω καθαρῶς καὶ τελείως τῆς χάριτος ἀναλαμψάσης, αὐτὸς μετέστη τοῦ βίου. Επεὶ γὰρ τό, τε οἴκημα ᾤκησε, καὶ τὴν ἐπ᾽ ἐλέγχῳ τῆς τῶν Μωσαϊκῶν νόμων παραβάσεως ἄδικον ὑπέστη σφαγὴν, μετὰ ταῦτα ἤρξατο ὁ Κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς κηρύττειν τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. καὶ διὰ τοῦτο, ὅσοι τε δι᾽ ὕδατος καὶ πνεύματος ἀνεγεννήθησαν, καὶ τῆς ἐπιφοιτήσεως καὶ τῶν χαρισμάτων τοῦ παρακλήτου ἠξιώθησαν, τούτων οὐκ ἄν τις τὰ δευτερεῖα σχοίη τοῦ Ιωάννου. Αλλὰ γὰρ καὶ ὁ τὴν τελευταίαν τάξιν λαχὼν τὸ κατ᾽ αὐτοῦ μεῖζον ἀπενέγκοι. καὶ εἰ μή τις ἐκλάβοι τῶν πρὸ τῆς χάριτος 9) μηδένα

priores partes in tantum tenere, in quantum iſtis mactatus eſt bonis, quorum ille (*Joannes*) non ante factus ſit particeps. Si quis enim ratione typorum & præludiorum dignitate & prærogativis maximus habeatur, idem tamen, habito ad res ipſas, quæ opere ipſo ſe ſiſtunt & conſpiciuntur, reſpectu, nunquam cauſam invenerit, cur ſe cum eo, qui minimum etiam locum tuetur, comparet. Quamvis enim *Joannes* Chriſtum ipſum viderit, ſacrique lavacri myſterium adminiſtrarit, agnique, peccata mundi tollentis, teſtis exſtiterit non inficiandus; idem tamen eo tempore, quo Lex & umbræ adhuc erant ſuperſtites, nec gratia clare pleneque eluxerat, ex vita exceſſit. Cum enim in carcere verſaretur, & cædi non promeritæ, propter animadverſionem in violatas leges Moſaicas, jam ſubjectus eſſet, tum demum Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, regnum Dei prædicare incipiebat. Propterea nemo eorum, qui ex aqua & Spiritu regenerati erant, & Paracleti acceſſu donisque digni habebantur, ſecundas à *Joanne* partes tenere judicari poſſit. Imo vero etiam is, qui infimum locum occupet, illius reſpectu primum tuebitur. Niſi porro quis ſtatuat, Chri-

 ſtum

8) Legendum puto ὢν.
9) τῶν πρὸ τῆς *Colb.* pro, τῆς πρώτης.

ſtum id ſibi velle, quod nemo eorum, qui ante Fœdus gratiæ fuerint, major ſit Joanne, malitque dictum Domini de omnibus hominibus ſimpliciter accipere, commodum tibi fuerit eundem etiam Deiparæ, Dominæ noſtræ celebratiſſimæ, & principibus Apoſtolis præferre. Id vero ſana ratio nunquam permiſerit. Sed hoc argumentum, alias debito examini à me ſubjectum, nunc quidem diligentius tractari non poteſt.

εἶναι μείζονα τοῦ Ἰωάννου ἀνειπεῖν 10) τὸν Χριςὸν, ἀλλ᾽ ἁπλῶς κατὰ πάντων ἐξενηνέχθαι τὴν ἀπόφασιν τὴν δεσποτικὴν, ὥρα 11) σοι καὶ τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου τοῦτον ἐπίπροσθεν ἄγειν, καὶ τῶν κορυφαίων ἀποςόλων, ὃ οὐκ ἄν τις ἐπιτρέψειε λογισμός. πλὴν καὶ ὁ περὶ τούτου λόγος, τῇ προσηκούσῃ μοι πάλαι διαίτῃ ὑποβληθεὶς, τὴν νῦν ἀκριβολογίαν δυσχεραίνει.

QVÆST. CXXIII.

Quare in ſalutari perpeſſione Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, lancea confosſus eſt?

Chriſtus, Deus noſter, in ſalutari perpeſſione quod ad latus confoditur. Hoc ipſo vero duos nobis baptiſmos condidit & præſignificavit, aquæ alterum, alterum ſanguinis. Neque enim iſta naturæ quodam ordine & nexu ex latere, ſalutem pariente, fluxerunt. Poſt obitum enim vulnus hoc inflictum eſt, & poſt vulnus ex latere flumina illa manarunt. In latere vero, neque alia corporis parte vulnus accepit, quia ex latere quidem Adami nata eſt uxor, per illam

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΚΓ.

Διὰ τί κατὰ τὸ σωτήριον πάθος ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριςὸς λόγχῃ νύττεται; 1)

Λόγχῃ νύττεται τὴν πλευρὰν κατὰ τὸ σωτήριον πάθος Χριςὸς, ὁ θεὸς ἡμῶν. Τοῦτο μὲν ἡμῖν δύο βαπτίσματα καινουργούμενός τε καὶ προτυπῶν, ἓν μὲν τὸ δι᾽ ὕδατος, ἕτερον δὲ τὸ δι᾽ αἵματος. Καὶ γὰρ οὐδ᾽ εἱρμῷ καὶ ἀκολουθίᾳ τῆς φύσεως ἀπεῤῥυήκει ταῦτα τῆς σωτηρίου πλευρᾶς. μετὰ γὰρ τὸν θάνατον γέγονεν ἡ πληγὴ, καὶ μετὰ πληγὴν βλύζει τὰ νάματα ἡ πλευρά. ἐν τῇ πλευρᾷ δὲ 2) καὶ οὐκ ἐν ἑτέρῳ μέρει δέχεται τὴν πληγὴν, διότι ἐκ πλευρᾶς μὲν τοῦ Α-

vero

10) Sic *idem* pro ἂν εἰπεῖν.
11) ὥρα ſcribo, pro ὅρα.
1) *Joan.* XIX. 34.
2) δὲ, ex *Colb.*

δὰμ ἐπλάσθη ἡ γυνὴ, δι' αὐτῆς δ' ἁμαρτία ἐπράχθη τῷ Ἀδάμ. Πλήττεται οὖν Χριστὸς, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ νέ☉ Ἀδὰμ, τὴν πλευρὰν, ὥσπερ διὰ τῆς πληγῆς ἀναιρῶν τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τὸν Ἀδὰμ ἀπαλλάττων τοῦ διὰ τῆς πλευρᾶς αὐτῷ περιγεγονότ☉ ὀλισθήματος, ὡς ἂν κἀνταῦθα πληρούμενον εἴη τὸ, ὅπου ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, 3) τουτέστιν ἐν τῇ Ευα, ἥτις γέγονεν ἐκ πλευρᾶς τοῦ Ἀδὰμ, ἐκεῖ ἐπερίσσευσε ἡ χάρις, οἷον ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ πλευρᾷ. περισσεύει μὲν γὰρ ἐν ἐκείνῃ τῇ πλευρᾷ ἡ ἁμαρτία, ὅτι ἐκεῖθεν ἔφυ τὸ κακόν. περισσεύει δὲ πάλιν ἐν τῇ δεσποτικῇ πλευρᾷ ἡ χάρις, ὅτι οὐ μόνον ἡ τῆς ἁμαρτίας ἐν ταύτῃ γέγονεν ἀναίρεσις καὶ πληγὴ, ἀλλ' ὅτι καὶ ἡ τῆς σωτηρίας πηγὴ καὶ κάθαρσις ἐξ αὐτῆς ἀνέβλυσεν καὶ μένει, μὴ κενουμένη διὰ παντός. Ιασις οὖν γίνεται λοιπὸν ἡ πλευρὰ τῆς πλευρᾶς, ἡ πληγεῖσα λόγχῃ τῆς πληγείσης ἁμαρτίᾳ.

vero eidem peccatum eſt conciliatum. Chriſtus itaque, Deus noſter, novus Adamus, in latere vulneratur, tanquam qui per latus peccatum expiet, & Adamum a peccato, per latus ad ipſum perlato, liberet, ut ita hac etiam parte impleatur illud: *ubi abundavit peccatum*, nempe apud Evam, quæ facta eſt ex latere Adami, *ibi etiam abundavit gratia*, nempe in latere Chriſti. In latere enim illo peccatum abundat, quod inde ortum eſt malum: viciſſim vero in Domini latere abundat gratia, quod in illo peccatum non tantum finem & vulnus accepit, ſed ex eodem quoque fons ſalutis & purgatio fluxit, & tanquam nunquam abolenda perſeverat. Latus itaque lateri ſanationem præſtat, latus nempe, lancea perfoſſum, lateri per peccatum vulnerato.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΚΔ.

Τί ἐστι· 1) Κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην· 2) καὶ, εἰ ἔλαβεν πέρας ἡ εὐχή;

QVÆST. CXXIV.

Quid ſignificat illud: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum; *& an eventu ſit confirmata hac precatio?*

Dictum

3) *Rom.* V. 20.

1) De eodem loco vide *Photium* epiſtola CXLVI. ubi tamen illum non tam explicat, quam in uſum adverſus inimicum aliquem convertit.

2) Verba ſunt Stephani *Act.* VII. 60. ſimilia illis, quæ Dominus, ex cruce pendens, pronunciabat: πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι, τί ποιοῦσι. Vtrumque locum *Photius*, hæc ſcribens, in mente habuit. Vtrumque etiam in ep. CXLVI. conjungit: Κύριε, μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην, οὐ γὰρ οἴδασι, τί ποιοῦσι. Novum hoc eſt exemplum, Noſtrum non admodum accuratum in excitandis Scripturæ oraculis fuiſſe; quod & alias ipſi uſu veniſſe, ex ſuperioribus conſtat.

Dictum illud : *ne ſtatuas illis peccatum hoc*, &c. non quidem, quod exiſtimare aliquis poterat, exitum habuit, neque precatio illa eventu confirmata eſt. Dominus enim noſter, hominum amantiſſimus, generiſque noſtri Salvator, precatur, ne ſtatuatur hoc peccatum illis, qui ſe crucifixerint, primum quidem ideo, ut humanitatis nobis & mutuæ benevolentiæ exemplum ſiſtat, ut ne in illos quoque, qui mortem nobis machinari videntur, ira, excandeſcentia & diris invehamur. Deinde vero precatur etiam, ne illis ſtatuatur hoc peccatum, qui deſiſtant à malo, nec porro in idem protervitatis & improbitatis culmen evehantur. Jam, qui deſtiterunt à malitia, illis pœna commiſſi criminis non inflicta eſt. Multi enim Judæorum non ſolum veniam nacti ſunt, ſed & veritatem poſtea edocti, & pietatis ſtudio ducti, filii & heredes regni cœleſtis evaſerunt. Qui vero ab impietatis ſtudio provehendo ſibi non temperarunt, ſed cædes cædibus cumularunt, in maximam amentiam ſunt prolapſi. Atque illi quidem merito pœnas dederunt. Nihilominus tamen hæc Salvatoris noſtri pre-

Τὸ δὲ, Κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἑξῆς, οὐχ, ὡς ἄν τις ἁπλῶς οἰηθείη, * ἐκβέβηκεν εἰς πέρας, οὐδὲ τὸ τέλος ἀπείληφεν ἡ εὐχή. Εὔχεται μὲν γὰρ ὁ φιλάνθρωπος ἡμῶν δεσπότης, καὶ τοῦ γένους σωτὴρ, μὴ στῆναι τοῖς σταυρώσασιν τὴν ἁμαρτίαν, τοῦτο μὲν ὑπογράφων ἡμῖν φιλανθρωπίας τύπους καὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους εὐνοίας, ἵνα μηδὲ κατ' αὐτῶν τῶν δοκούντων φονᾷν καθ' ἡμῶν, εἰς θυμοὺς ἐφερόμεθα, 3) καὶ ὀργὰς, καὶ ἀράς. ἔπειτα δὲ μὴ στῆναι μὲν αὐτοῖς ἐπεύχεται τὴν ἁμαρτίαν, ἱσταμένοις τοῦ κακοῦ, καὶ μὴ πόῤῥωτέρω φερομένοις ἐπὶ τὸν αὐτὸν τῆς ἀσελγείας τε καὶ παρανομίας κρημνόν. καὶ ὅσοι γε ἔστησαν τοῦ κακοῦ, οὐκ ἐπέστη αὐτοῖς οὐδ' ἡ τῶν ἁμαρτηθέντων δίκη. Πολλοὶ γὰρ ἐκ τῶν Ἰουδαίων οὐ μόνον τῆς συγγνώμης ἀπήλαυσαν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀλήθειαν μεταμαθόντες, προσδεδραμηκότες τῇ εὐσεβείᾳ, υἱοὶ καὶ κληρονόμοι τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἐπεδείχθησαν. ὅσοι δὲ τῆς πρόσω τῶν κακῶν οὐκ ἔστησαν φορᾶς, ἀλλὰ μιαιφονίας ἐπὶ 4) μιαιφονίας προστιθέντες, εἰς ἔσχατον ἐξώκειλαν ἀπονοίας, οὗτοι μὲν δικαίως τὴν δίκην ἀπέτισαν. 5) οὐδὲν δὲ ἧττον ἡ τοῦ Σωτῆρος εὐχὴ ἔμεινεν μὴ διαπεσοῦσα

catio

* Codex habebat iterum οὐκ, ante ἐκβέβηκεν, quod omiſi.
3) Malim φερώμεθα.
4) μιαιφονίαις ἐπὶ, ex *Colb.*
5) *idem* pro ἀπέτισαν.

τοῦ σκοποῦ. Οιδα δέ τινας καὶ ἑτέραν τοιαύτην ὑποβαλλομένους διάνοιαν τῷ ῥητῷ, ὅτι περ οἱ ςαυροῦντες τὸν Χριςὸν καὶ παρόντες τῷ πάθει, οὐχὶ τῶν Ιουδαίων ἦσάν τινες, Ρωμαῖοι δὲ μᾶλλον καί τινες ἐξ ἑτέρων ἐθνῶν, τῶν Ιουδαίων Φηναμένων, ὡς κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀΦείλει ἀποθανεῖν, ἡμῖν δὲ οὐκ ἔξεςιν οὐδένα ἀποκτεῖναι. 6) Ειτα καὶ τῷ Πιλάτῳ παραδεδωκότων τὸν Χριςὸν οἱ Ρωμαῖοι ςρατιῶται καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν ὑπηρετοῦντο λοιπὸν τοῖς πραττομένοις κατὰ Χριςοῦ. Καὶ γὰρ ἐν τῇ προδοσίᾳ τοῦ δεσπότου ἅτε δὴ ὑπόΦοροι ὄντες οἱ Ιουδαῖοι Ρωμαίοις, καὶ οὐκ ἐξὸν αὐτοῖς πράττειν, ἅ ἠβούλοντο, αὐτοὶ μὲν κατὰ μόνας οὐκ ἐτόλμων παρεῖναι τῇ συλλήψει, τὴν δὲ σπεῖραν καὶ τὸν χιλίαρχον αὐτοῖς συνεπεΦέροντο. Ο οὖν Κύριος ἡμῶν, Ιησοῦς Χριςὸς, ὁ περὶ τὸ ἀνθρώπινον γένος Φιλάνθρωπος, καὶ τοῦ οἰκείου πλάσματος προνοούμενος, τὴν βούλησιν αὐτοῦ καὶ τὴν Φιλανθρωπίαν εἰς εὐχῆς σχηματίζων τύπον, Φησίν· μὴ ςήσῃς. αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. εἶτα, οὐ γὰρ οἴδασι, τί ποιοῦσι. Τῷ ὄντι γὰρ τό, τε Ρωμαίων ςίΦος, καὶ οἱ ἐξ ἐθνῶν οὐκ ὄδασιν, ἅ πράττουσιν. οὐδὲ γὰρ ἦσαν μεμυςαγωγημένοι, ἅ ὁ νόμος προανεκήρυττε, καὶ οἱ προΦῆται περὶ αὐτοῦ. Προσεύχεται οὖν ὑπὲρ τῶν Ρωμαίων, Φασὶ, καὶ τῶν ἐθνῶν, καὶ αὐτίκα τῆς εὐχῆς

catio rata fuit, nec ſcopo ſuo excidit. Novi quidem, nonnullos alium ſenſum dicto huic ſubjicere, quod nempe illi, qui Chriſtum crucifigebant, & perpeſſioni ejus aderant, non ex Judæis fuerint, ſed Romani potius, & ex aliis gentibus orti, cum Judæi profeſſi fuerint, Chriſtum ſecundum legem ſuam mori debere, ſibi vero non licere quenquam occidere. Poſtquam etiam Chriſtum Pilato tradiderunt, milites Romani & Gentilium alii eorum, quæ poſtea in Chriſtum patrabantur, adminiſtri erant. Cum enim Chriſtus prodendus eſſet, Judæi, tanquam Romanis ſubjecti, nec ea, quæ vellent, perficere valentes, non audebant ſoli capturam ejus ſuſcipere, ſed cohortem potius & tribunum aliquem, ſibi jungebant. Propterea Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, tanquam humani generis amantiſſimus, & creaturæ ſuæ proſpiciens, benignitatem & humanitatem ſuam quadam precationis formula expreſſurus, dicit: *ne ſtatuas illis hoc peccatum;* & poſtea addit: *neque enim ſciunt, quæ faciunt.* Vere enim & Romanorum turma & Gentiles ceteri neſciebant, quid facerent. Neque enim ea erant edocti, quæ Lex & Prophetæ de eo prænunciaverant. Precatur itaque, inquiunt illi, pro Romanis, & Gentilibus ceteris,

6) *Joan.* XVIII. 31.

teris, & precationis hujus fructus mox apparuit. Ita enim ipſo perpeſſionis tempore centurionem videas crucifixum illum Dei filium profiteri, paulo poſt vero *Longinum* illum, virum admirandum, non profiteri ſolum & credere in Chriſtum, ſed & martyrium pro eo ſuſtinere, fideique ſuæ ſinceritatem nunquam temerandam teſtatam facere. Multos præterea alios ex iis, qui tunc præſentes erant, in filiorum Dei numerum receptos, atque adeo regno æterno non privatos inveneris.

φαίνεται ὁ καρπός. Ἴδοις γὰρ ἐν αὐτῷ τῷ τȣ̃ πάθȣς καιρῷ τὸν ἑκατόνταρχον, υἱὸν Θεȣ̃ ἀναβοήσαντα τὸν ἐςαυρωμένον. 7) *καὶ μετ᾽ ὀλίγον Λογγῖνον* 8) *ἐκεῖνον, τὸν θαυμάσιον ἄνδρα, ȣ̓κ ἀνομολογήσαντα μόνον, καὶ πεπιςευκότα εἰς Χριςὸν, ἀλλὰ καὶ μαρτυρίȣ δρόμον ὑπὲρ αὐτȣ̃ ἀνειληφότα, καὶ αἵματι τὸ τῆς πίςεως εἰλικρινὲς καὶ ἀπαράτρωτον ἐπιδεδειγμένον. καὶ πολλȣ̀ς ἄλλȣς εὑρήσεις τῶν τότε παρόντων τῆς υἱοθεσίας ἠξιωμένȣς Θεȣ̃ καὶ τῆς αἰωνίȣ μὴ ἐκπεπτωκότας βασιλείας.*

QVÆST. CXLI.

Ad eundem Amphilochium de eo: Deum nemo vidit unquam.

Egregia tua induſtria & cura, ad ſapientiæ divinæque doctrinæ capita relata, non me ſolum ad idem ſtudium excitat, ſed & unicuique, ut puto, cui animus ab amore rerum præclararum alienus, non ſuadet, ut res amore indignas magni faciat, laude

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΜΑ.

Τῷ αὐτῷ Ἀμφιλοχίῳ· 1) Θεὸν ȣ̓δεὶς ἑώρακε πώποτε. 2)

Η καλή σȣ περὶ τὰ ȣ̔́τω σοφὰ καὶ θεῖα μαθήματα φιλοπονία καὶ σπȣδὴ, ȣ̓κ ἐμὲ μόνον πρὸς ἐπιςροφὴν αὐτῆς διανίςησιν, ἀλλὰ καὶ παντί γε οἶμαι, ὅτῳ μὴ πάνυ τῶν καλῶν ἕτερος ἔρως τὸ φίλτρον ἐκλύων ἀντεπέςησεν τὸ ἀνέρασον 3) *θειάζειν τε καὶ κινεῖν ἐπαίνȣ*

7) *Matth.* XXVII. 54.

8) Hoc nomine *Photius* vel ipſum illum centurionem intelligit, vel militem, qui latus Domini noſtri lancea confodit. Vterque enim ab aliis atque aliis Græcis Scriptoribus ita appellatur. Vide, quæ ſcripſi in his Curis ad *Matth.* XXVII. 54. & *Joan.* XIX. 34. Confer *Acta Sanctorum* Antvverpienſia menſe *Martio* Tom. II pag. 381. ſq ubi de centurione, & p. 376. ſeqq. ubi de milite.

1) *Amphilochius* hic *Cyzici* erat *Metropolita*, qui appellatur in epiſtolis Photii Montacutianis paſſim. Vide v c. p. 190 215 220. &c. Inſigne eſt, quod illi in hoc Reſponſo datur, elogium, ex quo tamen, ni fallor, recte colligas, eum tum temporis, cum Photius hæc ſcriberet, civile aliquod munus adminiſtraſſe.

2) *Joan.* I 18.

3) Sic ſcribo pro ἀνέραστος, & mox ἐπαίνȣ pro ἐπαίνῳ. Res per ſe patet.

ἄξια, καθίσαται. μάλισά γε ὅτι καὶ τοσαύτας φροντίδας ἐγκεχειρισμένος οὐκ ἐνδίδως, οἷς καθ᾽ ἑκάστην προνοούμενος ἐπαγρυπνεῖς, οὐδὲ πρὸς τὴν τῶν πόνων ἄνεσιν καὶ ψυχαγωγίαν ἀναφορᾷς, ἀλλὰ καὶ ἐπέκεινα τοὺς λογισμοὺς εἰς τὸ δρασήριόν τε καὶ τὸ τῇ πατρίδι συνοῖσον ἀντισρέφεις. καὶ τῶν οὕτω θαυμασῶν καὶ φιλοσόφων θεωρημάτων τὸ βάθος διερευνώμενος οὐκ ἀνίεις, ἕως ἂν, ὡς οἷόν τε ἐσὶν, εἰς αὐτὴν τῆς ἀληθείας ἀναδραμεῖν σοι περιγένοιτο τὴν κορυφήν. καὶ μακαρίζω τοὺς ὁρῶντας ἐπὶ σοὶ ταῦτα καὶ ἀκούοντας. καὶ τότε λαμβάνω συναίσθησιν τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπηρείας, καὶ οἵου με καλοῦ καὶ ἡδίσου θεάματος ὁ φθόνος ἐσέρησεν, ἐν πολιτείᾳ ὁρᾷν φιλοφίαν χορεύουσαν, καὶ τότε τὴν ἡμετέραν, καὶ ἧς ὁ καρπὸς τὰ οὐράνια. ἡμεῖς μὲν οὖν κατὰ τοὺς Αἰγιέας οὔτε τρίτος, οὔτε τέταρτος. 4) Εἰς ταύτην γὰρ τὰ ἡμέτερα τὴν λῆξιν. οὐκ οἶδα, τὸ φῦλον, 5) οὐκ οἶδα τὸ ὄσρακον, οὐκ οἶδα εἰ 6) τῷ καδίσκῳ διὰ τοῦ κημοῦ καθιεμένη 7) ψῆφος,

laude vero dignas averſetur, idem commendat. Idque tanto magis, quod tu quidem, tantis curis diſtrictus, nihil de ſtudio hoc remittis, quamvis illis quidem ſingulis curate invigiles, neque ad otium animique relaxationem ſpectes, ſed ea, quæ ad vitam activam ac patriæ commoda pertinent, etiam magis, quam meditationes tuas, urgeas. Neque vero à præclaris illis tuis & philoſophicis meditamentis penitus inveſtigandis prius abſtines, quam ad apicem veritatis, quoad ejus fieri poteſt, perveneris. Beatos igitur prædico eos, quibus hæc in te videre, & ex te audire licet. Tum vero etiam ſentio, quam ægre mihi fecerint inimici, & quam pulchro jucundoque ſpectaculo invidia me privarit, qui videre non poſſim Philoſophiam in media Republica chorum ducentem, & quidem noſtram, atque adeo talem, cujus fructus cœleſtia largitur. Nos quidem ad exemplum Ægieorum, nec tertium nec quartum locum tenemus.

4) Ita ſcripſi pro τρίτος οὔτε τέταρτος. Proverbium in ignavos & contemtos homines dici ſolitum, ſecundum oraculum illud, quod poſt alios recitat *Stephanus Byzant.* p. 36.

Ὑμεῖς δ᾽ Αἰγιέες οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι.

Vide ibi *Thom. de Pinedo* p. 36.

5) *Codex* habet φύλλον, quod, quomodo huc quadret, non video. Ex ſequentibus enim patet, agi heic de rebus ad forum pertinentibus. Itaque φῦλον ſcripſi, eo ſenſu, ut tribus vel ordo aliquis & claſſis hominum indicetur.

6) εἰ ſcripſi pro ἢ, ſicut mox ſequitur, εἴ τι.

7) *Coisl.* καθιεμένη, alter καθημένη, male. Indicatur mos veterum, ex quo judices calculos

in

mus. Ita enim res noſtræ comparatæ ſunt. Non novi ego tribum, non teſtam; non novi, num cado per ſpecillum immiſſa ſint ſuffragia; non novi, numquid aliud factum ſit. Oraculum enim illud Delphicum ut alias valere jubeo, ita ad me nihil attinet, niſi quod aliquid dictis ſimile, quod & ipſe facile fatearis, præſenti vitæ meæ conditioni acciderit. Cum literæ tuæ ad me perferrentur, adeo gravis me vexabat morbus, ut per dolores continuos non permitteret, ut ad petitionem tuam vel verbulum proferre poſſem. Cum eodem igitur adhuc conflictanti hoc unum dicere licet, quod Numen, omnes eſſentias ſuperans & incomprehenſibile, non hominum ſolum mentem & oculos, ſed & ſupernas illas Deoque proximas Poteſtates, quæ res naturales longo poſt ſe intervallo relinquunt, fugiat: idque non in hoc tantum ſæculo, quo corpuſculo, variis imbecillitatibus obnoxio, juncti ſumus, ſed & ſæculis futuris, quando nos, depoſitis ænigmatibus & perſpicillis, incorruptibile pro corruptibili induti, veritatem purius & perfectius perſpiciemus. Quid enim dicere attinet, quod neque Moſes, qui in tantum poteſtatis virtutisque gradum evectus eſt, ut, qui alias quoque

οὐκ οἶδα, εἴ τι ἄλλο. Τὸ γὰρ πυθόχρηστον λόγιον ἄλλως τε χαιρέτω, καὶ ὅτι οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, πλὴν ὅτι παραπλήσιον τι τῶν εἰρημένων, ὡς καὶ αὐτὸς ἂν φαίης, εἰς τὰ νῦν παρόντα τὸν ἡμέτερον βίον περιέστησεν. ἐμὲ μὲν, ὅτε τὸ γράμμα ἧκεν, νόσος ἐμάστιζε χαλεπὴ, μικροῦ μηδ' εἰπεῖν τι 8) πρὸς τὴν αἴτησιν ταῖς ἐπικειμέναις ἀλγηδόσι τὴν ἄδειαν ἐμπαρέχουσα. Ἀλλ' οὖν, ὡς ἐν νόσῳ πιεζόμενος, ἐκεῖνο ἂν φαίην, ὅτι τὸ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ὑπερούσιόν τε καὶ ἄληπτον οὐσίαν οὐκ ἀνθρωπίνην μόνον ὄψιν ϗ διάνοιαν ἐκφεύγει, ἀλλὰ καὶ αὐτὰς τὰς ἀνωτάτω καὶ πλησιαζούσας δυνάμεις, αἳ πολλῷ τῷ μέτρῳ ὑπερανεστήκασι φύσεως. οὐ κατὰ τὸν παρόντα μόνον καιρὸν, καθ' ὃν τῷ πολυπαθεῖ τούτῳ σαρκίῳ δεδέμεθα, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, ὅτε τὰ πολλὰ τῶν αἰνιγμάτων ϗ ἐσόπτρων ἀποσκευασαμένοις, καὶ τὸ ἄφθαρτον ἀντὶ τοῦ φθαρτοῦ περιβαλλομένοις καθαρώτερόν τε καὶ τελειότερον ἐναστράπτει ἡ ἀλήθεια. Τί γὰρ χρὴ λέγειν, ὡς οὔτε Μωσῆς, ὁ εἰς τηλικοῦτον ὕψος ἀρετῆς ἀναδραμὼν, ὥς τε τά τε ἄλλα τῶν παραδόξων χάριν ἔχων

in cadum demittebant per κημὸν, ſive vaſculum ex junco vel vimine textum, ſpecilli inſtar in ſummo latius, in imo anguſtius. Vide *Ludolph. Kuſterum* ad Ariſtophanis Equites v. 1147. p. 115. Adde Harpocrationem v. καδίσκος.

8) *Colb.* pro μὴ δυνηθεὶς τι.

εἶναι αὐτουργὸς καὶ γλώττῃ γεωργεῖν ὥσπερ ἄρουραν τὸν οὐρανὸν, καὶ τροφὴν αὐτόθεν αὐτοσχέδιον πολλαῖς μυριάσι ἐπαρκεῖν. οὔτε Ἠλίας ᾧ τοῦ πυρὸς ἡ φύσις, εἰς ἵππους ἐπιμερισθεῖσα καὶ ἅρματα, τὴν πρὸς οὐρανοὺς αὐτῷ καθυπηρετήσατο ἄνοδον. οὔτε τῶν θείων καὶ μακαρίων προφητῶν ὁ χορὸς, οὐμενοῦν οὐδεὶς ἔσχεν εἰς κατάληψιν ἐλθεῖν, τίς τε ἐστὶν καὶ ὅπως ἐστὶν ἡ ὑπερφυής τε καὶ ἀκήρατος φύσις θεότητος. Αλλὰ γὰρ ὅτι μὲν ἐστι καὶ ὑφέστηκεν, εἰς κατάληψιν ἡμῖν ἐχαρίσατο, εἰ καὶ τοῖς μὲν μᾶλλον ἐναυγάζει τὴν χάριν, τοῖς δὲ ἐπιδεέστερον κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἑκάστῳ τοῦ κατορθώματος. τί ποτε δέ ἐστιν, ἢ ὅπως ποτέ ἐστιν, οὐδενὶ τῶν ἁπάντων ἑαυτὴν ἀπεγύμνωσεν, ἀλλὰ καὶ τῶν εἰρημένων ἁγίων ἔμπροσθεν Μωσῇ ἐπιποθήσαντι τὸ ἀθέατον οὐ δεδώρηται. παραμύθιον δὲ πόθου τοῦ ἀτυχήσαντος τῆς σαρκώσεως, καὶ τότε διὰ συμβόλων καὶ τύπων ἐκκαλύπτεται τὸ μυστήριον. τοῖς δὲ ἐν τύποις τε καὶ ὁμοιώμασιν, ὅσα ἐστὶν ἰδεῖν ἀνθρώπῳ δυνατὰ, τὴν οἰκείαν δόξαν τὸ θεῖον ἐνήστραψεν. ὅτι δὲ θεὸν ἀνθρώπων οὐδεὶς ἑώρακεν, οὔτε δυνήσεται ἰδεῖν, γέμει μὲν τῆς μαρτυρίας τὰ παλαιὰ καὶ ἱερὰ γράμματα, γέμει δὲ ἡ χάρις. καὶ βίβλος ἂν ὁλόκληρος εἴη ἡ τῶν ἐπιμαρτυρομένων λογίων τὴν γνῶσιν παρά-

quoque miracula edendi facultate valeret, lingua ſua cœlum, inſtar terræ, colere atque inde multis hominum millibus cibum ſponte & ſubito natum ſubminiſtrare poſſet; neque Elias, cui ignis natura, equorum & currus vices præſtans, aditum in cœlum paravit; neque divinorum & beatorum Prophetarum chorus intelligendo adſequi potuerit, quæ & qualis ſit ſupernaturalis illa & perfectiſſima Summi Numinis natura. Quod tamen & ſit, & perſiſtat, id quidem noſſe nobis dedit; quamvis alios largius, alios parcius pro modulo, cuique accommodato, gratia ſua colluſtret. Quæ vero illa Numinis natura ſit, aut qualis tandem ſit, nemini omnium patere voluit; quod nec Moſi ipſi, qui ante ſanctos illos, quos diximus, viros inviſibilem videre cupiebat, conceſſum eſt. In ſolatium tamen deſiderii, quod in conſpectum incarnationis fruſtra ferebatur, etiam tunc myſterium illud per ſymbola & typos revelabatur. In his vero typis & adumbrationibus Summum Numen gloriam ſuam, quoad quidem hominibus perſpicere eam licet, illuceſcere voluit. Quod vero Deum nemo hominum viderit, nec videre unquam poſſit, id quidem frequentibus Scripturæ ſacræ, tum veteris tum novi Inſtrumenti, teſtimoniis abunde conſtat. Horum oracu-

 lorum

lorum, id quidem teſtantium, collectio juſtum librum efficeret. Ille quoque, qui divini Pauli eloquia audiit & edoctus eſt, verbis quidem Rhetor, ſententiis vero Philoſophus, vel talis potius, qui & intelligentia & lingua ſublimiorem ſtillat gratiam, nobisque divinioris ſapientiæ profunda aperit, magnus, inquam, *Dionyſius* præclare & graviter docet, Divini Numinis eſſentiam mentibus hominum nunquam ſubjici. Porro ex magno religionis athleta, qui per omnem vitam multa pertulit, divino, puta, *Athanaſio* * multa ejusmodi effata colligere licet, quæ Numen Summum ſine velamento aliquo, tegumento, aut ſimilitudine ab humano genere, quod ad eſſentiam & naturam nunquam intelligi poſſe pronunciat. Quis vero ignorat, magnum & admirabilem *Baſilium*, regiam illam Eccleſiæ ſtolam, optimumque & amantiſſimum animarum Medicum, contra *Eunomii* hæreſin medicinam parantem, inter cetera Pæonia remedia id inprimis ſuppeditaſſe, quod divina illa & ineffabilis natura nec intelligi nec comprehendi

θεσις. Καὶ μὴν καὶ ὁ τῶν τοῦ θείου ῥημάτων Παύλου μύστης καὶ κατήκοος, ὁ ῥήτωρ μὲν τοὺς λόγους, φιλόσοφος δὲ τὰ νοήματα, μᾶλλον δὲ καὶ ὁ τοῦ νοῦ καὶ τῆς γλώσσης τὴν ἄνωθεν ἀποστάζων χάριν, καὶ τῆς θείας ἡμῖν σοφίας ἀναβλύζων τὴν ἄβυσσον, οὗτος οὖν ὁ μέγας Διονύσιος 9) λαμπρῶς τε καὶ δριμέως μετέρχεται τὸ, μηδαμῇ τὸ θεῖον, τί ποτέ ἐστιν, μηδέποτε ἀνθρωπίναις ὑποβάλλεσθαι καταλήψεσιν. 10) καὶ δὴ 11) καὶ τοῦ μεγάλου τῆς εὐσεβείας ἀγωνιστοῦ, ὃς βίον τοὺς ἄθλους ἠνέγκατο, τὸν θεσπέσιόν φημι Ἀθανάσιον, πολλάς ἐστι λαβεῖν τὰς ῥήσεις, αἵ τὸ θεῖον χωρίς τινος παραπετάσματος καὶ προβλήματος ἢ ὁμοιώματος ἄληπτον παντελῶς, ὅσα γε εἰς οὐσίαν καὶ φύσιν, τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει ἀνακηρύττουσι. τὴν δὲ τῆς ἐκκλησίας βασίλειον στολὴν τὸν θαυμαστὸν καὶ μέγαν Βασίλειον, τὸν ἄριστόν τε ἅμα καὶ ἥδιστον τῶν ψυχῶν ἰατρὸν, τίς οὐκ οἶδεν, ὅτι περ κατὰ τῆς Εὐνομίου λύσσης κιρνῶν τὸ φάρμακον, ὡς ἕν τι τῶν Παιωνίων ἀλεξημάτων, καὶ τοῦτο δὴ τοῦτο τὸ 12) τῆς θείας καὶ ἀῤῥήτου φύσεως

9) Eſt ille *Dionyſius Areopagita*, cujus ſcripta, quæ hodie falſo ſub ejus nomine circumferuntur, pro germanis habuit *Photius* noſter, qui & in Myrobiblo ſuo Codice I. Theodori Presbyteri librum ſingularem pro γνησιότητι eorum enarrat.

10) Vide *Dionyſium* de Divinis Nominibus cap. I. Tom. I. Opp. ejus edit. Corderianæ p. 437. ſqq. & aliis.

11) καὶ δὴ, *Colbert.*

* Vid. *Athanaſium* Tom. I. Opp. ed. Montefalcon. p. 94. 227. &c. & Tom. II. p. 243. 268. & 274.

12) poſterius hoc τὸ eſt ex *Colb.*

ἀληπτόν τε καὶ ἀνεπινόητον παρεςήσατο. Καὶ μὴν καὶ τῷ 13) ἀπὸ τῆς θειότητος τῶν λόγων μᾶλλον ἢ διὰ τῆς κλήσεως κληρωσαμένῳ τὸ 14) χαρακτηρίζεσθαι τὸν Θεολόγον, οἶδα Γρηγόριον ὡς ἐνόησας, λόγοις ὅτι μάλιςα πυκνοῖς τε καὶ δριμέσι τοῖς ἐνθυμήμασι ἰχνηλατοῦντι τὴν ἀλήθειαν περὶ ταύτης ἀναγέγραπται τῆς ὑποθέσεως. 15) ἀλλά γε δὴ καὶ τῷ ῥήτορι τῆς ἐκκλησίας, μᾶλλον δὲ τῷ μετὰ Παῦλον τὴν περίγειον πᾶσαν τοῖς τοῦ κηρύγματος λόγοις καὶ τῆς ἄλλης παιδαγωγίας πολίσαντι, καὶ τούτῳ δὴ τούτῳ, οὗ τὸ ςόμα οἱ λόγοι χρυσοῦν τῷ κόσμῳ ἐγνώρισαν, λόγος ῥέων πολὺ μετὰ τὸν ἀληθείας τὸ πειθήνιον, ὃς ὁ περὶ ἀκαταλήπτου ἐπιγράφεται, 16) οὐδὲν ἕτερον μᾶλλον, ἢ τὸ προκείμενον σπουδάζει, καὶ ἀποδείκνυσιν. Καὶ μυρίους ἄλλους τῶν θείων ἡμῶν πατέρων εὕροι ἄν τις κατὰ σχολὴν, ὁμογνώμονα τοῖς εἰρημένοις τὴν ψῆφον ἐξάγοντας, οὓς εἰ μὴ 17) τὸ πικρὸν τῆς νόσου τὴν ὀδύνην ἐπέτεινεν, τάχα ἂν καὶ αὐταῖς λέξεσι τὴν γνώμην παρεῖχον δεικνύοντας. Πλὴν ἀλλὰ σοί γε ῥᾴδιον ὑπόμνησιν λαβόντι τῶν τε εἰρημένων, καὶ τῶν ἔτι λειπομέ-

hendi poſſit. Præterea ab illo quoque, cui Theologi nomine ex divinis magis ſermonibus, quam ex nuda appellatione deſignari contigit, (novi te *Gregorium* cogitare) quique copioſis & acutis argumentis veritatem hanc adſerere inſtituit, de eodem capite commentatio perſcripta eſt. Denique & ille Eccleſiæ orator, vel ille potius, qui totum orbem ſermonibus, præconio Evangelii aliiſque doctrinis plenis, inſtruxit, ille, inquam, quem ſermones ſui aurei oris nomine communiter appellari fecerunt, ſingulari oratione, ad veritatem non minus, quam obſequium flectente, quæ *de Incomprehenſibili* inſcribitur, nihil diligentius, quam idem hoc argumentum urget, & demonſtrat. Præter hos innumeros ex Doctoribus noſtris alios per otium inveneris, eandem ſententiam ſuffragiis ſuis approbantes, quos totidem verbis eam propoſuiſſe demonſtrare poſſem, niſi me acris morbus doloribus intenſiſſimis vexaret. Interim & tibi ipſi, ea, quæ dixi, & quæ alia ſunt, memoria repetenti, facile fuerit,

13) Sic ſcribo cum eodem pro τὸ, pendet enim a ſequente κληρωσαμένῳ.
14) τὸ ſcripſi pro τοῦ.
15) Paſſim hoc agit *Gregorius*, inprimis vero in λόγοις θεολογικοῖς quinque, qui leguntur Tomo I. Opp. p. 519. ſqq.
16) Quinque exſtant D. *Chryſoſtomi* λόγοι περὶ ἀκαταλήπτου, contra Anomœos dicti. Lege eos Tom. VI. edit. *Savilianæ* p. 389. ſqq. *Ducæana* Tom. I. p. 292. ſqq. & *Monteſalcontana* Tom. I. p. 444. ſqq.
17) *Colb.* pro οἱ μή.

rit, teſtimonia illa colligere, & miram omnium conſenſionem perſpicere. Mihi quidem nunc ſuffecerit apponere vocem illam, quam Angeli incorporei eo tempore, quo totus Apoſtolorum chorus, Dominum & Deum noſtrum una cum eo, quod ex nobis adſumſerat, in cœlum receptum videns mirabatur & ſtupebat, clare promulgarunt, illis dicentes: *quid ſtatis cœlum intuentes? hic Jeſus, a vobis ſublatus, eo modo revertetur, quo illum in cœlum proficiſcentem vidiſtis.* Abibat ſcilicet, ut una cum eo, quod aſſumſerat, in ſinum Patris reciperetur, quemadmodum antea in his terris ita conſpiciebatur, ut carne noſtra exterius munitus, & humana forma indutus appareret. Divinum itaque illud oraculum confirmat, communem Dominum noſtrum eadem ſpecie formaque iterum fore conſpicuum, oculiſque noſtris & cognitioni obvium. Vide vero, quibus illud ſit eventurum? Non ſane quibuſque, neque illis etiam, qui exigua menſura alios homines, quod ad adflatum divinum cognitioniſque præſtantiam, ut de virtutibus aliis non dicam, ſuperant; ſed ipſis illis, qui ab ipſo conditore digni præ aliis habiti erant, ut ab initio ſpectatores Verbi, & ad totum hominum genus

νων, τὰς μαρτυρίας εἰς ἓν ἀθροισάμενον τὴν ἐκ πάντων συμφωνίαν θαυμασίαν οἵαν θεάσασθαι. ἡμῖν δ' ἀρκεῖ τὰ νῦν καὶ τῶν ἀσωμάτων μόνον ἡ φωνὴ παρατεθεῖσα, ἣν ἐπειδὴ τῶν Αποςόλων ὁ χορὸς τὸν κοινὸν δεσπότην καὶ θεὸν ἡμῶν μετὰ τοῦ προσλήμματος, ἀναλαμβανόμενον βλέποντες, κατεπλήττοντο καὶ ἐτεθήπεσαν, διαῤῥήδην ἀπεφήναντο πρὸς αὐτούς· Τί ἑςήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; οὗτος ὁ Ιησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν, οὗτος ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. 18) ἐπορεύετο δὴ δηλονότι τοῖς πατρικοῖς καὶ μετὰ τοῦ προσλήμματος ἐνιδρυθήσεσθαι κόλποις, ὥσπερ καὶ πρότερον ἐπὶ γῆς ὡρᾶτο πρόβλημα φέρων τὴν σάρκα, καὶ τὴν ἀνθρώπου μορφὴν περικείμενος. Ουκοῦν καὶ εἰς αὖθις κατὰ τὴν ἰδέαν τε καὶ φύσιν ἐμφανισθήσεσθαι, εἰς γνῶσίν τε καὶ κατάληψιν ἀφικέσθαι τὸν κοινὸν δεσπότην ὁ ἱερὸς χρησμὸς ἐβεβαίωσεν. Καὶ τότε ὅρα μοι, τίσιν; οὐ γὰρ τοῖς τυχοῦσιν, οὐδ' ὅσοι μικρῷ τῷ μέτρῳ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων εἰς ἐπίπνοιάν τε θείαν καὶ θεωρίας ὕψος, καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς ὑπερανέχουσιν, ἀλλ' αὐτοῖς ἐκείνοις, οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου γεγενῆσθαι συμπάσης τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πλάςου προεκρίθη-

ejus-

18) *Actor.* I. 11.

σαν. Σὺ δέ μοι τἆτε ἄλλα ἔρρωσο, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα θεῷ καθαρὸν συντηρῶν εἴης τȣ̃ βίȣ τὰ κύματα ἱλαρὸν πνεȣ́σαις αὔραις διαπερῶν, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἄλμης ὑπερνηχόμενος.

ejuſdem interpres & adminiſtri eſſent. Ita tu & alias vale, & animum corpuſque Deo intemeratum ſervans, ſecundiſque ventis uſus, præſentis vitæ fluctus ſupera, ſalſumque hoc mare emetire.

ΕΡΩΤ. ΡΜΒ.

Τί δηλοῖ τὸ Ἀποςολικὸν ῥητὸν, τὸ, πάντοτε καὶ νῦν δοξασθήσεται Χριςὸς ἐν τῷ σώματί μȣ, κ. ἑ. 1)

Ἡ τȣ̃ ῥήτορος τῆς ἀληθείας φωνὴ, ἡ, ὡς πάντοτε καὶ νῦν δοξασθήσεται Χριςὸς ἐν τῷ σώματί μȣ, ἐιτε διὰ ζωῆς, ἔιτε διὰ θανάτȣ 2) πόθȣ μὲν αὐτὴ 3) προχεῖται σεβασμίȣ τε καὶ ἱερȣ̃, ἐλπίδος δὲ βέβηκεν φύσιν ἀγνοȣ́σης θνητὴν, τοιαύτην δὲ τὴν διάνοιαν ὑποδηλοῖ· πάντοτε ὁ Χριςὸς ἐν τῷ σώματι Παύλȣ ἐμεγαλύνετο. καὶ ὅτε δεσμοῖς αὐτὸν καὶ μάςιξι ἐνταλαιπωρεῖσθαι συνεχώρει, καὶ θανάτȣ πρὸ πυλῶν ἐρρῖφθαι, καὶ ὅτε ἐξεῖλκε αὐτὸν καὶ ἀνήρπαζεν ἐκ μέσων τῶν ἀνιαρῶν. οἷς μὲν γὰρ ἐναθλεῖν ἠφίετο, καὶ τοῖς εἰς θάνατον ἄγȣσι συνεπλέκετο, πειρασμοῖς ἐβεβαιȣ̃το καὶ ἐκρατύνετο τῆς ἐυσεβείας τὸ κήρυγμα. λογιζομένων τῶν ὁρώντων τὰ Παύλȣ δεσμὰ, καὶ τὰς θλίψεις, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς ὑπομονὴν ἐκπλητ]ο-

QUÆST. CXLII.

Quid ſignificat dictum Apoſtoli : ſemper, & nunc quoque Chriſtus glorificabitur in corpore meo, &c.

Vox illa præconis veritatis, quæ ait : *ſemper, & nunc quoque Chriſtus in corpore meo glorificabitur, ſive per vitam, ſive per mortem;* ex deſiderio quodam religioſo & ſacro profluit, ſimul vero ad ſpem adſpirat, quæ mortalem naturam ignorat. Senſum vero hunc refert, quod Chriſtus in corpore Pauli ſemper ſit magnificatus, ſive eum vinculis & ferulis adfligi, mortiſque adeo periculis objici pateretur Deus, ſive illum ex mediis vexationibus eriperet, & vindicaret. Illis enim tentationibus, vel mortem ipſam minantibus, cum quibus conflictari & depugnare jubebatur, præconium pietatis firmabatur & ſtabiliebatur. Qui enim Pauli vincula calamitateſque cum ratione perſpiciebant, & patientiam ſub illis

Uuuu probatam

1) *Philip.* I. 20. ubi tamen pro δοξασθήσεται legitur hodie μεγαλυνθήσεται, ad quem locum nulla codicum varietas in collectione *Milliana* apparet. Scilicet & heic, ut alias, *Photius* memoriæ ſuæ nimium tribuit. Ipſe tamen mox verbum δοξάζεσθαι per μεγαλύνεσθαι exponit.

2) Deeſſe videtur λέγȣσα.

3) Sic ſcribo pro αὐτῇ.

probatam admirabantur, illi ipſa hac admiratione ad converſionem excitabantur, cogitantes, niſi præconio ejus divini aliquid & veriſſimi ſubeſſet, ſe ipſum infinitis & vix tolerabilibus calamitatibus non fuiſſe objectum, cum, a ſententia diſcedens, moleſtiis illis liberari potuiſſet, nec mortis periculum ſubire debuiſſet. Hoc itaque modo Chriſti gloria convenientiſſime amplificabatur, quandoquidem præconium illud quam plurimis ratum fiebat, hominumque animis infigebatur. Quando ab altera parte Deus illum ex præſentiſſimis periculis eripiebat, etiam tum Chriſtus glorificabatur. Neque enim humani erat conſilii & opis, athletam hunc ex mediis manus ſanguinolentæ, aut improborum hominum, ſanguinem ſitientium, conſiliis illæſum exire. Divinæ potius & plus quam humanæ gratiæ beneficium id erat, quæ ſcilicet ſervum illum amotis malis omnibus; præter exſpectationem, liberabat. Quomodo enim vincula ſolvebantur? Quomodo decidebant catenæ? quis lumen inferebat carceri? quomodo illud ſplendore ſuo totum perfundebat, cum nullum flammæ alimentum ſuppeteret? unde carcer ille ſolus concutiebatur? quomodo aperiebantur

μένων, καὶ τῷ θαύματι πρὸς ἐπιστροφὴν διανισαμένων, ὡς εἰ μὴ θεῖόν τι καὶ πανάληθες τὸ παρ' αὐτοῦ κηρυσσόμενον καθεστήκει, οὐκ ἂν ἑαυτὸν μυρίοις χαίρων καὶ ἀφορήτοις ἐδίδου κακοῖς, ἐνὸν παυσάμενον ἀπαλλάττεσθαι τῶν ἀλγεινῶν καὶ μὴ θάνατον εἰς ἀγῶνα καλεῖν. Εμεγαλύνετο τοίνυν εἰκότως διὰ τούτων ὁ Χριστὸς, τοῦ κηρύγματος εἰς βεβαίωσιν τοῖς πολλοῖς ἀφικνουμένου, καὶ ταῖς τῶν ἀνθρώπων ἐμπλατυνομένου ψυχαῖς. Πάλιν δὲ, ἡνίκα ἐξεῖλκεν αὐτὸν καὶ ἀνήρπαζεν κινδύνων ὀλεθρίων, αὐτόθεν ἐμεγαλύνετο. Ουδὲ γάρ τινος ἀνθρωπίνης ἦν ἐπινοίας ἐκ μέσου χειρὸς φονώσης καὶ τοῦ αἵματος διψώντων κακῶν ἀπαθῆ πολλάκις ἀπολύεσθαι τὸν ἀγωνιστὴν, ἀλλὰ θεία τις, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον χάρις ἦν, ἡ παρ' ἐλπίδας τὸν θεράποντα ῥυομένη καὶ διαλύουσα τὰ δεινά. πῶς ἐλύετο τὰ δεσμά; πῶς ἐξέπιπτον αἱ ἁλύσεις; 4) τὸ φῶς τίς ὑφῆπτεν τῷ οἰκήματι; 5) πῶς περιήστραπτεν ὅλον τῇ αἴγλῃ πληροῦν, μηδεμιᾶς ὕλης ὑπηρετουμένης τῇ φλογί; πόθεν μόνον κατεσείετο τὸ δεσμωτήριον; πῶς ἀνεώγνυντο αἱ θύραι; πῶς ἐκεῖνα τὰ μυρία καὶ παράδοξα ἐγεγόνει; εἰ μὴ τῆς πάντα κρατούσης ἡ δύναμις ἐπεδείκ-

4) *Act.* XVI. 26.

5) Humani aliquid paſſus heic eſt *Photius*. Neque enim l. c. lumen carceri illatum aliunde, ſed candela a cuſtode carceris poſtulata v. 29. dicitur. Ea huc retulit, quæ Petro acciderunt Act. XII. 17,

νυτο χειρός. Δι' ἀμφοῖν οὖν ὁ Χριστὸς ἐν τῷ σώματι Παύλου ἐμεγαλύνετο, ταῖς τε πικραῖς καὶ θανατηφόροις βασάνοις ἐγκαρτεροῦντος τοῦ κήρηκος, καὶ δι' ὧν ὑπερφυῶς ταῖς τῶν ἐπιβουλευόντων μιαιφονίαις καὶ παρὰ δόξαν ἀνάλωτον ἐτίθει καὶ ἀπεδείκνυεν τὸν ἀγωνιστήν. Ουτως οὖν καὶ διὰ τῆς ζωῆς τουτέστι τῶν ζωοποιούντων καὶ διασωζόντων, καὶ διὰ τῶν θανάτου παραιτίων πληγῶν καὶ βασάνων ἡ τῆς σοφίας καὶ δυνάμενως πηγὴ Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν ἐν τῷ Παύλου σώματι ἐμεγαλύνετο. Ουδὲν δὲ κωλύει τὰ τοῦ διδασκάλου ῥήματα καὶ πρόῤῥησιν ὑπογράφειν. Επεὶ γὰρ δεύτερον τῷ Νέρωνος βήματι παρέστη, καὶ τὴν μὲν πρώτην 6) ἀπολογησάμενος ἠφείθη, τὸ δεύτερον δὲ, πρὸς πάντα τῆς Νέρωνος ὠμότητος, ἀσχέτῳ ῥύμῃ φερομένης, ξίφει τὸν βίον ἀπολιμπάνει, τοῦτο νῦν ἂν ἔιη λέγων, ὅτι μεγαλυνθήσεται Χριστὸς ἐν τῷ σώματί μου, ἔιτε διὰ ζωῆς, ὥσπερ νῦν ἐκ χειρὸς παλαμναίας καὶ φονώσης ἀφαρπάζων με, ἔιτε διὰ θανάτου, ὡς ὕστερον ἔσται, μηδὲ τοῦ κεφαλαίου τῶν ἄθλων ἀποστεροῦντος με τοῦ ἀγωνοθέτου. Εδει γὰρ, ὡς ἔοικεν, μὴ προαποκαμεῖν τὸν ἀθλητὴν, μηδὲ τὸν ὑπὲρ

bantur fores? quomodo tot & tanta accidebant, niſi vis manus, omnia perficientis, ſe exſeruiſſet? Vtraque igitur ex parte Chriſti gloria in corpore Pauli amplificabatur, ſive præco divinus acerbis & morti proximis cruciatibus exerceretur, ſive Chriſtus athletam hunc ſanguinolentis inſidiantium conſiliis præter naturam & præter exſpectationem ſuperiorem oſtenderet. Hoc itaque modo, tum per vitam, h. e. per ea, quæ vitam illi præſtabant & vindicabant, tum per plagas & cruciatus; qui mortem conciliare poterant, Chriſtus, Deus noſter, tanquam fons ſapientiæ & potentiæ in Pauli corpore glorificabatur. Nihil vero obſtat, quin Doctoris noſtri verba & prædictionem ſubjiciamus. Cum enim altera vice Neronis tribunali ſiſteretur, poſt primam apologiam, dimiſſus; altera vero illa vice, quando Neronis crudelitas immani impetu in peſſima quæque ferebatur, vitam gladio amiſit; dicere utique poterat, Chriſtus in corpore meo magnificabitur, ſive per vitam, ſicut nunc, quando ex manu adverſante mortemque intentante me eripuit; ſive per mortem, quæ mox conſequetur, quando agonotheta ille me maximo certamine non deſtituet. Conveniens enim fuiſſe videtur, ut athleta hic non ante fatisceret, neque curſum, humanis viribus ſuperiorem

Uuuu 2

6) πρώτην addidi ex *Colbert.* Conf. 2. *Tim.* IV, 16.

Digitized by Google

riorem eo mortis genere, quod natura commune facit, interverteret, ſed fas potius erat, ut ipſa ejus mors, ipſeque ad deſideratum præmium abitus & lucta humanæ naturæ vires ſuperaret. Hoc igitur, hoc, inquam, Paulus, qui non ſibi, ſed Chriſto vivebat, qui omnibus omnia fiebat & erat, ante indicat & docet diſcipulos, ne ſcilicet inpoſterum (Pauli enim vita vere inſigne munus erat & præcipua poſt Deum ſalus, cui ſcilicet malorum copia inflicta erat) perturbatio quædam & ægritudo, ſpe omni abjecta, animos eorum opprimeret, quæ in ſummam eos triſtitiam præcipitans, ſpem omnem everteret, ipſosque in pietatis ſtudio ſegnes efficeret. Poſſumus vero etiam alium horum verborum ſcopum inveſtigare, qui, ut alia taceam, ante pedes poſitus erat. Quis vero ille? Is utique, quod Paulus dicat, ſicut Chriſtus ſemper & per omnem vitæ ſuæ curſum in corpore ſuo magnificatus ſit, cum fortiter omnia perpeteretur, vitamque amaret præſente præſtantiorem, eodem vero tempore liberatus inſolentius aliquid, & mortali fide majus perciperet; ita nunc quoque

ἄνθρωπον δρόμον κοινῷ τῆς φύσεως διακοπῆναι θανάτῳ, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν πρὸς τὸ ποθούμενον ἔξοδον ἆθλον εἶναι καὶ ἀγώνισμα κρείττω φύσεως γηγενοῦς. Τοῦτο δὴ οὖν, τοῦτο ὁ μὴ ζῶν ἑαυτῷ, ἀλλὰ τῷ Χριστῷ, ὁ τοῖς πᾶσι πάντα καὶ γινόμενος, καὶ ὢν, προϋποφαίνει, καὶ προαναδιδάσκει τοὺς μαθητὰς, ἵνα μὴ μετὰ ταῦτα (μέγα γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς καὶ πρώτη μετὰ Θεὸν σωτηρία ἡ Παύλου ζωὴ τοῦ πάθος ἀθρόον διαδοθέντος,) θόρυβός τις καὶ τάραχος τῷ ἀνελπίστῳ τὰς ψυχὰς αὐτῶν διασείσῃ, καὶ εἰς ἀμήχανον ἀθυμίαν ἐμβαλὼν πᾶσαν αὐτοῖς ἐλπίδα συγκαταστρέψῃ 7) καὶ πρὸς τὴν εὐσέβειαν καταστήσῃ ὀκνηρούς. Ἐστι δὲ καὶ ἕτερον τῶν ῥημάτων θηρᾶσαι σκοπὸν, εἰ μή τι ἄλλο, ἀλλ' οὖν παρὰ πόδα τέως ὑπάρχοντα τῷ ῥητῷ. Τίς οὖν οὗτος; ὡς πάντοτέ, φησιν, ἐν ὅλῳ τῷ τοῦ βίου διαστήματι ἐμεγαλύνετο ὁ Χριστὸς ἐν τῷ τοῦ Παύλου σώματι. πάσχοντος μὲν ἀνδρείως, καὶ κρεῖττον ἢ κατὰ βίον φιλοῦντος τὸ ζῆν, ἀπαλλασσομένου δὲ ξένον 8) ἀκοῦσαι 9) καὶ πίστεως μεῖζον θνητῆς, οὕτω 10) καὶ νῦν μεγαλυνθήσεται, καὶ ἐν αὐτῷ τῶν ἀγωνισμάτων τῷ τέλει. μεγαλυνθήσεται δὲ ἔκ τε τοῦ μὴ παθεῖν τὸν ὑπασπιστὴν ὁμοίως καὶ ἐκ

in

7) Pro συγκαταστρέψει, ut mox καταστήσει.
8) *Colb.* pro ζῖον.
9) ἀκούσαντος malim, ex vocum ſtructura.
10) Sic *Colb.* pro οὔπω.

τῦ παθεῖν. ἥκων γὰρ ὁ γεννάδας ὗτος ἐπ' αὐτὸ τὸ τελευταῖον ςάδιον τῶν ἄθλων, ἀφίεται μὲν τὰ πρῶτα τῦ θανάτυ καὶ τῆς σφαγῆς, λόγῳ ἀληθείας καὶ γνώμῃ θεοσεβεῖ διαλυσάμενος τὰς αἰτίας, μᾶλλον δὲ τῆς παντοκράτορος φιλοτιμησαμένης ἐνταῦθα δεξιᾶς, καὶ δηλονότι ἐμεγαλύνετο ἐν τῷ Παύλυ σώματι ὁ Χριςός. πάλιν δὲ τὸ δεύτερον· ὐ γὰρ ἔδει τὸ περὶ τὸν Παῦλον θαῦμα φιλοτιμίας μόνον ὁρᾶσθαι δεσποτικῆς, ἔδει δὲ ἄρα καὶ τὰ ἐκείνυ ἐναςράψαι λαμπρότερον. λοιπὸν ὁμόσε πρὸς πάντα διὰ τὸ κήρυγμα χωρεῖ, καὶ αὐτῦ τῦ ξίφυς, καὶ αὐτῆς τῆς σφαγῆς ὑπερορῶν, καὶ μόνον ἕνα διώκων σκοπὸν, πάντα δεύτερα τῆς ἀληθείας ἐλέγχειν, καὶ πρὸς τὸν κηρυττόμενον ῥεόμενον τῦ αἵματος ἀπελθεῖν, δι' ὗ δηλονότι πάλιν ἐμεγαλύνετο ὁ Χριςός.

in ipſo luctæ fine eundem magnificatum iri. Glorificandus itaque erat Chriſtus, ſive ille Dei ſatelles pateretur aliquid, ſive minus. Strenuus enim ille athleta, ultimum certaminis ſtadium ingreſſus, primum quidem a morte & cæde liberabatur, poſtquam objecta crimina verbo veritatis piisque ſententiis diluiſſet, vel omnipotentis potius Numinis dextra interceſſiſſet. Tunc utique Chriſtus in corpore Pauli magnificabatur. Idem vero fiebat & altera vice. Neque enim ſingulare & admirandum Domini ſtudium in Paulo conſpici tantum, ſed & ipſius Pauli res clarius emicare debebant. Reliquum itaque erat, ut ipſe propter Evangelii præconium omnia ſuſtineret, ipſumque adeo gladium, & necem ipſam parvi penderet, & ad unum tantum ſcopum contendens omnia ſibi veritate inferiora eſſe oſtenderet, atque adeo ſanguine madens ad eum, quem prædicaverat, properaret. Hoc vero ipſo Chriſtus iterum magnificabatur.

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΜΓ.

Τίνα ἦν τὰ ὑςερήματα τῦ Χριςῦ, ἅπερ ὁ Παῦλος ἐπλήρωσεν; 1)

Τῶν Αποςολικῶν ῥημάτων ἡ προτεθεῖσα περικοπὴ διπλῆν ἐκφέρεται διανοίας ὁδόν. οἱ μὲν τὸ ὑςέρημα λαβόντες ὕτως ἁπλῶς, ὡς τὸ πρόχειρον ὑποβάλλει τῆς φωνῆς, φασὶ τὸν θεσπέσιον εἰρηκέναι Παῦλον, ὅτι τὰ ὑςερήματα τῶν

QVÆST. CXLIII.

Quæ fuerunt illa, quæ Chriſto deerant, quæque Paulus complevit?

Propoſita hæc verborum Apoſtoli ſeries duplici ratione exponitur. Alii enim vocem ὑςέρημα ſenſu ſimpliciſſimo, qui maxime obvius eſt, accipientes, divinum Paulum ſtatuunt dixiſſe, ſe reliquias perpeſ-

 ſionum

1) *Coloſſ.* I. 24.

ſionum Chriſti viciſſim in corpore ſuo eſſe ſuppleturum, atque adeo id ſibi velle: ſi quid Chriſtus in perpeſſione ſua reliquum fecerit, id ego in corpore meo ſuppleo. Hanc expoſitionem confirmaturi ajunt: ſicut Apoſtolo poteſtas majora Chriſti illis miracula patrandi facta eſt; ſicut etiam Paulus ipſe amplius aliquid, quam Domini præcepta poſtulabant, præſtitit: (cum enim ex Evangelii præconio alere ſe potuiſſet, non tamen inde ſe aluit) ita, ut alia his ſimilia taceantur, reliquias Domini in ſuo corpore ſupplevit. Atque ita quidem ſentiunt nonnulli. Alii vero non ferendum putant, ut de Chriſti perpeſſione quicquam diminuatur. Quid enim ille pati debuit, quod non ſit perpeſſus, maledictis obrutus, deluſus, pravis conſiliis, inſidiis, injuriis, probris, tum domi, tum foris, expoſitus, denique vero crucem, maleficorum ſupplicium, tolerans? Qui vero talia perpeſſus eſt, quæ effugere facile poterat, idque noſtra tantum cauſa, quomodo is deſtitui aliquo, aut quicquam reliquum

θλίψεων τȣ̃ Χριςȣ̃ ἐν τῇ σαρκί μȣ ἀνταναπληρῶ. 2) καὶ βȣ́λεσθαι δηλȣ̃ν, ὡς, εἴ τι ἐνέλιπε Χριςὸς τȣ̃ παθεῖν, ἐγὼ ἐν τῷ σώματί μȣ ἀνταναπληρῶ. 3) καὶ συνεπισχύοντες 4) τὴν διάνοιαν ταύτην, ὥσπερ, φασὶ, δέδοται τοῖς Αποςόλοις μείζονα τελεῖν ἢ κατὰ Χριςὸν σημεῖα. Καὶ πάλιν, ὥσπερ αὐτὸς ὁ Παῦλος ἐρᾶται τῶν δεσποτικῶν ἐντολῶν ὑψηλότερόν τι διαπραττόμενος, ἐξὸν 5) γὰρ αὐτῷ ἐκ τȣ̃ εὐαγγελίȣ τρέφεσθαι ȣ̓κ ἐτρέφετο, 6) καὶ τοιαῦτα ἕτερά τινα, ȣ̎τω καὶ τὰ ὑςερήματα τȣ̃ δεσπότȣ τῷ οἰκείῳ ἀνεπλήρȣ σώματι. ἀλλ' ȣ̎τω μὲν τεθεωρήκασιν ἔνιοι. οἱ δὲ αὐτόθεν βαρὺ νομίζοντες τὸ ςερῆσαί τινος 7) τὸν Χριςὸν ἐν τῷ παθεῖν. τί γὰρ ὤφειλεν, τί δ' ȣ̓χ ὑπέςη ἐπηρεαζόμενος, χλευαζόμενος, ἐπιβȣλὰς φέρων, ἐνέδρας, ὕβρεις, ὀνείδη, οἴκοθεν, ἔξωθεν, καὶ τὸ τελευταῖον, ςαυρὸν καὶ κακȣ́ργων θάνατον. ὁ δὴ ταῦτα παθὼν καίτοι ῥάδιον ἔχων τὸ φυγεῖν, καὶ πάντα προῖκα καὶ δωρεὰν δι' ἡμᾶς, πῶς ὑςερῆσαι λέγοιτ' ἂν τινος, ἢ παραλιπεῖν

2) *Colb.* pro ἀναπληρῶ, recte quidem. Ita enim codices plerique legunt, lectionisque hujus efficaciam Noſter mox urget.
3) Ita iterum *Colb.* pro altero, quod modo dixi.
4) *Colb.* pro συνεπαισχύνοντες, quod huc prorſus non quadrat.
5) ἐξὸν ſcripſi pro, ἐξ ὧν. Conf. not. 10.
6) 1. *Cor.* IX. 14. 15.
7) Ita ſcribendum putavi pro τȣ̃ ςερῆσαί τι, quod *Coisl.* & pro, τὸ ςερῆσαί τι, quod *Colb.* habet.

ἐλως, ὧν ἔδει παθεῖν; Τὸ δὲ δύναμιν λαβεῖν μείζονα τέρατα τελεῖν, εἰ μὴ Χριστὸς αὐτὸς ἦν ὁ τῆς δυνάμεως χορηγὸς, οὐ τὴν εἰρημένην μόνην διάνοιαν περιθάλψοι ἂν, ἀλλὰ καὶ ἀτοπωτέραν πολλῷ δυσφημίαν ἀναῤῥιπίσειεν 8) ἂν ἧς ἡ φυὴ, 9) ῥίζης γὰρ ἐκφύονται τῆς αὐτῆς, πρὸς τὴν ἡγησαμένην ἀναφέρεσθαι δικαία ἐστὶν, καὶ οὐχὶ τῶν λαμβανόντων τὸ θαῦμα, ἀλλ᾽ ἡ τοῦ χορηγοῦντος χάρις τοῦ θαυμάζεσθαι τὴν ὑπερβολὴν ἔχει. ὅτι δὲ ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ἐξὸν 10) τρέφεσθαι οὐκ ἐτρέφετο, ἔργον μὲν ἐπαινετὸν καὶ μακάριον. ἵνα γὰρ μὴ λαβὴν 11) δῷ τοῖς 12) ζητοῦσιν αἰτίαν εὑρεῖν, τῆς ἐξουσίας ἀφίστατο. Δεσπότου δὲ κἀνταῦθα περιφρουρούμενος ἐντολῇ, δι᾽ ἧς, κἂν νόμῳ καὶ φύσει πολλὰ τοῦ πράττειν ἐλεύθεροί ἐσμεν, τὸ τοῖς πλησίον σκάνδαλον ἀντιπαραθεὶς ἔργῳ προὐτρέψατο τῆς ἐξουσίας ἄγειν σχολήν. ἵνα γὰρ μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτοὺς, φησὶν, πορευθεὶς εἰς θάλασσαν, βάλε ἄγκιστρον, καὶ τὸν ἀναβαίνοντα πρῶτον ἰχθὺν ἆρον, καὶ

liquum feciſſe dicatur? Quod vero dicitur facultatem accepiſſe majora miracula edendi, niſi Chriſtus facultatis illius auctor ſit & habeatur, id quidem non ſolum illam, quam modo diximus, expoſitionem fovere poſſit, ſed aliam quoque ſententiam, illa inſolentiorem, cujus origo & ratio, (ex eadem enim utraque radice nata eſt,) ad antecedentem illam referri debet! Scilicet non illos, qui facultatem hanc acceperunt, admirari oportet, ſed gratia conferentis habet, quod maxime admiremur. Quod porro Paulus ex Evangelio victum ſibi non paraverit, cum tamen potuiſſet, id laude quidem dignum erat, ipſique ſalutare. Ne ſcilicet criminandi occaſionem faceret, qui eam ſollicite quærebant, à libertate hac abſtinuit, etiam heic Domini ſui præcepto munitus, qui re ipſa admonuit, ut, quamvis per legem & naturam multa facere nobis liceat, ſcandalo tamen, quod proximo objici poſſit, recogitato, a libertate illa abſtineamus. *Ne enim*, inquit, *offendamus illos*, abi ad mare, projice hamum, tolle piſcem, qui primus aſcendit, & quem, aperto ore ejus, inveneris ſtaterem, illum accipe

8) Hoc malui pro ἀναριπίσειεν.
9) φυὴ ſcripſi pro, φυγή. Ita jubet & ſenſus, & verbum ἐκφύονται, quod mox ſequiquitur.
10) *Colb.* pro ἐξ ὧν. Conf. not. 5.
11) *Colb.* pro λαβεῖν.
12) Hoc malo ex *Coiſl.* pro συζητοῦσιν, quod eſt in *Colb.*

accipe & dato illis pro me & te. Interim hæc Pauli actio laudem promeretur. Qui enim non? Nullum tamen argumentum præſtat, quo conſtet, Chriſto quicquam defuiſſe. Propter dictas itaque rationes nonnulli, hanc dicti vocisque ὑστέρημα notionem averſantes, aliam adferunt, & ſequentem ſententiam ea ſignificari contendunt. Tria ſunt eorum, quæ acta erant, genera. Alia enim ſunt majora, alia media, alia vero ultimum locum tuentur. Quando itaque divus Paulus ait: ὑστερήματα *paſſionum Chriſti in corpore meo ſuppleo,* poſtrema paſſionum Chriſti, & ultimum locum occupantia, eum innuere ajunt, tanquam quæ in corpore ſuo ſuppleat; quaſi diceret, calamitates meæ, tantum abeſt, ut cum Chriſti illis comparari poſſint, ut, illas non cum majoribus comparare audeam, imo nec cum mediis conferam, ſed cum ultimis tantum & poſtremis conjungendas eſſe cenſeam. Quæcunque enim hominis natura pro Chriſto vel faciat, vel patiatur, eorum nihil eſt, quod in eundem cenſum venire poſſit, nec quicquam ad illa accedit, quæ ipſe pro nobis

ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ εὑρήσεις στατῆρα. ἐκεῖνον λαβὼν, δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ. 13) Ἀλλ᾽ ἐπαινετὴ μὲν ἡ Παύλου πρᾶξις. Πῶς γὰρ οὔ; οὐδὲν δ᾽ ἐχέγγυον παρεχομένη πρὸς τὸ ὑστερῆσαί τι τὸν Χριστὸν. διὰ γοῦν τοὺς εἰρημένους λογισμοὺς οὐκ ἀγαπῶντες ἔνιοι τὸ ῥηθὲν, εἰς ἑτέραν δόξαν ἄγουσι τὸ ῥητὸν, καὶ τὸ ὑστέρημα λέγουσι νυνὶ τοιοῦτον ἀναπτύσσειν τὸ σημαινόμενον. τρεῖς εἰσι τῶν πραττομένων αἱ πράξεις. τὰ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐστι μείζω, τὰ δὲ μέσα, τὰ δὲ τὴν ὑστάτην ἀπείληφε χώραν. Τὸ γοῦν εἰπεῖν τὸν θεσπέσιον Παῦλον, ὅτι τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ 14) ἐν τῇ σαρκί μου ἀναπληρῶ, σημαίνειν φασὶ, ὅτι τὰ ὕστατα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ καὶ τὴν ἐσχάτην ἐπέχοντα χώραν, ταῦτα ἐγὼ ἐν τῷ σώματί μου ἀναπληρῶ. 15) τουτέστι τὰ ἐμὰ πάθη τοσοῦτον ἀπέχει τοῦ παραβάλλεσθαι τοῖς Χριστοῦ, ὥστε οὐ μόνον τὴν 16) πρὸς τὰ μείζω σύγκρισιν οὐ τολμῶ 17) ἀλλ᾽ οὐδὲ τοῖς μέσοις συντάττεσθαι, τοῖς ὑστάτοις δὲ καὶ τελευταίοις, ἀγαπητόν ἐμοι τὸ συνεξετάζεσθαι. ὅσον γὰρ ἂν ἀνθρώπου φύσις ὑπὲρ Χριστοῦ πράξῃ καὶ πάθῃ

13) *Matth.* XVII. 27.
14) Verba illa. ἐν τῇ σαρκί μου —— θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, feſtinantis librarii lapſu, ex *Coislin.* exciderant, in *Colb.* recte ſuppleta.
15) ἀνταναπληρῶ, *Colb.* vid. not. 2. & 3.
16) τὴν *Colb.* recte pro τά.
17) Ita ſcribo pro τολμᾷ.

18) ȣ̓δὲν ἐςιν ἀντάξιον, ȣ̓δ᾽ ἐγγὺς, ὧν αὐτὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἔπαθεν. Πολλὰ δ᾽ ἂν εἴη, φασὶν, τῇ τοιαύτῃ συνᾴδοντα θεωρίᾳ. Εγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιςος τῶν Αποςόλων, καὶ ȣ̓κ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόςολος. 19) καὶ διώκω εἰ καὶ καταλάβω. 20) καὶ, ὁ τὴν νέκρωσιν τȣ̃ Ιησȣ̃ ἐν τῷ σώματι περιφέρων, 21) ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τȣ̃ Ιησȣ̃ ἐν τῷ σώματι αὐτȣ̃ φανερωθῇ. πῶς τȣ̃ 22) πάντα προῖκα καὶ δωρεὰν πράξαντος καὶ παθόντος ὑπέςημα 23) λέγοιτ᾽ ἂν ἀναπληρῶσαι. καὶ πολλὰ τοιαῦτα. Καὶ λίαν μὲν ἦν ἁρμοζόμενον τὸ τῆς δευτέρας διανοίας εἶδος, εἰ μὴ πολλαχȣ̃ τὸ ὑςέρημα ἔν τε τῇ παλαιᾷ καὶ τῇ νέᾳ φερόμενον γραφῇ. μή τινος γάρ, φησιν, ὑςερήσατε; 24) καὶ, ȣ̓κ ἔςιν ὑςέρημα τοῖς φοβȣμένοις αὐτὸν. 25) Καὶ, λογίζομαι γὰρ μηδὲν ὑςερηκέναι. 26) καὶ, ὑςερηθεὶς ȣ̓ κατενάρκησα ȣ̓δενὸς, τὸ γὰρ ὑςέρημά μȣ προσανεπλήρωσαν οἱ ἀδελφοί. καὶ ἐν πλείοσιν ἄλλοις τῆς φωνῆς εὑρισκομένης ȣ̓κ ἔςι ῥᾷον λαβεῖν τὴν τοιαύτην διάνοιαν, δι᾽ αὐτῆς ἀναπτυσσομένην, ἀλλ᾽ ὥσπερ προείληπται. Ουτω καnobis eſt perpeſſus. Multa vero ſunt, ajunt illi, quæ hæc cogitata confirment. *Ego enim ſum*, (inquit Apoſtolus) *extremus Apoſtolorum*, *nec dignus*, *qui vocer Apoſtolus:* item, *perſequor, ut adſequar*; nec non: *mortem Jeſu in corpore circumferens*, *ut etiam vita Jeſu in corpore ejus manifeſtetur.* Quomodo itaque Paulus illius, qui omnia gratis & noſtra cauſa fecit & ſuſtinuit, reliquias ſuppleviſſe dici unquam poteſt? Taceo alia his ſimilia. Jam valde quidem poſterior hæc expoſitio rei ipſi conſentanea erat futura, niſi vox ὑςέρημα in Veteri & Novo Codice frequenter occurreret. *Num quid*, inquit, *vobis defuit?* Et: *Nec quicquam deficit timentibus illum.* Et: *non puto quicquam mihi deeſſe*; item: *indigens enim non gravis fui cuiquam; inopiam enim meam fratres ſublevarunt.* Porro in pluribus aliis locis, in quibus vox hæc invenitur, non facile eam, quæ modo allata eſt, notionem, ſed illam, quæ antea eſt propoſita, deprehenderis. Videmus itaque, vocem ὑςέρημα ex uſu Scripturæ defectum rei, de

18) Sic ſcribo pro πράξει καὶ πάθει.
19) 1. *Cor.* XV. 9.
20) *Philip.* III. 12.
21) 2. *Cor.* IV. 10.
22) *Colb.* τȣ̃ pro ȣ̓.
23) Sic *Coisl.* Legerim ego ὑςέρημα, vel ὑπόςημα, ſiquidem poſterior hæc vox ad ſenſum eſſet accommodata.
24) *Luc.* XXII. 35.
25) Pſal. XXXIV. 10.
26) 2. *Cor.* XI. 5.

qua ſermo eſt, inferre. Quod ſi tamen de alterutra harum expoſitionum dubitandum adhuc videatur, ad componendam omnem controverſiam tertia etiam, quæ ex utraque promicat, & difficultates utriusque evitandi viam oſtendit, adferri poſſit in hanc ſententiam. Vocem ὑστέρημα eo ſenſu, qui Scripturæ Sacræ eſt familiaris, accipere, nec nova conſectari oportet. Quomodo vero Paulus reliquias calamitatum Chriſti in corpore ſuo ſupplere potuit? De hoc ſupereſt, ut mecum diſquiras. Cave, ita hoc accipias, ac ſi Chriſtus non omnia quæ perpeti debebat, perpeſſus ſit: neque enim quicquam ulla in re reliquum fecit; ſed gratia ejus ſuperabundavit. Quas igitur reliquias Paulus ſupplet? Eas ſcilicet, quas Salvator, ſiquidem adhuc inter homines fuiſſet, cum Paulus præconio Evangelii fungeretur, docens ipſe, & præſens creaturæq; ſuæ curam agens, perpeſſurus erat, has, inquam, perpeſſionum Chriſti reliquias Paulus ipſe patiens, pro ipſo ſupplebat. Hoc ſcilicet etiam ad verbi, quo utitur, efficaciam propius accedit. Neque

θορῶμεν τῷ ἔθει τῆς γραφῆς τὸ ὑστέρημα τὴν χρείαν παρεχόμενον τοῦ σημαινομένου. 27) ἑκατέρας οὖν τῶν εἰρημένων ἐπιδισαζομένης ἐννοίας εἰς τὸ ἀστασίαστον ἂν καὶ τρίτη δι' αὐτῶν προκύψασα, καὶ τὰς ἑκατέρωθεν λαβὰς μέθοδον ἐκεῖθεν συνευπορήσασα διαφυγεῖν, τοιαύτη τις ἂν εἴη. Δεῖ δὲ τῷ μὲν ὑστερήματι ὡς ἔθος χρῆσθαι τὸ γράμμα τὸ ἱερὸν, καὶ μηδὲν περὶ τὴν λέξιν καινοτομεῖν. ἀνταναπληρώσει 28) δὲ πῶς ὁ Παῦλος ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ; τοῦτό μοι συνδιασκόπει λοιπόν. οὐχ ὅσα Χριστὸς ὀφείλων παθεῖν οὐχ ὑπήνεγκεν οὗ μενοῦν. οὐδὲ γάρ τι ὅλως ὑστέρησεν. ἀλλὰ καὶ ὑπερεπλεόνασεν ἡ χάρις αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς. Ποῖα οὖν ὑστερήματα ἀνταναπληροῖ; ὅσα, εἴτ' ἔτι 29) τῷ ἀνθρώπου 30) βίῳ ἐπεδήμει ὁ σωτὴρ καθ' ὃν καιρὸν ὁ Παῦλος ἐκήρυξεν 31) ἔπαθεν ἂν διδάσκων, καὶ διὰ τῆς παρουσίας ἔτι 32) τοῦ πλάσματος προνοούμενος, ἐκεῖνα νῦν πάσχων ὁ Παῦλος ἀνταναπληροῖ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ. Τοῦτο γὰρ μᾶλλον ἐγγύτερον ἐστὶ τῇ τοῦ ῥήματος ἐμφάσει. οὐ γὰρ ἁπλῶς φησιν ἀνα-

que

27) 2. *Cor.* XI. 9.

28) ita *Colb.* pro ἄπαντα, πληρώσει.

29) Sic ſcribo pro εἴτε τι, quod eſt in *Coisl.* Conjecturam firmat tum ſenſus, tum mox ſequens ἔτι.

30) In *Coisl.* eſt ἀνθρώπῳ. Legi etiam poſſet ἀνθρωπίνῳ.

31) *Coisl.* male & nullo ſenſu, ἐκείρυσεν.

32) ἔτι ex *Colb.* pro τε τὰ, *Coisliniani.*

πληρῶ ἀλλ' ἀνταναπληρῶ, τυτέςιν ἀντὶ δεσπότυ ϰ̀ διδασκάλυ ὁ δῦλος ἐγὼ ϰ̀ μαθητὴς τὴν ἐκείνυ διακονίαν ὑπελθὼν, ϰ̀ τὰ ὑςερήματα τῶν θλίψεων αὐτῦ ἀνταναπληρῶ. ἅ γὰρ ἂν ἐκεῖνⓇ ὑπέςη, μὴ παραθέμενος μοι τὴν διακονίαν, ἐπεὶ παρέλαβον ταύτην, εἰκότως καὶ τὰ ὑςερήματα τῶν θλίψεων αὐτῦ ἐν τῷ σώματί μυ ἀνταναπληρῶ. Οτι δὲ διάδοχοι τῆς δεσποτικῆς διακονίας κατέςησαν οἱ μαθηταὶ, καὶ ἀλλαχόθεν μέν ἐςιν ὐ χαλεπὸν συνιδεῖν, ἀρκέσει δὲ κἀνταῦθα Παῦλος ἑαυτῷ. Τὰ γὰρ πάντα, φησὶν, ἐκ τῦ θεῦ, τῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ιησῦ Χριςῦ, καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. 33) καὶ, ὑπὲρ Χριςῦ πρεσβεύομεν, ὡς τῦ Θεῦ παρακαλῦντⓇ δι' ἡμῶν, δεόμενοι ὑπὲρ Χριςῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ. 34) Ωσπερ ὖν τὸν τῆς καταλλαγῆς λόγον ἐκληρώσαντο οἱ μαθηταὶ, καὶ πρεσβεύυσιν ὑπὲρ Χριςῦ, ὕτω καὶ, ἅπερ ἔμελλεν πάσχειν, ἔτι τὴν διακονίαν αὐτὸς ἐκπληρῶν, αὐτοὶ ταῦτα ἐν τῷ σώματι αὐτῶν εἰκότως ἀνταναπληρῦσιν. καὶ τύτων μάλιςα Παῦλος, ὅς θαῤῥῶν τοῖς ἔργοις λέγει, 35) ὐδενὸς τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποςόλων ὑςέρησα. 36) Καὶ σκόπει, ὅπως ἡ τῆς θεωρίας ταύτης ἐπι-

que enim ſimpliciter ait ἀναπληρῶ, ſed ἀνταναπληρῶ, h. e. pro Domino & Magiſtro ſervus ego & diſcipulus miniſterium ejus ſuſcipiens reliquias quoque paſſionum ejus viciſſim ſuppleo. Quæ enim ille perpeſſus eſt, cum nondum mihi hanc provinciam credidiſſet, eorum, poſtquam illam ſuſcepi, reliquias in corpore meo ſupplere convenit. Quod vero diſcipuli ſucceſſores Domini in miniſterio ſuo conſtituti ſint, etiam aliunde non difficulter intelligitur; heic vero Paulus ipſe ſibi ſuffecerit. *Omnia enim*, inquit, *ex Deo ſunt, qui nos ſibi reconciliavit per Jeſum Chriſtum, nobisque conciliationis miniſterium tradidit.* Item: *pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo obteſtante per nos pro Chriſto: reconciliemini Deo.* Sicut igitur verbum reconciliationis nacti ſunt diſcipuli, atque adeo pro Chriſto legatione funguntur; ita etiam ea, quæ Chriſtus adhuc perpeſſerus erat, ſi miniſterio illo amplius eſſet perfunctus, ipſi quoque in corpore ſuo convenienter pro ipſo ſuſtinent & implent; inter eos vero vel maxime Paulus, qui factis ſuis confiſus, dicit: *nullo eorum, qui valde ſunt Apoſtoli, inferior ſum.*

33) 2. *Cor.* V. 18.
34) *Ibid.* v. 20.
35) *Coisl.* male: ὁ θαῤῥῶν τοῖς ἔργοις λέγειν.
36) 2. *Cor.* XII. 11.

Vide vero præterea, expoſitionem hanc ita comparatam eſſe, ut nihil adfectati ſecum ferat. Vox enim ὑςέρημα nullam vim patitur, ſed ex conſueto Scripturæ uſu explicatur. Paulus vero illa ὑςερήματα ſupplet, non quæ ſimpliciter reliqua facta ſint, aut, quod Salvatori quicquam defuerit, quod abſurdum dictu foret; ſed illa, quæ, ſi miniſterium hoc Paulo aliiſque diſcipulis ſuis non commiſiſſet, perpeſſurus erat, & exantlaturus, quemadmodum antea præconio ipſe fungens, & regnum cœlorum annuncians, perpetiebatur. Sed hæc quidem ſtudio tuo præclaro velificantem dixiſſe, ſufficerit. Si quis poſterorum rectiora perſpexerit, nec illa mihi diſplicebunt.

βολὴ, ὐδὲν προϋπέσχετο κομψόν. τό, τε γὰρ ὑςέρημα ὐκ ἐκβιάζεται, ἀλλ᾽ εἰς τὸ ἔθος ἀνῆκε φέρεσθαι τῆς γραφῆς. καὶ τὰ ὑςερήματα ὁ Παῦλος ἀναπληροῖ, ὐχ ὅσα ἁπλῶς ὑςέρησεν, ὐδ᾽ ὅτι ὑςέρησέν τι ὁ Σωτὴρ, ὅπερ ἦν φορτικόν. ἀλλ᾽ ὅσα μὴ παραθέμενος τὴν διακονίαν Παύλῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμιληταῖς, ἔπαθεν ἂν καὶ ὑπέςη, καθ᾽ ὃν τρόπον καὶ πρὶν κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος τὴν βασιλείαν τῶν ὐρανῶν. Αλλ᾽ ἐμοὶ μὲν ὅσον ἀφοσιώσασθαί σε τὴν καλὴν φιλοπονίαν εἰρήσθω ταῦτα. Ει δέ τις καὶ ὀψιγόνων ἄμεινόν τι θεωροίη, ἐμοὶ δὲ ἄρα καὶ τῦτο φίλον.

QVÆST. CXLIV.

Non eſt nobis lucta adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi hujus rectores, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

ΕΡΩΤ. ΡΜΔ.

Ουκ ἔςιν ἡμῖν πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξυσίας, πρὸς τὺς κοσμοκράτορας τῦ κόσμυ τύτυ, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπυρανίοις. 1)

Principatus & poteſtates vocat Spiritus in aëre verſantes & malos, non quaſi illi poteſtatem in nos vel ſuo quodam jure, vel divinitus haberent, ſed quod nos ipſi peccatis nos reddimus obnoxios, quorum ſatores & ſtatores ſunt dæmones; qui

Αρχὰς καὶ ἐξυσίας ἐκάλησεν τὰ ἐναέρια καὶ πονηρὰ πνεύματα, ὐχ ὡς ἀρχὴν ἡμῶν ἢ ἐξυσίαν τινὰ οἴκοθεν ἢ ἄνωθεν ἐσχηκότων, ἀλλ᾽ ὡς ταῖς ἁμαρτίαις ἑαυτὺς ἡμῶν ἐκδεδωκότων, ὧν εἰσιν οἱ δαίμονες ὑποσπορεῖς τε 2) καὶ ὑποφῆ-

1) *Epheſ.* VI. 12.
2) *Colb.* pro ὑποσπορεῖσθαι.

Digitized by Google

ται, ἐκείνων 3) τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν ἐξουσίαν, δι' ὧν πράττομεν τὰ αὐτῶν θελήματα, παρεσχημένων. Καὶ γάρ φησιν ὁ αὐτὸς ἱερὸς ἄνθρωπος. Ὧι γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. 4) ἡττώμενοι γοῦν τοῖς ἐκείνων ἐρεθισμοῖς καὶ ὑποθήκαις, καὶ, πρὸς ἃ βούλονται τῆς ἁμαρτίας ἔργα, φερόμενοι, εἰκότως ἂν τοὺς ἄρχοντας καὶ ἐξουσιαστὰς τῶν ἐν ἡμῖν ἐκεῖθεν φυομένων παθῶν καθιστῶμεν, ἅτε δὴ τῆς μὲν ἐλευθερίας τοῦ παναγίου πνεύματος, καὶ τὸ τῆς αὐτεξουσιότητος ἀφῃρημένοι κύριον, εἰς δούλους δὲ ἑαυτοὺς καὶ ὑπευθύνους τῆς ἁμαρτίας γραψάμενοι. Διὰ τοῦτο οὐχ ἁπλῶς τὰ τῆς πονηρίας πνεύματα τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας καλεῖ, ἀλλὰ τοὺς κοσμοκράτορας καὶ τοῦ κόσμου. * κόσμον ἐνταῦθα, ὡς ἔθος τῇ γραφῇ, οὐ τὸ δημιούργημα τὸ ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν μέσῳ προαχθὲν, ἄπαγε. ἀλλὰ κόσμον τοὺς τὰ κοσμικὰ φρονήματα καὶ σαρκικὰ ἐπανῃρημένους, καὶ πρὸς τὰ τὰς αἰσθήσεις θέλγοντά τε καὶ ἐκθηλύνοντα 5) ἐπτοημένους, καθ' ὃ σημαινόμενον καὶ ὁ σωτὴρ ἔλεγεν, περὶ τῶν μαθητῶν, ὅτι οὐκ εἰσὶν ἐκ τοῦ κόσμου. 6) Εὔδηλον μὲν γάρ, ὅτι καὶ οὗτοι 7)

qui proinde dominium & poteſtatem per ea, quibus ipſis morigeramur, in nos exercent. Idem enim vir ſanctus ait: *a quo enim vincitur aliquis, illius quoque ſervus factus eſt.* Quando igitur ab illorum incitamentis & conſiliis ſuperamur, & in peccata, quæ volunt, perpetranda ruimus, fieri non poteſt, quin eosdem dominos & tyrannos eorum, qui inde in nobis excitantur, adfectuum conſtituamus. Sanctiſſimi enim Spiritus libertate hoc modo privati, noſtroque, quo liberi fruebamur, jure ſpoliati, nos ipſos in ſervorum peccatisque obnoxiorum ordinem transſcribimus. Propterea illos nequitiæ ſpiritus non ſimpliciter principatus & poteſtates, ſed mundi rectores & quidem mundi hujus appellat. Mundum vero hic non, quod alias Scripturæ receptum eſt, ſtructuram ex cœlo, terra, iisque, quæ media intercedunt, conſtantem, appellat: abſit, ut ita ſtatuamus; ſed mundum vocat homines, mundanas & carnales cupiditates conſectantes, atque ea, quæ ſenſibus blandiuntur, mentemque effœminatam reddunt, depereuntes. Hoc ſenſu Salvator de diſcipulis ſuis dicebat, *quod non ſint de mundo.* Manifeſtum enim eſt, quod

3) ἐκείνων ſcripſi pro ἐκεῖνα,
4) 2. *Pet.* II. 19.
* Excidiſſe puto τοῦτο. Sic enim habet contextus.
5) *Coisl.* ἐκθηλύνοντα.
6) *Joan.* XV. 19.
7) καὶ οὗτοι, addidi ex *Colb.*

quod & illi ad mundum, tanquam opificium Dei, ſicut totum hominum genus, pertinebant. *Eoſdem vero ex mundo non eſſe* ait, h. e. non erant ex illis, qui fluxis & inanibus mundanæ vanitatis & fraudis delinimentis caperentur. Voces porro illas, *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις* nonnulli, id, quod primum obvium eſt, illi, quod humanius eſt, præferentes, mutato vocis initio non *ἐπουρανίοις*, ſed *ὑπουρανίοις* legunt, (quamvis ita quidem codices ſacri non habeant) dicuntque, dæmonia *ὑπουράνια*, h. e. *ſpiritualia nequitiæ*, appellari. Quamvis enim ſive circa aërem, ſive circa terram illa verſentur, utrinque *ὑπουράνια* vocari poſſe. Sed quanquam hæc eorum cogitata non impia ſint, mutatio tamen illa non eſt pia. Nullo enim modo, ne quod ad unam quidem literam, dictiones ſacras mutare fas eſt, inprimis, cum ex lectione, quam dixi, ſalva & intemerata commodus loci ſenſus prodeat. *Ἐπουράνια* enim etiam illa vocari ſolent, quæ cœlo continentur, v. c. aër: nihilque obſtat, quo minus, quæ in cœlo verſantur, h. e. ſpiritulia nequitiæ dæmonia a ſua in illo commo-

ἐκ τοῦ δημιουργήματος ἦσαν, ὥσπερ 8) καὶ σύμπαν τὸ ἀνθρώπινον γένος. ἀλλ' οὐκ ἦσαν, φησὶν, ἐκ τοῦ κόσμου, τουτέστιν, οὐκ ἦσαν ἐκ τῶν ἐπτοημένων πρὸς τὰ φθαρτὰ καὶ ἐπίκηρα τῆς κοσμικῆς ματαιότητος καὶ ἀπάτης. Τὸ δὲ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις τινὲς μὲν τὸ πρόχειρον τοῦ φιλανθρώπου προτιμήσαντες, μεταπλάττοντες τὴν τῆς λέξεως ἀρχὴν, οὐκ ἐπουρανίοις, 9) ἀλλ' ὑπουρανίοις ἐξακούουσιν, οὐχ οὕτως τῆς ἱερᾶς ἡμῶν γραφῆς ἐχούσης, καὶ φασὶ τὰ δαιμόνια καλεῖσθαι ὑπουράνια, τουτέστι τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. καὶ γὰρ κἄντε περὶ ἀέρα, κἄντε περὶ γῆν αὐτῶν ἡ διατριβὴ, οὐδὲν ἧττον ἂν ὑπουράνια ῥηθείη. ἀλλὰ τούτων μὲν κἂν ἡ διάνοια οὐκ ἀσεβὴς, ὅμως ὁ μεταπλασμὸς οὐκ εὐσεβής. Οὐ δεῖ γὰρ οὐδ' ὅλως, οὐδ' ἐφ' ἑνὶ γράμματι, παραχαράττειν τὰς λέξεις τὰς ἱερὰς, μάλιστά γε 10) ὅτι καὶ τῆς ἀπαραχαράκτου λέξεως ἐχούσης, ὡς ἔφην, ἀνεμποδίστως ἡ τοῦ ῥητοῦ πρόεισι διάνοια. Καὶ γὰρ ἐπουράνια καὶ τὰ ἐντὸς τοῦ οὐρανοῦ εἰώθεν καλεῖσθαι, οἷον ὁ ἀήρ. καὶ οὐδὲν κωλύει, τὰ ἐν αὐτῷ διατρίβοντα, 11) τουτέστι τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας δαιμόνια ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ διατριβῆς

ratione

8) *idem* pro ὡς.
9) Id quidem in nullo codice adhuc inventum eſt. *Gundlingius* tamen ita legi volebat, contra quem vide, quæ in *Curis* meis ad *Epheſ.* l. c. diſputavi.
10) *Colb.* recte pro κάλλιστά γε.
11) διατρίβοντα - ἐν αὐτῷ, ex *Colb.* addidi.

οὕτως ὀνομάζεσθαι. πνευματικὰ δὲ εἴρηται, ὅτι σαρκὸς καὶ αἵματος οὐ μετέχει, ἀλλὰ ἄϋλόν τινα καὶ ἄσαρκον τὴν οὐσίαν ἀπ' ἀρχῆς ἐκληρώσαντο. Ἀκολουθοτέρον δ' ἄν τις καὶ τοῦ προκειμένου φαίη, ὡς ἐπουράνια ἐνταῦθα τὴν εὐσέβειάν τε καὶ τὰς ἀρετὰς ἐπωνόμασε. Καὶ γὰρ διὰ ταῦτα τὴν τῶν οὐρανῶν κληροδοτούμεθα βασιλείαν, καὶ ἔστι ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν ταῖς ἀρεταῖς τε καὶ ἐν τῇ εὐσεβείᾳ, ἡμῶν μὲν κατορθοῦν ταῦτα σπουδαζόντων, ἐκείνων δὲ τὸν δυνατὸν αὐτοῖς τρόπον ἀντιτιθέντων, καὶ πάντα πόλεμον 12) ἀναδεχομένων. Διὸ σοφῶς 13) ὁ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος καὶ ἁρμοδίως ἔφη, ὡς οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, τουτέστι, τὰ μήτε σαρκὶ μήτε αἵματι συνδεδεμένα δαιμόνια. Καὶ τότε ἐν τίσι καὶ περὶ τίνων ὁ πόλεμος; ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, φησὶν, τουτέστιν ἐν τοῖς προξένοις τοῦ οὐρανίου σκηνώματος, ὅπερ ἐστὶν, ὡς εἴρηται, ἡ εὐσέβεια, καὶ τῶν ἀρετῶν ὁ χορός. Ει δέ τις 14) ἐν τοῖς ἐπουρανίοις προχειρότερον ἐκλαβεῖν θέλοι αὐτὴν τὴν ἐπουράνιον κατοικίαν, καὶ οὕτω 15) ὁ τῆς εὐσεβείας νοῦς εὐοδοῦται. Καὶ γὰρ ἡ πρὸς αὐτοὺς ἐστι πάλη, ἡμῶν μὲν ἀγωνιζομένων τυχεῖν τῆς οὐρανίου κληροδοσίας, ἐκείνων δὲ τοῦ στερῆσαι ταύ-

ratione ita appellentur. Spiritualia vero vocantur, quod carnem & ſanguinem non habent, ſed ab initio eſſentiam materiæ & carnis expertem nacta ſunt. At argumento convenientius dixeris, ἐπουράνια hoc loco pietatem & virtutes appellari. Propter illa enim regnum cœlorum adipiſcimur, luctaque adeo nobis eſt *adverſus ſpiritualia nequitiæ* in virtutum pietatisque ſtudio, quando nos quidem illis operam damus, illa vero, quoad poſſunt, ſe opponunt, & bellum undiquaque movent. Propterea communis orbis doctor ſapienter & convenienter dixit: *non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus ſpiritualia nequitiæ*, h. e. adverſus dæmonia, nec carni nec ſanguini juncta. Bellum vero illud in quibus & de quibus agitur? *in cæleſtibus*, inquit, h. e. in illis rebus, quæ cœleſte habitaculum nobis conciliant. Tales vero ſunt, ut monitum eſt, pietas & virtutum chorus. Si quis vero phraſin, *in cæleſtibus*. propius accipere malit de cœleſti habitatione, & ſic quoque ſancta Pauli mens perſpicietur. Lucta enim adverſus dæmonas ſuſcipitur, nobis quidem ad cœleſtem hæreditatem contendenti-

12) *Idem* pro πολέμιον.
13) Sic ſcribendum pro σοφὸς, quod eſt in *Coislin.*
14) τις *Colb.* recte pro τοῖς.
15) οὕτω ſcribo, pro οὗτος.

dentibus, illis vero eadem, qua ipſi exciderunt, etiam nos privare conantibus.

της καὶ ἡμᾶς, ἐξ ἧς αὐτοὶ καταπεπτώκασιν.

QUÆST. CXLV.

Quare liber Actuum Apoſtolicorum ita inſcribitur, cum tamen duodecim Apoſtolorum acta non contineat, ſed initio quidem miracula & doctrinas paucas Apoſtolorum, poſtea vero tota tractatio in Paulum convertatur?

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΜΕ.

Διὰ τί πράξεις τῶν Αποςόλων, ἐπιγράφεται τὸ βιβλίον, καίτοιγε οὐ τῶν δώδεκα πράξεις περιέχει, ἀλλὰ κατ' ἀρχὰς μὲν θαύματα καὶ διδασκαλίαν ὀλίγην 1) τῶν Αποςόλων, ἐφεξῆς δὲ εἰς Παῦλον κινεῖται πᾶσα ἡ πραγματεία;

Actuum Apoſtolicorum, inquit, liber vocatur, quamvis duodecim Apoſtolorum acta non complectatur, ſed primum quidem miracula & exiguam partem doctrinæ Apoſtolorum, poſtea vero tota tractatio in Paulum transferatur. Enimvero liber propterea Actuum Apoſtolicorum titulum refert, quia, teſte Paulo, *membro uno glorificato omnia membra ſimul glorificantur.* Similiter quoque hic Scriptor, Petri & Pauli acta communia faciens, librum hunc Apoſtolorum acta inſcripſit. Quod ſi porro ſub capite totum corpus comprehenditur, convenienter acta præcipuorum actus Apoſtolorum vocantur, quem-

Οτι πράξεις, φησὶν, 2) τῶν Αποςόλων ἐπιγράφεται τὸ βιβλίον, καίτοιγε οὐ τῶν δώδεκα πράξεις περιέχει. ἀλλὰ κατ' ἀρχὰς μὲν θαύματα καὶ διδασκαλίαν ὀλίγην τῶν Αποςόλων, ἐφεξῆς δὲ εἰς Παῦλον κινεῖται πᾶσα ἡ πραγματεία. πλὴν διὰ τοῦτο πράξεις τῶν Αποςόλων ἐπιγράφεται, διότι, κατὰ τὸν Παῦλον, δοξαζομένου ἑνὸς μέλους συνδοξάζεται πάντα τὰ μέλη. 3) Ουτω δὲ καὶ τὰς Πέτρου καὶ Παύλου πράξεις κοινοποιούμενος ὁ συγγραφεὺς τῶν Αποςόλων τὸ βιβλίον ἐπέγραψε πράξεις. εἰ δὲ καὶ τῇ κορυφῇ συμπεριλαμβάνεται τὸ ὅλον σῶμα, εὐλόγως ἂν τὰς κορυφαίων πράξεις ἐκάλεσαν τῶν Αποςόλων, πλήν γε

1) ὀλίγην habet apographum meum, quod ex *Coislin.* codice petitum puto. Ex eo tamen præſtantiſſimus *Monteſalconius* p. 337. ὀλίγων exhibet. Malim alterum illud. Mox enim in limine tractationis itidem legitur ὀλίγην, & paulo poſt διήγησις τῆς διδασκαλίας ἐπ' ὀλίγον παρατείνεσθαι dicitur.

2) Ex hoc verbo fortaſſe colligas, Photium hæc aliunde mutua ſumſiſſe.

3) 1. *Cor.* XII. 26. ubi tamen pro συνδοξάζεται legitur συγχαίρει.

καὶ ἡ κοινὴ τῶν Αποςόλων ἐμπεριεχομένη ταύταις διδασκαλία, κἂν ἐπ' ὀλίγον ἡ ταύτης διήγησις παρατείνεται, ἀλλ' ἀφορμὴν τῆς ἐπιγραφῆς παρέχεται εὔλογον. Τὸν δὲ συγγραφέα τῶν Πράξεων οἱ μὲν Κλήμεντα λέγουσι τὸν Ῥώμης, ἄλλοι δὲ Βαρνάβαν, καὶ ἄλλοι Λουκᾶν τὸν Ευαγγελιςήν. Αυτὸς δὲ Λουκᾶς ἐπικρίνει, πρῶτον μὲν ἐξ ὧν προοιμιάζεται, ὡς καὶ ἑτέρα αὐτῷ πραγματεία, τὰς δεσποτικὰς περιέχουσα πράξεις καταβέβληται. Δεύτερον δὲ, ἐξ ὧν καὶ τῶν ἄλλων ἐυαγγελιςῶν διαςέλλεται, ὅτι μέχρι τῆς ἀναλήψεως οὐδεὶς αὐτῶν τὸ σύνταγμα προελθεῖν ἐποιήσατο, ἀλλ' οὗτος μόνος καὶ τὴν ἀνάληψιν ἀκριβῶς ἐξηγήσατο, καὶ πάλιν τὴν τῶν Πράξεων ἀπαρχὴν ἀπὸ ταύτης ὑπεςήσατο. Ματθαίου μὲν γὰρ τέλος ἔχει τὸ ἐυαγγέλιον, οἱ ἕνδεκα μαθηταὶ ἐπορεύθησαν. τέλος ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. 4) ἀμήν. καὶ περὶ μὲν τῆς ἀναλήψεως οὐδὲν προστίθησι. Μάρκος δὲ εἰ καὶ μνημονεύει, ἀλλ' ὡς ἐν ἐπιδρομῇ, λέγων· 5) Ο μὲν οὖν Κύριος μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. Ουτε γὰρ τὸν τρόπον, οὐδ' ἄλλό τι τῶν συνεκτικῶν κεφαλαίων τῇ τηλικαύτῃ πράξει συνδιέλαβεν. Ιωάν-

quemadmodum & doctrina, tanquam Apoſtolis communis, in illis traditur, quamvis enarratio ejus ſuccincte & paucis fiat, commodam tamen hujus inſcriptionis occaſionem ſuppeditat. Scriptorem vero Actuum alii *Clementem Romanum* appellant, *Barnabam* alii, alii vero *Lucam Evangeliſtam*. Ipſe vero *Lucas* rem definit, quando primum quidem in limine libri præmonet, quod aliam commentationem, Domini geſta complectentem, ſcripſerit; deinde vero a ceteris Evangeliſtis in eo differt, quod nemo eorum tractationem ſuam usque ad Aſcenſionem Chriſti producit, ipſe vero ſolus & Aſcenſionem illam accurate expoſuit, & ab eadem Actuum initium fecit. *Matthæi* quidem Evangelium in eo definit, ut diſcipuli undecim profecti dicantur, finisque ejus eſt: *usque ad conſummationem mundi: Amen.* Itaque de Aſcenſione nihil addit. *Marcus* vero non tam enarrat eam, quam obiter quaſi commemorat, dicens: *Dominus itaque, poſtquam cum illis locutus erat, receptus eſt in cœlum, & conſedit ad dextram Dei.* Itaque nec modum, nec locum, nec alia, quæ cum actione hac conjuncta erant, perſequitur. *Joannis* denique

4) *Matth.* XXVIII. 20.
5) *Marc.* XVI. 19.

Evangelium hiſtoriam Aſcenſionis in fine non tradidit, ſubinnuit vero, multa alia feciſſe Jeſum, quibus in unum collatis, non credere ſe, ipſum mundum libros de iis ſcriptos capere poſſe. Itaque unus *Lucas*, quod dixi, & Aſcenſionem in fine Evangelii latius perſequitur, & ab eadem Actuum facit initium.

νυ δὲ τὸ εὐαγγέλιον τέλει ἀναλήψεως μὲν ὐ παρέδωκεν ἱςορίαν, ἐπεσημαίνετο δὲ, ὅτι πολλὰ καὶ ἄλλα ἐπόιησεν ὀ Ιησῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ᾽ ἕν, ὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. 6) Μόνος δὲ, ὡς εἴρηται, Λυκᾶς καὶ τὴν ἀνάληψιν ἐν τῷ τέλει τῦ εὐαγγελίυ πλατύτερον διεξῆλθεν, καὶ τὴν ἀρχὴν τῶν πράξεων ἀπὸ ταύτης προάγει.

QVÆST. CXLVI.

Quoties Chriſtus Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam apparuit, & ubi, & quando?

Intra quadraginta dies Salvator à diſcipulis conſpectus eſt, undecies vero tantum ſe illis conſpiciendum præbuit; nec ſine ratione. Cum enim undecim eſſent diſcipuli, undecies quoque iisdem apparuit. Vnde vero probari poteſt, undecies tantum eum ab illis ita conſpectum fuiſſe? Scilicet primum apparuit Mariæ juxta ſepulcrum, nec minus fœminis aliis. Id quod & *Eſaias* prænunciavit, mulieres appellans, & dicens: *mulieres a viſione revertentes, venite annunciate nobis.* Poſtea apparuit Petro, deinde Cleophæ ejusque ſociis,

ΕΡΩΤ. ΡΜϚʹ.

Ποσάκις ὁ Χριςὸς τοῖς Αποςόλοις μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάςασιν ὤφθη, καὶ πῦ, καὶ πότε;

Οτι ἐν τεσσαράκοντα ἡμέραις τοῖς μαθηταῖς ὁ Σωτὴρ ὠπ]άνετο, ἐνδεκάκις δὲ μόνον αὐτοῖς εἰς ὀπτασίαν κατέςη. καὶ εἰκότως, ἕνδεκα γὰρ ὄντων τῶν μαθητῶν, ἐνδεκάτην καὶ αὐτὸς τὴν ὀπτασίαν ἐποιήσατο. πόθεν δὲ ἡ ἀπόδειξις, ὡς ἕνδεκα μόνον ὤφθη ἐντεῦθεν; Καὶ γὰρ πρῶτον μὲν ὤφθη τῇ Μαρίᾳ ἐν τῷ μνήματι, ϗ ταῖς ἄλλαις γυναιξίν. 1) ὥσπερ καὶ Ησαίας προαναφωνεῖ, καλῶν τὰς γυναῖκας, καὶ λέγων· γυναῖκες ἐρχόμεναι ἀπὸ θέας, δεῦτε, ἀναγγείλατε ἡμῖν. 2) ἔπειτα ὤφθη Πέτρῳ, 3) εἶτα τοῖς περὶ Κλεόπαν, 4) εἴς τε τὴν ὁδὸν

cum

6) *Joan.* XXI, 25.
1) *Joan.* XX. 14.
2) *Jeſ.* XXVII. 11, ubi tamen ultima verba: ἀναγγείλατε ἡμῖν, fruſtra quæſiveris.
3) 1. *Cor.* XV, 5.
4) *Luc.* XXIV, 16.

ἐπιοῦσιν αὐτοῖς εἰς Ἐμμαοὺμ, κἂν οὔπω συνήεσαν ἐκεῖνοι, καὶ ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, ὅτε ἐφανέρωσεν αὐτοῖς ἑαυτόν. εἶτα τοῖς δέκα, 5) μὴ παρόντος Θωμᾶ, 6) οὔσης ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. εἶτα ὁμοῦ ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς, ἐφάπαξ, ὡς ἐπισημαίνεται Παῦλος, 7) ὅτι καὶ αὐτῶν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι. ἔτι δὲ Ἰακώβῳ. 8) καὶ τοῦτο Παῦλος διδάσκει οὐχὶ μόνον τοῖς δώδεκα. καὶ γὰρ προλαβὼν εἶπεν· ὤφθη Κηφᾷ. εἶτα τοῖς ἕνδεκα. 9) καὶ οὕτως ἐπήγαγεν τοῖς Ἀποσόλοις. εἶτα τοῖς ἑπτὰ ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος, τουτέσιν Πέτρῳ καὶ Θωμᾷ καὶ Ναθαναὴλ, Ἰακώβῳ καὶ Ἰωάννῃ, καὶ ἄλλοις δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. 10) εἶτα τοῖς Ἀποσόλοις πᾶσιν, 11) τουτέσι τοῖς ἑβδομήκοντα. εἶτα εἰς τὸ ὄρος τῆς Γαλιλαίας 12) οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, 13) ὅτε 14) καὶ ἡ ἀνάληψις.

cum iter Emauntem facerent, rem ipſam nondum edocti, & cum in fractione panis ſe ipſum illis manifeſtaret. Porro decem diſcipulis, cum *Thomas* non adeſſet, & quidem ſub veſperam ipſo reſurrectionis die. Inde diſcipulis undecim, præſente etiam & annumerato illis Thoma. Poſtea fratribus quingentis & amplius ſimul, quorum pleroſque adhuc ſupereſſe Paulus teſtatur. Præterea Jacobo; quod idem Paulus docet, non quidem tantum inter duodecim illos. Ante enim dixerat: *apparuit Cephæ: poſtea duodecim illis;* adeoque Apoſtolis illum ſuperaddidit. Deinde ſeptem illis, ad mare Tiberiadis congregatis, h. e. Petro, Thomæ, Nathanaeli, Jacobo, Joanni, & aliis duobus diſcipulis ſuis. Porro Apoſtolis omnibus, h. e. ſeptuaginta diſcipulis. Deinde in monte Galilææ, quo convenire eos Jeſus juſſerat, & in monte oliveti, unde & Aſcenſio facta eſt.

5) *Joan.* XX. 19.
6) ibid. v. 26.
7) 1. *Cor.* XV. 6.
8) 1. *Cor.* XV. 7.
9) 1. *Cor.* XV. 5. legis τοῖς δώδεκα.
10) *Joan.* XXI. 2.
11) 1. *Cor.* XV. 7.
12) *Matth.* XXVIII. 7.
13) *Act.* I. 12.
14) Legere malim ὅθεν.

QVÆST. CXLVII.

Quare Chriſtus præcepit Apoſtolis, ne Hieroſolymis diſcederent, *&*, quando promiſſionem Patris audiverunt?

Præcepit illis, ne Hieroſolymis diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris, quam ex ſe audiverint. Quod ſervator id dixerit, manifeſtum utique eſt. Dixerat enim: aſcendo ad Patrem meum, & precabor illum, & mittet vobis paracletum. Vbi vero Pater illud promiſit? Hæc enim Patris promiſſio ex Evangelio non conſtat. Nonne igitur conſequitur, in Prophetis eam inveniri? Id enim Paulus quoque teſtatur, dicens: ***Paulus, ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſeparatus ad Evangelium Dei, quod antea promiſit per Prophetas ſuos in Scripturis ſacris de filio ſuo.*** Quando itaque Evangelium ante promiſit, promiſit etiam, ſe Spiritum S. daturum eſſe. Deus vero etiam per Prophetam ait: ***In ultimis diebus, dicit Deus omnipotens, de Spiritu meo effundam in omnem carnem. & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ.*** En promiſſionem! Impleta vero illa eſt, quando Spiritus Sanctus ſub

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΜΖ.

Διὰ τί παρήγγειλεν ὁ Χριςὸς τοῖς Αποςόλοις ἀπὸ Ιεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, καὶ, πότε τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Πατρὸς ἤκουσαν; 1)

Παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπό Ιεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἥν ἠκούσατέ μου. Αλλ᾽ ὅτι μὲν ὁ Σωτὴρ ἔφη, τοῦτο δῆλον. Ειπεν γὰρ, ὅτι ἀναβαίνω πρὸς τὸν Πατέρα μου, καὶ παρακαλῶ αὐτὸν, καὶ πέμπει ὑμῖν τὸν παράκλητον. 2) ὁ δὲ πατὴρ ποῦ ἐπηγγείλατο; ἐκ μὲν γὰρ τοῦ εὐαγγελίου ἡ τοῦ πατρὸς ἐπαγγελία οὐχ εὑρίσκεται. ἤ δῆλον, ὡς ἐν τοῖς Προφήταις εὑρίσκεται; ὡς μαρτυρεῖ καὶ Παῦλος λέγων. Παῦλος, δοῦλος Ιησοῦ Χριςοῦ, κλητὸς Απόςολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, ὅ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. 3) Προεπηγγειλάμενος τοίνυν εὐαγγέλιον ἐπηγγείλατο καὶ πνεῦμα ἅγιον διδόναι. Λέγει δὲ καὶ διὰ τοῦ Προφήτου ὁ Θεός· ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις λέγει Κύριος παντοκράτωρ· ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν. 4) ἰδοὺ ἡ ἐπαγγελία. ἡ δὲ ἔκβασις, ὅτι 5) τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν

1) *Act.* I. 4.
2) *Joan.* XIV. 16. cujus tamen non tam verba, quam ſenſum recitat *Photius.*
3) *Rom.* I. 2.
4) *Joel.* III. 1. ſqq.
5) Legere malim, ὅτε,

Digitized by Google

ἐν εἴδει γλωσσῶν ἐφ' ἕνα ἕκαςον τῶν μαθητῶν ἐκάθισε, 6) καὶ ἐλάλȣν τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃. Οτι δὲ ὁ πατὴρ ταῦτα λέγει, ȣ̓χ ὁ υἱὸς, ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς δῆλον. Καὶ δώσω γάρ, Φησι, σημεῖα ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ ἄνω, καὶ ἐν τῇ γῇ κάτω. Αιμα μεν γὰρ, ὁ παραδόξȣ σημείȣ λόγον ἐπέχει, τὸ ἐκ τῆς δεσποτικῆς μετὰ θάνατον ῥεῦσαν πλευρᾶς, πῦρ δὲ, τὸ τοῖς Αποςόλοις, ὡς προείρηται, διαιρεθέν. Αλλὰ καὶ ὁ ἥλιός, Φησιν, μεταςραΦήσεται εἰς σκότος, καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν Κυρίȣ τὴν μεγάλην καὶ ἐπιΦανῆ, τȣτέςι, τȣ̃ υἱȣ̃. Οτι δὲ ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς εἴρηται ταῦτα, καὶ ȣ̓κ ἀπὸ τȣ̃ ΠροΦήτȣ, ἡ ἀρχὴ τȣ̃ ῥητȣ̃ μαρτυρεῖ. ἔχει γὰρ ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, λέγει Κύριος, ἐκχεῶ ἀπὸ τȣ̃ πνεύματός μȣ ἐπὶ πᾶσαν σάρκα καὶ ἑξῆς. Κύριος δὲ δῆλον, ὅτι ȣ̓χ ὁ προΦήτης, ὁμόδȣλος ὢν ἡμῖν, ἀλλ' ὁ τȣ̃τον ἐπεςαλκὼς Θεὸς καὶ πατήρ.

ΕΡΩΤ. ΡΜΗ.

Πότε ἐβαπτίσθησαν οἱ Απόςολοι καὶ παρὰ τίνος;

Ευρίσκομεν τȣ̀ς Αποςόλȣς λαβόντας βάπτισμα πρὸ τȣ̃ πάθȣς Χριςȣ̃ τὸ Ιωάννȣ. ὁ δὲ Σωτὴρ πρὸ τȣ̃ πάθȣς ȣ̓ δίδωσι βάπτισμα ἕτερον, ἵνα μὴ λύσῃ τὸ Ιωάννȣ κήρυγμα, καὶ δῷ ἀΦορμὴν τοῖς ἀντιλέγȣσιν Ιȣδαίοις, ὅτι πρὸς ὕβριν

6) *Act.* II. 3.
1) *Act.* I. 5.

ſub ſpecie linguarum in unoquoque diſcipulorum conſedit, ipſique magna Dei opera exponebant. Patrem vero hæc, non Filium, loqui, ex ſequentibus apparet. *Dabo enim*, inquit, *ſigna in cælo ſupra, & in terra infra.* Sanguis enim, qui ſigni mirabilis rationem habet, ille eſt, qui ex Domini latere poſt obitum fluxit; ignis vero ille, qui, ut dictum eſt, Apoſtolis eſt diſtributus. *Sed & Sol*, inquit, *in tenebras convertetur, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magna & illuſtris*, h. e. Filii. Hæc autem a Patre, non à Propheta, dici, initium oraculi hujus teſtatur. Id enim ita habet: *In ultimis diebus*, inquit Dominus, *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem* &c. Manifeſtum hinc eſt per Dominum non Prophetam, qui conſervus noſter eſt, ſed Deum & Patrem, qui eum miſerit, indicari.

QUÆST. CXLVIII.

Quando baptizati ſunt Apoſtoli, & à quo?

Videmus Apoſtolos ante paſſionem Chriſti baptiſmum Joannis accepiſſe. Neque enim Salvator ante paſſionem alium baptiſmum contulit, ne ſcilicet præconium Joannis irritum redderet, aut Judæis adverſantibus

occaſionem præberet dicendi, quod in opprobrium Joannis baptiſmum quendam proprium invexerit. Quod vero illi deerat, ſupplebat, non aqua baptizans, ſed Spiritu. Sic enim ipſe ait: *vos vero baptizabimini Spiritu Sancto, non poſt multos dies*, nempe decem. Decem vero dies huic operi definiuntur, ut fides Apoſtolorum probaretur. Gratis enim quieſcente, nulloque eorum, quæ promiſſa erant, comparente, fides eorum exercebatur, ſpes vero occaſionem nanciſcebatur, fidem non dubiam pariendi. Spiritu itaque Sancto baptizari, idem eſt, quod Spiritum Sanctum accipere. Spiritu igitur & aqua ante perpeſſionem Chriſti baptizati erant Apoſtoli, lavacrumque illud iisdem in remiſſionem peccatorum, non autem Spiritus Sancti collationem, cedebat. Joannem vero Apoſtolos baptizaſſe, Dominus noſter docet, ad Petrum, cum lavandus eſſet, abnuentem, dicens: *qui lotus eſt, neceſſe non habet lavari, niſi quod ad pedes.* Hac enim voce oſtendit, non Petrum ſolum, ſed etiam ceteros, quorum itidem pedes tantum lavabat, Joannis baptiſmo eſſe ablutos. Salvator igitur baptiſmum pœnitentiæ, qui a Joanne in remiſſionem peccatorum admini-

τȣ̃ βαπτιςȣ̃ ἴδιον ἐπεισήγαγεν βάπτισμα. ἀναπληροῖ δὲ τὸ λεῖπον. ȣ̓κ ἐν ὕδατι βαπτίζων ἀλλ' ἐν πνεύματι. καθὼς καὶ αὐτός, φησιν, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ ȣ̓ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας, δηλονότι δέκα. Δίδονται δὲ προθεσμίαι δέκα ἡμέραι διὰ γυμνασίαν τῆς τῶν Αποςόλων πίςεως. Ησυχαζȣ́σης τῆς χάριτος, καὶ μηδενὸς τῶν ἐπηγγελμένων φαινομένων, ἐγυμνάζετο αὐτῶν ἡ πίςις, καὶ ἡ ἐλπὶς τὸ ἀδίςακτον 2) καρποφορεῖν καιρὸν ἐλάμβανεν. Τῷ γȣ̃ν βαπτισθῆναι ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἴσόν ἐςι τὸ λαβεῖν πνεῦμα ἅγιον. Ησαν ȣ̓̃ν πνεύματι καὶ ὕδατι πρὸ τȣ̃ πάθȣς βαπτισθέντες οἱ Απόςολοι. καὶ ἦν τὸ λȣτρὸν ἐκεῖνο ἐις ἄφεσιν μὲν ἁμαρτιῶν, ȣ̓κ ἐις μετοχὴν δὲ πνεύματος ἁγίȣ. Οτι δὲ τȣ̀ς Απόςολȣς ὁ Ιωάννης ἐβάπτισε, φανερὸν ὁ δεσπότης ποιεῖ, ἐν τῷ λέγειν πρὸς τὸν Πέτρον, κατὰ τὸν καιρὸν τȣ̃ νιπτῆρος ἀνανεύοντα· 3) ὁ λελȣμένος ȣ̓κ ἔχει χρείαν νίψασθαι, εἰ μὴ τȣ̀ς πόδας. 4) Εδειξε γὰρ διὰ τῆς φωνῆς ȣ̓ μόνον τὸν Πέτρον λελȣμένον, ἀλλὰ καὶ τȣ̀ς ἄλλȣς ἐν τῷ νίπτειν αὐτῶν τȣ̀ς πόδας μόνον, τῷ τȣ̃ Ιωάννȣ βαπτίσματι. Ο Σωτὴρ ȣ̓̃ν τὸ μὲν βάπτισμα τῆς μετανοίας καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τελȣ́μενον παρὰ τȣ̃ Ιωάννȣ ȣ̓κ ἠθέτησεν,

ſtra-

2) Sic ſcribo pro ἀδιάςακτον. Noſtra illa voce *Photius* infra Reſp. CLIV. & alias, utitur.
3) Ita legendum pro ἀνανεύοντος.
4) *Joan.* XIII. 10.

ἀλλὰ καὶ ἐτελείωσε προσθεὶς τῇ τοῦ παναγίου πνεύματος δωρεᾷ.

ΕΡΩΤ. ΡΜΘ.

Πῶς οἱ εἰς Χριστὸν βαπτιζομένοι Χριστὸν ἐνδύονται;

Ει μὴ Θεὸς τὸ πνεῦμα, εἰ μὴ θεϊκῆς χάριτος πηγὴ, πῶς οἱ θεϊκὸν ἔνδυμα τὸν Χριστὸν ἐνδυσάμενοι ἰδιωτικὸν τὸ τοῦ πνεύματος ἐπενδύονται; Ει γὰρ, ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθησαν, Χριστὸν ἐνεδύσαντο, 1) λέγει δὲ ὁ Σωτὴρ, μείνατε ἐν Ἱερουσαλὴμ 2) ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, πῶς ἐν τῷ καιρῷ τοῦ δεσποτικοῦ ἐνδύματος δουλικὸν ἐνδυόμεθα; ἀλλὰ δῆλον ἄρα ἑκάτερον ἔνδυμα ὁμότιμον, καὶ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τῆς εὐεργεσίας καὶ χάριτος παρίστησιν αὐθεντείαν; Ἔνδυμα δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγεται τῶν πιστῶν, οὐχ ὡς ἱμάτιον, ἀλλ' ὡς ἐνδύεται σίδηρος τὸ πῦρ· οὐκ ἔξωθεν περιβαλλόμενος, ἀλλ' ὅλος δι' ὅλου. οὕτω γὰρ καὶ τὸν Χριστὸν τὸ παναγίον πνεῦμα οὐχ ὡς ἱμάτιον, ἔξωθεν περικείμενον, περιβαλλέμεθα, ἀλλ' ὡς τὴν καρδίαν καὶ τοὺς λογισμοὺς πληρούμενοί τε φωτὸς καὶ τὸ πρόσωπον χάριτος.

ſtrabatur, adeo non abrogavit, ut addito Spiritus S. dono eum perfecerit.

QVÆST. CXLIX.

Quomodo, qui in Chriſtum baptizantur, Chriſtum induunt?

Si Spiritus non eſt Deus, ſi non eſt divinæ gratiæ fons, quomodo illi, qui Chriſtum, divinum indumentum, induerunt, vulgare illud Spiritus S. induunt? Si enim, quotquot in Chriſtum baptizati ſunt, Chriſtum induerunt; Dominus vero noſter dixit: *manete Hieroſolymis, donec ſuper vos veniat Spiritus Sanctus?* quomodo eo tempore, quo Dominum inſtar veſtis induimus, ſervilem aliquam recipere poſſumus? Ex his itaque apparet, utrumque veſtimentum ejuſdem pretii eſſe, eandemque & beneficentiæ & gratiæ dignitatem adferre. Spiritus vero Sanctus indumentum credentium appellatur, non, quod inſtar veſtis ſit, ſed ita, ut ferrum ignem induit; non, quod extrinſecus circumjiciatur, ſed quod totus totum pervadat. Ita enim & Chriſtum, ſanctiſſimum illum Spiritum, non inſtar veſtis, extrinſecus injectæ, induimus, ſed ut tales, qui quod ad cor & animum luce, quod ad

1) *Gal.* III. 27.
2) *Act.* I. 4.

Digitized by Google

ad vultum vero gratia impleantur. Propterea & adverſarii illi, qui Stephani vultum intuebantur, faciem ejus ut faciem Angeli conſpiciebant.

Διὸ καὶ ἀτενίζοντες εἰς τὸ πρόσωπον Στεφάνυ οἱ ἐπανιςάμενοι εἶδον τὸ πρόσωπον αὐτῦ ὡς πρόσωπον ἀγγέλυ. 3)

QVÆST. CL.

Quare Angeli Apoſtolos Galilæos vocant?

Et intuentes erant in cælum, eo abeunte. Non jam, inquit, *ſublato eo*, dicit, ſed *abeunte*. Nam quod ad corpus *ſurſum tollebatur*, ex ſua vero poteſtate *abibat*. Galilæos vero Angeli Apoſtolos honoris cauſa appellant. Vox enim *Galilæi* homines revelatione inſtructos denotat. Nam & primum miraculum Dominus Canæ in Galilæa edidit, ibique gloriam ſuam manifeſtavit & revelavit. Propterea etiam Jeſaias Propheta olim clamavit: *luxit terra: pudefactus eſt Libanus: deſertum evaſit Saron: illuſtris erit Galilæa & Carmelus.* Hoc loco porro ſubjici debet illud: *quid ſtatis ſpectantes?* Elias quidem, ut ſervus

ΕΡΩΤ. ΡΝ.

Τί καλῦσιν οἱ ἄγγελοι Γαλιλαίυς τὺς Αποςόλυς. 1)

Καὶ ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν ὐρανὸν πορευομένυ αὐτῦ. ὐκ ἔτι, φησὶν, ἀναλαμβανομένυ λέγει, ἀλλὰ πορευομένυ. Καὶ γὰρ τῇ σαρκὶ μὲν 2) ἀνελήφθη, τῇ αὐθεντείᾳ δὲ ἐπορεύετο. Γαλιλαίυς δὲ καλῦσι τὺς μαθητὰς οἱ ἄγγελοι σεμνύνοντες αὐτὺς. Γαλιλαῖοι γὰρ οἱ ἀποκεκαλυμμένοι 3) σημαίνει. Καὶ γὰρ καὶ πρῶτον σημεῖον ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας ἐποίησεν ὁ Χριςὸς, καὶ ἐκεῖ ἐφανέρωσε καὶ ἀπεκάλυψε τὴν δόξαν αὐτῦ. 4) ἔνθεν καὶ ὁ προφήτης Ησαίας προανακράζει· ἐπένθησεν ἡ γῆ. ᾐσχύνθη ὁ Λίβανος· ἕλη ἐγένετο ὁ Ασσαρών. Φανερὰ ἔςαι ἡ Γαλιλαία, καὶ ὁ Κάρμηλος. 5) ἐνταῦθα δεῖ ὑποταγῆναι, τί ἑςήκατε ἐμβλέποντες; Καὶ ὁ μὲν Η-

3) *Act.* VI. 55.

1) *Act.* I. 11. In *Colb.* hæc quæſtio ita proponitur: διὰ τί εἶπε, πορεύομαι (leg. πορευομένυ) αὐτῦ, καὶ ὐκ, ἀναλαμβανομένυ. Deinde in margine ſcribuntur reliqua: καὶ διὰ τί καλῦσιν κ. τ. λ.

2) Sic ſcribo pro μὴν.

3) Ita ſcilicet vox γαλιλαῖοι derivatur ex גלה *revelavit*; quemadmodum in Gloſſario ſacro, quod nuper admodum *Jo. Albertius*, Vir doctiſſimus, in lucem protulit, p. 54. γαλιλαία per ἀποκάλυψιν explicatur. Confer ibi notas.

4) *Joan.* II. 11.

5) *Jeſ.* XXXIII. 9. Notabis ibi aliquot lectionum varietates.

λίας ὡς δοῦλος εἰς ὕψος ἀέριον ἀνελήφθη, οὐκ εἰς τὸν οὐρανόν. 6) ὁ δὲ δεσπότης ὡς κύριος πάντων, οὐχ ὡς εἰς τὸν οὐρανόν. Καὶ τρίτον δὲ ἐπισημαίνεται τὸ πορεύεσθαι, ἢ ἀναλαμβάνεσθαι τὸν δεσπότην εἰς τὸν οὐρανὸν τῇ τριπλῇ τοῦ ῥήματος ἐπιφορᾷ τὸ βέβαιόν τε καὶ ἀληθὲς καὶ ἀφαντασίαστον παριστῶν. Ἰδίωμα γὰρ καὶ βεβαιώσεώς τε καὶ ἀσφαλείας τὸ τοιοῦτον σχῆμα τοῦ λόγου ἡ ἱερὰ ἡμῶν οἶδεν γραφή.

ſervus, in aërem altum tollebatur, non in cœlum, ſed *quaſi* in cœlum; Dominus vero noſter, ut Dominus omnium, non tollebatur *quaſi* in cœlum, ſed in cœlum vere. Tribus porro vicibus per triplicis verbi uſum indicatur. Dominum in cœlum profectum vel ſublatum eſſe, ut ſic intelligatur, certe & vero id factum eſſe, nec id opinione quadam abſolvi. Sacra enim ſcriptura hac loquendi ratione ad fidem rei faciendam uti conſuevit.

ΕΡΩΤ. ΡΝΔ.

Τίνα δεῖ καλεῖν τέκνα, καὶ ποῖα παιδία, καὶ τίνας υἱούς; Καὶ, τί λέγει Πέτρος· ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον;

Τρία * ταῦτά ἐστιν, οἷς τὸ ἀνθρώπινον τελειοῦται. κάθαρσις ἁμαρτημάτων, πίστις εὐσεβὴς, καὶ ἀδίστακτος, πρὸς μηδὲν κενὸν 1) μηδὲ πρόσφατον ὑπαλλοιουμένη, ἀγὼν καὶ νίκη κατὰ τῶν παθῶν, καὶ τοῦ διαβόλου. ἡ μὲν οὖν τῶν ἁμαρτημάτων κάθαρσις, γέννησίς τίς ἐστι πνευματικὴ, μᾶλλον δὲ ἀναγέννησις, τὸν παλαιωθέντα ἀνακαινίζουσα ἄνθρωπον. καθ' ὃ καὶ Παῦλος ἔλεγεν. 2) τεκνία, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἕως ἂν ὁ Χριστὸς ἐν ὑμῖν μορφωθῇ. Διὰ ταύτης δὲ τῆς

QVÆST. CLIV.

Quinam vocari debent τεκνία, & qui ſunt παιδία, quive υἱοί? Et quo ſenſu dicit Petrus: *habemus ſermonem Propheticum firmiorem.*

Tria ſunt, quibus homines redduntur perfectiores, mundatio a peccatis, fides pia, nec dubia, nullaque re vana aut recens invecta immutata, denique vero lucta & victoria adverſus peccata & Diabolum. Mundatio quidem a peccatis generatio quædam ſpiritualis eſt, vel potius regeneratio, quæ veterem hominem renovat. In hanc ſententiam Paulus quoque ait: *filioli, quos iterum pario, donec Chriſtus in vobis formetur.* Per hanc vero

6) ἀλλ' ὡς ——— τὸν δεσπότην εἰς τὸν οὐρανὸν in *Coiſlin.* à librario omiſſa, ex *Colb.* addidi.
* In Catal. Bibl. Coiſlin. p 337 male τοῖα.
1) Ita ſcribo ex *Colb.* pro καινὸν, id enim exprimitur per πρόσφατον. Et ſic mox n. 3.
2) *Gal.* IV. 19.

regenerationem, etiam in filios adoptamur, ſervi Domini Chriſti facti. Propterea recte quoque & *filioli* & *pueri* vocantur, qui hujus gratiæ facti ſunt participes. Qui vero doctrinam pietatis, ab initio prædicatam, ſectantes quod ad animum conſenuerunt, vani nihil, nihil recens inventi, nihil, quod juvenilem humanæ mentis jactantiam referat, admittentes, illi quidem itidem ſe ipſos ſpirituali iſta denominatione dignos eſſe cordato cuique judici oſtendunt. Præter hos vero nonne & iſti, qui, ſtrenue & fortiter vitia & hoſtem debellantes, militumque & athletarum officio egregie functi, opere ipſo juvenilem, viresque omnes & nervos intendentem animum demonſtrarunt, ejuſdem nominis participes merito habeantur? Jam quidem, puto, quæſtionem propoſitam his ipſis habebis ſolutam. *Scribo vobis, filioli, quod remiſſa ſunt vobis peccata propter nomen ejus. Scribo vobis, Patres, quod cognoviſtis eum, qui eſt ab initio. Scribo vobis, juvenes, quod viciſtis malum. Scripſi vobis, pueri, quod cognoviſtis Patrem: ſcripſi vobis Patres, quod cognoviſtis eum, qui eſt ab initio: ſcripſi vobis, juvenes, quod fortes eſtis, &*

ἀναγεννήσεως καὶ υἱοθετὖμεθα, δῦλοι ὄντες τῷ δεσπότῃ Χριςῷ. διὸ εἰκότως ἂν καὶ τεκνία καὶ παιδία οἱ ταύτης τῆς χάριτος ἠξιωμένοι καλοῖντ᾽ ἄν. Οἱ δὲ τὴν ἀρχῆθεν προκατηγγελμένην εὐσέβειαν πρεσβεύοντες ἤδη τὸ φρόνημα πεπολίωνται, μηδὲν κενὸν, 3) μηδὲ πρόσφατον, μηδ᾽ ἀνθρωπίνης ἐπινοίας νεανίευμα ταῖς διανοίαις 4) αὐτῶν εἰσδεχόμενοι, οἱ καὶ δικαίᾳ κρίσει πνευματικῆς αὐτὖς ἐπωνυμίας ἀξίὖς δεικνύὖσιν. Ἐπὶ 5) δὲ τὖτοις, οἵ γενναίως ϗ ἀνδρείως τὰ πάθη καὶ τὸν ἐχθρὸν καταγωνισάμενοι, καὶ ςρατιωτῶν καὶ ἀθλητῶν ὡς ἀληθῶς ἔργα διαπραξάμενοι, πᾶσιν 6) ἐπ᾽ αὐτοῖς τοῖς ἔργοις νεανικήν τε καὶ ἀκμάζὖσαν τὸν τόνον καὶ τὸν πόθον γνώμην ἐπεδείξαντο, ὖχὶ καὶ τῆς κλήσεως αὐτῆς μετασχήσὖσιν; Ἔχεις ὖν, οἶμαι, διὰ τῶν εἰρημένων σαφῶς τὸ ζήτημά σοι διαλυόμενον· γράφω ὑμῖν, τεκνία, ὅτι ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα αὐτῦ. γράφω ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ᾽ ἀρχῆς. γράφω ὑμῖν, νεανίσκοι, ὅτι νενικήκατε τὸν πονηρόν. ἔγραψα ὑμῖν, παιδία, ὅτι ἐγνώκατε τὸν πατέρα. ἔγραψα ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ᾽ ἀρχῆς. ἔγραψα ὑμῖν, νεανίσκοι, ὅτι ἰσχυροί ἐςε,

3) vide n. 1.
4) In cod. erat διακονίαις.
5) Codex ἐπεὶ, male.
6) In MS. πόσιν.

καὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καὶ νενικήκατε τὸν πονηρόν. 7) Τεκνία μὲν γὰρ καὶ παιδία ποιεῖ ἡ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων χαριζομένη ἀναγέννησις, καὶ τὸ τῆς υἱοθεσίας ἀξίωμα, δι᾽ ὧν τοῖς ἔργοις ἐπιγινώσκειν πατέρα τὸν θέμενον ὥσπερ ἰσχὺν προσειλήφαμεν, οὕτω καὶ χρέος ὑπήλθομεν. πατέρας γε μὴν καθιστᾷ ἡ τῆς ἀπ᾽ ἀρχῆς εὐσεβείας πολιά τε καὶ ἐν τῷ βεβαίῳ στηριζομένη ἐπίγνωσις. νεανίσκους δὲ τὸ κατὰ τοῦ πονηροῦ καὶ τῶν παθῶν κράτος. Ἀλλ᾽ αὕτη μὲν ἡ τῶν Ἀποστολικῶν λογίων διάνοια, ἡ δὲ τῶν ῥημάτων ἐπιμονὴ, ἡ μὲν ἀφηγήματος ἐπέχοι ἂν λόγον, ἡ δὲ ἐπαναμνήσεως, ὅπερ εἴωθεν προσεχεστέρους τε τοὺς ἀκροατὰς παρασκευάζειν, καὶ βαθύτερον τῷ μνημονικῷ τῆς ψυχῆς αὐτῶν ἐγχαράσσειν τὴν τῶν εἰρημένων διάνοιαν.

Ο῞ δὲ 8) τῷ κορυφαίῳ Πέτρῳ εἴρηται, ἂν ὀρθῶς ἐπισκοπήσῃς, οὐδὲν ἀπορούμενον περιόψει. Ἐκεῖνος γὰρ εἰπὼν, καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν· εἶτα ἐπαγαγών· καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον 9) οὐχ ἑαυτῷ φησιν βεβαιότερον, ἄπαγε, μάλιστά γε προαναφωνῶν, ὡς ἐπόπται γενηθέντες τῆς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεγαλειότητος ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τούτου δύναμιν καὶ παρουσίαν.

verbum Dei apud vos manet, & viciſtis impium. Filiolos enim & pueros regeneratio, remiſſionem peccatorum dignitatemque adoptionis impertiens, efficit. Per utrumque enim Patrem adoptantem agnoſcendi opere ipſo ut vires accepimus; ita agnoſcere merito debemus. Patres porro facit ſeneſcens illa & firmata pietatis pridem traditæ cognitio: juvenes denique robur illud, quod contra malum dæmonem & vitia exſeritur. Atque hæc quidem oraculi Apoſtolici mens eſt: vis vero ejus in eo ſita eſt, ut hinc doctrinæ, hinc commonefactionis, quæ auditores attentiores efficit, dictorumque ſenſum memoriæ eorum altius infigit, locum teneat.

Quod vero a Petro, Apoſtolorum principe, dictum eſt, in eo quidem, ſi animum advertas, nihil dubii inveneris. Quando enim ille ait: *& hanc vocem de cælo delatam audivimus;* ac ſubjungit: *& habemus firmiorem ſermonem Propheticum;* non ſibi quidem illum firmiorem appellat; abſit hoc, inprimis cum ante dixerit: *Spectatores facti ipſi majeſtatis Domini noſtri, Jeſu Chriſti, vobis potentiam & adventum ejus manifeſtavimus.* Quid enim firmius eo eſſe poteſt, quando quis rem

7) 1. *Joan.* II. 12.
8) ὁ *Colb.* pro τό.
9) 2. *Pet.* I. 18. 19.

ipſam videt, aureſque ſuas ad recipiendam vocem ſuperne delatam aperire, atque adeo Patris teſtimonio edoceri poteſt? Itaque *firmius* dicit, habito ad eos, quibus ſcribebat, reſpectu; quaſi diceret: Si quis dubiam de his, quæ teſtamur, mentem habeat, is quidem ad Propheticum ſermonem reſpiciat, qui firmior utique eſt dubitatione, quam adverſus nos multi fovent. Ille enim certe, quod aliqui de aliis ſuſpicari facilius poſſint, ex hominum opinione non eſt profectus. Quod vero non ratione ſui, ſed illorum, ad quos ſcribebat, *firmiorem* dixerit, id quidem paulo poſt clarius oſtendit. Subjungit enim: *cui ſi attenderitis, recte facitis:* (Vos, inquit, non ego:) *tanquam candela, in obſcuro loco lucenti, donec dies illuceſcat, & phosphorus oriatur in cordibus veſtris.*

σίαν. 10) Τί γὰρ ἂν εἴη τῆς αὐτοψίας, καὶ τοῦ ἀκοὰς ἰδίας ἀναπετάσαι εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἄνωθεν Φωνῆς, καὶ τὴν πατρικὴν ἐναυγασθῆναι μαρτυρίαν. 11) Αλλὰ βεβαιότερον ἐκείνοις Φησὶν, οἷς 12) ἔγραφεν, ὡσανεὶ λέγων· εἴτις 13) ἐπιδιςάζουσαν, οἷς μαρτυροῦμεν, ἔχοι τὴν γνώμην, εἰς τὸν προφητικὸν ἀποσκοπείτω 14) λόγον, βεβαιότερον ὄντα γε τῆς τῶν πολλῶν περὶ ἡμᾶς ἀμφισβητήσεως πάντως. οὐκ ἔτι γὰρ καὶ οὗτος, 15) ὡς ἄν τινες εὐχερέστερον περὶ ἄλλων ὑπολήψονται, ἀνθρωπίνης προέρχεται δόξης. Οτι δὲ οὐχ ἑαυτῷ βεβαιότερον ἔφησεν, σαφέστερον ὑποκατιὼν ἐκδιδάσκει. Επιφέρει γάρ· ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, ὑμεῖς, Φησιν, οὐκ ἐγὼ, ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ Φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.

QVÆST. CLV.

Quid Apoſtolus vocat peripſema?

Vox περίψημα poteſt quidem ſimpliciter ſignificare id, quod contemtum eſt, & pedibus quaſi ſubjectum.

ΕΡΩΤ. ΡΝΕ.

Τί λέγει ὁ Απόστολος περίψημα; 1)

Τὸ περίψημα δύναται μὲν οὕτως ἁπλῶς νυνὶ σημαίνειν τὸ ἐν ἀτιμίᾳ, καὶ οἷον ὑπὸ τὰ ἴχνη κείμενον, ἐγγύτερον

10) ibid. n. 16.
11) Apparet, heic ex libris excidiſſe vocem βεβαιότερον, ideo quod mox iterum ſequitur.
12) Sic *Colb.* pro ὡς.
13) *Idem* pro ἤτις.
14) *Idem* pro ἐπισκοπείτω.
15) Sic *Colb.* pro ὄντως.
1) 1. *Cor.* IV. 13.

δ᾽ ἂν εἴη τῆς σημασίας ἡ ἀπολύτρωσις καὶ τὸ οἷον ὑπέρ τινων ἱερεῖον. Περίψημα γὰρ καλεῖν ἐκεῖνο μᾶλλον ὁ παλαιὸς οἶδε λόγος, καὶ τὴν αἰτίαν τοιαύτην παρέχεται τῷ ὀνόματι. Τὸ παλαιὸν ἐπειδάν τινων ἄνωθεν μηνιμάτων εἰς πεῖραν ἐνέπιπτον, καὶ ποινὰς αὐτοὺς τῶν τετολμημένων ἀπαιτεῖσθαι συνῄσθοντο, ἀθρόοι περιστάντες τὸ ὁμόφυλον ἑνί τινι αὐτῶν, ὃς ἔμελλεν ἢ κλήρῳ ἀφορισθεὶς, ἢ τῷ προθύμῳ τῆς γνώμης 2) ἑκούσιος ὑπὲρ πάντων προθύεσθαι, καὶ καθάρσιον αὐτῶν γίνεσθαι, τοῦτον χερσὶ περιψῶντες καὶ ἐφαψώμενοι, περίψημα ἡμῶν, ἔλεγον, γενοῦ. Ἐκεῖθεν οὖν ὁ πολλὰ πολλάκις σοφῶς αἰχμαλωτίσας Παῦλος εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ τῶν ἔξω φωνῶν, οὐχ ὅση 3) κομψὴ καὶ γλῶττα καὶ εὔηχος, ἀλλ᾽ ὅση γνησία σημᾶναι καὶ παραστῆσαι τὸ προκείμενον. Καὶ τὴν φωνὴν ταύτην συλλαβών φησι, περίψημα, πρὸς Κορινθίους γράφων, πάντων ἐγενόμην. τῷ ὄντι γὰρ ὡς πάντων περίψημα οὕτω διὰ παντὸς ἔπασχεν καὶ ἐταλαιπωρεῖτο, καὶ τοῖς δεινοῖς κατετείνετο. ἐῶ τἄλλα. Καὶ γὰρ εὑρίσκω φωνὴν αὐτοῦ ἐκείνου τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀντίῤῥοπον· νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἀποθνήσκω. 4) Ὁρᾷς ὅπως ἣν

ctum. Rectius vero ſenſum expreſſeris per redemtionem, & victimam pro aliis piacularem. Illam enim veteres frequentius περίψημα appellare conſueverunt, appellationisque illius hanc reddunt rationem. Quandocunque veteres in divini Numinis indignationem inciderant, praveque factorum pœnas a ſe repeti ſentiebant, tum cives unum aliquem ſuorum, qui vel forte delectus erat, vel ſuo arbitrio atque adeo ſponte ſe pro omnibus in victimam ſiſtere eosque expiare ſtatuerat, agmine facto, cingentes manibus eum tangere, palpare, & delinire quaſi ſolebant, dicentes: *ſis noſtrum peripſema.* Inde igitur factum eſt, ut Paulus, qui multa ſæpe ſapienter in obſequium Chriſti redegit, idem non minus de phraſibus Gentilium faceret, non in quantum comtæ illæ eſſent & jucundæ auditu, ſed in quantum ad rem recte ſignificandam & repræſentandam optime eſſent accommodatæ. Vocem itaque ejusmodi h. l. deligens ad Corinthios ſcribit: *omnium factus ſum* peripſema. Vere enim, tanquam victima piacularis omnium, omnia calamitatum genera ſuſtinebat, & vexabatur, & duriſſima quæque perpetiebatur.

 Mitto

2) *γνώμης* ex *Colb.* pro *γνώσεως.*
3) Ex eodem *ὅση,* pro *ὡς ἡ,* & mox *ἀλλ᾽ ὅση,* pro *ἀλλόσε.*
4) 1. *Cor.* XV. 31.

Mitto alia. Invenio vero & aliam ejuſdem dictionem, cum ceteris omnibus comparandam: *per glo iationem noſtram indies morior.* Vides utique, quomodo omnium fuerit piaculum & victima, & *peripſema.* Neque enim pro Judæis ſolum intra ſe urebatur & ardebat, foriſque infinita mala patiebatur; neque pro cognatis tantum, ſed & pro Græcis & barbaris, omnibuſque omnino hominibus, num quem fortaſſe, quod ipſe clamabat, ſalvare poſſet. Quod igitur quotidie fiebat, id verbis quoque conteſtabatur, *omnium ſe* peripſema *factum eſſe*, profeſſus.

πάντων καθάρσιον, καὶ ἱερεῖον, καὶ περίψημα. Ουδὲ γὰρ ὑπὲρ Ιουδαίων μόνον ἐπυρπολεῖτο τὰ ἔνδον, καὶ ἐφλέγετο, καὶ τὰ μυρία ἔξωθεν ἔπασχεν. οὐδ' ὑπὲρ συγγενῶν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ Ελλήνων καὶ βαρβάρων, καὶ πάντων ἁπλῶς ἀνθρώπων, εἴ πως τινὰ, ὡς αὐτὸς ἐβόα, διασώσει. 5) ὃ τοίνυν ἐγένετο καθ' ἑκάστην ἡμέραν, τοῦτο καὶ διὰ τοῦ λόγου ἀπαγγέλλει, πάντων περίψημα λέγων γεγενῆσθαι.

Hunc vero ſignificatum firmat ipſa ſermonis ſeries. Non enim, inquit, pudefaciens vos hæc dico, h. e. non exprobro vobis beneficentiam meam, neque beneficia vobis exhibita. Quid igitur? ut filios dilectos potius admoneo. Filios enim paternæ beneficentiæ meminiſſe decet, inprimis, quum non ſimpliciter ſunt filii, ſed etiam dilecti. Senſus itaque eſt: vos adeo mihi vendico, atque ita veſtri amore ardeo, ut non dubitem *peripſema* pro vobis fieri, & in veſtrum commodum me ipſum inſtar ſacrificii & victimæ piacularis offerre. Ipſa porro vocum ſtructura ad hunc potius ſignificatum tenendum, quam illum,

Βεβαιοῖ δὲ τὸ προκείμενον τοῦ σημαινομένου, καὶ ἡ κατὰ πόδα συνέχεια τοῦ ῥητοῦ. Ου γὰρ ἐντρέπων ὑμᾶς, φησι, ταῦτα λέγω, οἷον οὐκ ὀνειδίζω τὴν εὐεργεσίαν, οὐδὲ τὰς χάριτας, ἀλλὰ τί; ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. 6) Δεῖ γὰρ τὰ τέκνα πατρικῆς εὐεργεσίας μεμνῆσθαι, καὶ οὐχ ἁπλῶς τέκνα, ἀλλὰ καὶ ἀγαπητὰ, τουτέστιν τοσοῦτον οἰκειοῦμαι ὑμᾶς, καὶ τοσοῦτον τῆς ὑμῶν ἀγάπης ἐκκαίομαι, ὥστε καὶ περίψημα ὑμῶν οὐ παραιτοῦμαι γίνεσθαι, θῦμα καὶ ἱερεῖον καὶ καθάρσιον προσάγεσθαι ὑπὲρ ὑμῶν. Καὶ δὴ καὶ ἡ ὀρθότης τῆς ἐν τῷ λόγῳ συνθήκης πρὸς τοῦτο μᾶλλον ῥέπει τῆς φωνῆς ἢ πρὸς τὸ ῥηθὲν τὴν ἀρχὴν, ἐπεὶ τὸ μὲν ἠτιμωμένον καὶ κατάπτυ-

de

5) 1. *Cor.* IX. 22.
6) 1. *Cor.* IV. 14.

ςον πᾶσι μᾶλλον ἀποδίδοται κατὰ τὴν σύνταξιν, ἀλλ᾽ οὐχὶ πάντων. ὁ δὲ σοφὸς καὶ θεσπέσιος Παῦλος οὐ περίψημα πᾶσιν 7) ἐγενόμην, φησὶν, ἀλλὰ πάντων. οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ τὸ προηγούμενον χωρίον τῆς λέξεως τῇ διανοίᾳ ταύτῃ συμφθέγγεται. Εἰπὼν γὰρ, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν, 8) ἐπήγαγεν, ὡς περικαθάρμα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν πάντων περίψημα ἕως ἄρτι, τουτέςι, τί δὴ καθ᾽ ἕκαςον τοὺς πόνους ἀπαριθμεῖσθαι, καὶ τὰς θλίψεις, καὶ τοὺς ἀγῶνας, οὓς ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑφίςαμαι. ἐν κεφαλαίῳ φάναι, ὡς περικαθάρματα ἐγενήθημεν τοῦ κόσμου, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. Καὶ γὰρ καί τὸ περικαθάρματα ῥηθείη μὲν ἂν κατὰ τοῦ ἐβδελυγμένου καὶ φευκτοῦ. μᾶλλον δ᾽ ἁρμόσειε νυνὶ τὰ καθάρσια καὶ τὰ ἱλαςήρια θύματα, ἃ ὑπὲρ ἄλλων εἰώθεν θύεσθαι, παριςᾷν. πλὴν ἐπεὶ μηδ᾽ ἕτερον τοῦ σημαινομένου τῇ ἀληθείᾳ λυμαίνεται, ἕκαςος, ᾧ μᾶλλον χαίρει, τοῦτο καὶ αἱρεῖσθαι οὐ κεκώλυται. εἴτε γὰρ ὡς ἱερεῖον ὁ Παῦλος ὑπὲρ τῶν μαθητῶν ἐθύετο, τὸν δεσπότην ἐμιμεῖτο καὶ διδάσκαλον. εἴτε διδάσκων καὶ παραινῶν, καὶ πάντα ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας

de quo primo loco diximus, adducit. Si enim contemtum aliquid & abominandum inferretur, ſtructura vocum idonea vocem πᾶσι (*omnibus*) potius quam πάντων (*omnium*) requireret. Jam vero ſapiens & divinus Paulus non ait: *peripſema* omnibus *factus ſum, ſed* omnium. Imo vero & ea, quæ hanc phraſin hoc loco proxime antecedunt, ſenſui huic velificantur. Poſtquam enim dixerat: *conviciis affecti bene precamur, vexati ſuſtinemus, infamati precamur*, ſubjungit: *facti ſumus ut purgamenta mundi, & ut omnium ſordes usque huc.* h. e. quid, moleſtias omnes & calamitates & luctas, quas pro vobis exantlavi, ſigillatim enarrare attinet? Summatim dicam, *ut purgamenta mundi facti ſumus, ut ſordes omnium usque huc.* Quamvis enim vox περικαθάρματα etiam de homine abominando & fugiendo adhiberi poſſit, hoc tamen loco convenientius fuerit, eam de victimis piacularibus, quæ in aliorum ſalutem offerri conſueverant, interpretari. Quoniam autem neuter ſignificatus vero adverſatur, eum quisque eligere poterit, qui maxime arrideat. Sive enim inſtar victimæ piacularis pro diſcipulis offerebatur Paulus, Dominum & Magiſtrum utique imitabatur; ſive docens ipſe & admonens, omniaque

7) Sic *Colb.* pro περιψήμασι.

8) 1. *Cor.* IV, 12.

que pro ſalute eorum faciens, contemtim habebatur & inviſus erat, etiam hoc ad eundem Dominum reſpiciens, perpetiebatur. Ille enim conviciis & injuriis oneratus, omneque ludibriorum genus perpeſſus, hominum injuriorum, probriſque inſectantinm, ſaluti & commodis proſpicere non deſinebat.

πραγματευόμενος, ὡς ἄτιμος καὶ ἐβδελυγμένος ἐνομίζετο, πρὸς τὸν αὐτὸν ἀφορῶν δεσπότην, πάλιν ταῦτα ἐπάσχετο, ὅς λοιδορούμενος καὶ ὑβριζόμενος, καὶ πᾶν εἶδος ὑπομένων χλεύης τῆς τῶν ὑβριζόντων καὶ προπηλακιζόντων σωτηρίας καὶ προνοίας οὐκ ἀφίσατο.

Commodum heic in mentem venit recordari illius, quod olim ex me quæſiviſti, quid nempe ſibi velit illud, quod in Evangelio dicitur: *& colaphos illi impegerunt.* Idem ſcilicet eſt, quod communiter per ἐνέπαιξαν exprimitur: ludibrii enim genus eſt κολαφίζειν, mutato ſcilicet per conſuetudinem, quod & plurimis vocibus aliis uſu venit, τῷ β in φ. Attica enim dialectus verbum illud per β exprimere amat. Sanguinolenta itaque & ingratiſſima Judæorum gens in benefactorem ſuum adeo impotenter ferebatur, ut non ſolum truculentas manus illi injiceret, ſed ſi quid ludibrii, ſubſannationis & procacitatis reliquum adverſus illum feciſſet, nihil, quod magni eſſet momenti, perfeciſſe ſe opinaretur. Ita & corona ſpinea & arundine Regiſque appellatione & ſimilibus ei illudebant. Jam vero ſublimis & magnus *Joannes*, factam injuriam

Ἀλλ᾽ εἰς καιρὸν ἄρα τῆς μνήμης προῆλθεν καὶ, ὅ πάλαι διηρώτησας, τί ποτε δηλοῖ τὸ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ῥηθέν· καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν. 9) τοῦτο δὲ κοινότερον μὲν τὸ ἐνέπαιξαν σημαίνει. παιδιᾶς δὲ εἶδός ἐστι τὸ κολαφίζειν. μεταβαλόντος τοῦ ἔθους, ὥσπερ καὶ ἐπ᾽ ἄλλων πολλῶν τὸ β εἰς τὸ φ. ἡ γὰρ ἀττικίζουσα γλῶσσα διὰ τοῦ β μᾶλλον τὴν λέξιν προφέρει. τοίνυν μιαιφόνον καὶ ἀχάριστον τῶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐπὶ τοσοῦτον εἰς τὸν εὐεργέτην τοῖς θυμοῖς ἀνηρέθιστο, ὡς μὴ μόνον χεῖρας αὐτῷ σφαγῆς ἀνατείνειν, ἀλλ᾽ εἰ καί τι ὅλως αὐτοὺς διαλάθοι χλεύης καὶ μυκτηρισμοῦ καὶ ἀσελγείας, ὃ μὴ ἐντρίψειεν αὐτῷ, οὐδὲν ἡγοῦντο κατορθῶσαι μέγα. Οὕτω καὶ τὸν ἀκάνθινον στέφανον, καὶ τὸν κάλαμον, καὶ τὸν βασιλέα καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπέπαιζον αὐτῷ. καὶ νῦν δέ φησιν ὁ μὲν ὑψηλὸς καὶ μέγας Ἰωάννης, ὥσπερ ἐπιτρέχων τὴν ὕβριν, καὶ ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα. 10) ὁ δὲ θεσπέ-

ſumma-

9) *Matth.* XXVI. 67.
10) *Joan.* XIX. 3.

σιος Μάρκος καὶ Ματθαῖος, μικρὰ γὰρ ἡ τῶν ῥημάτων παραλλαγὴ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς ὕβρεως λέγουσιν, καὶ τὴν τῆς ὕβρεως πρᾶξιν. Εκολάφισαν γὰρ αὐτὸν, 11) καὶ ἤρξαντο περικαλύπτειν αὐτοῦ τὸ πρόσωπον καὶ κολαφίζειν αὐτόν. 11) Ειτα ϗ ἐῤῥάπισαν ϗ ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλλον, καὶ ἔλεγον· προφήτευσον ἡμῖν, Χριςὲ, τίς ἐςιν ὁ παίσας σε. 12) Ο μέντοι γε θεσπέσιος Λουκᾶς τὴν μὲν τοῦ κολαφίζειν παρῆκε, ἐξαπλοῖ δὲ σαφῶς, δι' ὧν λέγει τῆς φωνῆς τὸ δηλούμενον. Καὶ οἱ ἄνδρες γὰρ, φησιν, 13) οἱ συνέχοντες τὸν Ιησοῦν, ἐνέπαιζον αὐτῷ, δέροντες καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν, ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες· προφήτευσον ἡμῖν, τίς ἐςιν ὁ παίσας σε; Καὶ γὰρ τοιοῦτόν ἐςι τὸ εἶδος τῆς παιδιᾶς. οἱ μὲν τοὺς ὀφθαλμοὺς χερσὶ περικαλύπτουσιν. οἱ δὲ πὺξ μετὰ κόῤῥης παίοντες ἐπερωτῶσιν μηνῦσαι τὸν παίσαντα. κἂν μὲν τύχῃ τοῦ τυπήσαντος, ἀφίεται· ἂν δὲ μὴ, ἐπιμένουσιν αὐτῷ τὰς πληγὰς ἐντείνοντες. Τοῦτο οὖν δηλοῖ, καὶ τοῦτο παρίςησιν ἡ κυριολεξία, τὸ ἐκολάφισαν. Οτι δὲ κόρον οὐδένα οὔτε ὕβρεως οὔτε ἀσελγείας τὸ Ιουδαίων ἔθνος ἐλάμβανεν, ἐκπληττόμενος ὁ σοφὸς ἐπισημαίνεται μάλιςα Λουκᾶς. μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν, ὅτι ἔτυπτον

ſummatim complexurus dicit: *& dederunt illi alapas:* divi autem *Marcus* & *Matthæus*, (exigua enim eſt vocum, quibus utuntur, differentia) & proprium injuriæ hujus nomen, & ipſum injuriæ exercitium exprimunt. *Colaphis* enim *ceciderunt illum, &, inceperunt faciem ejus obtegere, colaphosque illi impingere.* Poſtea: *& percuſſerunt illum, & bacillis eum ceciderunt, & dixerunt: propheta nobis, Chriſte, quis eſt, qui te cecidit?* Divus quidem *Lucas* verbum κολαφίζειν omiſit, abunde tamen ejusdem verbi ſenſum per ea, quibus utitur, exponit. *Viri enim,* inquit, *qui Jeſum tenebant, illudebant illi, cædentes, & obvelantes illum: vultum ejus percutiebant, & interrogabant eum, dicentes: vaticinare nobis, quis ſit, qui te percuſſerit.* Ita ſcilicet illuſionis hoc genus habebat. Alii enim oculos manibus obtegunt, alii, genas pugnis cædentes jubent indicare illum, qui ceciderit; quod ſi forte conjectura adſequatur cædentem, immunis eſt a plagis; ſin minus, plagas illi impingere pergunt. Hoc ipſum vult, hoc ipſum ſignificat proprium illud verbum, ἐκολάφισαν. Quod vero Judæorum gens nec injuriis nec procacitate exſatiari potuerit, *Lucas* inprimis,

11) *Matth.* XIV. 65.
12 *Matth.* XXVI. 67.
13) *Luc.* XXII. 63. ſq.

tanquam ſtupefactus indicat. Poſtquam enim is dixerat, quod percuſſerint faciem ejus, eandemque obtexerint, ſubjungit: *& multa alia conviciantes adverſus eum dixerunt.* Ita ſatis, puto, quoad per epiſtolam quidem fieri poteſt, perſpectum habes, quid ſibi velit ἐκολάφισαν, quid περίψημα, quid περικάθαρμα. Tu vero, Chriſti & Pauli adflictiones, probra & tentationes animo circumferens, fortiter agas, vel potius gaudeas, recogitans, in quem ordinem ſis adſcitus, quemque habeas ducem, adverſus omnem calamitatum inſultum, ſive adverſarii tui mali dæmones ſint, ſive dæmonas humana forma referant, imitentur.

αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ περιεκάλυπτον, ἐπάγει· καὶ ἕτερα πολλὰ βλασφημοῦντες ἔλεγον. 14) ἀλλὰ γὰρ περὶ μὲν τοῦ ἐκολάφισαν, καὶ περίψημα καὶ περικάθαρμα, ἔχεις, οἶμαι, κατ' ἐπιστολὴν οὐκ ἐνδεῶς. Σὺ δέ μοι τοῦ Χριστοῦ καὶ Παύλου κατὰ διάνοιαν φέρων πάθη, καὶ τὰ ὀνείδη, καὶ τοὺς πειρασμοὺς ἴσασο γενναίως, μᾶλλον δὲ χαίρων, ἐννοούμενος, τίνι συντάττῃ χορῷ, καὶ τίνα κορυφαῖον ἔχεις, πρὸς πᾶσαν ἐπιφορὰν δυσχερῶν, ἄντε δαίμονες ὦσι, ἄντε μορφαῖς ἀνθρώπων ὑποκρινόμενοι δαίμονας οἱ ἐπιτιθέμενοι.

QVÆST. CLVII.

Nonne hæc contradicunt ſibi invicem: Si quis te percuſſerit in maxillam dextram, verte illi & alteram; *&*: Si autem bene, quid me cædis?

Levis pacatæque converſationis fundamentum jaciens Salvator præcepti inſtar inculcat: *ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram, verte illi & alteram*; ipſe vero, ab hominibus maxillam alteram percuſſus, pro eo quod alteram illi verteret, reſpondit: *quid me cædis?* Ita vero egit, non ſane, quaſi inconſiderate & obiter ita olim cogitaſſet, & nunc opere

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΝΖ.

Πῶς οὐκ ἔστιν ἐναντίον τὸ λέγειν, ἐάν τίς σε ῥαπίσῃ ἐπὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην. εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις;

Πολιτείας ἡμέρου καὶ ἀστασιάστου κρηπῖδα πηγνὺς ὁ σωτὴρ, ἐάν τίς σε ῥαπίσῃ ἐπὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην, 1) τὴν ἐντολὴν ταύτην ὑποβάλλεται, αὐτὸς δὲ πληγὰς, τὰς ἐξ ἀνθρώπων, ἐπὶ κόρρης λαβὼν ἀντὶ τοῦ στρέψαι, τί με δέρεις, 2) ἠμείψατο. οὐδαμῶς, ὡς ἂν εἰς τὸ ἀπερί-

14) ibid. v. 65.
1) *Matth.* V. 39.
2) *Joan.* XVIII. 23.

σκεπτον 3) περιτραπείη τὸ περίεργον τῶν λογισμῶν, τοῖς ἔργοις τὸν λόγον 4) καταστρεψάμενος, τρόπον δέ τινα μᾶλλον κἀν τῇ τοιαύτῃ πράξει τὸ ῥῆμα βεβαιωσάμενος. κἀκεῖ μὲν γὰρ ἡ παραίνεσις τὴν ἀμοιβαίαν τιμωρίαν περιέκοπτεν, δι' ἧς εἰς τὸ ἄπειρον ἡ στάσις προέρχεται. διὸ τῆς πρώτης ἀντεπιχειρήσεως ἐξίστασθαι διετάξατο. Καὶ νῦν δὲ τὸ αὐτὸ διεπράξατο. Ου γὰρ ἀμύνης χειρὶ τὴν ῥαπίσασαν τῆς ὕβρεως δίκην εἰσεπράξατο, δικαιολογίᾳ δὲ μόνῃ ῥημάτων τὴν ἀδικίαν διήλεγξεν.

Αχθείη δ' ἂν οἰκειότερον εἰς συμφωνίαν μᾶλλον τὸ νομισθὲν ἀντιφθέγγεσθαι, ὅτι ἐκεῖ μὲν τοῖς ἀδικοῦσιν εἰς τὸ σῶμα καὶ περὶ σῶμα μὴ δεῖν ἀπείρηκεν ἀντανίστασθαι. ἐνταῦθα δὲ πλάνης γραφὴν, καὶ βλάβης ἀνθρώπων, οὓς ὡδήγει τε καὶ διέσωζε διωκόμενος, εἰ μηδὲ ῥήμασι διανέστη λύσασθαι, ἃ κατασκευάζειν τοῖς ῥαπίσμασιν οἱ συκοφαντοῦντες ἐμηχανήσαντο, ἐκείνους μὲν εἰς ἄφεσιν ἀπέλυεν τοῦ ἐγκλήματος, καὶ πρὸς θράσος μᾶλλον ἐπέτριβεν τῆς ἀνοσιότητος, αὐτὸν δὲ τῆς συκοφαντίας καὶ τοῦ ψεύδους, ἅπερ αὐτοῦ δυσσεβῶς κατέχεον, οὐκ ἂν τὰς αἰτίας ἀπελύετο. Ποῦ τοιγαροῦν ἐναντία ταῦτα, ἢ μαχόμενα, τὸν ῥαπίσαντα μὴ ἀντιῤῥαπίσῃς; τὸν δὲ

opere ipſo ſermonem ſuum everteret. Imo vero hoc ipſo facto verbum illud ſuum potius adſtruxit. Nam ibi quidem præceptum ejus mutuas injurias prohibet, per quas contentio in infinitum producitur: ideoque à prima quoque, quæ fieri poterat, retributionem abſtinere jubet. Idem vero etiam nunc faciebat. Neque enim ultrice manu injuriæ, a percutientis illa factæ, pœnas repetiit, ſed in rei indignitatem; cauſæ ſuæ patrocinatus, verbis tantum animadvertit.

Propius vero illa, quæ ſibi invicem repugnare putantur, ita conciliabuntur. Ibi ſcilicet illis vetat reſiſtere, qui in corpus & ea, quæ circa corpus ſunt, injurios ſe præſtant. Hic vero niſi criminationem, quaſi perverteret & ſeduceret homines, quos ipſe male habitus recte ducebat & ſervabat, vel verbis amoliri inſtituiſſet, quando calumniatores illi ſua colaphis firmare audebant; illis quidem liberam criminandi poteſtatem feciſſet, &, ut pejora auderent, auctor fuiſſet, ſe ipſum vero a calumnia illa & mendaciis, quæ impie in ipſum evomebant, non liberaſſet. Vbi igitur inter hæc pugna eſt, & quomodo ſibi contradicunt:

3) Sequor *Colbert.* qui ita habet pro ἀπεριέσκεπτον.
4) Ita ſcribo pro τῶν λόγων, quod eſt in libris.

cædentem te ne viciſſim cædas; &, ſi quis dicam tibi ſeductionis aut improbitatis ſcripſerit, aut te, ſalutis præconem, perniciei doctorem pronunciarit, illum iſta tibi impingere ne patiaris, neque, ſubmittens te, vel voce, vel ſilentis habitu, vel ulla alia ratione reus culpæ videaris? Itaque cordato cuique veritatis ſcrutatori nec minima dubitandi cauſa ex dictis illis ſubnaſcetur. Illa vero Domini dicta: *ne faciatis eleemoſynas veſtras coram hominibus;* &: *quæ facit dextera tua, ea non norit ſiniſtra tua;* &: *ſi jejunaveris, ne buccines ante te, ut hypocritæ;* tantum abeſt, ut cum illis: *ita luceat lux veſtra coram hominibus, ut bona veſtra opera videant, & Patrem veſtrum in cœlis laudent*, pugnent, ut meo quidem judicio ſecum invicem egregie conſpirent. Vitium enim eſt oſtentatio omnis, & adfectatum gloriæ ſtudium, vindictamque & reprehenſionem, quæ alioquin ex rebus præclaris non naſcitur, excitat: vanæ vero gloriæ fuga & virtus eſt, & honeſtos decet, cordatosque homines ad gratias Deo

γραφόμενόν σε πλάνης ἢ δυσσεβείας ἢ τὴν σωτηρίαν κηρύττοντα, ὡς εἰσηγητὴν ἀπωλείας, τοῦτον μὴ ἐπιτρέψῃς ταῦτά σοι περιάπτειν; μηδ' ὑποκατακλιθεὶς 5) μὴ φωνῇ, μὴ διαθέσει σιγώσῃ 6) μηδ' ἄλλον εἶναι τρόπον ὑπαίτιος. Ἀλλὰ τῷ μὲν τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονι οὐδὲ πρόφασιν ἔτι τὰ εἰρημένα ἀμφισβητήσεως ὑπολείπει. Τὸ δὲ, μὴ ποιῆτε 7) τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, 8) καὶ, ὃ ποιεῖ ἡ δεξιά σου, μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου. 9) καὶ, ὅταν νηστεύῃς, μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, ὥσπερ οἱ ὑποκριταί. 10) πρὸς τὸ, οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσι τὰ καλὰ ὑμῶν ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, 11) τοσοῦτον ἀπέχει τοῦ μάχεσθαι, 12) ὥστε καὶ τὴν ὅτι μάλιστα συμφωνίαν κρίσει τῇ ἐμῇ κατασκευάζει. Κακία μὲν γὰρ ἡ ἐπίδειξις καὶ τὸ θηράσαι 13) δόξαν, νέμεσίν τε σὺν δίκῃ καὶ ψόγον, οὐ γραφόμενον ἀπὸ τῶν σπουδαίων, κινοῦσα. ἡ δὲ φυγὴ τῆς κενοδοξίας ἀρετή τε ἐστιν καὶ

agendas

5) MS. ὑποκατακληθείς.
6) Ita recte *Colb.* pro σιγώσῃ.
7) Codex alter ποιεῖται.
8) *Matth.* VI. 1,
9) *ibid.* v. 3.
10) *ibid.* v. 16,
11) *Matth.* V. 16.
12) ἀνέχει τοῦ μάχεσθαι *Colb.* pro ἀπέχεσθαι·
13) Idem pro θήρας καί.

σεμνοῦ ἤθους, καὶ τῶν συνετῶν ἀνθρώπων ἀποτίκτειν οἶδεν εἰς Θεὸν τὴν εὐχαριστείαν, ὅτι βλέπουσι μὲν δοξοκοπίαν ἀτιμαζομένην, ἀρετὴν δὲ τιμωμένην. Πῶς οὖν οἱ ἐνδεικνύμενοι δόξαν ἐξ ἀνθρώπων θηρῶνται, ἐξ οὗ μᾶλλον αὐτοῖς ἕπεται ψόγος; καὶ πῶς ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν; οὐκ ἀπό γε τῶν θεοφιλῶν καὶ σπουδαίων. τοὺς δὲ πολλοὺς καὶ ἀγελαίους διαπλανῶντες, καὶ μηδὲν πλέον ἔχοντας 14) διασκέψασθαι τοῦ φαινομένου. Ει τοίνυν τὸ κενόδοξον φαύλους ποιεῖ, καὶ τὴν ἐξ ἀνθρώπων νέμεσιν ἐγείρει, ἡ δὲ τούτου φυγὴ τἀναντία πράττει, καὶ τοὺς ἐπιεικεστέρους εἰς δοξολογίαν Θεοῦ παραπέμπει, πῶς οὐχὶ συστατικὸν εὑρίσκεται μᾶλλον τοῦ 15) μὴ ἐπιδείκνυσθαι, μηδὲ κενοδοξεῖν τό· οὕτως λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων.

agendas permovet, quando ambitionem contemni, virtutem vero in pretio haberi vident. Quomodo itaque oſtentantes ſe gloriam ab hominibus aucupantur, unde contumelia potius illis naſcitur? Et quomodo referunt mercedem ſuam? non ſane ab hominibus, Deo charis & virtutis cultoribus, ſed a vulgo & gregariis hominibus, quos, tanquam externa tantum judicare valentes, decipiunt. Quod ſi itaque vanæ gloriæ ſtudium homines malos efficit, hominumque invidiam irritat, ejuſdem vero fuga omnia alia conciliat, & optimos quosque ad Divini Numinis laudem incitat, nonne dictum illud: *ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus*; commendare hoc inprimis exiſtimabitur, ne quis ſe oſtentet & vanam gloriam aucupetur?

Αλλὰ πῶς λάμψει τὸ φῶς ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, μηδὲν τῶν ἐν κρυφῇ πραττομένων συνιέντων; Ειρηται μὲν ἤδη. πλὴν οὕτω μᾶλλον. ὁ γὰρ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ πατὴρ, αὐτὸς τῆς ἔνδον ἀστραπῆς τὴν αἴγλην δυνατός ἐστιν εἰς τὸ φανερὸν ἐναυγάσαι. ἄλλως τε δυσὶν ὁ σπουδαῖος χαρακτηρίζεται τρόποις, καὶ δυσὶ μάλιστα γράφεται χρώ-

Quomodo vero lucebit lux coram hominibus, qui nihil eorum, quæ in obſcuro aguntur, perſpiciunt? Id quidem jam expoſitum eſt, ſed ex ſequentibus amplius intelligetur. Pater ſcilicet, qui obſcura perſpicit, ſplendorem intus latentem in apricum proferre poteſt. Præterea vero bonus quisque ex duabus rebus cognoſcitur, & duabus potiſſimum notis diſtinguitur, hinc ex virtutum

14) Sic ſcribo pro ἔχοντες: refertur enim ad vocem ἀγελαίους.
15) τοῦ ſcripſi pro τὸ, & mox τὸ, pro τοῦ. Ita enim ſenſus jubet.

ſtudio, quo conditori fit ſimilis, hinc ex fuga vitiorum. Jam vero vitiorum fuga ſemper ſplendet coram hominibus, etiamſi quis, quoad poteſt, lampadem intra ſe contineat. Si quis enim manu non abutitur circa injurias, & circa pecuniam; ſi linguæ temperat circa calumnias, jusjurandum, & hujus generis alia; ſi denique nullam cuiquam animadvertendi in ſe occaſionem præbet; hæc, inquam, & his ſimilia, invitis etiam nobis, illuſtrem & clariſſimam lucem hominum oculis offundunt. Idem hoc divus *Paulus*, *Timotheo* ſacerdotii leges inculcans, ait: *Oportet vero illum bonum teſtimonium etiam ab externis habere.* Vitiorum porro fuga efficit, ut Judæis & Gentilibus, & toti Eccleſiæ Chriſti non ſint offendiculo. Jejunium vero, & pauperum miſeratio, lacrymæque oculorum & intenta precatio clam fieri amant; eadem vero itidem fugam vitiorum ſui habent interpretem altum clamantem, & præconem illuſtrem, quandoquidem illa hominum oculos primum perſtringens occultæ

μασι, τῇ 16) καθ᾽ ὁμοίωσιν τȣ̃ πλάςȣ ἀρετῶν αἱρέσει καὶ κακίας φυγῇ. ἡ μὲν ȣ̓̃ν τῆς κακίας φυγὴ 17) λάμπει πάντως ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, κἂν ἔσω τις, 18) ὅση δύναμις, κατέχῃ τὴν λαμπηδόνα. Τὸ γὰρ μὴ χεῖρα κακὸν εἶναι, μὴ περὶ ὕβριν, μὴ περὶ χρήματα, μηδ᾽ ἀκρατῆ γλῶσσαν περὶ διαβολὴν, περὶ ὅρκȣς, περὶ ὅμοια, καὶ ἁπλῶς ἐν πᾶσι 19) μηδενὶ μηδεμίαν λαβὴν ἐμπαρέχειν· ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ μηδαμῶς βȣλομένων ἡμῶν λαμπρὸν ἀναςράπτει καὶ μέγα φῶς τοῖς ἀνθρώποις. Τȣ̃το καὶ ὁ θεῖος Παῦλος, θεσμȣ̀ς τῆς ἱερωσύνης ὑπογράφων Τιμοθέῳ, λέγει· δεῖ δὲ αὐτὸν καὶ μαρτυρίαν καλὴν ἔχειν ἐκ τῶν ἔξωθεν. 20) ἀλλὰ καὶ τὸ ἀπροσκόπȣς γενέσθαι Ιȣδαίοις τε καὶ Ελλησι, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ πάσῃ τȣ̃ Χριςȣ̃ 21) ἡ τῆς κακίας συνίςησι καὶ κατασκευάζει φυγή. νηςεία δὲ, καὶ πενήτων οἶκτος, καὶ δάκρυον ἐξ ὀμμάτων, καὶ προσευχῆς τένος φιλεῖ μὲν τῆς ἐργασίας τὸ κρύφιον. ȣ̓δὲν δὲ ἧττον μηνυτὴν μεγαλόφωνον καὶ κήρυκα διαπρύσιον τὴν τῆς κακίας ἔχει

etiam

16) Ita ſcribendum pro τό.

17) ἡ μὲν ȣ̓̃ν τῆς κακίας φυγὴ debeo *Colbertino*, quæ verba ex altero male exciderant ob proxime antecedens: καὶ κακίας φυγῇ.

18) Idem *Colb.* pro ἰσώβ.

19) Sic ſcribendum pro πάσῃ, & mox λαβὴν pro λαβεῖν.

20) 1. *Tim.* III. 7.

21) 1. *Cor.* X. 32.

φυγὴν, ἥτις τοῖς ἀνθρώποις προεκλάμψασα συνεφέλκεσθαί πως καὶ συνδιαλάμπειν φιλεῖ, καὶ τῆς κρυφίου ἀρετῆς τὴν μαρμαρυγήν.

Εισὶ δ' οὖν, εἰσί τινες ἀρεταὶ, ἃς εἰς τὸ μέσον εἰκὸς πράττειν καὶ μάλιστα τοὺς προεστηκότας, δικαιοσύνη φημὶ καὶ εὐσέβεια, καὶ ἡ ταύτης πρόμαχος ἀνδρεία, καὶ ὅσαι συνέριθοι. Διόπερ οὐδὲ ταύτας ὁ Σωτὴρ τῷ λανθάνοντι περιγράφεσθαι κελεύει, νηστείαν δὲ καὶ ἐλεημοσύνην, καὶ εἴτι ὅμοιον. πλὴν ἐπὶ πασῶν γε τὸ πρὸς ἐπίδειξίν τε καὶ τὸ κενόδοξον ἐξορίζει, καὶ τοῦτο αὐτῷ τὸ κρύφιον 22) βούλεται, καὶ τὸ μὴ γνῶναι τὴν δεξιὰν τὰ τῆς ἀριστερᾶς. Ο δὲ καθαρεύουσαν τὴν γνώμην ἔχων καὶ ἀνωτέραν τοῦ πάθους, ἄντε ἐν οἰκίᾳ, ἄντε ἐν ἐκκλησίᾳ, ἄντε ἐν αὐτῇ μέσῃ πόλει πράττῃ τὸ καλὸν, τῆς δεσποτικῆς ἐστιν ἐντολῆς ἀκριβέστατος φύλαξ. Αὐτός τε γὰρ οὐ πρὸς ἐπίδειξιν οὐδὲ κενῆς δόξης προβολὴν τὴν πρᾶξιν ποιεῖται, καὶ τῷ ἔργῳ τοὺς ὁρῶντας εἰς τὴν τοῦ πατρὸς δόξαν ἐπιστρέφει. Πλὴν ἐπείπερ οὐ πολλοὺς ὁρῶμεν, (ὅτι συνανυψοῖ ἑαυτῷ τὸ ὕψος τοῦ κατορθώματος, σφοδρὸν γὰρ ἀφίησι κάτωθεν ἡ κενὴ δόξα τὸ βέλος, καὶ δυνατὴ 23) πολλάκις καὶ στερρὸν ἦθος διελάσαι, καὶ πρὸς

etiam virtutis ſplendorem ſecum ferre, & oculis ingerere conſuevit.

Sunt vero etiam, ſunt virtutes nonnullæ, quas in medium proferre, maxime vero illos, qui aliis præfecti ſunt, oportet: Juſtitiam puto, & pietatem, earumque vindicem, fortitudinem, aliisque illis adfines. Propterea nec illas Servator in obſcuro haberi jubet, ſed jejunium potius, eleemoſynam, hisque ſimiles. In omnibus tamen illud, quod ad oſtentationem & vanæ gloriæ ſtudium ſpectat, procul eſſe vult, atque id quidem per *occultum* illud, & præceptum: *ne ſciat dextera tua ea, quæ ſunt ſiniſtræ*, indicat. Qui vero mentem puram & adfectu ſuperiorem habet, ſive is domi, ſive in eccleſia, ſive in media urbe bonum faciat, præceptum Domini curatiſſime obſervat. Ille enim non ad oſtentationem, neque per vanæ gloriæ aucupium ſua agit, ſed opere ſuo ſpectantes quosvis ad laudem Patris convertit. Quoniam vero non multos tales videmus, (præclari enim operis altitudo mentem ſecum evehit, vanumque gloriæ ſtudium grave telum demittit, pectusque etiam probe munitum lædere & ad

22) ἐν τῷ κρυπτῷ, *Matth.* VI. 4.
23) cum *Colb.* pro διά τι.

ad inferiora præcipitare poteſt) multo tutius eſt, ſi bona atque ea inprimis, de quibus diximus, in occulto præſtentur. Qui vero extra omnem teli hujus jactum poſiti ſunt, illis virtutem etiam in aprico & palam confectari licet. Ita Salvator quoque noſter nonnunquam miracula ſua inter medios homines & in Synagogis patrabat: nonnunquam vero illa publicari non patiebatur. Alterum quidem eorum faciebat, quod, ſicut adfectibus aliis omnibus prorſus non erat obnoxius, ita nec oſtentationi patebat. Alterum vero, ut regulam & exemplum nobis præberet, ad fugiendam oſtentationem, & errabundos vulgi plauſus ſolicite vitandos. Perfectius itaque & perfectorum hominum eſt, quod diximus, publicum virtutis ſtudium & exercitium, tutius vero occultum. Ibi enim latens vitium ſæpe virtuti ſe miſcet; hic vero, per occultum nempe virtutis exercitium, vitii ſubreptio penitus cavetur. Illa itaque Domini præcepta ſibi neutiquam adverſantur.

τὰ κάτω περιτρέψαι) ἀσφαλεςέρα πολλῷ ἡ ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ μάλιςα τῶν εἰσαγομένων εὑρίσκεται ἐργασία. τοῖς δ' ἔξω παντελῶς βέλους γεγονόσιν ἀκώλυτος ἡ ἐν φανερῷ καὶ δημοσίᾳ πραττομένη. ἐπεὶ καὶ ὁ Σωτὴρ ποτὲ μὲν εἰς μέσους καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς τὰ θαύματα ἐπετέλει. ἐσθ' ὅτε δὲ οὐκ εἴα δημοσιεύεσθαι ταῦτα. τὸ μὲν, ὅτι καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις πάθεσιν ἀπροσπέλαςος ὅλως ἦν, οὕτω καὶ τὴν κενοδοξίαν ἀπρόσιτον κατεῖχεν. τὸ δὲ κανόνα καὶ γνώμονα παρέχων ἡμῖν, φεύγειν τε τὰς ἐπιδείξεις, καὶ τοὺς πεπλανημένους τῶν πολλῶν διακρούεσθαι ἐπαίνους. τελειοτέρα μὲν οὖν καὶ τελείων, ὥσπερ ἔφαμεν, ἡ ἐν τῷ μέσῳ πρᾶξις, ἀσφαλέςερα δὴ ἡ λανθάνουσα. Ἐκεῖ μὲν γὰρ πολλάκις λαθοῦσα συνεισδύεται τῇ ἀρετῇ ἡ κακία. ἐνταῦθα δὲ τόγε ἐπ' αὐτῇ τῇ κρυφίῳ πράξει ἀποτετείχιςαι παντελῶς αὐτῇ 24) ἡ διείσδυσις. οὕτως οὐδαμῶς οὐκ ἔςιν ἐναντία τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων ἡ νομοθεσία.

Hæc, quæ dicta ſunt, alia quoque ratione illuſtrare & perſpicere licet. Phariſæos enim caſtigans, moresque eorum ſimulatos & ſubleſtos ad veram honeſtatem & probitatem compoſiturus, vetuit, ne ad homi-

Ἴδοις δ' ἂν καὶ ἄλλως οὐδὲν ἧττον τὸ ῥηθέν. ἐλέγχων γὰρ τοὺς Φαρισαίους ὁ Σωτὴρ, καὶ μεταρυθμίζων αὐτῶν τὸ κατεσχηματισμένον καὶ ὕπουλον εἰς τὸ κόσμιόν τε καὶ τὸν χρηςὸν τρόπον, ἀ-

24) Malim αὐτῆς, ſcilicet κακίας, vel αὐτὴ ἡ διείσδυσις.

πείθειν μὲν αὐτοῖς φεύγειν τὸ πρὸς ἀνθρώπους ζῆν, διώκειν δὲ, ὅσα θεραπεύει θεόν. Τοὺς οὖν τὴν κενοδοξίαν νοσοῦντας ἀπαλλάσσων τῆς νόσου, πρὸς ἐκείνους φησίν· μὴ ποιεῖτε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, καὶ, ὃ ποιεῖ ἡ δεξιά σου, μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, καὶ ὅσα ὅμοια. τοὺς ἐμπαθεῖς περικαθαίρων τοῦ πάθους, τοὺς ὑποκριτὰς ἐλαύνων τῆς σκηνῆς, τοὺς ὑπὸ ζόφῳ καὶ πλάνῃ πολιτευομένους, εἰς, τὸν ἀπλανῆ καὶ καθαρὸν τῆς ἀρετῆς βίον μετακαλῶν, ἐξ οὗ διαυγάζει ἡ ἀπάθεια καὶ ἡ ἀληθὴς δόξα, καὶ ἡ λαμπρότης ἡ ψυχική. οὕτως οὐκ ἔστιν ἀλλήλοις ἐναντία τὰ θεῖα καὶ ἱερὰ λόγια, ὥστε τοὐναντίον οὐδ᾽ ἄν τινι γένοιτο τῶν ἔργων ἀπαστράψαι τὴν λαμπηδόνα, εἰ μὴ τῆς κενοδοξίας τὸν ζόφον πρότερον διασκεδάσῃ, καὶ περιέλοι ἐξ αὐτοῦ.

hominum judicium vitam ſuam agerent, ſed ea potius conſectarentur, quæ Deo probantur. Hos itaque à vanæ gloriæ ſtudio avocaturus, ita eos alloquitur: *ne faciatis eleemoſynam veſtram coram hominibus*; & : *quod facit dextera tua, illud neſciat ſiniſtra*; aliaque his ſimilia. Homines itaque, adfectibus indulgentes, a malo hoc purgat, hypocritas ex theatro propulſat, homines, inter nebulas & errores vitam agentes, ad vitam inculpatam & puro virtutis ſtudio coruſcam, ex qua immunis ab adfectibus animus, veraque gloria, & mentis ſplendor emicat, perducit. Propterea divina & ſacra illa oracula adeo ſibi invicem non adverſantur, ut potius lampas bonorum operum apud neminem lucere poſſit, niſi qui prius vanæ ambitionis caliginem diſpulerit, ſeque ab illa liberarit.

Ἄλλως τε δέ. Εἰ τὸ μὴ σκανδαλίζειν τὸν πλησίον σύνδρομόν ἐστι, μᾶλλον δὲ προηγούμενον τοῦ περιλάμψαι τοῖς ἔργοις τοὺς ἀνθρώπους, τὸ δὲ, μὴ ποιεῖν πρὸς ἐπίδειξιν, ἐν τῷ μὴ σκανδαλίζειν ὡς ἐν μέρει νόμος περιέχεται τῷ ὅλῳ· καὶ τὸ φεύγειν ἄρα τὴν κενοδοξίαν προπαρασκευὴ γίνεται τοῦ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων διὰ τῶν ἔργων ἀναλάμψαι.

Idem hoc etiam alia ratione probatur. Quod ſi offendiculum non ponere proximo conjunctum eſt, vel prævium potius illi, ut recte facta ab hominibus conſpiciantur; nihil autem ad oſtentationem facere, tanquam pars reſpectu totius, requiritur, ut offenſioni non ſimus; conſequitur, fugam vanæ ambitionis præparare hominem, ut operibus ſuis coram hominibus lucere poſſit.

poſſit. Itaque ad petitionem tuam tuaque cauſa variis modis oſtenſum à me eſt, Domini noſtri dicta adeo ſibi invicem non adverſari, ut conſenſio potius manifeſte appareat.

Imitor vero heic Domini noſtri exemplum, quod facit, ut pluribus modis & argumentis in concordiam illa redigantur, quæ ſecum invicem pugnare videntur. Ipſe enim communis noſtrûm & conditor & doctor, & Servator, ex iis, quæ ipſe fecit, hanc regulam docuiſſe intelligitur. Dum in hoc ſum, non injucundum tibi fortaſſe fuerit, etiam tertiæ quæſtionis examen ſuſcipere. Cum enim improba & impudens Judæorum natio diſcipulos rationem reddere jubebat, cur in Sabbato ſementem comediſſent, non uno modo injurios eorum ſermones compeſcebat. Primo quidem loco neceſſitatem illis obvertebat. Id ſcilicet ipſo Davidis facto & exemplo firmabatur, qui, cum panes propoſitionis, quibus veſci non licebat, comediſſet, a culpa immunis habebatur. Alterum argumentum petit a loco, ſive potius a prærogativa quadam, loco propria. Argumentum hoc itidem ab exemplo ducitur, ſed priori illo eſt gravius.

Ἀλλὰ γὰρ τὰ μὲν κυριακὰ λόγια σὴν [25] συνεξαίτησίν τε καὶ χάριν διαφόροις ἐπιβολαῖς ἀντὶ τοῦ διαφωνεῖν ἐπεδείχθη μᾶλλον ἀσπαζόμενα τὴν συμφωνίαν.

Ἐστὶ δὲ καὶ δεσποτικῶν ἡ μίμησις νόμων, κἀκεῖθεν ἔχει τὴν πρόοδον, τὸ πλείοσιν ἐπιχειρήμασι μεθοδεύειν τὰ στασιάζειν ἀλλήλοις δοκοῦντα τῶν προβλημάτων. Καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ κοινὸς καὶ πλάστης καὶ διδάσκαλος, καὶ Σωτὴρ εἰσηγητὴς ὁρᾶται τοῦ κανόνος, οἷς ἐποίησεν. Οὐκ ἄχαρι δ' ἴσως ἐν ταὐτῷ σοι συνδιεξαπλῶσαι καὶ τὴν θεωρίαν τοῦ τρίτου ζητήματος. Ὅτε γὰρ τὸ ἀχάριστον καὶ ἀναίσχυντον ἔθνος τῶν Ἰουδαίων τῆς ἐν σαββάτῳ σιτολογίας τοὺς μαθητὰς αἰτίας εἰσέπραττεν, [26] οὐχ ἑνί γε τρόπῳ τὸ ἐπηρεαστικὸν αὐτῶν ἐπεστόμισεν, ἀλλὰ πρῶτον μὲν τὴν ἀνάγκην αὐτοῖς ἀντεπέστησεν. Τοῦτο γὰρ καὶ κατασκευάζεται τῇ κατὰ τὸν Δαβὶδ πράξει καὶ τῷ παραδείγματι, ὃς τοὺς ἄρτους φαγὼν οὐκ ἐξὸν τῆς προθέσεως αἰτίας ἀφίεται. δεύτερον δὲ ἀπὸ τοῦ τόπου, ἤτοι παρὰ τὸ ἐν τῷ τόπῳ προνόμιον. παραδειγματικὸν μὲν καὶ τοῦτο, πλὴν τοῦ προτέρου βαθύτερον. Ὥσπερ γὰρ ἡ αὐτὴ πρᾶξις ἔξω μὲν τοῦ ἱεροῦ γινομένη

25 σὴν habeo ex *Colbert.* Vocula hæc in altero ob ſequens συνεξαίτησιν omiſſa erat, ubi tamen atque adeo & heic rectius legetur σὴν ἐξαίτησιν.

26) *Matth.* XII. 1. ſqq.

πρὸς δίκην ὑπάγει, ἐν αὐτῷ δὲ τῷ ἱερῷ ἀνεύθυνον ἀπολύει, οὕτω καὶ σιτολογεῖν μέν τινας ἁπλῶς ἐν σαββάτῳ, δεδόσθω γὰρ ὑμῖν, ποιεῖ ἐν εὐθύναις· τοὺς δὲ τῶν ἀνθρώπων σωτῆρας καὶ διδασκάλους, καὶ αὐτῷ τῷ τῆς ἱερωσύνης συνόντας δεσπότῃ καὶ νομοθέτῃ παντὸς αἰτιάματος ἀπαλλάττει. πολλῷ γὰρ μείζω τοῦ ἱεροῦ τὰ ἐνταῦθα. Ετι δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἐλέους τὴν αὐτῶν ἀπόνοιαν στηλιτεύει. Ει γὰρ μείζων μὲν ἡ θυσία τῆς παρατηρήσεως τῆς ἐν σαββάτῳ, ἐπίπροσθέ τε τῆς θυσίας καὶ ὁ νόμος ὑμῶν τὸν ἔλεον ἄγει. ἔλεον γάρ φησιν θέλω, καὶ οὐ θυσίαν. 27) οἱ τοὺς μαθητὰς ὁρῶντες λιμῷ καὶ ἀσιτίᾳ πιεζομένους, εἶτα ἀντὶ τοῦ ἐπ' ἔλεον 28) τραπῆναι δίκην εἰσπραττόμενοι παρανομίας, οὗτοι πολλῷ χαλεπωτέρᾳ παραβάσει τὴν σκιὰν τοῦ νόμου διεκδικεῖν εἰσιν ἑαλωκότες. Ου μὴν ἀλλὰ καὶ τετάρτῳ τούτους ἀπορραπίζει λόγῳ. οὐ διὰ τὸ σάββατον τὸν ἄνθρωπον γεγονέναι λέγων, ἀλλ' ἀνάπαλιν ἀνθρώπου χρείᾳ τὸ σάββατον ὑφεστάναι. 29) Ναὶ δὴ καὶ μέχρι πέμπτης πληγῆς τῆς ἀνοίας αὐτῶν τῇ μάστιγι τῶν λόγων καθικνεῖται, δεσποτικώτερον λοιπὸν καὶ μετ' ἐξουσίας αὐτοὺς ἐπιπλήττων. Κύριος γάρ ἐστι, φησὶν, ὁ υἱὸς τοῦ ἀν-

vius. Sicut enim eadem actio, ſi quidem extra locum ſanctum fiat, crimini facit obnoxium, quæ in ſancto loco patrata, reum non reddit; ita, ſi qui alii ſimpliciter in ſabbato frumento veſcantur, (largiar hoc vobis) culpæ ſunt obnoxii. At vero illi, qui hominum ſunt ſervatores, & doctores, quique cum ipſo Sacerdotii Domino & legiſlatore verſantur, vel propterea ab omni crimine immunes habentur. Quæ enim heic ſunt, ſancto illo loeo ſunt majora. Porro vero miſericordiæ quoque nomine amentiam eorum caſtigat. Si enim ſacrificium, inquit, præſtat obſervatione Sabbati, lex vero veſtra miſericordiam ſacrificio præfert: *miſericordiam enim*, inquit, *volo, non vero ſacrificium;* illi utique, qui pro eo, quod ad miſericordiam flecti debebant, prævaricationis pœnas poſcunt, majoris peccati rei merito habentur, umbram legis vindicantes. Præterea quarto etiam argumento in eoſdem animadvertit, dicens, hominem non propter Sabbatum factum, ſed Sabbatum potius in hominis commodum conditum eſſe. Denique & verborum flagello amentiæ eorum quintam infligit plagam, qua ſimul inſtar domini cum majore quadam auctoritate & efficacia eoſdem caſtigat. *Dominus enim*, inquit, *Sab-*

27) *ibid.* v. 9.
28) Ita *Colb.* pro altero ἔλαττον.
29) *Marc.* II. 27.

Sabbati eſt filius hominis. Quod ſi vero Filius eſt Dominus; diſcipuli autem vel maxime filii ſunt & hæredes; (illi enim primi non ex ſanguine, nec ex voluntate carnis nec ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti ſunt, & a Deo in filios adoptati;) iidem ſane non ſervient, ſed dominabuntur Sabbato. Hoc igitur Domini opere, aliisque illi ſimilibus, muniti & edocti, illam, ut volebas, oraculorum venerabilium apparentem diſſenſionem, variis modis in conſenſionem manifeſtam traduximus. Atque illa quidem noſtra ita habes. Si vero ingenii tui felicitas, & judicii acumen, ſacræque doctrinæ copia & dicendi ubertas jucundiora & ſublimiora invenerit; (inveniet vero omnino, modo voluerit, ſiquidem ego te, amicum meum, recte novi;) mutuam hanc benevolentiam inſtar ampliſſimi præmii accepero.

θρώπου καὶ τοῦ σαββάτου. εἰ δὲ κύριος ὁ υἱὸς, υἱοὶ δὲ καὶ κληρονόμοι μάλιστα οἱ μαθηταί. οὗτοι γὰρ καὶ πρῶτοι οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς ἀλλ᾽ ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν, 30) καὶ τῆς ἄνωθεν υἱοθεσίας ἠξιώθησαν. οὐκ ἔτι δουλεύσουσιν, ἀλλὰ κυριεύσουσι τοῦ σαββάτου. ἐξ οὗν τῆς δεσποτικῆς ἐργασίας ταύτης, καὶ ὅση παραπλησία, δυναμωθέντες τε καὶ στοιχειωθέντες, ὥσπερ ᾔτησας, λόγοις διαφόροις τὴν τῶν σεπτῶν λογίων δοκοῦσαν διαφωνίαν εἰς ἀστασίαστον συνηγάγομεν συμφωνίαν. 31) Ἀλλὰ γὰρ τὰ παρ᾽ ἡμῶν σοι ἐπὶ τοσοῦτον. Εἰ δὲ τὸ σὸν τῆς διανοίας τάχος, καὶ τὸ ἐν φρονήματι συνετὸν, καὶ τῶν ἱερῶν θεωρημάτων ὁ πλοῦτος, καὶ ῥήτωρ τέχνη γλυκύτερά τε καὶ ὑψηλότερα προσεπιθεωροίη, προσεπιθεωρήσεις δ᾽ ἂν μόνον βουληθείη, εἴπερ ἐγὼ τὸν ἐμὸν οὐκ ἀγνοῶ φίλον, εἰς τὸ πληρέστατον ἂν εἴην 32) τὴν ἀμοιβαίαν ἀπειληφὼς χάριν.

QVÆST. CLVIII.

Quare Paulus Apoſtolus in epiſtolis ſuis nomen ſuum præmittit?

Divinus *Paulus* epiſtolis ſuis nomen ſuum præfigit, ideo, quod os ſuum ſine commemorata Domini bene-

ΕΡΩΤ. ΡΝΗ.

Διὰ τί ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς αὐτοῦ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος προτάττει τὸ ἴδιον ὄνομα; 1)

Προτάττει τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ Παῦλος ὁ θεῖος τὸ ὄνομα, μηδὲ διᾶραι στόμα χωρὶς τοῦ μεμνῆσθαι τῆς δεσποτικῆς

30) *Joan.* I. 13.
31) εἰς ἀστασ. συνηγάγομεν συμφωνίαν, ex *Colb.*
32) Idem pro εἴης.
1) Initium hujus reſponſi exſtat apud *Oecumenium* ſub *Photii* nomine p. 202. Commentar.

εὐεργεσίας βουλόμενος. καὶ γὰρ αὐτῷ καὶ τὴν κλῆσιν ἡ χάρις ἐκαίνισεν, εἰς Παῦλον τὸν Σαῦλον, ὥσπερ τοὺς τρόπους, οὕτω διαμειψαμένη καὶ τὰ ῥήματα. Διό φησι Παῦλος, ὁ καὶ αὐτὴν οἱονεὶ τὴν κλῆσιν ἐκ δεσποτικῆς φιλοτιμίας φέρων, ὁ πάντα πλουτήσας ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, τὸ ὄνομα, τὴν πίστιν, τὸν πόθον, τὸν δρόμον, τὴν ἀποστολὴν, τὰ πολιτεύματα, εἰκότως τοιγαροῦν καὶ δοῦλος Χριστοῦ. * ὁ γὰρ προῖκα τοσαῦτα λαβὼν, καὶ μηδὲν προκαταθέμενος, πῶς οὐχὶ δοῦλος, 2) καὶ εἴ, τι ἄλλο τοῦ διὰ τοσούτων τιμήσαντος; Δοῦλοι μὲν γὰρ καὶ ἄκοντες ἅπαντες, ὅσους ὁ δημιουργικὸς λόγος ἐκ μὴ ὄντων εἰς ὕπαρξιν θέμενος, πρὸς τὸν δεσπότην ὁρᾷν ἀναγκάζει, καὶ τοῦ πλάστου τὸ κράτος ἐπίστασθαι. Καὶ γὰρ ἀνάγκη τὸ δημιούργημα δοῦλον εἶναι καὶ ὑπεξούσιον τῆς τοῦ δεδημιουργηκότος κυριότητος. δοῦλον δὲ καὶ ὅσον τῆς τοῦ κρείττονος ἀπολαύει προνοίας, καὶ τῆς ζωῆς ὥσπερ ἐκεῖθεν ἔχει τὴν ὕπαρξιν, οὕτω καὶ τῆς διαμονῆς τὴν συνέχειαν. Εἶεν δ' ἂν εὐγνωμονοῦντες δοῦλοι, καὶ οἵτινες τυραννίδος πικρᾶς καὶ χαλεπῆς αἰχμαλωσίας μεγάλοις ἐλευθερωθέντες λύτροις, τὸν λυτρωτὴν ἐπιγράφεσθαι δεσπότην ἐγνώκασιν. Ἀλλ' ὅγε θεῖος Παῦλος οὐ τούτοις ἑαυτὸν τοῖς τρόποις ὑποτάξαι Χριστῷ μέγα ἐποιεῖτο. Κοινά τε

beneficentia aperire noluit. Gratia enim illi nomen quoque novum impoſuit, quæ Saulum in Paulum non ſolum quod ad mores, ſed etiam quod ad appellationem converterat. Propterea vocat ſe *Paulum*, tanquam qui ipſum nomen Domini in ſe amori deberet, quique a Chriſto omnia, nomen puta, fidem, deſiderium, curſum, Apoſtolatum, reliquamque vitæ conditionem nactus eſſet; nec minus convenienter *ſervum Chriſti*. Qui enim gratis omnia acceperat, nihilque ante præſtiterat, quomodo is non etiam ſervus, &, ſi quid aliud eſt inferius, illius, qui tantis eum beneficiis ornaverat, appelletur. Omnes enim, etiam inviti, ſervi ſunt, quotquot verbum illud, quod omnia condidit, ex nihilo producens, ad Dominum reſpicere, conditorisque ſui potentiam agnoſcere cogit. Neceſſe enim eſt, creatum quodque ſervum eſſe, conditorisque ſui poteſtati obnoxium. Servus vero & ille eſt, qui majoris curæ fructum capit, quique eidem non ſolum id debet, quod ſit, ſed quod etiam eſſe perſeveret. Servi porro etiam illi jure merito habeantur, quicunque ab acerba tyrannide & durisſima captivitate magno pretio redemti liberatorem Dominum quoque ſuum appellandum eſſe in-

 telligunt.

* Vide *Rom.* I. 1.
2) ὁ γὰρ προῖκα - - οὐχὶ δοῦλος accepi ex *Colbert.*

telligunt. Divinus vero Paulus tanti hæc non fecit, ut iis tantum nominibus ſe ſubjiceret; communia enim hæc habebat cum aliis, quæ nihil præcipui aut admiratione digni ſecum ferebant. Alia vero erant, eaque plura & majora, propter quæ ſervi ſe nomine cohoneſtat & ornat, ſervitutiſque dignitatem & libertatem vere talem magnifice oſtentat. Inter hæc primum locum tenent egregiæ illæ dotes, quibus a conditore ſibi conceſſis gloriari præ aliis poterat. Alterum eſt amor efficaciſſime, & magis, quam in homines alios, adverſus ſe probatus. Tertium functio Apoſtolatus ſine tergiverſatione ſuſcepta, nec intermiſſus præconii Evangelici curſus. Ex his prærogativis magnifice & ingenue de ſervitute ſua ſentiens veram nobilitatem demonſtrat. Ad hæc omnia accedebat curata & ingenua res ſuas agendi ratio, per quam ſe ipſum ſervum quod ad corpus, animam mentemque & cetera denique omnia Chriſto ſiſtebat; electionem ſui adeo non deturpans, aut cœleſte de ſe judicium parvi faciens, ut potius pro divino munere a ſe haberi teſtatum faceret, idque opere ipſo firmaret, nec quicquam præceptorum ejus negligeret, ut eadem in nonnullis etiam ſuperare intelligatur. Admirandus ita-

γὰρ ταῦτα, καὶ οὐδὲν ἐξαίρετον οὐδὲ θαυμαστὸν ἐνδεικνύμενα. ἑτέροις δὲ μᾶλλον ἑαυτὸν διακοσμεῖ, καὶ διαπλάττει δοῦλον πλείοσί τε καὶ μείζοσι, καὶ τὸ τῆς δουλείας καθαρὸν, καὶ ὄντως ἐλεύθερον λαμπρῶς ἐπιδείκνυται. Καὶ πρῶτον μὲν, οἷς ἔσχεν ἰδίως φιλοτιμεῖσθαι τοῖς δεδομένοις αὐτῷ παρὰ τοῦ πλάστου χαρίσμασι. δεύτερον, τῷ ἐξῃρημένῳ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ϗ διαπύρῳ τῆς εἰς αὐτὸν ἀγαπήσεως. καὶ τρίτον τῇ ἀπροφασίστῳ τῆς ἀποστολῆς ὑπηρεσίᾳ, καὶ τῷ ἀπαραβλήτῳ δρόμῳ τοῦ δουλείας, ἐλευθέρῳ φρονήματι τὴν ὡς ἀληθῶς ἐμφανίζει εὐγένειαν. Καὶ πρός γε τοῖς εἰρημένοις τῇ ἀκριβείᾳ καὶ καθαρότητι τοῦ πολιτεύματος, δι᾽ ὧν ἑαυτὸν δοῦλον καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν καὶ λογισμοὺς, καὶ πάντα τὰ τῷ Χριστῷ παρεστήσατο. οὐδαμοῦ τὴν ἐκλογὴν αἰσχύνας, οὐδὲ τὴν ἄνωθεν ψῆφον φαυλίσας, πανταχοῦ δὲ μᾶλλον θείαν ὡς ἀληθῶς ἀποφήνας, καὶ τοῖς ἔργοις τὴν κρίσιν βεβαιωσάμενος, καὶ μηδὲν λιπὼν, τί δεῖ λέγειν τῶν ἐντολῶν ἀκατόρθωτον, ὅπου λαβεῖν ἐστιν, ἃς καὶ ὑπερεβάλλετο. Δείκνυται τοιγαροῦν ὁ θαυμάσιος Παῦλος, καθ᾽ ἕνα μὲν τρόπον δοῦλος, ὡς τῆς δημιουργικῆς παλάμης φιλοτέχνημα. καθ᾽ ἕτερον δὲ, ὡς τῇ ἐκεῖθεν προνοίᾳ τὴν ὕπαρξιν συνεχόμενος, εἶτα ὡς ἠγορασμένος τῷ δεσποτικῷ αἵματι, λοιπὸν ἐντεῦθεν τὰ ἰδιά-

que

Digitized by Google

ζοντα, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ μέχρι τούτων ἵσαται, οὐδὲ 3) τοῖς κοινοῖς τὴν αὐτοῦ δουλείαν περιγράφει, ἀλλὰ καὶ χαρισμάτων πλοῦτον περιβαλλόμενος, ἄλλης δουλείας ζυγῷ καὶ τρόπῳ ἑαυτὸν ὑποζεύγνυσιν. ἀντιδεξιοῦσθαι φιλονεικῶν οὐκ εἰωθέσι θεραπείαις, τὸν καινοτέραις αὐτὸν φιλοτιμησάμενον χάρισι. ναὶ δὴ καὶ ἀντὶ πάντων φιλεῖ τὸν δεσπότην, φίλτρου ὑπερβολὴν οὐ λείπων, 4) καὶ μεῖζον εἰ κατὰ λόγον τοῦ θαυμάζεσθαι. Καὶ πάντα σκύβαλα ἡγεῖται, ἵνα Χριςὸν τὸν ποθούμενον κερδήσῃ. ἀλλὰ καὶ ἀποςέλλεται κήρυξ, καὶ οἰκουμένην πληροῖ τῷ κηρύγματι, ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ ἐξ ἀφετηρίου τινὸς πρὸς τὰ τῆς πάντα δραμὼν πέρατα, καὶ μέχρις αὐτῶν τῶν ὠκεανοῦ ῥευμάτων σαλπίσας τὸ εὐαγγέλιον. Τοιαύτην δουλείαν ὁ Παῦλος ἠπίςατο, ἐφ' οἷς ἕβδομος δουλείας ἐξανύεται τρόπος, δι' οὗ τῆς ἐν Χριςῷ πολιτείας τοὺς θεσμοὺς καὶ τὰ νόμιμα καθαρῶς τε καὶ σπουδαίως, καὶ ὡς οὐκ ἄντις ἕτερος, οὐ τότε, 5) οὐχ ὕςερον, κατόρθωσέν τε καὶ διεφύλαξεν, ὑπωπιάζων 6) τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶν, μή πως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένηται. Αυται τῆς δου-

que Paulus ex una parte ſervum ſe ſiſtit, tanquam manus omnipotentis opus; ex altera vero talem, qui per divinam providentiam eſſe perſeveret, quique Domini ſanguine ſit redemtus. His vero ea, quæ propria ſibi habet, jungit, neque in dictis acquieſcit, aut communibus illis beneficiis ſervitutem ſuam circumſcribit. Multis enim gratiæ donis ſe cumulatum agnoſcens, alius ſervitutis jugo & generi ſe ſubjicit, operam dans, ut non vulgari & conſueto obſequio eum, qui ſe novis & inſolitis beneficiis mactaverat, viciſſim exciperet. Propterea etiam Dominum præ aliis omnibus amat, de amoris ſui, ipſa admiratione, ut conveniens erat, majoris, magnitudine nihil remittens. Omnia porro pro rejiculis habet, ut Chriſtum, ſibi deſideratiſſimum, lucretur. Mittitur vero etiam ut præco, totumque orbem præconio ſuo implet, Hieroſolymis, tanquam a carceribus, usque ad omnes terrarum fines excurrens, & Evangelium usque ad Oceani flumina ebuccinans. Ejusmodi ſervitutem ſervire Chriſto Paulus didicerat. His vero & ſeptimum ſervitutis genus accedit, quando leges & inſtituta vitæ, in Chriſto actæ, tam ſancte ſoliciteque, ut nemo alius eorum, qui

3) *Colb.* οὐδ' ἐν.
4) Sic ſcribo pro λεῖπον. Mox pro εἰ malim legere ἢ.
5) Ex *Colb.* loco οὕτως τε.
6) *Idem* pro κοπιάζων.

qui vel tunc vel poſtea vivebant, obſervavit & cuſtodiit, corpus ſuum caſtigans & in ſervitutem redigens, ne aliis prædicans ipſe fieret reprobus. Hæc ſunt admiranda illa omnique libertate meliora ſervitutis genera, quæ Paulus ſpirabat, quæ ſuſtinere non deſinebat, quibus onuſtus gloriabatur. Propterea literas ſcribens ſervum ſe Jeſu Chriſti appellabat. Hæc, dicebat, mea eſt dignitas! hoc imperatoriæ poteſtatis inſigne! hoc nomine omnibus velim innoteſcere! Qui in mundo res ſuas habent, illi quidem a mundi dignitatibus celebrari cupiunt, nunc Conſulum, nunc Præfectorum, nunc tribunorum, nunc aliis titulis utentes. Paulo vero ad gloriæ, imperii & dignitatis amplitudinem ſufficit, Chriſti eſſe ſervum, atque hoc potius, quam alio quovis nomine, inclareſcere. Atque hæc quidem cauſa tibi exiſtimanda fuerit, cur Paulus nomen ſuum epiſtolis præmiſerit, ſemperque ſe Chriſti ſervum appellarit.

λείας αἱ θαυμάσιαι καὶ κρείττους ἁπάσης ἐλευθερίας ἰδέαι. 7) ταύτας ἀνέπνει, ταύτας οὐκ ἔληγε δουλεύων, ταύταις ἐναθλῶν ἐσεμνύνετο. Διὸ καὶ γράφων δοῦλον ἑαυτὸν Ιησοῦ Χριστοῦ ἀπογράφεται. τοῦτό μου φησὶ τὸ ἀξίωμα. τοῦτο τῆς ἀρχικῆς ἐξουσίας τὸ ἐπίσημον. ἀπὸ τούτου βούλομαι πᾶσι γνωρίζεσθαι. Οἱ μὲν ἐν κόσμῳ ἀναστρεφόμενοι ἀπὸ τῶν ἐν κόσμῳ ἀξιωμάτων δηλοῦσθαι βούλονται, ὑπάτους ἑαυτοὺς, καὶ στρατηγοὺς καὶ δημάρχους, καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπογράφοντες. Παύλῳ δὲ ἀρκεῖ εἰς μέγεθος καὶ δόξης καὶ ἀρχῆς καὶ ἀξιώματος, τὸ δοῦλον εἶναι Χριστοῦ, κἀκεῖθεν μᾶλλον ἢ ἀπό τινος ἄλλου γινώσκεσθαι. Ἀλλ᾽ οὕτω μέντοι τεθεωρήσθω ἡ αἰτία τοῦ τε προτάττεσθαι τὴν κλῆσιν τῶν ἐπιστολῶν Παῦλον, καὶ τοῦ διὰ παντὸς δοῦλον ἑαυτὸν ἀναγράφειν Χριστοῦ.

Quod vero additur: *qui declaratus fuit filius Dei in potentia*, &c. illa mihi quidem hanc ſententiam inferre videntur. *Declaratum* appellat, tanquam, qui ut talis cognitus ſit, &

Τὸ 8) δὲ ὁρισθέντος υἱοῦ ἐν δυνάμει, 9) καὶ ἑξῆς, τοιαύτην τινά μοι δοκεῖ τὴν θεωρίαν ἔχειν· ὁρισθέντος, φησιν, οἱονεὶ ἐπιγνωσθέντος, εἰς γνῶσιν ἀνθρώποις ἐληλυθότος. 10) Εἰώθαμεν γὰρ

7) *ἰδίαι* ſcribo pro *ἰδέαι*.

8) *τοῦ* pro *τὸ*, ex *Colb.*

9) *Rom.* I. 4.

10) Reſpicit huc *Oecumenius* l. c. p. 203. his verbis: *διὸ καί τις τοῦ ὁρισθέντος, τοῦ ἐπιγνωσθέντος φησὶ, καὶ εἰς γνῶσιν ἀνθρώποις ἐλθόντος. Εἰώθαμεν γὰρ δὲ ὁρισμῶν τινων ἐπιγινώσκειν, ἃ βεβαίως καὶ οὐκ ἐν δισταγμῷ ἐπιστάμεθα.*

ἢ ὀνόματί τινι καταλαμβάνειν τὰ πράγματα, ἢ διά τινων ὁρικῶν λέγων εἰς τὴν αὐτῶν ἀφικεῖσθαι ἐπίγνωσιν. Νῦν οὖν ὁρισθέντος φησὶν οὐχὶ τὸ παρά τινος εἰς υἱοθεσίαν ἀνειλῆφθαι, ἄπαγε, οὐδ' ὅτι τὴν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ προσηγορίαν ἀπό τινος ἐπέσχεν θέσεως, ἀλλ' ὁρισθέντος φησὶν, οἷον τοῦ διὰ τῶν περὶ αὐτὸν ἰδιωμάτων ἡμῖν ἐμφανισθέντος, καὶ εἰς γνῶσιν καὶ κατάληψιν, ὡς οἷόν τε ἐστιν ἀνθρωπίνῃ φύσει, περιελθόντος. Πόθεν οὖν καὶ ἐκ τίνων ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς ἀφορίζεται, καὶ τίσιν ἰδιότησι χαρακτηριζόμενος εἰς γνῶσιν ἡμῖν ἔρχεται; ἐκ προφητικῶν, φησι, χρησμῶν. Τοῦτο γὰρ παρίστησι διὰ τοῦ εἰπεῖν, ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις. 11) δεύτερον ἐκ τῶν δυνάμεων, ἃς ὑπερφυῶς ἐτέλει. τοῦ ὁρισθέντος γὰρ, φησιν, υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει. εἶτα ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ὃ τοῖς εἰς αὐτὸν πεπιστευκόσι ἐχορήγει. ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ἀναστῆναι 12) αὐτὸν ἐκ σπέρματος τοῦ Δαβὶδ γεγεννημένον. Καὶ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ συνδρομὴ διορίζει καὶ ἀποδιΐστησιν αὐτὸν τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοις κατὰ χάριν γέγονεν υἱοὺς ἐπονομασθῆναι, καὶ δείκνυσι καὶ διδάσκει πάντας, αὐτὸν εἶναι τὸν ἀληθῶς καὶ φύσει υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ Θεόν. Ὅθεν δυνατὸν ἂν εἴη 13) καὶ οὐχὶ πλαγιασμῷ τῶν

& ad notitiam hominum perductus. Res enim vel ex nomine ſuo cognoſcere, vel definitionis alicujus ope percipere ſolemus. *Definitum* itaque appellat, non quaſi a quoquam in filium ſit adoptatus; abſit hoc! neque, quod nomen filii Dei per impoſitionem quandam nactus ſit; ſed *definitum* vocat, tanquam qui ex proprietatibus ſuis nobis innotuerit, & in cognitionem noſtram, quoad illa in homines cadit, pervenerit. Unde igitur, & ex quibus momentis filius Dei determinatur, & quibus proprietatibus diſtinctus a nobis cognoſcitur? Ex Propheticis, inquit, oraculis. Id enim ſignificat, dicens: *quod prænunciavit per Prophetas ſuos in ſacris literis.* Deinde vero ex miraculis, quæ ſupra naturæ vires edidit. Dicit enim: *qui declaratus eſt filius Dei in potentia.* Porro ex Spiritu Sancto, quem hominibus in ſe credentibus donabat. Denique vero ex eo, quod, qui ex Davidis ſemine natus erat, ex mortuis reſurrexit. Horum enim omnium congeries eum ab aliis omnibus diſtinguit & ſeparat, quibus filios Dei appellari ex gratia contigit. Hæc oſtendit & docet omnes, eum vere & natura ſua filium Dei & Deum eſſe. Hinc

11) *Rom.* I. 2.
12) *Colb.* pro ἀναστάντος. S. Paulus: ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν.
13) *Colb.* pro εἶναι.

ſcilicet, atque adeo non ex nuda quadam verborum obliquitate, ſed recta potius via, ſi ſingula ſibi invicem jungantur, definire & demonſtrare licet, quam eminente ſenſu Chriſtus & Deus noſter filius ſit Dei, eademque opera puram & diſtinctam ejus cognitionem credentibus ſuppeditare. Si quis v. c. interrogetur: quid eſt Chriſtus? facile illi & in promtu fuerit reſpondere: Chriſtus eſt, qui à Prophetis quidem prænunciatus, & ſecundum carnem ex ſemine Davidis genitus, potentia ſua ſupernaturali, ſanctique Spiritus largis & infinitis donis humano generi benefecit, & reſurrectione ſua mortem quidem peremit, infernoque ſpoliato, eos, qui inde a primis ſæculis mortui erant, una ſecum reſuſcitavit. Hic eſt Chriſtus, hic eſt Dei filius & Deus. Ad hujus evangelium prædicandum Paulus ſeparatus eſt. Hoc indicat vox illius, qui filius Dei declaratus eſt. Adde etiam, ſi placet ad majorem rei declarationem & intelligentiam: per quem Paulus etiam accepit Apoſtolatus gratiam, ut gentes barbaras perſuadendo vinceret, easque ad obſequium fidei in Chriſtum præſtandum præpararet, h. e. efficeret, ut in illum crederent, eique uni, tanquam vero Deo, & Dei filio ſervirent, à patriis moribus, vetereque ſua, & erronea ſuperſtitione liberatæ.

ῥημάτων μόνον ἀλλὰ κατ' εὐθεῖαν αὐτὰ συνείροντας τὸ ἐξαίρετον τῆς υἱότητος τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἀφορίσαι τε καὶ παραστῆσαι, καὶ τὴν περὶ αὐτοῦ γνῶσιν τε καὶ εἴδησιν σαφῆ καὶ καθαρὰν τοῖς πιστοῖς παρασχέσθαι. οἷον εἴτις ἐρωτώῃ, τί ἐστιν Χριστὸς, ῥᾳον καὶ οὐδὲν ἐργῶδες εἰπεῖν· Χριστός ἐστιν ὁ διὰ τῶν προφητῶν μὲν προκηρυχθεὶς καὶ γενόμενος κατὰ σάρκα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, ὑπερφυέσι δυνάμεσι καὶ πνεύματος ἁγίου δαψιλεῖ τε καὶ ἀφθόνῳ χορηγίᾳ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος εὐεργετῶν, καὶ διὰ τῆς οἰκείας ἀναστάσεως τὸν θάνατον μὲν νεκρώσας, καὶ τὸν ᾅδην σκυλεύσας, τοὺς ἀπ' αἰώνων δὲ συναναστήσας ἑαυτῷ νεκρούς. οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, οὗτος ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς καὶ Θεός. εἰς τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον Παῦλος ἀφωρισμένος ἐγένετο. τοῦτο παρίστησιν ἡ τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ φωνή. 14) πρόσθες, εἰ βούλει, πρὸς ἐξάπλωσιν καὶ δήλωσιν σαφεστέραν· δι' οὗ καὶ Παῦλος ἔλαβε χάριν ἀποστολῆς 15) ἔθνη βάρβαρα πεῖσαι, καὶ παρασκευάσαι ὑπακοῦσαι τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ. τουτέστιν εἰς αὐτὸν πιστεῦσαι 16) καὶ λατρεύειν μόνῳ, ὡς ἀληθινῷ θεῷ, καὶ υἱῷ Θεοῦ, ἀφέμενα τῶν πατρώων ἐθῶν, καὶ τῆς παλαιᾶς αὐτῶν καὶ δεισιδαίμονος πλάνης.

Ceterum

14) *Act.* IX. 15. ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς μοι ἐστὶν οὗτος.
15) *Rom.* I. 5. 16) Ex *Colb.* pro πιστεύσας.

Τὸ δὲ, καυχάσθω ὁ ἀδελφὸς ὁ ταπεινὸς ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ, ὁ δὲ πλούσιος ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, τῷ ἱερῷ ῥηθὲν Ιακώβῳ, 17) οὐ τοῦτο δηλοῖ, ὡς, μεγαλοῤῥημονείτω, μεγαλαυχείτω, ἀλαζονευέσθω. οὐδὲν τούτων. Τίθεται μὲν γὰρ, ὡς ἔθος, τὰ ῥήματα ταῦτα ἐπὶ τῆς τοιαύτης διανοίας, καὶ τὸ πρόχειρον τῆς λέξεως εἰς τοῦτο φέρει. Αλλ' οὖν νυνίγε τὸ καυχᾶσθαί φησιν ἀντὶ τοῦ θαῤῥείτω, ἐλπιζέτω. Μηδὲ 18) γὰρ ὅτι ταπεινὸς, φησὶν, ἀθυμείτω, ὡς ἐν πενίᾳ τρυχόμενος, ἢ τῇ παρὰ τῶν ἀνθρώπων ἀδοξίᾳ ὑβριζόμενος. Καὶ γὰρ καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν τοὺς ταπεινοὺς καὶ εὐτελεῖς καὶ πένητας, καὶ πτωχοὺς ἐξελέξατο, τοὺς πλουσίους, καὶ δόξῃ καὶ γένει μεγαλοφρονοῦντας, φρυάττεσθαι λιπών. Ουκουν ὀφείλει τις ἀθυμεῖν, ὅτι ταπεινὸς, εὐφροσύνης δὲ μᾶλλον πληρούσθω, κοινωνὸν ἑαυτὸν καὶ μέτοχον τοῦ Αποςολικοῦ χοροῦ διὰ τῆς εὐτελείας καὶ ταπεινότητος ἐννοῶν. ἀλλ' ἴσως ἄν τις ὑποφέρων ἐρεῖ, ὡς ἁρμόσσειε τὸ νῦν εἰρημένον οὐ πρὸς τοὺς ἀρχομένους τότε πιςεύειν, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς τοὺς νῦν πιςούς. Ουπω γὰρ ἐκείνοις λαμπρὸν οὕτω καὶ ἀξιοθαύμαςον τὸ τῶν Αποςόλων ὑπῆρχεν ἀξίωμα, ὡς ἀπὸ τοῦ κατ' αὐτοὺς παραδείγματος εἰς μίμησιν ἀρετῆς καὶ ζῆλον τοὺς ἄλλους προκαλεῖσθαι. οὐδὲν δὲ ἄρα

Ceterum quod ad illud S. Jacobi dictum attinet: *glorietur frater humilis in ſublimitate ſua, dives autem in humilitate ſua*, non hæc ſibi vult, ac ſi diceret: *magnifice loquatur*, *jactet ſe*, *glorietur.* Nihil horum locum habet. Solent quidem illa verba hoc ſenſu adhiberi, vociſque præſentis ſignificatus primum obvius idem infert. Hoc vero loco verbum καυχάσθω idem eſt, quod, *confidat, ſperet.* Nemo enim, inquit, ideo, quod humilis eſt, animum deſpondeat, quia paupertate eſt extenuatus, aut hominum probris ſubjectus. Nam ipſe Dominus noſter humiles & abjectos, & pauperes & mendicos elegit, divites vero, gloriaque & genere magnifice gloriantes fremere juſſit. Itaque neminem ideo animum deſpondere oportet, quod humilis eſt; imo vero fas eſt, eum lætari, quod participem ſe & conſortem Apoſtolici chori ipſa illa abjecta humilique ſorte ſua factum eſſe intelligit. Fortaſſe vero aliquis contra hæc exceperit, ea, quæ diximus, non in eos, qui credere inceperint, ſed in illos potius, qui jam credunt, quadrare. Tunc enim Apoſtolici muneris dignitas tam illuſtris aut admiranda viſa non eſt, ut, exemplo ab illis ducto, alii ad imitationem virtutis eorum

Ccccc 2 &

17) *Jac.* I. 9.
18) Legerim μηδεὶς.

& æmulationem excitari poſſent. Hoc vero nihil obſtat. Nam & tunc virtutis eorum præſtantia neminem latebat, quandoquidem illos nonnulli, Gentilium ſacris adhuc addicti, ſacrificiis proſequi & colere inſtituebant. Ipſe quoque Paulus aperte ait: imitatores mei eſtote, quemadmodum & ego Chriſti ſum. Sublimitas igitur hominis, humiliter de ſe ſentientis, eſt humilitas, qua quidem ita ſibi placere, bonoque animo eſſe & lætari oportet, quam lætatur alias, qui divitias omnes hominumque gloriam nactus ſit, & in promtu habeat. Qui enim ita & in his quidem rebus humilis eſt, is Deum habet, ſe exaltantem, & evehentem. *Qui enim ſe humiliat*, inquit, *exaltabitur*, qui vero contra ſe exaltat, ille Deum ſibi adverſantem, & humiliantem, & ipſo hoc arrogantiæ flatu vanaque jactantia in terram dejicientem experietur. Vides itaque ſublimitatem extremæ humilitatis cauſam, vides humilitatem in cœlum tollentem; quomodo itaque bono animo non ſit, & glorietur, h. e. lætetur & confidat in illa humilitatis ſuæ ſublimitate?

τοῦτο κωλύει. Καὶ γὰρ καὶ τότε αὐτῶν τὸ τῆς ἀρετῆς μέγεθος σχεδὸν οὐδένα ἐλάνθανεν, ὅπουγε καὶ θυσίαις αὐτοὺς ἔνιοι καί τοι τὰ Ἑλλήνων ἔτι θειάζοντες, γεραίρειν καὶ τιμᾷν ἐμελέτησαν. 19) Καὶ αὐτὸς δὲ Παῦλος ἐν παῤῥησίᾳ φησίν· μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κᾀγὼ Χριστοῦ. 20) Ὕψος οὖν τοῦ ταπεινοφρονοῦντος ἀνδρὸς ἡ ταπεινοφροσύνη, ἐν ᾗ οὕτως θεραπεύεσθαι δεῖ, καὶ εὐθυμεῖν, καὶ χαρᾶς πληροῦσθαι τὴν ψυχὴν, ὡς εἴ τις ἄλλος τὸν σύμπαντα πλοῦτον καὶ τὴν ἀνθρωπίνην δόξαν εἴη περιβεβλημένος, καὶ κατέχων χειρί. Ὁ μὲν γὰρ οὕτω καὶ ἐν τούτοις ταπεινὸς τὸν Θεὸν ὑψοῦντα ἔχει, καὶ ἄνω τιθέντα. Ὁ γὰρ ταπεινῶν ἑαυτόν, φησιν, ὑψωθήσεται, 21) ὁ δ' ἀπεναντίας ὑψούμενος τοῦτου τὸν Θεὸν ἀντιτασσόμενον 22) εὑρήσει, καὶ ταπεινοῦντα, καὶ εἰς γῆν 23) αὐτῷ φυσήματι καὶ ματαίῳ κόμπῳ καταβάλλοντα. Εἶδες ὕψος ἐσχάτης αἴτιον ταπεινώσεως, εἶδες ταπείνωσιν εἰς οὐρανὸν ἀναφέρουσαν, πῶς οὐκ ἄν τις εὔθυμος εἴη καὶ καυχήσαιτ' 24) ἂν εἰκότως, τουτέστι, τερφθείη καὶ θαῤῥήσει ἐπὶ τῷ ὕψει αὐτοῦ τῆς ταπεινώσεως;

Num

19) *Actor.* XIV. 13.
20) 1. *Cor.* XI. 1.
21) *Luc.* XVIII. 14.
22) *Jac.* IV. 6.
23) εἰς γῆν *Colb.* pro ὀργήν.
24) *Idem* pro καυχῆτ'?

Τί οὖν οἱ πλούσιοι ταύτης ἐστέρηνται τῆς ἀναγωγῆς καὶ ὑψώσεως; οὐ τοῦτό φημι, ἐπεὶ καὶ ὁ κοινὸς δεσπότης οὐ τοὺς πλουσίους ἐκβάλλει τῆς βασιλείας, τοὺς δὲ προστεθηκότας τῷ πλούτῳ καὶ ταῖς φροντίσιν ὅλως πρὸς αὐτὸν νεύοντας καὶ ἐπτοημένους, οἵ τὴν μέριμναν πᾶσαν τοῖς θησαυροῖς ἐνδησάμενοι ἔχουσιν ὡς ἐν δεσμωτηρίῳ τῇ γῇ καὶ τῷ χρυσῷ κατορωρυγμένας καὶ πεπεδημένας αὐτῶν τὰς ψυχάς. ὧν καὶ τὴν ἄνοιαν στηλιτεύων ὁ Σωτὴρ ἔλεγεν. ὅπου ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν. 25) Τούτοις τοῖς πλουσίοις ἄβατος ἡ οὐράνιος πολιτεία, καὶ εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ τούτους εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν. 26) Πῶς οὖν εἰσελεύσονται οἱ πλούσιοι, καὶ κλῆρος αὐτοῖς ἔσται τὰ οὐράνια πολιτεύματα; Ἂν μιμῶνται τὸν Ἀβραὰμ, ἂν τὸν Ἰὼβ, ἂν οἰκονόμοι καλοὶ τοῦ πλούτου, ἀλλὰ μὴ μικροὶ καθίστανται τύραννοι, οὐδὲν ἔλαττόν τε ὁμοφυοῦς ἢ τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας πολλοῖς κλείθροις καὶ μοχλοῖς τὴν τῶν πενήτων παραμυθίαν ἐναποκλείοντες. Πόθεν δὲ ὁ πλούσιος εἰς ταύτην τὴν πρᾶξιν ἀφίξεται; καὶ τίς αἰτία καὶ τοῦ κατορθώματος; ἡ 27) ταπείνωσίς φησιν. Ἐὰν γὰρ ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, καὶ οὐ πρὸς φυσίωσιν ἐπαρ-

Num itaque divites illa evectione & exaltatione deſtituti ſunt? Hoc quidem non dixerim, quia & Dominus noſter non divites ex regno ſuo propellit, ſed eos tantum, qui divitias ſuas augent, curiſque ſuis toti avide illis inhiant, quique ſolicitudinem ſuam omnem theſauris alligantes animum in terra auroque, tanquam in carcere quodam, defoſſum & vinctum circumferunt. Horum hominum amentiam caſtigans Salvator ait: *ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor eſt.* Ejusmodi divitibus cœleſte domicilium inacceſſum eſt, *faciliusque eſt, ut camelus per foramen acus tranſeat, quam ut illi regnum cœlorum ingrediantur.* Quomodo itaque divites ingredientur, & quomodo cœleſtis civitas eis obtinget? Si *Abrahamum* imitentur, ſi *Jobum*, ſi boni fiant divitiarum œconomi, non autem parvi quidam tyranni, pauperum ſolatium cum non minori ſuæ, ſibique natura ſimilium, ſalutis diſpendio clavibus & repagulis multis coërcentes. Quomodo vero dives eo ducetur? & quid efficiet, ut tam præclare agat? Animi, inquit, demisſio. Si enim ſe ipſum extenuet, nec inflari ſe patiatur, neque auro & divitiis glorians & diſtentus in amen-

25) *Matth.* VI. 21.
26) *Matth.* XIX. 24.
27) ἡ lego, pro ἢ.

tiam præceps ruat, novit utique, nihil horum ſuum eſſe, nudum ſe ex ventre matris ſuæ exiiſſe, omnia Dei eſſe, illique facile eſſe, ut omnia illa ſibi eripiat, & in alios transferat, darique hæc, non ut proximi rebus neceſſariis priventur, ſed ut eorum quæ ipſe accepit, reddantur participes. Taceo alia complura. Horum gnarus ille, hæc animo revolvens, datori gratias agit. Novit ſe eſſe debitorem, præceptis ejus, qui ſe & condidit & ditavit, audiens eſt, opibusque ſuis, ut alienis, utitur, easque adminiſtrat, vel ita potius adminiſtrat, ut maxime ſuæ ſint, ſua illa eſſe exiſtimans, & faciens, quæ in ejusdem & naturæ & fidei conſortes conferendi copiam nanciſcitur: tam manſuete egenis impertiens, tam humaniter, tam frugaliter, quam communium bonorum cuſtodem & diſpenſatorem ſe ab ipſo Deo novit eſſe conſtitutum. Videsne, quomodo humilitas etiam divitem illuſtrem & ſublimem & regno cœleſti dignum facere poſſit? Propterea ait: *dives vero glorietur in humilitate ſua.* In hac, inquit, humilitate bene ſperet; hac confidat; per hanc exaltabitur. Niſi enim hoc, inquit, a conditore lucretur, quid aliud ab illo acceperit, ex terra, ex luto, ex lapillis

θῇ, οὐδ᾽ εἰς ἀπόνοιαν ἐμπέσῃ, τῷ χρυσῷ καὶ πλούτῳ γαυρούμενός τε καὶ διογκούμενος. οἶδεν, ὅτι τούτων οὐδὲν ἐστιν ἴδιον αὐτοῦ, ὅτι πάντα ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ῥᾷόν ἐστιν ἀφελέσθαι μὲν αὐτοῦ ταῦτα, εἰς ἑτέρους δὲ μετενεγκεῖν, ὅτι ταῦτα δίδονται, οὐχ ἵνα στέρωνται τῶν ἀναγκαίων οἱ πλησίον, ἀλλ᾽ ἵνα ἔχοιεν ἐκ τοῦ λαβόντος μεταλαμβάνειν. ἔτι μυρία ἄλλα. Καὶ ταῦτα εἰδὼς, καὶ τοῖς λόγοις ἀνελίσσων εὐχαριστεῖ τῷ δοτῆρι. οἶδεν ἑαυτὸν χρεώστην, πείθεται τοῖς τοῦ πλάσαντος αὐτὸν, καὶ πλουτίσαντος, νόμοις, ὡς ἀλλοτρίων τῶν ἰδίων προΐσταται, καὶ ταῦτα οἰκονομεῖ, μᾶλλον δὲ ὡς μάλιστα ἰδίων. ἴδια καὶ λογιζόμενος, καὶ ποιούμενος, ὅσα 28) τοὺς ὁμοπίστους καὶ ὁμοφυεῖς ἰσχὺν εἴληφε θεραπεύειν, οὕτω πρᾴως τοῖς δεομένοις ἐπαρκῶν, οὕτω φιλανθρώπως, οὕτως οἰκονομικῶς, ὡς τῶν κοινῶν φύλαξ καὶ οἰκονόμος ταχθεὶς ἐκ Θεοῦ. Ὁρᾷς, ὅπως καὶ τὸν πλούσιον ἡ ταπείνωσις λαμπρὸν καὶ ὑψηλὸν καὶ τῆς βασιλείας ἄξιον ἀποφαίνει; διὰ τοῦτό, φησιν, ὁ δὲ πλούσιος καυχάσθω ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ. ἐν ταύτῃ, φησὶν, ἐλπιζέτω τῇ ταπεινώσει. ἐν ταύτῃ θαῤῥείτω, διὰ ταύτης ὑψωθήσεται. Εἰ γὰρ μὴ τοῦτό, φησιν, ἀπὸ τοῦ πλάστου κερδήσειεν, τί ἄλλο αὐτῷ ἐξ αὐτοῦ ἔσται, ἀπὸ γῆς, ἀπὸ πηλοῦ, ἀπὸ ψηφιδίων οὐ-

adeo

28 *Colb.* pro ὅσῳ.

τω μικρῶν. μᾶλλον δὲ, ὡς ἱερὸς Ἰάκωβος 29) φάναι, ἀπὸ μηδὲν ἄνθȣς χόρτȣ διαφέροντος, ὃ πρὸς ὥραν μὲν ἀνθεῖ, καὶ τέρπει πολλάκις αἴσθησιν, ἐπικαίοντος δὲ τȣ͂ ἡλίȣ ξηραίνεταί τε καὶ ἀφανίζεται, μηδὲ λείψανον τῆς προτέρας εὐπρεπείας ὑπολειπόμενον. Ὥσπερ ȣ͂ν τὸ ἄνθος τȣ͂ χόρτȣ, ἐν ᾧ τὸ ὡραῖον προβάλλει, φθείρεται καὶ ἀπόλλυται, ȣ͂τω καὶ ὁ πλȣ́σιος ἐν αὐτῷ τῆς πολυτελείας 30) τῷ ἄνθει μαραίνεται καὶ διόλλυται. μᾶλλον δὲ καὶ τȣ͂ ἐν τῷ χόρτῳ εὑρήσεις αὐτὸν ἀσθενέςερόν τε καὶ ἀδρανέςερον. Τὸ μὲν γὰρ ἰδίῳ καιρῷ ἀνθεῖ, καὶ ἰδίῳ μαραίνεται· ὁ δὲ πλȣ́σιος ἐν αὐτῇ μάλιςα τῇ ἀκμῇ, ὅτε πανταχόθεν αὐτῷ βλαςάνει καὶ ἀνθεῖ τὰ ἡδέα, καὶ δοκȣ͂ντα εἶναι λαμπρὰ καὶ ζηλωτὰ, καὶ τῷ ὄγκῳ καὶ τῷ φυσήματι φλεγμαίνων τοῖς πολλοῖς ἐςὶ φοβερὸς, τότε δὴ, τότε ἀθρόον πολλάκις ἢ θανάτȣ νόμῳ 31) συλληφθεὶς ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζεται, ἢ ναυάγιον αὐτὸν ποιεῖ ὑποβρύχιον. καὶ τὸ καινὸν καὶ παράδοξον ȣ̓δ᾽ αὐτὸν ἔσθ᾽ ὅτε βυθίζον, 32) ἀλλὰ τὸν χρυσὸν, τὴν αὐτȣ͂ ψυχὴν καὶ ζωὴν, καὶ τύραννος δὲ μᾶλλον, ἢ κατ᾽ ἐκεῖνον, χεὶρ τὸν πλȣ͂τον ἁρπάσασα, ἔρημον αὐτὸν καὶ τῆς ὀφρύος

adeo parvis, imo potius, quod Sanctus *Jacobus* ait, ab illis rebus, quæ a flore graminis nihil differunt, quod in horam quidem floret, ſenſusque aliquantiſper delectat, Sole vero urente, marceſcit & defloreſcit, nihil priſtini decoris relinquens. Quemadmodum igitur flos graminis, in quo decor ejus emicat, perit & aboletur; ita dives quoque, in media felicitate conſtitutus, & in ipſo magnificentiæ flore marceſcit & conſumitur. Imo vero eundem ipſo illo graminis flore imbecilliorem & viliorem inveneris. Ille enim ſuo tempore floret, ſuo vero etiam marceſcit: dives autem in ſummo vigore ſuo, quando jucunda quæque & quæ illuſtria maximeque confectanda videntur, illi naſcuntur & florent, ipſe vero, faſtu & arrogantia inflatus, multis terrorem incutit, tunc omnino, tunc frequenter vel mortalitatis lege correptus ex hominibus diſparet, aut naufragio ſubmergitur. Neque vero ſemper novum aliquid & inſolitum illum ſubmergit, ſed manus potius, majore, quam qua ipſe uſus eſt, tyrannide aurum, quod animam ejus & vitam conſtituit, ſurripiens, & faſtu

29) *Jac.* I. 10.
30) Cod. πολυτελείας. Fortaſſe ſcribendum erat πολιτείας. Malim tamen *alterum* noſtrum illud.
31) θανάτȣ νόμῳ, *Colb.* pro θανατȣμένῳ.
32) Malim βυθίζοι.

faſtu & vita privatum relinquit. Idem faciunt famulorum machinationes & latronum inſidiæ. Et quis tandem enumerare poſſit omnia, quibus homo ejuſmodi capitur & perit? Adeo ille vilis eſt conditionis & magis aptus ad ea, quæ flori accidunt, experiunda. Atque hæc quidem epiſtola mea, de illis, quæ ſcire voluiſti, exponit. Tu vero, Chriſti, veri Dei noſtri, ſervum & opere & doctrina te præſtans, opesque tuas recte adminiſtrans, in iſta humilitate confide, bonoque animo eſto, nec minus cetera animo & corpore recte vale!

καὶ τῆς ζοῆς ἐναπέλιπεν, θεραπόντων ἐπιβουλαὶ, λῃστῶν ἐνέδρα. τί ἄν τις, οἷς ἐκεῖνος ἁλίσκεται καὶ διόλλυται, φέρων ἀριθμῷ δοίη. οὕτω καὶ ἄνθους παθεῖν ὁ τοιοῦτος φαυλότερός τε καὶ ἑτοιμότερος. Αλλὰ ταῦτα μὲν, περὶ ὧν ἠρώτησας, ἡ ἐπιςολή σοι διαλέγεται. Σὺ δὲ Χριςοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἔργοις καὶ δόγμασι δοῦλον σεαυτὸν παριςῶν, καὶ τὸν πλοῦτον καλῶς οἰκονομῶν ἐν τῇ τοιαύτῃ πεποιθὼς ἔσο, καὶ εὐθύμει ταπεινώσει, καὶ τἆλλα τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι ἔῤῥωσο.

QUÆST. CLXXXV.

Quid a ſe conſpectum paſtores aliis de puero, illis annunciato, ſignificarunt?

Poſtquam ea, quæ nunciata erant, oculis ipſi viderant, admiratione rei veriſſimæ correpti, cauſam illius non celarunt cognoſcendi cupidis. Imo vero omnia illa, quæ & antea viderant, & auribus tum ab Angelo & præcone evangelii, tum a reliqua Angelorum, Deum laudantium, corona acceperant, præſentibus aperiebant & renunciabant. Neque enim Mariæ ſolum, & Joſepho ea ſignificabantur, quæ ſupra rationem poſita conſpexerant, ſed præter

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΠΕ.

Τί ἰδόντες οἱ ποιμένες διεγνώρισαν περὶ τοῦ λαληθέντος αὐτοῖς παιδίου; 1)

Αυτοψίᾳ τὰ εὐηγγελισμένα λαβόντες, καὶ τῷ θαύματι τῆς ἀληθείας κατεχόμενοι, οὐκ ἀπέκρυψαν τοῖς πυνθανομένοις τὴν αἰτίαν. ἀλλ', ἅπερ τε πρότερον ἐθεάσαντο, καὶ ὧν ἀκοῇ τὴν γνῶσιν ἔσχον, παρ' αὐτοῦ τε τοῦ εὐαγγελιζομένου ἀγγέλου καὶ κήρυκος, καὶ παρὰ τῆς ἄλλης ἀγγελικῆς καὶ ὑμνολόγου ςρατιᾶς, ταῦτα πάντα τοῖς παροῦσιν ἀπεκάλυπτον, καὶ ἀνεκήρυττον. Ου γὰρ μόνον τῇ Μαρίᾳ καὶ τῷ Ιωσὴφ τὰ ὑπὲρ

eos

1) *Luc.* II. 17.

λόγον αὐτοῖς τεθεαμένα ἀπήγγελλον, ἀλλὰ μετ᾽ ἐκείνους καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας, ὅσοις ἦν ἐντυχεῖν, κοινωνοὺς τῶν ὑπερφυῶν θεαμάτων καὶ ἀκουσμάτων διὰ τῆς διηγήσεως παρελάμβανον. Καὶ αὐτίκα ἡ πόλις ἡ Βηθλεὲμ ἀνεπέπληστο, πλησίον γὰρ ἦν, τοῦτε σωτηρίου τόκου τὴν ἀλήθειαν καὶ τῆς ἐξ οὐρανῶν μαρτυρίας τὴν ἀκρίβειαν, τῶν θεοσόφων 2) ἐκείνων ποιμένων προθύμως πάντα διηγουμένων, καὶ τὸ φρικτὸν τοῦ θαύματος ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς ἐναφιέντων. Καὶ γάρ, φησι, πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐθαύμαζον περὶ τῶν λαληθέντων ὑπὸ τῶν ποιμένων πρὸς αὐτούς. 3) Πῶς γὰρ οὐκ ἦν θαυμάζειν τὸν ἐν οὐρανοῖς ἐπὶ γῆς ὁρᾶν, καὶ τήν τε γῆν τοῖς οὐρανοῖς διὰ τῆς εἰρήνης 4) συνάπτοντα, καὶ τὰ οὐράνια τὴν γῆν οἰκειούμενα. μᾶλλον δὲ τὸ ἄφραστον ἐκεῖνο βρέφος, τῇ μὲν θεότητι τὰ οὐράνια, τῇ δὲ ἀνθρωπότητι τὰ ἐπίγεια συνάπτον ἀλλήλοις. ἐκ τῆς οἰκείας συναφείας, καὶ τὴν πρὸς ἄλληλα εἰρήνην θαυμασίαν τινὰ καὶ ὑπὲρ λόγον ἐπρυτάνευεν. ὃ καὶ καθορῶσαι αἱ οὐράνιαι στρατιαὶ τό, δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη 5) μετὰ τῆς πνευματικῆς χορείας ἀνέμελπον.

Ἀλλὰ τὸ μὲν τῶν ποιμένων ἔργον, καὶ τὸ κήρυγμα καὶ ὁ δρόμος ἐν τούτοις. Η δὲ Μαρία, φησίν, συνετήρει

eos ceteros omnes, qui quidem aderant, rerum, quas vel viderant, vel audiverant, ſupernaturalium participes eſſe voluerunt. Statim itaque urbs Bethlehem, vicina enim erat, nuncio hoc implebatur, quandoquidem veritatem partus ſalutaris teſtimoniumque de cœlo non inficiandum paſtores illi, Deum edocti, promte enarrabant, tremendumque illud miraculum animis hominum inſtillabant. Ideo dicitur: *omnes audientes mirabantur, quæ illis a paſtoribus nunciabantur.* Nonne enim mirum erat, eum, qui in cœlis eſt, in terris conſpicere, & talem quidem, qui terram, facta pace, cœlo jungeret, cœleſtia autem terræ impertiretur; vel potius infantem illum non enarrabilem, videre, qui divinitate ſua cœleſtia, humanitate autem terreſtria ſibi invicem jungeret, mutuamque concordiam, admiratione & ratione omni ſuperiorem, per ſuam illam unionem conciliaret? Hoc ſcilicet Angelicæ copiæ perſpicientes, & ſpirituali tripudio ductæ, canebant: *gloria in excelſis Deo, & in terra pax.*

Atque his quidem paſtorum illorum opera, præconium & ſtudium abſolvebatur. *Maria vero,* quod

2) Sic ſcribo cum *Colb.* pro θεολόγων.
3) *Luc.* II. 18.
4) *Colb.* pro εἰρημένης.
5) *Luc.* II. 14.

Digitized by Google

Lucas, ait, *ſervabat verba hæc, in corde ſuo conferens.* Quæ vero verba? Gabrielis Archangeli illa, tum Zachariæ, porro Eliſabethæ, nec minus paſtorum, quibus evangelium Angelus attulerat, tum ceterorum angelorum ordines, hymno ſuo ſalutaribus illis nunciis majorem fidem facientes. Cum quibus vero verba illa in corde ſuo *conferebat?* Nonne manifeſtum eſt, id factum eſſe cum rebus illis, quas experta didicerat, quando ſine ſemine conceperat, ſine doloribus fœtum nutriverat, & ſine ulla noxa pepererat? Verba itaque illa cum rebus apud ſe geſtis comparans, recte conficiebat, ſe illum, qui ex ſe natus erat, Deum profiteri debere. Ceterum paſtores ultimum eorum, quæ mira viderant, contemplati, gaudioque perfuſi, revertebantur, celebrantes & laudantes Deum ſuper omnibus illis, quæ audiverant, & viderant, prout ipſis dictum erat.

τὰ ῥήματα ταῦτα συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. 6) ποῖα ῥήματα; τὰ τοῦ Ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ, τὰ τοῦ Ζαχαρίου, τὰ τῆς Ἐλισάβετ, τὰ τῶν ποιμένων, ἐν οἷς ὁ ἄγγελος αὐτοῖς ἐκόμιζεν εὐαγγέλια. καὶ τὰ τάγματα τῶν ἀγγέλων, ἃ διὰ τῆς ὑμνολογίας τὴν πίστιν τοῖς εὐαγγελίοις βεβαιοτέραν παρείχοντο. ἀλλὰ τίσι τὰ ῥήματα ταῦτα συνέβαλλεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς; ἢ δῆλον ὅτι τοῖς ἔργοις, ὧν τὴν πεῖραν εἶχεν. τῇ ἀσπόρῳ συλλήψει, τῇ ἀνωδίνῳ κυήσει, τῷ ἀδιαφθόρῳ τόκῳ; Τοῖς οὖν καθ' ἑαυτὴν ἔργοις τοὺς λόγους συμβάλλουσα Θεὸν ὁμολογεῖν τὸν γεννηθέντα τὴν κρίσιν ὀρθὴν ἀνεδέχετο. οἱ μέντοι ποιμένες τὸ τελευταῖον, ὧν εἶδον, παραδόξων θεασάμενοι καὶ τὴν ψυχὴν χαρᾶς πληρώσαντες 7) ὑπέστρεφον, δοξάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν ἐπὶ πᾶσιν, οἷς ἤκουσαν, καὶ εἶδον, καθὼς ἐλαλήθη αὐτοῖς.

QVÆST. CLXXXVI.

Num Sacerdos erat Simeon, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ulnis ſuſcepit?

Sacerdos non erat Simeon ille, Sacerdotibus vero virtute multum præſtabat. Propterea Sacerdos alius

ΕΡΩΤΗΣΙΣ ΡΠϛ'.

Ἆρα ἱερεὺς ἦν Συμεὼν, ὁ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν δεξάμενος ἐν ἀγκάλαις; 1)

Οὐκ ἦν ἱερεὺς ὁ Συμεὼν, τῶν δὲ ἱερέων ταῖς ἀρεταῖς πολλὰ προεῖχεν. Διὸ ϗ

ea,

6) *Ibid.* v. 19.
7) *Colb.* πληρωθέντες.
1) *Luc.* II. 28.

ὁ μὲν ἱερεὺς ἅπερ ἐπὶ τοῦ βρέφους 2) πράττειν ὁ νόμος ἐκέλευεν, τούτοις ὑπηρέτει. Ὁ δὲ Συμεὼν τοῖς τε ἄλλοις κατορθώμασι καὶ τῇ πρεσβυτικῇ βεβηκὼς πολιᾷ κατὰ τοὺς θείους χρησμοὺς τῆς ἀπολαύσεως ἠξιοῦτο. ἐπέγνω τὸν κηρυσσόμενον, τῶν χρησμῶν ἑώρα τὴν ἀλήθειαν, ἀγκάλαις ἔφερεν τὸν φέροντα πάντα τῷ ῥήματι. καὶ τῆς τοῦ γένους σωτηρίας ἐν ὄψει καταστὰς, καὶ θειοτέρας ἀναπλησθεὶς ἡδονῆς, οὐκ ἔτι τοῦ ζῆν περιείχετο, αὐτίκα δὲ μάλα τῆς σωτηρίας ἐφεστώσης καταλιπεῖν μὲν ἐπόθει τὸ σαρκίον, εὐαγγελίσασθαι δὲ καὶ τοῖς ἐν ᾅδου τὴν σωτηρίαν καὶ τὴν ἀπολύτρωσιν. καὶ τὸν Θεὸν μὲν εὐλόγει, τουτέστι δι᾽ ἐπαίνων καὶ δοξολογίας ἦγεν. εὐλόγει δὲ τά τε ἄλλα, καὶ διότι τὰς πρὸς αὐτὸν ὑποσχέσεις εἰς ἀλήθειαν ἔβλεπε προελθούσας, καὶ τὴν τοῦ Ἰσραὴλ παράκλησιν ὀφθαλμοῖς τε καθορᾷν ἠξιοῦτο, καὶ χερσὶ φέρειν. Καὶ χαρᾶς ἐπὶ τούτοις ἱερᾶς πεπληρωμένος, Νῦν, φησὶν, ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου, ἐν εἰρήνῃ. 3) Νῦν, φησὶν, ἐπεὶ τὸ τέλος ἔχω τῶν ἐπηγγελμένων, ἐχέτω τοῦτο καὶ ὁ ἐπίκηρος βίος. Τὸ γὰρ σόν μοι ῥῆμα ταῦτα προανεφώνει. καὶ γὰρ, τοῦ μὴ ἰδεῖν με θάνατον, πρὶν ἰδεῖν τὸν Χριστὸν Κυρίου, αὐτός μοι πάλαι τὰ εὐαγγέλια παρέσχες. 4) ἐπεὶ

ea, quæ de infante lex fieri jubebat, adminiſtrabat; Simeon vero tum aliis præclare geſtis, tum canis ſenilibus ſupra alios evectus, ſecundum oraculum divinum dignus habebatur, qui eo frueretur. Agnoſcebat ille infantem prædicatum, veritatem oraculorum perſpiciebat, ulnis denique ferebat eum, qui verbo ſuo portabat omnia. Cumq; hoc modo humani generis ſalutem oculis uſurpaſſet, diviniorique gaudio perfuſus eſſet, non jam vitæ ſtudio, ſed imminentis felicitatis deſiderio tenebatur, corpusque deponere quam celerrime, & defunctis ſalutem liberationemque partam nunciare cupiebat. Porro Deo benedicebat, h. e. laudibus & præconiis eum proſequebatur. Laudabat autem tum aliis nominibus, tum vero inprimis ideo, quod promiſſa, ſibi facta, eventu confirmata videret, ſolatiumque Iſraelis contemplandum ſibi oculis, & manibus ferendum dari intelligeret. Gaudio ex his plenus, *Nunc*, inquit, *ſervum tuum, Domine, dimittis ſecundum verbum tuum in pace. Nunc*, inquit, quoniam exitum habeo promiſſorum, finem quoque fluxa hæc vita habeat. Verbum enim tuum hoc mihi prænunciavit. Ipſe mihi læti

2) τῷ βρέφει, *Colbert.*
3) *Luc.* II. 29
4) Sic ſcribo pro παρέσχεν.

nuncii interpres fuiſti, me mortem non ante viſurum, quam Chriſtum Domini viderim. Quoniam itaque oculis meis oblata ſunt, quæ deſiderabam, quæ quærebam, quæ impenſe cupiebam, *nunc* dimittis ſervum tuum, nec metu mortis turbatum, nec animo dubio ſuſpenſum, ſed in pace potius ſtabili, lætitiamque ampliſſimam largiente. Vidi enim populorum omnium ſalutem. Vide heic divini ſanctisſimique ſenis ſolertiam! Ante enim quam viſo hoc beatiſſimo dignus haberetur, ſolatium Iſraelis exſpectabat. Poſtquam vero ſpei votique ſui damnatus erat, non jam ſolatium Iſraelis, ſed gentium omnium ſalutem videre ſe clamabat. *Viderunt enim,* inquit, *oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante oculos omnium populorum.* Adeo ſplendor ineffabilis & ratione omni ſuperior, ex infante micans, oculos ejus perſtringebat, ut, quæ inpoſterum eventura & brevi aperienda erant, etiam tunc, idque pleniſſime, perſpiceret. Ne vero occaſionem cuiquam faceret ſuſpicandi, ſe per populos illos omnes Judæorum tantum gentem indicare, ſequentia ſubjungit: *lucem in revelationem gentium.* Quaſi diceret: nemo putet, me de Judai-

δὲ εἰς ἐμȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς ἦκεν, ἃ ἐπόθȣν, ἃ ἐζήτȣν, ὧν ἐγλιχόμην, νῦν ἀπολύεις τὸν δȣ̃λόν σȣ, ȣ̓́τε πρὸς τὴν πεῖραν ταραττόμενον τȣ̃ θανάτȣ, ȣ̓́τε λογισμοῖς θορυβȣ́μενον ἀμφιβολίας. ἀλλ᾽ ἐν εἰρήνῃ ϛαθερᾷ καὶ πολλὴν τὴν εὐφροσύνην πηγαζȣ́σῃ. 5) Καὶ γὰρ τὸ σωτήριον πάντων τῶν λαῶν εἶδον. Καὶ ὅρα τὴν ἀκρίβειαν τȣ̃ θείȣ καὶ ἱερȣ̃ γέροντος. Πρὶν ἢ μὲν τȣ̃ μακαρίȣ θεάματος καταξιωθῇ, παράκλησιν προσεδέχετο τȣ̃ Ισραήλ. Επεὶ δὲ ἐντὸς τῆς ἐλπίδος γέγονε καὶ τῆς ἐπιθυμίας, ȣ̓κέτι τῷ Ισραὴλ ἀνακράζει παράκλησιν ἰδεῖν, ἀλλὰ πάντων σωτηρίαν τῶν λαῶν. καὶ γάρ, φησιν, ὅτι εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μȣ τὸ σωτήριόν σȣ, ὃ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν. 6) ȣ̔́τως αὐτὸν περιήϛραψεν ἡ ἐν τῷ βρέφει καθορωμένη ἀπόρρητος καὶ ὑπὲρ λόγȣ αἴγλη, ὡς τὰ προιόντος τȣ̃ χρόνȣ καὶ κατὰ μικρὸν ἀνακαλυφθέντα, ἐκείνῳ 7) καὶ τηνικαῦτα καὶ εἰς γνῶσιν ἀθρόον ἐλθεῖν. Καὶ ἵνα μηδὲ χώραν τινὶ παράσχοι πάντας λαȣ̀ς καλεῖν, τȣ̀ς ἐν τῷ Ιȣδαίων ἔθνει, ἐπάγει τὰ εἰρημένα. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, ἀντὶ τȣ̃· μηδείς με νῦν οἰηθείη πάντα καλεῖν τὸν Ιȣδαϊκὸν λαὸν, ἀλλὰ σύμπαν τὸ γένος διὰ ταύτης μηνύω τῆς φωνῆς. καὶ γὰρ σω-

ca

5) Codex πηγάζȣσι.
6) *Luc.* II. 30. 31.
7) Ita *Colb.* pro ἐκεῖνον,

τηρία καὶ ἀπολύτρωσις ἔςαι πάντων οὗτος, ὃν ἐγὼ τεθέαμαι καὶ ἐν ἀγκάλαις φέρω. καὶ οὐδὲ μέχρι τούτου ἠρκέσθη. ἀλλ' ἀντιδιαςέλλων τὸν Ισραὴλ, πάντα τὰ ἔθνη ἐπισυνάπτει, φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν καὶ δόξαν λαοῦ σοῦ Ισραήλ. οἷον κοινὴ μέν ἐςι σωτηρία τὸ ἀγκαλοφορούμενον βρέφος τοῖς ἔθνεσι πᾶσι, καὶ τῷ Ισραήλ. ἀλλὰ τοῖς μὲν φῶς, ὅτι τοῦ σκότους ἐξάγει τῆς εἰδωλολατρείας. τῷ δὲ δόξα, ὅτι τὰ τούτοις πάλαι νόμιμα δοθέντα, 8) διὰ τῆς εἰδωλικῆς ἀπεκαθαίροντο ἀχλύος, εἰς δόξαν καὶ τελειότητα μεταβαλεῖ. 9) καὶ ἄλλως δὲ δόξα τοῦ Ισραηλιτικοῦ λαοῦ ὁ τεχθεὶς, ἅτε δὴ ἐκ σπέρματος τοῦ Αβραὰμ ἄνθρωπος γεγονώς. μικροῦ δὲ καὶ Ησαΐας ὁ προφήτης τὰ αὐτὰ προανακράζει, λέγων· 10) ἰδοὺ, τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς τυφλῶν, τουτέςι παρασχεῖν ὁρᾷν καὶ διαςέλλειν τὸ φῶς ἐκ τοῦ σκότους 11) καὶ τὴν ἀλήθειαν ἐκ τοῦ ψεύδους, καὶ τὴν εὐσέβειαν ἀπὸ τῆς πλάνης. Διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ ταύτην κροτῶν, οἱονεὶ χορεύων καὶ ἀνακηρύττων τὴν σωτηρίαν, πάντα ἔθνη, φησὶ, κροτήσατε χεῖρας, ὅτι κύριος ὕψι-

ca gente omni tantum loqui; imo vero totum hominum genus hac voce indico. Ille enim, quem vidi, quemque ulnis fero, omnium ſalus erit & vindex. Imo nec in his acquievit, ſed, Iſraelem diſtincturus, *gentes omnes* illi voci jungit, *lucem*, inquiens, *ad revelationem gentium*, & *gloriam populi tui Iſraelis.* Senſus eſt: infans, quem ulnis fero, ſalutem quidem gentibus omnibus & Iſraeli quoque communem adfert; at illis quidem eſt inſtar lucis, ex idololatriæ tenebris eas educens; huic vero gloriam parit, quia leges ipſis (*Judæis*) olim datas, quæ caligine idololatriæ obſcuriores reddebantur, ſplendidiores & perfectiores reddet. Alia vero etiam ratione natus ille in gloriam populi Iſraelitici vergebat, quippe qui ex Abrahami ſemine hominem induiſſet. Atque eadem fere *Jeſaias* Propheta antea pronunciavit, dicens: *Ecce poſui te in lumen gentium, ut aperias oculos cæcorum*, h. e. facias, ut videant & diſtinguant lucem ex tenebris, veritatem ex mendacio, & pietatem ex variis vitæ erroribus. Propterea & David, eandem

8) Ante vocem διὰ puto excidiſſe ἃ per antecedentem ſyllabam τα. Id vero frequenter uſu venit.

9) Sic *Colb.* pro μετακαλεῖ.

10) *Jeſ.* XLIX. 6. & XLII. 7.

11) Codex ita: τὸ σκότος ἐκ τοῦ φωτὸς, vocibus prave & inconvenienter poſitis, quod ſequentia evincunt.

dem ſalutem, inſtar tripudiantis, decantans & prænuncians, *omnes*, inquit, *gentes plaudite manibus, quia Dominus excelſus & tremendus, Rex magnus eſt ſuper terram.* Quoniam vero Iſrael & vocatur & eſt populus Chriſti, quando gentibus opponitur, opponitur vero omnino & Moſaicis legibus & gentibus, patet utique, quod, etiamſi nunquam gratiæ particeps factus eſſet, ejusque fructum cepiſſet, vel ſic Chriſti populus exſtitiſſet. Quod ſi vero populus, in veteri Fœdere appellatus, Chriſti eſt populus, nonne hoc ipſo effrenata Manichæorum ora obturantur, qui illos alteri cuidam principio acceptos ferunt?

στος φοβερὸς βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. 12) Ει δὲ λαὸς τοῦ Χριστοῦ καὶ λέγεται, καὶ ἔστιν ὁ Ισραὴλ, πρὸς τὰ ἔθνη διαστελλόμενος, διαστέλλεται δὲ πάντως τοῖς τε Μωσαϊκοῖς νόμοις, και τοῖς ἔθνεσι, δῆλον, ὅτι, κἂν μήπω τῆς χάριτος ἀπήλαυσεν, καὶ ἐντὸς ταύτης ἐχρηματισεν, λαὸς καὶ οὗτός ἐστι τοῦ Χριστοῦ. Ει δὲ ὁ ἐν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ λαὸς τοῦ Χριστοῦ ἐστιν λαος 13) πῶς οὐκ ἐμφράττεται τὰ ἀπύλωτα στόματα, τὰ ἀπὸ Μάνεντος εἰς ἑτέραν τούτους παραπέμποντα ἀρχήν. 14)

Ceterum, Simeone ſene myſteria hæc ita ediſſerente, *Joſephus*, quod *Lucas* ait, *& mater ejus mirabantur ea, quæ de illo dicta erant. Mirabantur*, inquit, non quidem, quod tunc demum eorum, quæ rationem omnem ſuperabant, notitia inſtruerentur, ſed quod præter illa, quæ ex ſupernaturalibus ante cognita habebant, etiam hæc recipiebant. Quoties enim inſolentium rerum memoria illis, qui eas norunt, refricatur, toties

Τοῦ μέντοιγε πρεσβύτου Συμεῶνος, θεολογοῦντος τὰ ειρημένα, ἦν, φησιν 15) Ιωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ ἀυτοῦ θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ ἀυτοῦ θαυμάζοντες, 16) οὐχ ὅτι νῦν τῶν ὑπὲρ λόγον τὴν νῦν γνῶσιν ἐδέχοντο, ἀλλ᾽ ὅτι περ᾽ ἐπὶ τοῖς ὑπερφυῶς προεγνωσμένοις καὶ ταῦτα προσελάμβανον. 17) ὑπερφυῶν γὰρ πραγμάτων γνῶσις, ὁσάκις ἂν εἰς μνήμην ἄγει τὸν ἐγνωκότα, τοσ-

12) *Pſ.* XLVI. 2,
13) λαὸς eſt ex *Colb.*
14) Manichæi enim & Judæos, & legem Moſaicam malo principio in acceptis ferebant. Vide *Photii* librum I. contra Manichæos, Tom. I. Anecdotorum meorum Græcorum p. 200.
15) *Colb.* pro φασιν.
16) *Luc.* II. 33.
17) *Colb.* loco περιλάμβανον.

αυτάκις ἐν ταῖς διανοίαις ἀνακαινίζει τὸ θαῦμα. εἶτα συντελέσας ὁ πρεσβύτης τὴν ἐις τὸ θεῖον δοξολογίαν, τρέπεται λοιπὸν ἐπὶ τὴν ἐυλογίαν τῶν ἀναγαγόντων τὸ βρέφος. εἶτα ἐκεῖθεν πρὸς μόνην τὴν μητέρα ἀποςρέφει 18) *τὸν λόγον. καὶ ἐυλόγησεν γὰρ αὐτὺς Συμεὼν, καὶ εἶπε πρὸς Μαριὰμ* 19) *τὴν μητέρα αὐτῦ. πρὸς Μαριὰμ, φησι, τὴν μητέρα, ὐχὶ πρὸς Ιωσὴφ τὸν πατέρα αὐτῦ. ἀλλὰ τῆς μὲν ἐυλογίας ἀμφοῖν μεταδίδωσι. τὴν δὲ πρόσρησιν τῶν ἀποῤῥητοτέρων τῇ μητρὶ προσάγει μόνῃ, ἵνα διὰ μὲν τῆς κοινῆς ἐυλογίας τῦ σχήματος τῶν γεννητόρων μὴ ἀπογυμνώσῃ τὸν Ιωσὴφ, διὰ δὲ τῶν πρὸς τὴν μητέρα λόγων τὴν παρθένον ἐκείνυ διαςείλας, τὴν ὡς ἀληθῶς ἀνακηρύξῃ μητέρα. εἶτα καὶ τί διαλέγεται πρὸς τὴν μητέρα; ὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν ϗ ἀνάςασιν πολλῶν ἐν τῷ Ισραὴλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Ορᾷς, ὅπως ὅλην τῦ μυςηρίυ τὴν οἰκονομίαν συνοπτικῶς πρὸς τὴν παρθένον ἀναφέρει, κἀκείνη ποιεῖται τὴν τύτυ διήγησιν. Ει δέ σοι φίλον καὶ πρὸς τὰ ἀκόλυθα μετελθεῖν ἀνδρων ἱερῶν σεμνολογήματα, τελείαν σοι τῶν ζητυμένων ἡ ἱςορία τὴν λύσιν ἐπιδαψιλεύσοιτε.*

toties admiratio animi denuo renovatur. Perfunctus ita Senex noſter Divini Numinis laudibus, denique ſe ad benedictionem illorum, qui infantem attulerant, convertit. Hinc vero ad matrem ſolam verba facit. *Benedixit enim illis Simeon, & ad Mariam, matrem ejus, dixit.* Ad *Mariam*, inquit, *matrem*, non ad Joſephum, Patrem ejus. Nihilominus tamen utriſque benedictionem impertitur, quamvis allocutionem, de rebus inprimis ſublimioribus, ad matrem ſolam inſtituat: ut ſcilicet communi benedictione facta Joſephum parentis habitu non prorſus privet; ſimul tamen verbis ſuis, ad matrem ſpeciatim perlatis, virginem ab eo diſtinguens, eam vere matrem ejus profiteatur. Quid vero ad matrem loquitur? *Hic jacet in lapſum & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicitur.* Vides, eum totam myſterii hujus conditionem ſummatim Virgini aperire, illam vero ejus enarrationem poſtea inſtituere. Quod ſi inſecuta Sanctorum virorum oracula conferre tibi libeat, hiſtoriæ ſeries quæſitorum tuorum ſolutionem abunde ſuppeditaverit.

QVÆST.

18) Hoc *Colbertini* malim pro illo alterius *ἀναςρέφει.*
19) *Luc.* II. 33.
20) *σεμνολογήματα* ſcribo pro *σεμνολόγημα.*

QVÆST. CLXXXVIII.

Quid ſignificat illud: Hic jacet in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicitur?

ΕΡΩΤ. ΡΠΖ.

Τί ἐστιν· οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον κ. ἑξ. 1)

Quoniam & ſequentium ſolutionem ſtatim a nobis requiſiviſti, eam tibi, divina ope nixi, itidem ſuppeditabimus. *Lapſum* hic illis tribuit, qui ex fide in illum & pietate exciderant, *reſurrectionem* vero illis, qui Servatorem, in carne apparentem, agnoſcebant. Hoc ipſum *Jeſaias* quoque prænunciavit, dicens: *Ecce pono in Sione lapidem offendiculi, & petram ſcandali: & omnis, qui credit in illum, non pudefiet.* Itaque cadere neceſſe eſt illos, qui non credunt in ipſum. Ab altera parte ad reſurrectionem, animo inſtituendam, manuducuntur, qui ab idolorum cultu & aliis, quos antea præfracte tenebant, erroribus diſcedebant.

Ἐπειδὴ καὶ τῶν ὑπολοίπων τὴν λύσιν τάχος ἐπεζήτησας, ἡμεῖς σοι καὶ ταύτην, Θεῷ πεποιθότες, παρέξομεν. πτῶσιν μὲν ἐνταῦθα τῶν ἐκπεπτωκότων τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως καὶ εὐσεβείας λέγει, ἀνάστασιν δὲ τῶν ἐπεγνωκότων παραγεγονότα τὸν Σωτῆρα. Τοῦτο καὶ ὁ Ἡσαΐας προανεφώνει, λέγων· ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος, καὶ πέτραν σκανδάλου. καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτὸν οὐ καταισχυνθήσεται. 2) Πίπτοιεν δ᾽ ἂν οἱ μὴ πεπιστευκότες εἰς αὐτόν. καὶ πρὸς τὴν ἐν ψυχῇ ἀνάστασιν χειραγωγοῦνται οἱ τῆς εἰδωλικῆς, καὶ τῆς ἄλλης, ἐν ᾗ ἐστηρίζοντο πρότερον, πλάνης 3) ἐκπεπτωκότες.

Cauſam vero, cur & lapſus & reſurrectio eventura ſit, ſimul aperit. Quoniam enim œconomiæ gratioſæ contradicitur, myſterium hoc omne illis, qui adſentiuntur, *reſurrectionis*; illis vero, qui ſe opponunt, *lapſus* & interitus cauſa exiſtit. Quænam

Τὴν αἰτίαν, δι᾽ ἣν ἡ πτῶσις, καὶ ἡ ἀνάστασις ἕπεται, παραδηλοῖ. ἐπεὶ γὰρ τὰ ἐπὶ τῆς οἰκονομίας ἀντιλέγεται τοῖς μὲν καταπειθομένοις, ἀνάστασις τὸ μυστήριον γίνεται, τοῖς δὲ ἀντιφθεγγομένοις πτῶσις καὶ ἀπώλεια. τίνα δέ ἐστι τὰ ἀντιλε-

1) *Luc.* II. 34.
2) *Jeſ.* VIII. 14.
3) Codex habet μὴ ἐκ, inconvenienter.

γόμενα; οἱ μὲν ἀναστάντες πεπιστεύκασιν, ὅτι παρθένος ἔτεκεν ϗ παρθένος ἔμεινεν· οἱ δὲ καταπεσόντες εἰς τὰς ὑλικὰς λογισμὰς, καὶ ἀδὲν τῶν ὑπὲρ φύσιν εἰδέναι θέλοντες, ἀ πείθονται συνομολογεῖν, ὡς ὁ πλάσας μηδ᾽ ὅλως ἆσαν παρθένον, δύναται ϗ ὑποστᾶσαν παρθένον φυλάττειν, μάλιστά γε τὴν γέννησιν εἰ αὐτὸς ὁ πλάσας ἀναδέχοιτο· ἀντιλέγοιτο δ᾽ ἂν τῶν περὶ οἰκονομίαν καὶ ἄλλα σημεῖα· οἷον τῶν μὲν ἀναστάντων Θεὸν ἀληθῶς καὶ ἄνθρωπον τὸν γεγεννημένον ὑπερφυὲς πεισμένων μάθημα. Τῶν δὲ πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἀναφορώντων 4) ϗ μηδ᾽ ὅλως ταύτης 5) ὑψηλότερον ἐπαρθῆναι βαλομένων, τὸ μὴ συνομολογεῖν τὸν αὐτὸν Θεόν τε εἶναι, ϗ ἄνθρωπον.

nam vero ſunt illa, quibus contradicitur? Reſurgentes illi crediderunt, quod Virgo peperit, & Virgo manſit: illi vero, qui in craſſiora cogitata prolapſi ſunt, nihilque, quod naturam transſcendat, noſſe cupiunt, adduci non poſſunt, ut profiteantur, quod, qui virginem condidit, cum nondum eſſet, eandem, jam exiſtentem, virginem ſervare poſſit, inprimis ubi conditor ipſe naſcitur. Sunt tamen & alia circa œconomiam ſalutarem miracula, quibus contradici poſſit. Tale eſt, quod reſurgentes pro doctrina ſupernaturali habent, natum illum vere Deum & hominem eſſe; contra vero illi, qui humanam tantum infirmitatem reſpiciunt, & ſupra eam evehi prorſus nolunt, eundem & Deum & hominem eſſe inficiantur.

Πολλὰ δὲ ϗ ἄλλα σημεῖα τῆς ἀφράστα τᾶ σωτῆρος ἐπιδημίας εἰς ἀντιλογίαν κατέστη· διεξελθὼν δὲ πρὸς τὴν παρθένον ὁ ἱερὸς Συμεὼν τὰ εἰρημένα, ἀκροτελευτὶ αὐτοῖς ἐπιτίθησιν καὶ τὸ αὐτῆς τῆς παρθένα ἐξ ἀχθηδόνος πάθος, ϗ φησίν· Καὶ σᾶ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία, ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί. 6) σᾶ αὐτῆς, οἷον τῆς πάντα

Præter hæc vero & alia plura ineffabilis Servatoris adventus ſigna contradictioni obnoxia erant. Sanctus vero Simeon, dicta hæc Virgini exponens, ultimo loco ipſius Virginis dolorem & triſtitiam adjungit, dicens: *& tuam quoque ipſius animam gladius tranſibit, ut ex multorum cordibus cogitationes detegantur. Tuam ipſius*, inquit, quæ omnia myſterii hujus capita accurate perſpecta habes, h. e. tibi ipſi non parcet triſtitiæ

Eee ee affectus.

4) *Colb.* pro ἀναφερόντων.

5) *idem* pro ταύτην.

6) *Luc.* II. 35.

affectus. Quod enim ſine ſemine conceperis, fœtusque ſine ſemine formatus ſit, quodque ſine dolore uterum geſtaris; quæ porro Gabriel læta nunciarit; quæ paſtores retulerint, quæque alia mira & inſignia contigerint, nemo te rectius noverit. Sed illa omnia erroris amantes & veritatis adverſarii non ſolum non profitebuntur, ſed & te ipſam ex conceptione & partu calumniabuntur: atque hæc calumnia, non minus quam gladius, animum tuum mordens & vulnerans tranſibit. Quando vero his te injuriis afficient, tunc quidem cogitationes ex multorum cordibus detegentur & aperientur. Quomodo vero, & qua ratione? Calumniatores ſcilicet non deſiſtent ab injuriis; illi vero, qui calumnia onerabuntur, ad conſtitutum olim per legem judicium & explorationem confugient. Quæ vero illa alia eſſe poſſit, quam quæ per aquam exploratricem inſtituitur? Vetus enim percrebuit traditio, Mariam ſemper virginem, calumnia illa oneratam, ſe ipſam explorationi per aquam ſubjeciſſe, quæ puram ſuam & immaculatam graviditatem clariſſime demonſtrarit & manifeſtam fecerit: quo facto calumniantes qui-

ἀκριβῶς τὰ τοῦ μυστηρίου ἐξακριβωσαμένης, οὐδέ σου φείσεται 7) τὸ ἀπὸ λύπης πάθος· καὶ γὰρ ὡς ἀσπόρως συνέλαβεν, καὶ ὁ τόκος ἄσπορος γέγονεν, καὶ ἡ κύησις ἀνώδινος, καὶ τὰ τοῦ Γαβριὴλ εὐαγγέλια, τῶν ποιμένων τὰ διηγήματα, καὶ τὰ μυρία ἄλλα τῶν θαυμάτων καὶ ἐξαίρετα, οὐδεὶς ἂν σου μᾶλλον ἐπιστάμενος εἴη· ἀλλ' οὐ μόνον ταῦτα λέγουσιν, 8) οἱ τῆς πλάνης ἐρασταὶ καὶ τῆς ἀληθείας κατήγοροι, ἀλλὰ καὶ σεαυτὴν ἐπί τε τῇ συλλήψει καὶ τόκῳ συκοφαντήσουσιν· ἡ συκοφαντία ῥομφαίας οὐκ ἔλαττον τὴν σὴν ψυχὴν δάκνουσά τε καὶ κατατιτρώσκουσα διελεύσεται· ἀλλ' ἐπειδάν σε τούτοις ἐνυβρίσωσι, 9) τότε μᾶλλον ἐκ πολλῶν καρδιῶν ἀποκαλυφθήσονται καὶ διαλυθήσονται διαλογισμοί. Πῶς δὴ, καὶ τίνα τρόπον; τῶν μὲν συκοφαντῶν οὐκ ἐνδιδόντων ταῖς συκοφαντίαις·, τῶν δὲ συκοφαντουμένων ἐπὶ τὴν παλαιὰν τοῦ νόμου καταφευγόντων διάκρισίν τε καὶ κρίσιν. Τίς δὲ ἄυτη ἐστὶν, ἢ ἡ διὰ τοῦ ὕδατος τῆς ἐλέγξεως γινομένη; καὶ γὰρ λόγος διεφοίτησεν παλαιὸς, ὡς συκοφαντουμένης τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας ἠνέχετο παραχεῖν ἑαυτὴν τῇ κρίσει τοῦ ὕδατος, καὶ τὸ καθαρὸν αὐτῆς καὶ ἄσπιλον λαμπρῶς ἐπιδειξαμένου, καὶ ἀποφήναντος, αἰσχύνη

dem

7) Codex: φήσεται.

8) Ante λέγουσιν excidiſſe οὐ ſuſpicor.

9) *Colb.* pro ἐμβρίσωσι.

μὲν δοθῆναι τοὺς συκοφάντας· τοὺς δὲ πρὶν διστάζοντας τὴν παρθένειαν καὶ τὸν ἄφθορον τόκον ἀναντιῤῥήτοις μαρτυρίαις βεβαιωθῆναι, καὶ τὴν παρθένον ἀπαλλαγῆναι τῆς ἐπὶ τῇ συκοφαντίᾳ καὶ ταῖς διαβολαῖς δυσθυμίας 10) τε καὶ λύπης· τὸ μέντοιγε τῆς ἐλέγξεως ὕδωρ ἱστορίᾳ παρειλήφαμεν περὶ τὸ Γαβὴ, Παλαιστιναίων δὲ τὸ ὄρος, τὰς πηγὰς ἀναδιδόναι, ὅ κριτήριον καὶ ὁ παλαιὸς ἐπίσταται νόμος, 11) τῶν τε τὴν σωφροσύνην οὐ διαφθειρομένων γυναικῶν, καὶ τῶν ἀλλοτρίαις ὁμιλίαις τὴν νηδὺν ἐνυβριζόντων. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἴσως ἀφαιρεῖται τὴν πίστιν, ὅτι τε προελθεῖν ἐπὶ τῇ παρθένῳ τὸ τῆς ἐλέγξεως ὕδωρ ἀναγέγραπται, οὔπω τοῦ βρέφους φανέντος, ἡνίκα καὶ ὁ καιρὸς τὴν ἀμφιβολίαν εὔλογον 12) παρεῖχε, καὶ ἡ κρίσις οὐκ εἰς τὸ παράλογον ὑπεσύρετο, τοῦ δὲ τόκου προελθόντος, καὶ τοῦ βρέφους ἐγνωσμένου, ποῦ καιρὸν εἶχεν τὸ ὕδωρ τῆς ἐλέγξεως; ἀλλὰ τοῦτο μὲν κατὰ τὴν ἱστορίαν ὅμως εἴρηται.

Οἶδα δὲ, πολλοὺς τῶν ἱερῶν ἡμῶν πατέρων ῥομφαίαν ἐξειληφότας διελθεῖν τὴν ψυχὴν τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ σωτηρίου πάθους αὐτὴν

dem pudore ſint ſuffuſi, illi vero, qui de virginitate ejus & partu immaculato antea dubitarint, argumentis exceptione majoribus, convicti ſint, Virgine interim ab ægritudine ſua & triſtitia, ex calumnia illa & conviciis oborta, penitus liberata. Ex hiſtoria enim accepimus, aquam illam exploratricem juxta Gabe, qui Palæſtinæ mons eſt, manaſſe, quod explorandi genus in fœminis, quæ vel caſtitatem illibatam ſervarint, vel furtivis amoribus corpus macularint, adhibitum fuiſſe, nec vetus lex ignorat. Fortaſſe tamen narrationi huic fides haberi non poſſit, quod aqua illa exploratoria virgini admota eſſe legitur, fœtu nondum edito, quando & tempus ipſum idoneam dubitandi cauſam exhibebat, & judicium non inepte inſtituebatur; fœtu vero jam edito, & partu agnito aqua exploratoria locum non habebat. Nihilominus tamen in hiſtoria hæc traduntur.

Conſtat mihi alias, multos ſanctorum Patrum ſtatuere, gladium illum Mariæ, ſemper Virginis, animum ipſo ſalutaris perpeſſionis tempore verberaſſe, quando illa dolorem ſuum de Filio acerbiſſimum & vehe-

10) *Colb.* pro δυσφημίας.
11) *Numer.* V. 17. ſeqq.
12) Ita *Colb.* pro ἄλογον. Ceterum non ſatis hæc omnia capio.

mentem inſitamque ſibi matri in filium commiſerationem tum triſtitia ſumma, tum violento viſcerum motu teſtatam fecerit. Hoc enim matris dolore factum eſſe, ut cogitationes ex multorum cordibus detegerentur, & tum illi, qui ipſum Dominum noſtrum carnem tantum ſpecie tenus circumtuliſſe inepte fingebant, tum illi, quos non ex Virgine, ſed ex cœlo, carnem illam repetere non pudebat, confunderentur. Quod ſi vero gladium illum Virginis animum etiam tunc confodiſſe dicamus, quando Parentes Filium poſt ſe relictum, confecta jam longa via, non invenerunt, imo etiam reverſi, tanquam theſaurum deperditum, quæſiverunt, nihil ſtatuerimus, quod rectæ rationi adverſetur. Nam etiam tunc ex multorum cordibus cogitationes detegebantur; Virgine ſcilicet ad Filium dicente: *ego & pater tuus cum dolore te quæſivimus;* Verbo autem hypoſtatico & carne induto reſpondente: *quid eſt, quod me quæſiveritis? nonne ſciebatis, me eſſe debere in iis, quæ Patris mei ſunt;* hoc ipſo vero illuſtrem illum populum indicante, qui & templum & domus Patris appellabatur. Dum enim Filius Patrem ſuum clariſſime profitebatur, clare etiam cogitationes eorum detegebantur,

τὴν καταχοῦσαν πικρὰν καὶ ὀδυνηρὰν ἐπὶ τῷ τέκνῳ ἀλγηδόνα, καὶ τῷ ἀνυπερβλήτῳ τῆς λύπης, καὶ τῷ ἐξηρημένῳ σπαραγμῷ τῶν σπλάγχνων τὴν ἔμφυτον πρὸς τὸν υἱὸν μητρικὴν συμπάθειαν ἐπιδεῖξαι· καὶ διὰ τῆς μητρικῆς ταύτης συμπαθείας, ἐκ πολλῶν καρδιῶν λογισμοὺς ἀποκαλυφθεῖναι, καὶ διελεγχθῆναι τούς τε κατὰ φαντασίαν τὴν σάρκα φορέσαι, καὶ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τερατολογοῦντας, καὶ τοὺς οὐκ ἐκ τῆς παρθένου, ἐξ οὐρανοῦ δὲ ταύτην καταγαγεῖν ἀπαναισχυντοῦντας. Εἰ δὲ καὶ τηνικαῦτα διελήλυθεν τῆς παρθένου τὴν ψυχὴν ῥομφαία, ἡνίκα λελοιπότες τὸν παῖδα, μετὰ τὸ πολλὴν ὁδὸν διανύσαι, μὴ εὗρον τοῦτον, ἀλλὰ καὶ ὑποστρέψαντες ἐπεζήτουν, ὡς ἤδη τὸν θησαυρὸν ἀπολωλεκότες, οὐδὲν ἂν εἴη παρὰ τὸν ὀρθὸν διανενοημένον λόγον· καὶ γὰρ καὶ τηνικαῦτα ἐκ πολλῶν καρδιῶν ἀπεκαλύφθησαν διαλογισμοί, τῆς μὲν παρθένου πρὸς τὸν παῖδα λεγούσης· ἐγὼ καὶ ὁ πατήρ σου ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε. 13) τοῦ δὲ ἐνυποστάτου λόγου καὶ σάρκα φορέσαντος ἀνταποκρινομένου, τί, ὅτι ἐζητεῖτέ με; οὐκ ᾔδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; καὶ δηλοῦντος τὸν περιώνυμον λαὸν, ὃς τοῦ πατρὸς νεώς τε καὶ οἶκος ἐπωνομάζετο. Καὶ γὰρ τὸν ἴδιον πατέρα σαφῶς ἀνακηρύξαντος τοῦ υἱοῦ σαφῶς ἀπεκαλύφθησαν οἱ δια-

13) *Luc.* II. 48. ſq.

λογισμοὶ τῶν λεγόντων αὐτὸν οὐκ 14) εἶναι τοῦ τέκτονος υἱὸν, οὐδ᾽ ἄλλης τινὸς ἐπιγείου σπορᾶς, ἀλλὰ τοῦ πρὸ αἰῶνος γεγεννηκότος αὐτόν. Τὸν μέντοι λόγον, τὸν λέγοντα, ῥομφαίαν αὐτῆς τὴν ψυχὴν ἐξ ἀμφιβολίας διελθεῖν, ὡς μήποτ᾽ οὐκ εἴη Θεὸς ὁ σταυρούμενος, εἰ καί τισιν ἐῤῥήθη, ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἐμοὶ ῥηθείη.

Καὶ ἦν, φησὶν, Ἄννα προφῆτις θυγάτηρ Φανουὴλ, ἐκ φυλῆς Ἀσὴρ, ἕως οὗ, ϗ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων. Ἄννα προφῆτις, θυγάτηρ Φανουὴλ, ταύταις διαστέλλεται ταῖς διαφοραῖς αὕτη πρὸς τὴν τῆς παρθένου μητέρα· διέλαμπε δὲ ταῖς ἀρεταῖς ἁπάσαις· ἐκ γὰρ τοῦ μὴ ἀφίστασθαι τοῦ ἱεροῦ, ϗ νηστείαις, ϗ δεήσεσιν λατρεύειν νύκτα ϗ ἡμέραν, δῆλον, ὡς ϗ ὁ λοιπὸς αὐτῇ τῶν ἄλλων ἀρετῶν συμπαρῆν χορὸς, ὑφ᾽ ὧν κεκαθαρμένη τὸν νοῦν; ϗ τοῦ παναγίου Πνεύματος γεγενημένη δοχεῖον, καὶ τὰς παρ᾽ αὐτοῦ δεχομένη ἐμφάσεις, αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα ἀνθωμολογεῖτο 15) καὶ ἐλάλει τὰ περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ· αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα φησίν· αὐτῇ, ποίᾳ; ἡ καθ᾽ ἣν τὸ παιδίον ἡ μήτηρ ϗ ὁ Ἰωσὴφ προσέφερον τῷ ἱερῷ· ϗ ὅρα τὴν παραπλησίαν τῷ Συμεῶνι ταῖς ἀρεταῖς, ὅπως ϗ

bantur, qui eum dicebant non fabri filium, nec hominis alterius ſobolem, ſed illius eſſe, qui ante ſæcula genuerit. Quod vero nonnulli dicunt, gladium illum animum ejus pervaſiſſe, oborta dubitatione, an crucifixus ille fortaſſe non ſit Deus, id nunquam ego dixerim, quamvis a nonnullis ſit dictum.

Et erat, inquit, *Anna propheтiſſa, Phanuelis filia, ex tribu Aſer* &c. *& illa vidua erat annorum circiter quatuor & octoginta.* Anna prophetiſſa, Phanuelis filia, his differentiæ capitibus diſtinguitur a matre Virginis; eadem vero egregio virtutum omnium ſtudio præ ceteris eminebat. Ex eo enim, quod a templo non recedebat, jejuniis vero & precibus noctu & interdiu vacabat, apparet, eandem reliquarum etiam virtutum corona ornatam fuiſſe. His vero illa virtutibus quod ad animum mundata, & Sanctiſſimi Spiritus officina facta, ejusdemque alloquiis ditata, eadem hora adſtans confitebatur, & loquebatur de eo ad illos omnes, qui liberationem Hieroſolymis exſpectabant. *Eadem*, inquit, *hora adſtans.* Qua vero illa? Illa omnino, qua mater & Joſephus infantem in templo ſiſtebant. Adverte

14) οὐκ addidi, quod ſenſus omnino poſtulat. Conf. *Matth.* XIII. 55.
15) *Colb.* pro ἀνθωμολογεῖτο.

verte heic, quam ſimilia, quæ virtutibus Simeoni ſimilis erat, vaticinia edat. Simul enim aderant in templo, ſimul vero dono vaticinandi digni habebantur. Simeon quidem vaticinandi faciebat initium; hæc vero, quamvis ſecundum occupans locum, vaticiniis tamen ſuis non erat inferior. Nam infantem illum *Dominum* vocabat, *eique viciſſim confitebatur:* loquebatur etiam de eo ad omnes, qui liberationem in Iſraële exſpectabant, liberationem gentis & ſalutem promulgans. Fortaſſe aliquis Simeonem ideo primas heic partes habuiſſe dixerit, quod typus Legis fuerit. Nam & nomen ipſum *obedientem* infert, quemadmodum *Annæ* illud *gratiam* ſignificat: id enim nomen, ad origines ſuas revocatum, denotat. Inter utrumque Chriſtus poſitus erat medius, illum quidem, tanquam cum lege moriturum, dimittens, hanc vero una cum gratia ſervans ſuperſtitem. Ceterum Virgo & Joſeph, poſtquam Deum communi hymno celebraverant, in Galilæam revertebantur, urbemque ſuam Nazareth, ubi deinde poſt quadraginta dies illa, quæ ad magos & ſtellam pertinent, agebantur; ſicut & fuga in Ægyptum, & ex ea reditus eveniebat.

τὰς προφητείας παραπλησίους κιχρᾷ· ἅμα μὲν γὰρ παρῆσαν τῷ ναῷ, ἅμα δὲ τῆς προφητικῆς ἠξιοῦντο χάριτος· ἀλλ' ὁ μὲν Συμεὼν προελάμβανεν χρησμολογῶν· ἡ δὲ τὴν δευτέραν ἔχουσα τάξιν ὅμως οὐκ ἐδευτέρευσε τοῖς χρησμοῖς· ἀλλ' ἐκάλει μὲν τὸ βρέφος Κύριον, ᾧ καὶ ἀνθωμολόγει· ἐλάλει δὲ περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, λύτρωσιν τοῦ γένους καὶ σωτηρίαν ἀνακηρύττουσα. Τάχα δ' ἂν διὰ τοῦτο προλαβεῖν 16) ἱερολογήσειέ τις τὸν Συμεῶνα, διότι ὁ μὲν τύπον ἔφερεν τοῦ νόμου. Καὶ γὰρ καὶ ἡ κλῆσις τὸ ὑπήκοον 17) δηλοῖ· ἡ δὲ τῆς χάριτος ἡ Ἄννα, 18) τοῦτο γὰρ ἡ κλῆσις ἀναπτυσσομένη δηλοῖ· ὧν ἀμφοῖν ὁ Χριστὸς ἔκειτο μέσος· τὸν μὲν ἀπολύων συντελευτῶντα 19) τῷ νόμῳ, τὴν δὲ τέως κατέχει τῇ χάριτι συζῶσαν· ἡ μέντοιγε παρθένος καὶ Ἰωσὴφ κοινὴν τὴν εἰς Θεὸν ἀποδεδωκότες ὑμνολογίαν ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρὲτ, καὶ μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας τὰ κατὰ τοὺς μάγους καὶ τὸν ἀστέρα διεπέπρακτο· καὶ δὴ καὶ ἡ εἰς Αἴγυπτον γέγονε φυγὴ, καὶ ἡ ἀπὸ ταύτης ἐπάνοδος.

QUÆST.

16) Hoc malo ex *Colb.* pro προσλαβεῖν.

17) Ex Hebr. שמע quod *audire & obedire* ſignificat. Hinc Πέτρος, reſpectu habito ad nomen ejus alterum, *Simon*, explicatur per ὑπακούων in Lexico Origeniano apud Montefalconium p. 231. Confer *Druſium* de Vocibus Hebr. N. T.

18) Ex Hebr. חן, *gratia.*

19) *Colb.* pro ἐντελευτῶντα.

ΕΡΩΤ. ΡΠΗ.

Διὰ τί τὴν Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπ]ὰ δαιμόνια ἐκλέγεται ὁ Χριςός; 1)

Τὸν ἕβδομον ἀριθμὸν καὶ ἐπὶ τῆς ἀρετῆς ϗ ἐπὶ τῆς κακίας εὑρίσκομεν τὴν γραφὴν παραλαμβάνουσαν. εἰκότως ἂν τὴν Μαρίαν ἐκλέγεται τὴν Μαγδαληνὴν ὁ σωτὴρ, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπ]ὰ δαιμόνια, ἵνα τὸν ἄρχοντα τῆς κακίας δι' αὐτῆς ἀπελάσῃ]ῆς ἀνθρωπίνης φύσεως· ὅτι, φησὶν 2) αἱ ἱςορίαι τὴν Μαγδαληνὴν ταύτην διὰ βίου παρθένον διδάσκουσιν. Καὶ μαρτύριον δὲ αὐτῆς φέρεται, ἐν ᾧ λέγεται διὰ τὴν ἄκραν αὐτῆς παρθενίαν καὶ καθαρότητα, ὡς ὕαλον αὐτὴν καθαρὸν ταῖς βασανιςαῖς φαίνεσθαι. Ὅτι, φησὶν, μετὰ τὴν κοίμησιν τῆς δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου πορευθεῖσα εἰς Ἔφεσον πρὸς τὸν ἠγαπημένον μαθητὴν, ἐκεῖσε τὸν δρόμον τὸν Ἀποςολικὸν διὰ τοῦ μαρτυρίου ἡ μυροφόρος 3) Μαρία ἐτελείωσεν, μὴ θελήσασα μέχρι τῆς τελευτῆς χωρισθῆναι τοῦ παρθένου 4) ϗ εὐαγγελιςοῦ Ἰωάννου. 5) Ὥσπερ, φησιν, ἡ ἀπαρχὴ τῶν Ἀποςόλων Πέτρος ὠνομάσθη διὰ τὴν ἀσάλευτον πίςιν, ἣν εἶχεν ἐπὶ Χρι-

QUÆST. CLXXXVIII.

Quare Mariam Magdalenam, ex qua ſeptem dæmonia ejecerat, Chriſtus elegit?

Numerum ſeptenarium a Scriptura Sacra in virtutis æque ac pravitatis negotiis adhiberi invenimus. Veri ſimile igitur fit, Servatorem noſtrum Magdalenam, è qua ſeptem dæmonia ejecerat, ideo elegiſſe, ut omnis malitiæ auctorem per eam ab hominum natura depelleret. Ait enim, hiſtoriam tradere, Magdalenam illam, quoad vixerit, virginem manſiſſe. In hujus rei argumentum adfertur, quod per ſummam ſuam virginitatem & puritatem inſtar cryſtalli puriſſimi apparuerit exploratoribus. Ait quoque, Mariam, quæ unguentum attulerat, poſt obitum Dominæ noſtræ Deiparæ, Epheſum ad diſcipulum amatiſſimum profectam, ibidem curſum ſuum Apoſtolicum martyrio abſolviſſe, quæ a Joanne, virgine & Evangeliſta, usque ad vitæ finem divelli noluerit. Sicut porro, inquit, Petrus, Apoſtolorum primus, nomen ſuum ex fide immota, quam in Chriſtum petram probabat,

1) *Luc.* VIII. 2.

2) Neſcio, quem heic innuat Photius, cuique hanc obſervationem debeat.

3) *Matth.* XXVI. 7. & *Joh.* XI. 2.

4) Παρθένος Græcis vir quoque dicitur, qui fœminam non agnovit. Vide *Æmilium Portum* ad Suidam Tom. I. p. 5. edit. Kuſteriana.

5) Ἰωάννου habeo ex *Colbert.*

Digitized by Google

bat, accepit; ita illa quoque, tanquam diſcipularum prima, propter puritatem ſuam & deſiderium, quo in illum ferebatur, a Servatore eodem, quo Mater, nomine eſt inſignita. Quemadmodum itaque diſcipulorum chorus Dominum ſequebatur, ita mulierum, Domini diſciplinam recipientium, corona noſtri Domini matrem conſectabatur. Mirabantur enim, inquit, aliquando diſcipuli, quod cum uxore loquebatur. Ex quo manifeſtum eſt, Dominum id quidem uſu receptum non habuiſſe. Cum itaque mater Domini Evangelii curſum una cum filio & rerum conditore proveheret, mulieres, quæ eam comitabantur, communi Domino ejusque diſcipulis ex facultatibus ſuis miniſtrabant.

στὸν τὴν πέτραν· οὕτω καὶ αὐτὴ, ἀρχηγὸς τῶν μαθητριῶν γενομένη, διὰ τὴν καθαρότητα αὐτῆς καὶ τὸν πόθον, ὃν εἶχεν εἰς αὐτὸν, Μαρία ὁμωνύμως τῇ μητρὶ παρὰ τοῦ Σωτῆρος προσηγόρευται· ὥσπερ τῷ δεσπότῃ τῶν μαθητῶν ἠκολούθει ὁ χορὸς, οὕτω τῇ δεσποίνῃ καὶ μητρὶ τοῦ Κυρίου τῶν μαθητευομένων γυναικῶν ὁ χορός. Ἐθαύμαζον γάρ, φησιν, ποτὲ οἱ μαθηταὶ, ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει. 6) δῆλον, ὡς οὐκ οὔσης ταιαύτης συνηθείας τῷ Κυρίῳ, ἀλλὰ τὸν εὐαγγελικὸν δρόμον τῆς μητρὸς τοῦ δεσπότου συνεξανυούσης τῷ υἱῷ καὶ δημιουργῷ, καὶ αὐταὶ συνακολουθοῦσαι αὐτῇ τῷ κοινῷ δεσπότῃ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς ἀναγκαίοις, καὶ τοῖς μαθηταῖς διηκόνουν.

QUÆST. CLXXXIX.

Quid ſignificat illud: ex me ipſo non loquor.

Pſeudomeſſiæ ex ſe ipſis loquebantur, non vero ex lege, nec ex Prophetis, ſed ex ſua ſententia & arbitrio. Contra Servator a lege non recedebat, non omittebat Prophetas, ſed dicebat, nunc quidem: *recte dixit Jeſaias;* nunc vero: *nonne in Lege veſtra ſcriptum eſt*, & plurima ejus-

ΕΡΩΤ. ΡΠΘ.

Τί ἐστὶ τό· ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ. 1)

Οἱ ψευδόχριστοι ἀφ' ἑαυτῶν ἐλάλουν, οὐκ ἐκ νόμου, οὐκ ἐκ προφητῶν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἰδίας γνώμης καὶ ὁρμῆς· ὁ δὲ Σωτὴρ οὐκ ἀπέστη νόμου, οὐκ ἐγκαταλέλοιπεν προφήτας, ἀλλ' ἔλεγε νῦν μὲν, καλῶς εἶπεν Ἡσαΐας. 2) νῦν δὲ, οὐ γέγραπται ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν, 3) καὶ

6) *Joan.* IV. 27.
1) *Joan.* XIV. 10.
2) *Matth.* XV. 7.
3) *Joan.* X. 34.

μυρία ταῦτα. Ἐπεὶ οὖν οἱ ἐλθόντες πρὸ Χριστοῦ, καὶ τὸ ἐκείνου περιθέντες ἑαυτοῖς κακούργως ὄνομα, οὐκ ἀπὸ τῶν ἱερῶν γραφῶν, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἰδίας ἀπονοίας τὰ τῆς πλάνης προὐβάλλοντο, λέγει ὁ Σωτήρ· ἐγὼ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ, ὥσπερ ἐκεῖνοι. Τὸ γὰρ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ λαλεῖν, τὸ ἔξω τῶν ἱερῶν γραφῶν ἐστι λαλεῖν. Ὅτι δὲ τὸ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ λαλεῖν ψευδοχρίστων ἐστὶ καὶ ψευδοπροφητῶν, λέγει διὰ τοῦ προφήτου τοῦ Ἐζεκιὴλ 4) ὁ Θεός· οὐκ ἀπέστειλα αὐτούς, ἀφ᾽ ἑαυτῶν ἐλάλησαν· ἐκ τῆς καρδίας αὐτῶν φθέγγονται· ἐπεὶ οὖν οἱ ψευδοπροφῆται ἀφ᾽ ἑαυτῶν ἐκήρυττον, ταύτην ἀποδυόμενος τὴν ἀπόνοιαν· καὶ γὰρ ἐδυσφήμει 5) τὸ ἀχάριστον τῶν Ἰουδαίων ἔθνος πλάνον αὐτὸν 6) καὶ πλανᾷν τὸν κόσμον· διὰ τοῦτο ἔλεγεν· ἐγὼ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ, ἀλλ᾽ ἀπὸ νόμου, ἀπὸ τῶν προφητῶν, ὅσα ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρὸς ἐν νόμῳ, ἐν προφήταις· ἐκ προσώπου δὲ τῆς σαρκὸς ταῦτα λέγει, καὶ εἰς διάλυσιν τῆς δυσσεβούσης ὑπονοίας. Ὑμεῖς δὲ, ὅσα ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ διαβόλου. Τὰ γὰρ τοῦ πατρὸς κλῆρος γίνεται τοῖς παισὶ, καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἐκείνου γίνεται τῶν κληρονόμων· ὡς ἴσον ἐνταῦθα καθορᾶσθαι, καὶ εἰς ταυτὸν συνιέναι τὸ ἐξ ἑαυτῶν λαλεῖν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς αὐτῶν τοῦ διαβόλου λαλεῖν· ὥσπερ ὁ Χριστὸς ἐλθὼν ἐγένετο πλήρω-

ejusmodi alia. Quoniam igitur, qui ante Chriſtum veniebant, ejusque nomen male ſibi tribuebant, non ex Sacris literis, ſed ex ſua amentia errores ſerebant; ideo Servator noſter ait; *ego ex me ipſo non loquor, ſicut illi.* Ex ſe ipſo enim loqui idem eſt, atque præter Scripturam Sacram loqui. Quod vero Pſeudo Meſſiarum & Pſeudoprophetarum ſit, *ex ſe ipſis loqui*, id Deus ipſe per Prophetam Ezechielem teſtatus eſt, dicens: *non miſi eos, ex ſe ipſis ſunt locuti; ex corde ſuo loquuntur.* Quoniam itaque Pſeudoprophetæ ex ſe ipſis loquebantur, hanc amentiam a ſe amolitur. Improba enim Judæorum gens erronem illum eſſe, & mundum pervertere calumniabatur. Propterea ajebat: *ego ex me ipſo non loquor*, ſed ex lege, ex Prophetis: quæ ex Patre in lege, & in Prophetis audivi. Habito vero ad humanam ſuam naturam reſpectu, & ad amoliendam malignam illam de ſe ſuſpicionem ita loquitur. *Vos vero*, addit, *ea*, (loquimini) *quæ ex Patre veſtro, Diabolo, audiviſtis.* Sicut enim, quæ patris ſunt, hereditatis loco filiis obtingunt; ita &, quæ illius ſunt, ad heredes perferuntur. Itaque ſimilia hæc ſibi invicem eſſe, & idem inferre

4) Alludere videtur ad *Ezech.* XIII. 6.

5) Verbum ἐδυσφήμει debeo *Colbertino*, quod in altero deerat.

6) Sic ſcribo pro πλάσιον αὐτῷ, quando *Colbert.* itidem male: πλάνων αὐτόν.

ferre apparet, ex ſe ipſis loqui, & ex Patre, Diabolo, loqui. Sicut porro Chriſtus, in carnem veniens, complementum legis fuit; ita & Spiritus complementum evangelii exſtitit. Chriſtus adveniens confirmavit, quæ a Patre in Lege & Prophetis dicta erant. Propterea & Paulus ait: *Chriſtus eſt implementum legis.* Viciſſim Spiritus Sanctus, poſtea veniens, implevit ea, quæ ſunt Evangelii. Quæcunque Chriſti doctrina continentur, ea Spiritus Sanctus; quæ in Lege tradita ſunt, ea Chriſtus implevit: non quidem, quaſi Pater nihil heic fecerit, ſed quod Chriſtus interpres & conſummator dictorum a Patre exſtiterit. Similiter Spiritus illuſtrat & explanat Filii dicta. *Multa*, inquit, *habeo vobis dicenda, ſed ea nunc quidem ferre non poteſtis: ubi vero venerit Spiritus Sanctus, in veritatem omnem vos ducet*, &c. Neque enim ex ſe ipſo loquitur: nam non contradicit Filio, ſed dicta Filii, ſicut Filius Patris illa, implet. In hoc ſermone videbis *Chryſoſtomum* ſub finem oſtendere, miſſionem neque Filium neque Spiritum S. Patre facere inferiorem, quoniam ipſe quoque Pater a Spiritu S. & a Filio mittitur. Verba ejus hæc ſunt:

μα νόμου, καὶ προφητῶν, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα πλήρωμα τοῦ εὐαγγελίου. Χριστὸς ἐλθὼν ἐβεβαίωσεν τὰ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐν τῷ νόμῳ 7) εἰρημένα καὶ προφήταις· διὸ καὶ λέγει Παῦλος· πλήρωμα νόμου Χριστός· 8) τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπλήρωσε τὰ τοῦ εὐαγγελίου· ὅσα ἐστὶν ἐν τῇ Χριστοῦ διδασκαλίᾳ, τὸ Πνεῦμα πληροῖ· ὅσα ἐν τῇ τοῦ νόμου, ὁ Χριστός· οὐχὶ ὡς ἀτελοῦς ὄντος τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ὡς ἑρμηνευτὴς τῶν τοῦ πατρὸς καὶ τελειωτής. Οὕτω δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα διασαφοῖ καὶ διατρανοῖ τὰ τοῦ υἱοῦ. Καὶ γάρ, φησιν, πολλὰ ἔχω ὑμῖν λαλεῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, 9) καὶ ἑξῆς. Ὅτι ἀφ' ἑαυτοῦ οὐ λαλεῖ, οὐ γὰρ ἀντιφθέγγεται τῷ υἱῷ, ἀλλ' ἀναπληροῖ τὰ τοῦ υἱοῦ, καθ' ὃν τρόπον ὁ υἱὸς τὰ τοῦ πατρός. Ὅτι ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ εὑρήσεις πρὸς τῷ τέλει δεικνύντος τοῦ Χρυσοστόμου, 10) ὅτι ἡ ἀποστολὴ οὔτε τὸν υἱὸν, οὔτε τὸ Πνεῦμα ἐλάττω ποιεῖ τοῦ πατρὸς, ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ πατὴρ ἀποστέλλεται παρὰ τοῦ Πνεύματος, καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ· λέγει αὐταῖς λέξεσιν· ἐάν σοι δείξω τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς ἀποστελλόμενον παρὰ τοῦ Πνεύματος, καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ, τί ποιεῖς; ἢ ἄρνησαι τὸν Χριστὸν, καὶ ἀπόρρι-

7) Hæc totidem verbis non exſtant in ſacris literis, & παραφράσεως loco a *Photio* addita videntur.

8) Procul dubio *Rom.* X. 4. innuit: τέλος νόμου Χριστός.

9) *Joan.* XVI. 12. 13.

10) Quem heic Chryſoſtomi ſermonem adferat *Photius*, fruſtra quæro.

ψον 11) τὰς γραφάς· ἢ, δοῦλος ὢν τῶν γραφῶν, ὑποτάττου ταῖς γραφαῖς· καὶ ποῦ φησιν εἴρηται τοῦτο; Ἄκουε τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος Ἡσαΐου· 12) ἄκουέ μου Ἰσραὴλ, ὃν ἐγὼ καλῶ· καὶ ὅλην τὴν περικοπὴν ἐκτιθεὶς τοῦ χωρίου μέχρι τοῦ, καὶ νῦν Κύριος ἀπέστειλέ με, καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ, διισχυρίζεται, τὸν πατέρα ταῦτα εἰπεῖν, ἐκ τῶν προτεταγμένων βεβαιῶν τὸν λόγον, καὶ καθιστῶν δῆλον, ὡς ὁ πατὴρ εἴη νῦν ὁ λέγων καὶ ἀποστελλόμενος παρά τε τοῦ Πνεύματος καὶ τοῦ υἱοῦ.

ſunt:. Si tibi conditorem cœli & terræ oſtendero miſſum a Spiritu & Filio, quid facies? Aut nega Chriſtum & abjice Scripturas; aut, cum Scripturæ ſis obnoxius, Scripturæ te ſubjice. Ubi vero, inquit, hoc dictum eſt? Audi Deum, per *Jeſaiam*, Prophetam, dicentem: *Audi me, Iſrael, quem ego voco.* Hinc idem, tota illius oraculi ſerie expoſita, usque ad illa verba: *& nunc Dominus me miſit, & Spiritus ejus*, adſeverat, Patrem illa loqui, ex antecedentibus fidem expoſitioni, manifeſtumque faciens, Patrem eſſe, qui hæc loquatur, quique adeo a Spiritu & Filio mittatur.

ΕΡΩΤ. ΡϚʹ.

Πῶς βραχίονα Κυρίου ὁ Θεολόγος Ἰωάννης τὴν οἰκονομίαν 1) διαλαμβάνει; 2)

Ὅτι ὁ Θεολόγος Ἰωάννης, τὸν βραχίονα εἰς τὴν οἰκονομίαν 3) ἐκλαμβάνων τοῦ Σωτῆρος, καὶ τὴν αὐτοῦ θεότητα, πολλά φησι σημεῖα ποιήσαντος τοῦ Ἰησοῦ 4) οὐκ ἐπίστευσαν οἱ Ἰουδαῖοι,

QUÆST. CXC.

Quomodo Joannes Theologus œconomiam ſalutarem per *brachium Domini* indicat?

Joannes Theologus brachium de œconomia Servatoris noſtri ejusque Deitate interpretans, *quamvis multa*, inquit, *miracula ederet Jeſus*, Judæi tamen non credebant, ut impleretur dictum Jeſaiæ: *Domine,*

11) *Colb.* ἀπάλειψον.

12) *Jeſ.* XLVIII. 12. ſqq. Ceterum illam oraculi Jeſaiæ expoſitionem nemo temere admiſerit. Prophetici enim ſermonis nexus oſtendit, non Patrem, ſed Filium de Patre & Spiritu ejus loqui.

1) In apographo legebam οἰκουμένην, pro qua voce alteram illam recte exhibet eruditiſſimus *Monteſalconius* in indice Amphilochiorum *Photii* p. 339. Bibliothecæ MSS. Coislinian. Fieri igitur poteſt, ut in apographo erratum ſit, quamvis mox in reſponſione ad hoc quæſitum iterum legatur οἰκουμένην.

2) *Joan.* XII. 38.

3) Ita ſcribo cum *Colbert.* pro οἰκουμένην.

4) *Colb.* pro υἱοῦ.

quis credidit dictis noſtris, & cui brachium Domini eſt revelatum?[1] Ipſe nempe, & juſtitia ejus. Prope enim eſt, ut juſtitia mea adveniat. Ipſe itaque & Servator eſt, & brachium. Propterea & Paulus omnia complexus, in unum confert, dicens: *qui factus nobis eſt à Deo ſapientia & ſanctificatio, & liberatio.* Hic oriri nobis fecit ortum juſtiſſimum. *Ecce enim*, inquit, *oriri faciam domo Davidis ortum ſanctum, & regnabit Rex juſtus.* Ortus itaque unus eſt, multi vero ejuſdem radii. Radii ſcilicet humanitatis, ſanationis, pacis: radii juſtitiæ, pluriumque ſimilium. Propterea etiam David vaticinatus cecinit: *in diebus ejus orietur juſtitia, & pacis copia, donec Luna aboleatur.* Hic igitur ortus ex alto æque atque ex terra contigit: ex alto quidem ſecundum divinam, ex terra autem ſecundum humanam naturam.

QUÆST. CXCI.

Quid ſignificat: quod & ipſa creatura liberabitur à ſervitute, &c.

Serviebat creatura homini, non ut digno, Sol ſcilicet, & Luna, & aſtra, & terra, quæque in illis ſunt: non, inquam, ut digno. Nam &

ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Ἡσαΐου· Κύριε, τίς ἐπίστευσεν τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, ϗ ὁ βραχίων Κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη; αὐτὸς τοίνυν καὶ δικαιοσύνη· ἐγγίζει γὰρ ἡ δικαιοσύνη μου παραγενέσθαι· αὐτὸς ϗ Σωτὴρ, αὐτὸς καὶ βραχίων. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Παῦλος περιλαβὼν ἅπαντα εἰς ἓν ἀναφέρει, λέγων· ὃς ἐγεννήθη ἡμῖν ἀπὸ Θεοῦ σοφία καὶ ἁγιασμὸς ϗ ἀπολύτρωσις. 5) Οὗτος ἡμῖν ἀνέτειλεν ἀνατολὴν δικαίαν. Ἰδοὺ γάρ, φησιν, ἀνατελῶ τῷ οἴκῳ Δαβὶδ ἀνατολὴν δικαίαν, ϗ βασιλεύσει βασιλεὺς δίκαιος· 6) μία μὲν οὖν ἡ ἀνατολὴ, πολλαὶ δὲ αὐτῆς αἱ ἀκτῖνες· ἀκτῖνες φιλανθρωπίας, ἰάσεως, εἰρήνης. δικαιοσύνης ἀκτῖνες, ϗ μυρίων ἄλλων. Διὸ ϗ ὁ Δαβὶδ προθεσπίζων ᾖδεν· ἀνατελεῖ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ δικαιοσύνη ϗ πλῆθος εἰρήνης, ἕως οὗ ἀνταναιρεθῇ ἡ σελήνη. 7) Ἄυτη γοῦν ἡ ἀνατολὴ ἐξ ὕψους ἀνέτειλεν, ϗ ἀπὸ τῆς γῆς· ἐξ ὕψους μὲν κατὰ τὴν θεότητα, ἀπὸ γῆς δὲ κατὰ τὴν οἰκονομίαν.

ΕΡΩΤ. ϞϚʹΑ.

Τί δηλοῖ, ὅτι καὶ ἄυτη ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας, ϗ ἑξ. 1)

Ἐδούλευσεν ἡ κτίσις τῷ ἀνθρώπῳ, οὐχ ὡς ἀξίῳ, ἥλιος ϗ σελήνη, ϗ ἄστρα καὶ γῆ, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς· οὐχ ὡς ἀ-

præva-

5) 1 *Cor.* I. 30.
6) *Jerem.* XXIII. 5.
7) *Pſalm.* LXXII. 7.

1) *Rom.* VIII. 21.

ξίῳ δὲ, ϗ γὰρ παραβάτης ἦν ϗ ὑπόδικος, ἀλλὰ τοῦ Θεοῦ δουλεύειν προστάξαντος, ὡς ἂν μὴ 2) ἐξυβρισθῇ διὰ πάντων ἡ εἰκὼν, εἰ καὶ παρέβη· πάσης τοίνυν τῆς κτίσεως στασιαζούσης, ὁ Θεὸς κελεύει τῇ κτίσει μὴ ἀφηνιᾷν, ἀλλὰ παρέχειν μὲν τὸν ἥλιον τὴν ἑαυτοῦ ἀκτῖνα, τὴν γῆν τοὺς καρποὺς, τὴν θάλασσαν ἰχθῦς ϗ τὰς ἐμπορίας· ϗ ἕκαστον τῶν κτισμάτων, τὴν ἐξ ἑαυτῶν χρείαν ϗ ὠφέλειαν τοῖς ἀνθρώποις. Ταύτην ἐπιγυμνῶν ὁ Ἀπόστολος τὴν ἔννοιαν φάσκει· 3) ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται· τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι· ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ· οἷον τι λέγω· ὡς εἶδεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἐκπεσόντα, ϗ τὴν κτίσιν ἀνανεύουσαν πρὸς ὑπηρεσίαν τοῦ ἡμαρτηκότος, ἐχαλίνωσεν αὐτὴν καὶ μὴ θέλουσαν, καὶ ἐκέλευσεν ὑπηρετεῖν πρότερον, ἡνίκα τὸ βασιλικὸν ἑαυτῷ καὶ ἀρχικὸν τὴν ἐντολὴν φυλάττων συνδιέσωζεν· ᾐσχύνετο γὰρ ἡ κτίσις τὸν αἰχμάλωτον τῇ παραβάσει Κύριον ἐπιγράφεσθαι, ϗ ἐξυπηρετεῖν αὐτῷ, τῆς ἁμαρτίας αὐτὸν ὁρῶσα δοῦλον γενόμενον· ἀλλ' ἐκέ-

prævaricatus erat, & pœnæ obnoxius. Serviebat itaque, Deo ita jubente, ne imago ſua penitus deturparetur, quamvis deliquiſſet. Cum itaque omnis creatura rebellem ſe ſiſteret, Deus tamen creaturam imperium non detrectare juſſit, ſed Solem radios ſuos, terram fruges, mare piſces, merceſque alias, & condita quoque cetera ea, quæ uſui & commodo forent hominibus, exhibere voluit. Hanc ſententiam explicaturus Apoſtolus ait : *Solicita enim exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat. Vanitati enim creatura non ſponte ſua eſt ſubjecta, ſed propter eum, qui ſub ſpe ſubjecit : quoniam & ipſa illa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Hoc itaque dico. Poſtquam vidit Deus hominem lapſum, creaturam vero ſervitium lapſo denegantem, compeſcuit illam etiam invitam, ſervireque eam juſſit, ſicut olim, quando homo, præceptis audiens, regiam imperatoriamque dignitatem ſartam tectamque ſervabat. Creaturam enim pudebat, eum, qui lapſu captivum ſe fecerat, Dominum agnoſcere, eique ſervire, quem peccati ſervum factum eſſe videbat. Conditor autem non abnegare legis viola-

2) μὴ addidi ex *Colb.*

3) *Rom.* VIII. 19. 20.

violatorem, ſed potius locupletiſſimam communis Domini gratiam, beneficentiamque immutabilem demonſtrare illam jubebat; eidem creaturæ pollicitus, fore, ut, ubi homo perditus & captivus renovatus, & in integrum reſtitutus fuerit, ipſa quoque renovetur; quaſi diceret: cecidit imago, & peccato ſuo defecit, perque inobedientiam ſuam perditur. Suſtine itaque ſervire perditi illius corruptioni, ut, quando imaginem meam, hominem illum perditum, renovavero, & te, creaturam, una cum ipſo renovem, gloriæque ejus conſortem efficiam. Tu quidem, quæ per calamitatem ejus ſimul depreſſa es, gloriæ quoque ejus particeps reſurges. Qui vero illud ſibi vult, quod creatura hominis dominium refugiat? Ait ſcilicet: *creatura vanitati non eſt ſubjecta.* Cui vanitati? Quamprimum homo a Deo ſe avertit, *vanitas* vocatur. Audis Davidem canentem: *ſed omnia vanitas, omnis homo vivens:* Omnis homo vanus eſt, qui Deum deſerit, & vana ſectans. Deus Angelos per varias orbis partes diſpoſuit, ut ſinguli eorum, quod & Moſes ait, ſingulis gentibus præſint. Conſtituit vero ideo, ut creaturam inanimatam coërceant, Solem, & Lunam, & mare, & ter-

λευσεν ὁ κτίστης μὴ ἐξαρνεῖσθαι τὸν παραβάτην, ἀλλ' ἐπιδεικνῦναι τοῦ κοινοῦ δεσπότου τὴν ἄφθονον χάριν, ϗ τὸ τῆς εὐεργεσίας ἀμετάθετον· ἐπαγγειλάμενος καὶ τῇ κτίσει, ὅτι περ ἀνακαινιζομένου ϗ ἐλευθερουμένου τοῦ φθαρέντος ϗ αἰχμαλωτισθέντος ἀνθρώπου ἀνακαινισθήσεται ϗ αὐτή· ὡσανεὶ ἔλεγεν· ἔπεσεν ἡ εἰκὼν, καὶ ὠλίσθησεν διὰ τὴν παράβασιν, καὶ φθείρεται διὰ τὴν παρακοήν· ἀνάσχου δουλεῦσαι τῇ τοῦ φθαρέντος φθορᾷ, ἵνα ὅταν αὐτὸν ἀνακαινίζω τὴν ἐμὴν εἰκόνα, τὸν φθαρέντα ἄνθρωπον, σὺν αὐτῷ καὶ σὲ τὴν κτίσιν ἀνακαινίσω, καὶ σύνθρονον αὐτοῦ τῆς δόξης ποιήσω· συγκατεσπάσθης αὐτοῦ τῇ ταλαιπωρίᾳ, συναναστήσῃ τῇ δόξῃ. Τί δέ ἐστι τὸ τὴν κτίσιν φεύγειν τὴν τοῦ ἀνθρώπου δεσποτείαν; λέγει γὰρ, τῇ ματαιότητι ἡ κλίσις οὐχ ὑπετάγη· ποίᾳ ματαιότητι; ἀφ' οὗ ἂν ἐκτραπῇ ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ, ματαιότης καλεῖται· ἄκουσον ψάλλοντος Δαβὶδ· πλὴν τὰ σύμπαντα ματαιότης πᾶς ἄνθρωπος ζῶν. 4) πᾶς ἄνθρωπος μάταιός ἐστιν, ὁ τὸν Θεὸν καταλιμπάνων καὶ τὰ μάταια μεταδιώκων· ἔστησεν ὁ Θεὸς ἀγγέλους κατὰ τὰ κλίματα 5) τῆς οἰκουμένης ἕνα ἕκαστον ἐπιτροπεύειν, ὡς ϗ Μωσῆς λέγει, 6) ἑνὸς ἑκάστου ἔθνους· ἔστησε δὲ, ἵνα τὴν ἄψυχον κτίσιν χαλινώσωσιν, ἥλιον ϗ σελήνην, ϗ θά-

4) Pſ. XXXVIII. 5.

5) Ita ſcribo pro κλήματα.

6) Moſen id quidem dicere non memini.

λασσαν, καὶ γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς ὑπηρετεῖν τῇ τοῦ ἀνθρώπου ἀπολαύσει. Πάλιν οἱ ἄγγελοι ἐτρύχοντο ὑπηρετούμενοι ἀναξίοις καὶ δίκης ἐνόχοις ἀνθρώποις· καὶ μάλιστα ὁρῶντες αὐτοὺς τὴν δεσποτικὴν ἀξίαν τοῖς εἰδώλοις ἀνάπτοντας καὶ ἀνιεροῦντας· ἔφερεν ἡ γῆ τὸν οἶνον, καὶ οἱ βωμοὶ τὰς σπονδὰς ἐδέχοντο· τοὺς ἄλλους καρποὺς καὶ τοῖς εἰδώλοις ἀνετίθεντο· διὰ τοῦτο ἐδυσφόρουν οἱ ἄγγελοι τὰ μὴ ὄντα ὁρῶντες ἀντὶ τοῦ ὄντος τιμώμενα· ἐντεῦθεν λέγεται καὶ τὸ ἕτερον ζήτημα τὸ εἰς τὸν προφήτην ἀναφερόμενον. Ἦλθεν πρὸς αὐτόν, φησιν, ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ· Δανιὴλ, ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ἀφ' ἧς ἡμέρας προέθου κακῶσαι τὴν ψυχήν σου ἔναντι Κυρίου, εἰσηκούσθη ἡ δέησις σου, καὶ ἀπεστάλην ἀπαγγεῖλαί σοι τὰ ῥήματα ταῦτα· ἀλλ' ὁ ἄρχων τῆς βασιλείας Περσῶν ἀντέστη μοι, εἰ μὴ Μιχαὴλ, ὁ ἄρχων τοῦ ἔθνους ὑμῶν, ἦλθεν εἰς βοήθειαν. 7) ἀπορήσειεν γὰρ ἄν τις, εἰ ὁ τῆς Περσίδος ἐπιτροπεύων ἄγγελος παρὰ Θεοῦ ἐπιτροπεύειν τέτακται, ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ Γαβριὴλ, ἀνακομίσων 8) τὸν Ἰσραὴλ τῆς αἰχμαλωσίας παρὰ Θεοῦ ἀπέσταλται, πῶς αὐτῷ τῶν Περσῶν ὁ ἄρχων ἀνθίστατο; λυθείη δ' ἂν τὸ διαπορούμενον ὧδε· ὁ κόσμος εἰδωλολατρείας ἐπεπλήρωτο. οἱ

& terram, ut, quæ in illis ſunt, hominum uſibus inſerviant. Ab altera parte dolebant Angeli, hominibus indignis pœnæque obnoxiis ſervientes, inprimis cum viderent, eos Domini dignitatem cultumque in idola transferre, & convertere. Terra ferebat vinum, altaria vero deaſtrorum libamina excipiebant; ſicut & alios fructus idolis ſacros eſſe jubebant. Ægre itaque ferebant Angeli, ea quæ non ſunt, pro eo, qui eſt, coli videntes. Hinc intelligitur & alterum illud quæſitum, quod ad Prophetam ſpectat. *Venit ad illum*, inquit, *Angelus Gabriel*, *dicitque illi: Daniel*; *ſerve Dei*, *ex quo die animam tuam coram Domino adfligere ſtatuiſti*, *exaudita eſt precatio tua*, *egoque miſſus ſum*, *ut tibi verba hac renunciem. Sed regno Perſarum præfectus reſtitiſſet mihi*, *niſi Michaël*, *qui genti veſtræ præeſt*, *auxilio veniſſet.* Heic dubitaverit aliquis, qui fieri potuerit, ſi Angelus, Perſiæ præfectus, a Deo, ut illi præeſſet, conſtitutus, ſimiliterque Gabriel ad Iſraëlem ex captivitate reducendum miſſus fuerit; ut illi Perſarum præfectus reſiſteret? Enimvero omnis hæc dubitatio facile ſic expedietur. Totus orbis idololatria ſcatebat: Angeli vero, gentibus

7) *Dan.* X. 12. ſq.

8) Sic ſcribo pro ἀνακομίσαν.

tibus præfecti, indignabantur & ægre rem ferebant. Interea Daniel, cum civibus ſuis Babylonem captivus ductus Divini Numinis cognitionem inſtillabat. Idem faciebant tres pueri, quos ignis, urendi facultatem cum jucunda aura permutans, recreabat. Hoc facto iidem effecerunt, ut multi, ab idololatriæ errore revocati, Deum verum colerent. Perſis itaque præfectus Angelus gaudebat, cum videret, Deum in partibus ſuis loco idolorum coli. Videbat ille, Nabuchodonoſorem pro eo, quod olim Diis ſacra facere cogebat, & immorigeros extremis ſuppliciis ſubjiciebat, nunc tandem verum Deum maxime celebrare & dicere: *Sedrach*, *Miſach*, *Abdenago*, *ſervi Dei excelſi*; & ſimilia plura. Quoniam itaque Divus Daniel Deum precabatur, ut hebdomadibus illis ſeptuaginta, quæ captivitati ſtatutæ erant, jam conſummatis, Iſraëlitas ex carcere educeret; & Gabriel præterea ad adferendum illi nuncium, miſſus erat, Perſico imperio præfectus Gabrieli reſtitit, contriſtatus ex eo, quod terra, cui præerat, in priſtinam impietatem & errores veteres, reductis inde veri cultus doctoribus, ruitura videretur. Reſtitit vero, non pugnans,

δὲ ἄγγελοι, οἱ ἐπεστῶτες τῶν ἐθνῶν, ἠγανάκτησαν καὶ ἐθλίβοντο· αἰχμάλωτος δὲ Δανιὴλ εἰς Βαβυλῶνα μετὰ τῶν ὁμοφύλων ἀπαχθεὶς τὴν θεογνωσίαν ἐκήρυττεν· ὡσαύτως καὶ οἱ τρεῖς παῖδες, οὓς τὸ πῦρ εἰς ἱλαρὰς αὔρας τὴν καυστικὴν δύναμιν ἀμεῖψαν ἀνέψυχεν· 9) διὸ καὶ πολλοὺς τῆς εἰδωλικῆς μεταστήσαντες πλάνης θεοσεβεῖν παρεσκεύασαν· ὁ οὖν τῆς ἀρχῆς τῶν Περσῶν ἐφεστηκὼς ἄγγελος ἔχαιρεν, ὁρῶν ἐν τοῖς αὐτοῦ μέρεσι τὸν Θεὸν ἀντὶ τῶν εἰδώλαν λατρευόμενον. Τὸν Ναβουχοδονόσορ ἑώρα ἀντὶ τοῦ καταναγκάζειν θύειν εἰδώλοις, καὶ ἐσχάταις τοὺς μὴ πειθομένους ὑποβάλλειν τιμωρίαις, λαμπρῶς θεολογοῦντα καὶ λέγοντα, Σεδρὰχ, Μισὰκ, Ἀβδεναγὼ, 10) οἱ δοῦλοι τοῦ Θεοῦ, τοῦ ὑψίστου, καὶ πολλὰ τοιαῦτα. Ἐπεὶ οὖν ὁ μακάριος Δανιὴλ ἐδεῖτο τοῦ Θεοῦ, πληρωθέντων τῶν ἑβδομήκοντα ἐτῶν, τῶν ἐπὶ τῇ αἰχμαλωσίᾳ διορισθέντων, ἀναγαγεῖν τῆς αἰχμαλωσίας τὸν Ἰσραὴλ, ἀπεστάλη δὲ Γαβριὴλ μηνῦσαι αὐτῷ τὴν ἀνάῤῥησιν, ἀνθίσταται τῷ Γαβριὴλ ὁ τῆς Περσικῆς ἀρχῆς ἐπιστάτης λυπούμενος, ὅτι πάλιν ἡ γῆ, 11) ἧς ἐπεστάτει, τῶν διδασκάλων τῆς εὐσεβείας ἐκεῖθεν ἀνακομισθέντων, εἰς τὴν προτέραν ἀναστρέψει ἀσέβειαν καὶ πλάνην· ἀνθίστατο δὲ οὐ μαχόμενος, ἀλλὰ δικαιολογούμενος·

ſed

9) *Dan.* III. 25. ſq.
10) *ibid.* v. 28.
11) Codex ὑγῇ, male, & mox, ἐπιστάτῃ.

τίς ἡ σπουδὴ λέγων τῆς ἀνόδου; τὴν οἰκείαν οἰκῶν πατρίδα ὁ Ἰσραὴλ καὶ εὐπαθῶν εἰς εἰδωλολατρίαν πολλάκις ἐξώλισθεν· νῦν δὲ οὐ καθαρῶς εὐσεβεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπεραθλεῖ τῆς εὐσεβείας, καὶ πολλῶν τῶν πεπλανημένων πρὸς τὸν ἀληθινὸν ἐπιστρέψουσι τὸν Θεόν. Ὅτε οὖν καὶ τοῖς τὴν χάριν δεχομένοις οὐδὲν κατὰ ψυχὴν λυσιτελέστερον ἐπακολουθεῖ, καὶ τοὺς εὐσεβεῖν δι' αὐτοὺς ἀρξαμένους 12) τὸ ἔσχατον κακὸν, ἡ δυσσέβεια, πάλιν ὑποχειρίους ποιεῖ, πόσον ἦν ἄμεινον καὶ τὸν Ἰσραὴλ τέως τῆς αἰχμαλωσίας μὴ ἀναγαγεῖν, καὶ τοὺς ἄρτι πρὸς τὸ φῶς ἀναβλέψαντας τῆς θεογνωσίας ἐν τῇ αὐτῇ συντηρεῖν εὐσεβείᾳ· ἀπεστάλην, φὴς, τὸν λαὸν ἀποκαταστῆσαι τῇ πατρίδι· ποίᾳ πατρίδι; 13) ἣν οἰκοῦντες ἐμίαναν κνίσαις, δαίμοσι θύοντες, καὶ εἰδωλομανίαις· οὐ ταῦτα κατηγορεῖ λέγων Ἱερεμίας· κατ' ἀριθμὸν τῶν πόλεων σου ἦσαν οἱ θεοί σου Ἰούδα· καὶ κατὰ τὰ ἀμφόδια Ἱερουσαλὴμ ἔθυες τῇ Βαάλ. 14) μυρίοις τότε παρὰ Θεοῦ περιεκλύζοντο ἀγαθοῖς, καὶ τῆς κακίας καὶ ἀσεβείας οὐκ ἀνεχώρουν· μυρία νῦν ὑπομένουσι κακὰ, καὶ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀφίστανται. Τί ποτ' οὖν ἔσται τὸ τῆς ἐπανόδου κέρδος; ἦν τοίνυν ἡ ἀντίστασις οὐ κακοῦ πρὸς ἀγαθόν· οὐ γὰρ εἶπεν, ἐμάχετο, ἀλλ' ἀν-

ſed ita cauſæ juſtitiam ediſſerens: Cur reditus tanto ſtudio urgetur? Quoad populus Iſraëliticus terram patriam habitabat, & proſpere agebat, ſæpe in idololatriam divertit: jam vero, peregrinam incolens, pure Deum colit, nec colit ſolum, ſed & pro cultu hoc fortiter pugnat, multosque errantium ad verum Deum adducit. Quandoquidem ergo & illis, qui gratiam receperunt, nihil, quod animæ ſalutarius ſit, evenit, & illos, qui per eos verum Deum colere inceperunt, impietas, extremum malorum omnium, ſibi iterum obnoxios reddet; nonne præſtaret, ſi Iſraël nunc quidem ex captivitate non educeretur, illi vero, qui ſalutaris Dei cognitionis lucem jam ſpectant, in eadem pietate conſervarentur? Tu quidem miſſum te ais, ut populum patriæ ſuæ reſtituas. Quæ vero eſt illa patria? Ea utique quam habitantes & dæmonibus ſacra facientes, nidoribus & idololatria polluerunt. Nonne horum accuſat eos Jeremias dicens: *Secundum numerum urbium tuarum erant tibi Dii, ô Juda, & ſecundum bivia Jeruſalem ſacrificabas Baali?* Tunc quidem à Deo innumeris beneficiis inundabantur, ſed vel ſic à malitia & impietate

12) *Colb.* pro ἀρχομένους.

13) ποίᾳ πατρίδι, debeo *Colbertino*.

14) *Jer.* II. 28. ubi tamen hodie legitur: καὶ μετ' ἀριθμὸν διόδων.

pietate ſua non deſiſtebant. Jam vero innumera mala perpetiuntur, neque tamen a Deo recedunt. Quis igitur reditus fructus erit? Itaque reſiſtentia heic erat non mali adverſus bonum. Non enim dicit, pugnabat, ſed, reſiſtebat. Sæpe enim datur reſiſtentia juſti adverſus bonum, ſicut ſæpe humanitas obſtat legi, & lex humanitati. Lex enim delinquentem punit; at clementia Regis eundem ſæpe miſeratur, & a pœna liberat. Pugna itaque hic eſt non inimici adverſus inimicum, ſed cognati adverſus cognatum. Neque enim juſtitia ſine bonitate, neque bonitas datur ſine juſtitia.

θίστατο· καὶ γάρ ἐστι πολλάκις ἀντίστασις δικαίου πρὸς ἀγαθὸν, ὡς ἀνθίσταται πολλάκις νόμῳ φιλανθρωπία, ϗ φιλανθρωπίᾳ νόμος· ὁ νόμος τὸν ἁμαρτήσαντα κολάζει. Φιλανθρωπία πολλάκις βασιλέως τὸν ἁμαρτήσαντα ἐλεεῖ, ϗ ἐξαρπάζει τῆς τιμωρίας· ὧδ' οὖν ἡ μάχη οὐκ ἐναντίου πρὸς ἐναντίον, ἀλλὰ συγγενοῦς πρὸς συγγενές. Ὄυτε γὰρ τὸ δίκαιον ἔξω ἀγαθότητος, οὔτε τὸ ἀγαθὸν ἔξω δικαιοσύνης εὑρίσκεται.

Creaturam ait, quod ante dictum eſt, male affectam & indignatam eſſe, ideoque etiam invitam delinquenti neceſſaria ſuppeditaſſe, & inſerviiſſe, Angelis quoque ingratum adverſus beneficia animum moleſte ferentibus, totoque mundo per flagitia corrupto. Deus enim, inquit, vidit terram corruptam, quod caro omnis viam ſuam corruperat. Non erat creatura, qualem illam ab initio condiderat Deus. Cœlum non, ut olim, ſine labe aliqua aſtris micabat: terra non, ut olim, fructus intemeratos ferebat: non mare, non aliud quicquam, quod inter creaturas numerabatur. Peccator enim ingreſſus eam polluebat, & omnia blaſphemiis, turpi-

Ὅτι τῆς κτίσεως, φησιν, ὡς προειρηται, διακειμένης ϗ ἀγανακτούσης, ἐφ' ᾧ ϗ ἄκουσα τῷ παραβάτῃ παρεῖχε τὴν χρείαν, ϗ ἐξυπηρέτει, ϗ ἀγγέλων ἀχθομένων ἐπὶ τῇ τοῦ εὐεργετουμένου ἀγνωμοσύνῃ, ϗ ὅλου κακωθέντος τοῦ κόσμου διὰ τὰς παρανομίας· ϗ γὰρ εἶδεν, φησὶν, ὁ Θεὸς τὴν γῆν, ϗ ἦν κατεφθαρμένη, ὅτι κατέφθειρεν πᾶσα σὰρξ τὴν ὁδὸν αὐτῆς. 15) οὐκ ἦν ἡ κτίσις, οἵαν ὑπέστησεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς· οὐκ ἦν τοῖς ἄστροις ὁ οὐρανὸς, ὡς τὸ πρὶν, ἄνευ τινὸς μιάσματος καταλαμπόμενος· οὐκ ἦν ἡ γῆ τοὺς καρποὺς ἀμολύντους, ὡς τὸ πρὶν, ἀναδιδοῦσα· οὐ θάλασσα, οὐκ ἄλλο τι τῶν ἐν τῇ κτίσει.

15) *Geneſ.* VI. 12.

ὁ γὰρ παραβάτης εἰσελθὼν ἐν αὐτῇ, κατεμίαινεν, ϗ ἀνεθόλωσεν ἅπαντα ταῖς βλασφημίαις, ταῖς θεομάχοις ϗ αἰσχραῖς φωναῖς, ταῖς μιαιφονίαις τὴν γῆν * τοῖς πειράταις ϗ λησταῖς τὴν θάλασσαν· τὰς πηγὰς ϗ ποταμοὺς ταῖς εἰδωλολατρείαις, νύμφαις, ϗ δαίμοσιν ἀνάπτοντες αὐτά· πᾶσα τοῖς ἀνθρώποις ἡ κτίσις εἰς θεοὺς ἀνεπλάττετο· οὐδὲν δὲ κτίσιν οὕτω μιαίνει ϗ κιβδηλεύει, ὡς τὸ θεοποιεῖσθαι αὐτήν. Εἰσῆλθεν ὁ Σωτὴρ τοῦ κόσμου διὰ σαρκὸς ἐν αὐτῇ, ϗ ταύτην τῶν μυρίων τούτων ἀπαλλάξας μιασμάτων ἀνεκαίνισεν πολὺ χαλεπωτέρων ἢ σωματικῆς διαφθορᾶς, ἐλευθερώσας αὐτὴν κακώσεων ϗ παθῶν ἀνακαινίζει διὰ τῆς πρώτης παρουσίας τὴν κτίσιν· ἵνα μάθῃς, ὅτι αὐτός ἐστιν, ὁ ϗ ἀπ' ἀρχῆς αὐτὴν δημιουργήσας· οὐ γὰρ ἄλλου μὲν κτίζειν, ἄλλου δὲ διαφθαρεῖσαν ἀνακαινίζειν· ἀλλὰ τῆς αὐτῆς ἑκάτερον σοφίας ϗ τέχνης, ἀνακαινίζειν τὴν κτίσιν κατὰ τὴν πρώτην ἐπιδημίαν, ἵνα μηδεμία σοὶ χώρα καταλειφθῇ ἀπιστίας, ὡς κατὰ τὴν δευτέραν παρουσίαν οὐ καινισθήσεται, ϗ σὺ πρὸ αὐτῆς εἰς ἀφθαρσίαν, εἰς ἀπάθειαν, εἰς ἄφατον καλλονήν. Εἰ γὰρ ὅτε ἦν ἑκὼν ἐν ἀσθενείᾳ σαρκὸς, ἐν ἱδρῶσιν, ἐν πάθεσιν 16) ὁ Χριστὸς, ὅ τε πλάνος ϗ Σαμαρίτης ἐσυκοφαντεῖτο, τὴν κτίσιν ἐκάθαρεν τῶν

turpibuſque & Deo adverſis vocibus, cædibus item terram, piratis & prædonibus mare, fontes & fluvios idololatriis, ad nymphas & dæmonas omnia referendo, turbabat. Tota creatura, ab hominibus in Deaſtros convertebatur. Nihil vero eſt, quod creaturam adeo polluat & adulteret, quam ſi Dei loco habeatur. Servator orbis per carnem ingreſſus eam (creaturam) eſt, eamque, infinita labe ſuâ, quæ omni corruptione corporea gravior eſt, liberatam, renovavit, multiſque calamitatibus & malis ereptam per primum ſuum adventum reſtituit; ut inde intelligas, ipſum illum eſſe, qui eam ab initio condidit. Neque enim alterius eſt condere, alterius vero corruptam renovare: ſed utrumque ejuſdem eſt ſapientiæ & artis; ut ſic creatura per priorem adventum renovetur, nec ullus incredulitati locus relinquatur, quaſi eadem in ſecundo adventu non ſit renovanda, & tu ipſe ante illam in incorruptibilitatem, indolentiam & pulchritudinem non transferri debeas. Quod ſi enim Chriſtus, dum in carnis infirmitate ſudoribus, & varii generis malis ſponte verſabatur, dum ſeductor & Samarita per calumniam vocabatur, creaturam a tot tantiſque, tamque diuturnis malis & impurita-

 tibus

16) Sic *Colb.* pro ἐμπαθέσιν. * τὴν γῆν addidi, ſenſu ita poſtulante.

tibus liberavit; nonne, ubi idem ut judex vivorum & mortuorum, ubi innumeris Angelorum ordinibus ſtipatus, ubi ut imperator & Dominus omnium advenerit, ubi omnia ſibi timebunt & trement, translatio ex corruptione in incorruptibilitatem, ut res omnium facillima, apparebit? Accedit, quod hinc conſequitur, Deoque inprimis dignum eſt, quod Prophetæ illum Servatoris adventum prænunciarunt, ne quis ſcilicet exiſtimet, quod, quemadmodum homines, alias, primis auſis & conatibus fruſtrati, alia via rem adgrediuntur; ita quoque Deus egerit. Ne quis, inquam, ita ſuſpicetur, Prophetæ jam olim adventum ejus prænunciarunt, ut ſic oſtenderent, Deum non per meditationem quandam & circumſpectionem id, quod prodeſſe poſſit, tandem detexiſſe, ſed ab initio potius omnia perſpexiſſe. Nos enim homines circumſpicimus omnia, & ubi primo exciderimus, novum facimus periculum: Deus autem non ita agit. Dedit ille potius Legem, Prophetas, & poſtea Evangelium, non cum tempore meliora poſtliminio edoctus, ſed ab initio intelligens, creaturam, & ſpeciatim hominem, non alia ratione vel condi, vel duci, aut incorruptibilitatis donum recipere poſſe,

τοσούτων καὶ τηλικούτων καὶ πολυχρονιωτάτων παθῶν καὶ μιασμάτων· ὅτ᾽ ἂν ὡς κριτὴς ζώντων παραγένηται καὶ νεκρῶν· ὅταν μυριάσιν ἀγγέλων δορυφορούμενος τάγμασιν, ὅταν πάντων δεσπόζων καὶ κύριος, ὅταν πάντα φρίσση καὶ τρέμη, 17) πῶς ἡ ἐκ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν μεταβολὴ οὐ τὸ ῥᾷστον ἔχουσα καθορᾶται; καὶ τὸ ἀκόλουθον, καὶ θεοπρεπὲς, ὅτι παραγίνεται ὁ σωτὴρ, προκηρυττόντων τῶν προφητῶν, ἵνα μήτις νομίσῃ, ὅτι καθ᾽ ὃν τρόπον ἄνθρωπος τῆς προτέρας διαμαρτὼν ἐπιβολῆς καὶ βοηθείας ἐπὶ δευτέραν ἔρχεται, οὕτω καὶ ὁ Θεός. Ἵνα οὖν μή τις ὑπονοήσῃ τοῦτο, ἄνωθεν προέλεγον οἱ προφῆται τὴν παρουσίαν αὐτοῦ· ἵνα δείξωσιν, ὅτι Θεὸς οὐ σκεπτόμενος εὑρίσκει τὸ συμφέρον, ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ἀρχῆς προΐδεν ἅπαντα. Ἡμεῖς μὲν γὰρ οἱ ἄνθρωποι σκεπτόμεθα, καὶ, ἐὰν ἀποτύχωμεν τῆς πρώτης πείρας, ἐφ᾽ ἑτέραν μεταβαίνομεν· ὁ δὲ Θεὸς οὐχ οὕτως· ἀλλ᾽ ἔδωκε νόμον, προφήτας, καὶ μετὰ ταῦτα τὸ εὐαγγέλιον, οὐ χρόνῳ τὸ συμφέρον μεταμαθὼν, ἀπ᾽ ἀρχῆς δὲ εἰδὼς, ὡς οὐχ οἷόν τε ἄλλως ἦν τὴν κτίσιν, καὶ τὸν ἐν αὐτῇ ἄνθρωπον οὔτε γενέσθαι, οὔτε παιδαγωγηθῆναι, οὔτε τὸ τῆς ἀφθαρσίας ἀξίωμα ἀναλαβεῖν· εἰ μὴ καθ᾽ ὃν τρόπον ἡ ἄφατος πρόνοια καὶ φιλ-

niſi

17) καὶ τρέμῃ, debeo *Colbertino*.

ἀνθρωπίᾳ ᾠκονόμησεν. Ὅτι φασὶν, εἰ προεῖδεν ἁμαρτήσειν τὸν Ἀδὰμ ὁ Θεὸς, τί καὶ προήγαγεν αὐτόν; καὶ πολλαὶ μέν εἰσι καὶ πάγκαλοι τοῦδε τοῦ ἀπορήματος ἐπιλύσεις. Λέγει δ' οὖν καὶ ὁ θεόσοφος Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος, ὅτι οὐ τοῦτο μόνον φημὶ, ὅτι προῄδει, ἀλλ' ὅτι καὶ πεσόντα ἀναστήσει αὐτὸν διὰ τῆς οἰκονομίας· καὶ οὐ πρῶτον εἶδεν τὴν πτῶσιν, εἰ μὴ προεπενόησεν τὴν ἀνάστασιν· ᾔδει, ὅτι πεσεῖται, ἀλλὰ προαπέθετο τῆς ἀναστάσεως φάρμακον, καὶ συνεχώρησεν εἰς πεῖραν ἐλθεῖν θανάτου τὸν ἄνθρωπον, ἵνα μάθῃ, τίνος μὲν ἀπολαύσει δι' ἑαυτόν· τίνος δὲ τῇ τοῦ πλάσαντος χάριτι· ᾔδει πεσούμενον τὸν Ἀδὰμ, ἀλλ' ἔβλεπεν ἐξ αὐτοῦ προελευσόμενον τὸν Ἄβελ, τὸν Ἐνὼς, τὸν Ἐνὼχ, τὸν Νῶε, τὸν Ἡλίαν, τοὺς προφήτας, τοὺς θαυμαστοὺς Ἀποστόλους, τὴν εὐγένειαν τῆς φύσεως, τὰ θεοκίνητα τῶν μαρτύρων καὶ στάζοντα τὴν εὐσέβειαν νέφη· ἔβλεπε ταῦτα, καὶ ποῦ ἦν καλὸν, ποῦ δὲ δίκαιον, ποῦ δὲ θεοπρεπὲς, ἵνα, διότι ἔμελλεν εἷς ἄνθρωπος ἁμαρτάνειν, τοῦτον μὴ ἀναγαγεῖν ἐκ μὴ ὄντων, καὶ τοσούτων ἀνδρῶν, ὧν οὐδὲ καθ' ἕνα ἄξιος ὁ κόσμος, φορὰν ἀνακόψαι, καὶ θερίσαι πρόρριζον τὴν τοσαύτην τοῦ γένους βλάστησιν καὶ καλλονὴν, καὶ κατ' αὐτῆς ἐπαφιέναι τὴν ἐκτομὴν καὶ ὀργὴν, καὶ τότε τοῦ τὴν ἁμαρτίαν ὕστερον ἑλομένου οὔτε ἁμαρτόντος, οὔτε ἁμαρτεῖν

niſi illa, quam ineffabilis ejus providentia & benevolentia diſpoſuit. Ajunt quidem nonnulli: Si Deus Adamum peccaturum eſſe prævidit, quare eum condidit? At multæ ſunt & præclaræ viæ, quibus objectum hoc diluatur. Ita *Joannes Chryſoſtomus*, divinioris doctrinæ gnariſſimus, ait: Non hoc ſolum dico, quod præviderit (lapſum) ſed quod etiam præviderit, ſe lapſum per œconomiam ſalutarem iterum excitaturum. Itaque non prius vidit lapſum, quam de excitatione cogitavit. Noverat, eum lapſurum, at excitationis remedium jam ante inſtruxerat: hominem experiundo diſcere mortem paſſus eſt, ut intelligeret, hinc, quid ſuo ſibi jumento, hinc, quid per conditoris gratiam ſibi ſit accerſiturus. Noverat, Adamum peccaturum, at prævidebat quoque, ex eodem prodituros eſſe Abelem, Enoſum, Enochum, Noam, Eliam, Prophetas, Apoſtolos admirandos, nobile illud genus, nec minus martyrum nubes, a Deo excitatas, & pietatem ſtillantes. Hæc prævidebat Numen. Pulchrum ne itaque, juſtumne, Deove dignum fuiſſet, ideo, quod unus homo peccaturus erat, eum ex nihilo non condere, & eadem opera tantorum virorum, quorum nec uno dignus eſt orbis, proventum prohibere,

bere, tam lætam pulchramque humani generis ſementem radicitus evellere, illique excidium & iram immittere, idque eo tempore, quo homo, qui poſtea peccato indulgebat, nec peccaverat, neque de patrando peccato, cum nondum exiſteret, cogitaverat? Si enim ſapientum eſt, ab eo, qui peccare quidem conatus eſt, neque tamen vere peccavit, peccati pœnas non repetere; quomodo Deum decuerit, eum, qui nec peccare tunc inſtituerat, peccantium pœnis ſubjicere? Inprimis cum, quamvis peccatum adeo grave eſſet; (nonne enim grave erat, præceptum Domini violare?) idem tamen medicinam ex ineffabili conditoris, hominem ad priſtinam ſuam dignitatem reducturi, benevolentia admitteret.

μεμελετηκότος, ἅτε μήπω μηδ᾽ ὑφεστῶτος; Εἰ γὰρ σωφρόνων ἐστὶν ἀνδρῶν, τὸ μελετήσαντα μὲν ἁμαρτῆσαι, μὴ ἁμαρτήσαντα δὲ, μὴ εἰσπράττειν εὐθύνας ἁμαρτημάτων· εἴ που γε ἂν εἴη Θεοῦ, τὸν, μηδὲ μελετήσαντα ἐξαμαρτῆσαι, τὰς τῶν ἡμαρτηκότων ἀπαιτεῖν δίκας, καὶ τότε χαλεποῦ μὲν ὄντος τοῦ ἁμαρτήματος, (πῶς γὰρ οὐ χαλεπὸν ἀθέτησις δεσποτικῆς ἐντολῆς;) οὐκ ἀνιάτου δὲ ἐσομένου τῇ ἀφάτῳ φιλανθρωπίᾳ τοῦ πλάσαντος, καὶ τοῦ πρωτοπλάστου, εἰς τὴν ἀρχαίαν ἐπανάγεσθαι μέλλοντοι εὐγένειαν· ὥστε εἰ μὴ προήκτο, διότι ἔμελλεν ἁμαρτεῖν ὁ ἀρχέγονος, ἐδείκνυτο ἂν τὸ Θεῖον, τὸν μὴ ἁμαρτάνοντα κολάζων, καὶ τῆς ὕστερον ἀνακλήσεως καὶ σωτηρίας ἀποστερῶν, καὶ τοσούτων ἀνδρῶν καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν ἔρημον τὴν κτίσιν ἀποφαίνων.

Quod ſi itaque conditus non fuiſſet ideo, quod primus ille homo peccaturus erat, Deus utique talis viſus eſſet, qui & hominem, peccati nondum reum, puniiſſet, & ſecutura revocatione ac ſalute privaret, creaturam denique tot & tam præclaris boniſque hominibus ſpoliaſſet.

QUÆST. CXCII.

Quid ſignificat, primogenitus omnis creaturæ?

Quando Paulus *primogenitum omnis creaturæ* appellat, (Dominum) hæretici, non recogitantes, de quali creatura loquatur, Filium inſipientes in creaturarum numerum detrudunt. Jam vero duplex eſt creatu-

ΕΡΩΤ. ΡϞΒ.

Τί ἐστι πρωτότοκος πάσης κτίσεως; 1)

Ὅτι τοῦ θείου Παύλου εἰπόντος, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, οἱ αἱρετικοί φησι, * μὴ νοήσαντες περὶ ποίας κτίσεως λέγει, εἰς κτίσμα τὸν υἱὸν οἱ ἀνόητοι καταβιβάζουσι· διττὴ δὲ ἡ κτί-

ræ

1) *Coloſſ.* I. 15. * In MS. φασὶ, quod tamen ob ſequens καταβιβάζουσι locum habere non poteſt. Itaque ſcripſi φησί. Fortaſſe *Chryſoſtomi* hæc ſunt.

σις· ἡ μὲν γὰρ ἐστιν ἡ γεγενημένη· ἡ δὲ ἡ ἀνακαινιζομένη. Αὐτὸς γὰρ Παῦλος βοᾷ· εἴτις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις· ἵνα δὲ λαμπρῶς ἀποδείξῃ, ὅτι τῆς ἀνακαινιοθείσης κτίσεως λέγει πρωτότοκον τὸν Χριστὸν, ἐπάγει· πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσι πρωτεύων. 2) πρωτεύων τῶν ἀνακαινιζομένων, τῶν εἰς ἀφθαρσίαν καλουμένων, τῶν ἐκ νεκρῶν ἐγειρομένων· πρωτεύων, οὐ κατὰ τὴν θεότητα· ἄπαγε· ὕβρις γὰρ Θεῷ, τὸ καλεῖσθαι πρῶτον τῶν κτισμάτων, ὃς ἀῤῥήτῳ λόγῳ ϗ ἀνεπινοήτῳ ὑπεροχῇ πάσης ὑπερήρτηται ϗ 3) ὑπερίδρυται φύσεως· ἀλλὰ πρωτεύει κατά γε τὴν ἀνθρωπότητα, ἀρχηγὸς ἡμῶν γεγονὼς τῆς ἀναστάσεως, ϗ τῆς ἐκ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν μεταστοιχειώσεως. Εἰ γὰρ ὁ 4) Ἠλίας τὸν υἱὸν τῆς χήρας ἤγειρε, ϗ Ἐλισσαῖος τὸν τῆς Σωμανίτιδος, ϗ αὐτὸς ὁ σωτὴρ τεταρταῖον τὸν Λάζαρον συνεξανέστησεν, ἀλλ᾽ οὐδεὶς αὐτῶν 5) εἰς ἀφθαρσίαν ϗ ἀθανασίαν ἐξανέστη· πάλιν γὰρ αὐτῶν 6) ὁ θάνατος ἐκυρίευσεν. Χριστὸς δὲ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν οὐκ ἔτι ἀποθνήσκει, θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει. 7) ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐκείνων, οὓς κατὰ τὴν δευτέραν αὐτοῦ πα-

ræ genus: alia eſt *condita;* alia *renovata.* Ipſe enim Paulus clamat: *ſi quis in Chriſto eſt, nova eſt creatura.* Ut vero clare oſtenderet, ſe Chriſtum primogenitum dicere, habito ad creaturam renovatam reſpectu, ſubjungit: *primogenitus ex mortuis, ut primatum inter omnes obtineat: primatum* ſcilicet inter eos, qui renovati ſunt, qui ad incorruptibilitatem vocati, qui ex mortuis excitati; *primatum tenet*, non ſecundum Deitatem; abſit hoc: injurium enim fuerit, Deum primum creaturarum vocari, qui ratione quadam ineffabili & prærogativa, intellectu non adſequenda, ſupra omnem naturam poſitus & evectus eſt. Sed primatum tenet ſecundum humanitatem, dux nobis factus ad reſurrectionem, & ad incorruptibilitatem ex corruptione conſequendam. Quamvis enim Elias viduæ filium excitavit, Eliſſæus vero illum Sunamitidis, Servator denique noſter Lazarum, per quatriduum mortuum, in vitam revocavit; nemo tamen eorum ad incorruptibilitatem & immortalitatem reſurrexit. Mors enim in illos iterum domina-

2) *Ibid.* v. 18.
3) ὑπερήρτηται καὶ, ex *Colbert.*
4) καὶ Ἠλίας, *Colb.*
5) *Idem* pro αὐτόν.
6) ita ſcribo pro αὐτόν.
7) *Rom.* VI. 9.

minata eſt. Chriſtus vero, poſtquam ex mortuis reſurrexit, non iterum moritur: mors in illum non amplius dominatur, ſicut nec in eos, quos in ſecundo adventu ſuo excitabit. O ſiniſtrum & inſipiens noſtrum judicium! Chriſtus venit ad nos: dedit nobis Spiritum ſuum: adſumſit vero corpus noſtrum: facta eſt permutatio: maſſam enim noſtram adſumtam evexit, & ad dextram Patris collocavit. Jam vero ingratus animus in beneficentiam hanc injurius eſt. Naturam ex nobis adſumſit, & a dextris Patris collocavit: nos ab illo accepimus Spiritum; & vel ſic injuria afficimus, inter creaturas & ſervos illum numerantes.

ῥεσίαν ἀναϛήσει· ὢ κακῆς ϗ ἄφρονος ἡμῶν γνώμης! ἦλθεν ὁ Χριϛὸς πρὸς ἡμᾶς, ἔδωκεν ἡμῖν τὸ αὐτοῦ πνεῦμα, 8) ϗ ἀνέλαβεν τὸ ἡμέτερον σῶμα, καὶ τὸ συνάλλαγμα προῆλθεν· καὶ λαβὼν ἡμῶν τὸ φύραμα ἀνύψωσεν αὐτὸ, ϗ ἐκάθησεν ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός· καὶ ἡ ἀγνωμοσύνη τὴν εὐεργεσίαν ὑβρίζει: ἐλάβομεν ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ ὑβρίζομεν ἐν κτίσμασι ϗ δούλοις αὐτὸ καταλέγοντες.

QUÆST. CXCIII.

Quid eſt δέησις & προσευχή? 1)

Δέησις, inquit, dicitur, quando quis Deum ad res ſuas perficiendas advocat: προσευχὴ, quando Deum laudat: εὐχαριϛία, quando pro acceptis beneficiis gratias Deo agit: ἐντυχία vero, quando quis adverſus injurios Deum interpellat, eumque ad ultionem ſumendam excitat. Quod vero, inquit, ἐντυγχάνειν, non idem ſit, quod ἱκετεύειν, ſed idem potius, quod *interrogare*, & *reſponſum accipere*, apparet ex eo, quod Deus ad Eliam ait: *quid tu hic agis, Elia?*

ΕΡΩΤ. ΡϚΓ.

Τί ἐϛι δέησις ϗ προσευχή;

Ὅτι, φησὶ, 2) δέησις μὲν λέγεται, ὅταν τις τὸν Θεὸν ἀξιοῖ εἰς πρᾶγμα· προσευχὴ δὲ, ὅταν ὑμνῇ τὸν Θεόν· εὐχαριϛία δὲ, ὅταν τις ὑπὲρ ὧν ἔπαθεν, χάριν ἀνθομολογῇ τῷ Θεῷ· ἐντυχία δὲ, ὅταν τις κατὰ τῶν ἀδικούντων ἐντυγχάνῃ τῷ Θεῷ προσκαλούμενος 3) αὐτὸν εἰς ἐκδίκησιν. Ὅτι δὲ τὸ ἐντυγχάνειν οὐκ ἔϛι, φησὶν, ἱκετεύειν, ἀλλ' ἐρωτᾷν, ϗ ἀπόκρισιν δέχεσθαι, λέγει ὁ Θεὸς πρὸς τὸν Ἡλίαν· τί σὺ ἐνταῦθα, Ἡλία; ἀποκρίνεται ἐρωτηθεὶς ὁ προφήτης· ζηλῶν

8) Fortaſſe legendum eſt αὐτὸν, ut ad Chriſtum referatur, quando nunc ad πνεῦμα, proxime antecedens, ſpectat.

1) 1 *Tim.* II. 1.

2) *Chryſoſtomi* hæc ſunt quem noſter mox appellat. Apud eum tamen illa ad h.l. non invenio.

3) *Colb.* pro προκαλούμενος. *Idem* mox ἔτι pro ἐϛὶ, male.

Digitized by Google

ἐζήλωκα Κυρίῳ παντοκράτορι, ὅτι ἐγκατέλιπόν σε υἱοὶ Ἰσραήλ, κ. ἑξῆς. 4) Καὶ οὐκ ἔστιν ἐνταῦθα δέησις, ἀλλ᾽ ἐρώτησις, καὶ ἀπόκρισις· καὶ γίγονεν τὸ ἐξ ἀμφοῖν ἔντευξις. Καὶ πόθεν δῆλον; Παύλου λέγοντ☉ ἄκουσον· οὐκ ἀνέγνωτε ἐν Ἡλίᾳ, τῷ προφήτῃ, τί λέγει ἡ γραφὴ, ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ, κατὰ τοῦ Ἰσραήλ. 5) οὐκοῦν ἐντυχία οὐκ ἔστι δέησις· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὁ Χρυσόστομ☉. Δεῖ δ᾽ ἂν ἔτι λεπτομερέστερον τὰς διαφορὰς τῶν εἰρημένων ὀνομάτων ἐπισκέψασθαι, καὶ ἐπιθεωρῆσαι, ὅτι μὴ τῷ πλήθει μόνον ἱκανὰ εἶναι λέγεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς δεινότερον διακωδωνίζειν ταῦτα βουλομένοις ἀνάλωτα καὶ ἀνεπηρέαστα διαμένειν.

Elia ? Heic interrogatus Propheta reſpondet : *zelo zelatus ſum propter Dominum omnipotentem, quia te deſeruerunt filii Iſraël*, &c. Hoc loco non eſt δέησις (*precatio*) ſed *interrogatio*, & *reſponſio*. Ex utroque autem naſcitur ἔντευξις. Unde vero hoc manifeſtum eſt ? Audi *Paulum* ita loquentem : *Nonne legiſtis apud Eliam Prophetam, quod dicit Scriptura, quod interpellarit Deum contra Iſraëlem ?* Itaque ἐντυχία non idem eſt, quod δέησις. Atque hæc quidem habet *Chryſoſtomus*. Juvat vero accuratius in harum vocum differentiam inquirere, ac ſimul oſtendere, quod non ſolum copia ſua dicendæ ſint ſufficere, ſed etiam illis, qui eas ſolertius excutere voluerint, intemeratæ & ſalvæ appareant.

ΕΡΩΤ. ΡϞΔ.

Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον· δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ, κ. ἑξῆς. 1)

Ὅτι φησὶν ὁ Παῦλ☉, οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον· δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται. Πῶς οὖν δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται; πῶς; 2) ἐπειδὴ ὁ πρῶτ☉ νόμ☉ Ἰουδαίοις μόνοις ἐδέδοτο· καὶ 3)

QUÆST. CXCIV.

Neque enim pudet me Evangelii : Juſtitia enim Dei &c.

Paulus ait : *non pudet me Evangelii : juſtitia enim Dei in illo revelatur.* Quomodo vero juſtitia Dei in illo revelatur? quomodo, inquam? In eo, quod Lex prima Judæis ſolis data eſt, non autem ceteris hominibus, eundem alioquin conditorem

Hhh hh eandem-

4) 1 *Regg.* XIX. 9. ſq.
5) *Rom.* XI. 2.
1) *Rom.* I. 16. 17.
2) πῶς οὖν – πῶς; ſunt ex *Colbert.*
3) οὐ *Colb.* male omittit. Memineris quoque heic ſubintelligendum eſſe τοῖς, hoc ſenſu: καὶ οὐ τοῖς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων.

eandemque naturam habentibus: contra Evangelium omnibus eodem genere ortis æqualiter competit. In illo vero juſtitia Dei revelatur, idemque juſtitiæ evangelium vocatur. In Veteri itaque Teſtamento vocatio non erat juſta: neque enim omnes pariter vocabat aut illuminabat; ſed Judæos ſolos. Itaque non erat juſta, ſed œconomica, quæque viam juſtitiæ muniret. Abſit, ut hanc juſtam, illam vero injuſtam, appellem. Imo vero hanc viam & præparationem ad iſtam eſſe ſuſpicantes Judæi, putabant, & Evangelium ſibi, etiam ſolis, ſicut olim legem, datum iri. Præter ſpem vero exſpectatio hæc aliter cecidit. Propterea & David ait: *exſpectavimus, ô Deus, miſericordiam tuam in medio populi tui.* Et mox: *prout nomen tuum eſt, Deus, ita etiam gloria tua:* non ſolum in medio populi tui, ſed & ſuper omnes fines terræ. Oſtenſurus autem, juſtitiæ eſſe, omnium terræ finium miſereri, addit: *dextra tua plena eſt juſtitia; Dominus regnavit.* Quomodo vero dicitur: *regnavit Deus?* Nonne ideo, quod regiam illam dignitatem recens accepit? Si enim

οὐ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, τῆς αὐτῆς ὑπαρχόντων δημιουργίας καὶ φύσεως, τὸ δὲ εὐαγγέλιον πᾶσιν ὁμοτίμως τοῖς ὁμοφυέσιν εἰκότως· ἐν αὐτῷ δικαιοσύνη Θεοῦ ἀποκαλύπτεται 4) καὶ καλεῖται δικαιοσύνης εὐαγγέλιον. Ἐν τοίνυν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ οὐκ ἦν ἡ κλῆσις δικαία· οὐ γὰρ ὁμοίως πάντας ἐκάλει, καὶ ἐφώτιζεν· τοῖς Ἰουδαίοις δὲ μόνοις. 5) οὐκ ἦν οὖν δικαία, ἀλλ' οἰκονομικὴ, προπαρασκευάζουσα ὁδὸν τῇ δικαιοσύνῃ· οὐ λέγω ταύτην δικαίαν, κἀκείνην ἄδικον. ἀλλ' ἐκείνην ὁδὸν ταύτης καὶ προκατασκευὴν ταύτης ὑπελάμβανον οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι καὶ τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῖς δοθήσεται καὶ μόνοις, ὥσπερ καὶ ὁ νόμος· ἐξέβη δὲ παρ' ἐλπίδας ἡ προσδοκία· διὸ καὶ Δαβὶδ λέγει· 6) ὑπελάβομεν, ὁ Θεὸς, τὸ ἔλεός σου ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ σου· εἶτα, κατὰ τὸ ὄνομά σου ὁ Θεὸς, οὕτω καὶ ἡ αἴνεσίς σου· οὐχὶ ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ σου μόνου, ἀλλ' ἐπὶ τὰ πέρατα τῆς γῆς· καὶ ἵνα δείξῃ, ὅτι τὸ ἐλεῆσαι τὰ πέρατα τῆς γῆς δικαιοσύνης ἐστὶν, ἐπάγει· δικαιοσύνης πλήρης ἡ δεξιά σου. ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν· 7) πῶς ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν; ἆρ' ὡς πρόσφατον λαβὼν τὸ τῆς βασιλείας ἀξίωμα; εἰ μὲν γὰρ εἶπεν· ὁ Κύριος βασιλεύει, τὴν ἀΐδιον αὐτοῦ ἑρμη-

dixiſſet:

4) ἀποκαλύπτεται debeo *Colbertino.*

5) Legendum fuerit, τοὺς Ἰουδαίους δὲ μόνους, ſc. ἐκάλει, niſi ex ſuperioribus repetere velis ἐδίδοτο.

6) Pſal. XLVII. 9.

7) Pſal. XCII. 1. XCV. 9. XCVI. 1. & XCVIII. 1.

νευεν ἐξουσίαν. Εἰπὼν δὲ, ἐβασίλευσεν, τὴν διὰ σαρκὸς αὐτοῦ οἰκονομίαν λέγει, δἰ ἧς ἡ φύσις ἡμῶν τὴν ἐπικράτειαν τοῦ διαβόλου τῆς ἁμαρτίας τοῦ θανάτου ἀποσεισαμένη ἐπέγνω πλάστην τὸν ὡς ἀληθῶς βασιλέα, τὸν χορηγὸν τῆς ἀφθαρσίας 8) τῆς ἀναστάσεως. Εὐαγγελίζεται τοίνυν ὁ Δαβὶδ τοῖς ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας, ὑπὸ 9) τοῦ θανάτου, ὑπὸ τοῦ διαβόλου πάλαι βασιλευομένοις, ὅτι ὁ ζυγὸς ἐκεῖνος συντέτριπται, τὸ κράτος λέλυται, ϗ βασιλεύει πάντων ὁ Κύριος, ὡς ϗ αὐτὸς μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἔφη· ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ ϗ ἐπὶ γῆς. 10) πρὶν δὲ ἐβασίλευσεν ἡμῶν ὁ θάνατος καὶ ἡ ἁμαρτία· ἐβασίλευσε γὰρ ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως, 11) ϗ ἑξῆς· καὶ ὁ σωτὴρ περὶ τοῦ διαβόλου· ϗ εἰ ὁ Σατανᾶς τὸν Σατανᾶν ἐκβάλλει, ἐμερίσθη ἡ βασιλεία αὐτοῦ. 12) ὥστε ἐβασίλευσεν πρὸ τῆς ἐπιδημίας τοῦ Χριστοῦ τοῦ γένους ἡμῶν ὁ Σατανᾶς, ἀλλὰ ϗ ἡ ἁμαρτία. Λέγει γὰρ πάλιν ὁ Παῦλος· ὥσπερ γὰρ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ἡμῶν σώματι, οὕτω ϗ ἡ χάρις βασιλεύει διὰ Χριστοῦ. 13) ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν· πέπαυται τῆς ἁμαρτίας τὸ κράτος, τοῦ θανάτου, τοῦ διαβόλου· οὐκοῦν

8) Suſpicor excidiſſe *καὶ*.
9) *ὑπὸ* addidi ex *Colbert.*
10) *Matth.* XXVIII. 18.
11) *Rom.* V. 14.
12) *Matth.* XII. 26.
13) *Rom.* V. 21.

dixiſſet: *Dominus regnat;* æternum ejus dominium indicaſſet. Quando vero ait: *regnavit;* illa, quæ ab eo in carne geſta ſunt, indicat, quibus factum eſt, ut natura noſtra, Diaboli, peccati mortiſque imperium amolita, conditorem ſuum, verum illum Regem, ut ducem reſurrectionis & incorruptibilitatis agnoſceret. David igitur illis, in quos mors & diabolus olim dominatus erat, lætum hunc nuncium adfert, quod jugum illud fractum ſit, poteſtas abolita, & Dominus omnibus imperet, quemadmodum & ipſe poſt reſurrectionem dicit: *data mihi eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.* Antea vero mors & peccatum nobis dominabatur. *Mors enim dominata eſt ab Adamo ad Moſen,* &c. Servator vero de Diabolo ait: *&, ſi Satanas Satanam expellit, regnum ejus diviſum eſt.* Itaque ante adventum Chriſti genti noſtræ dominatus eſt Satanas, imo & peccatum. Paulus enim iterum ait: ſicut enim peccatum regnavit in mortali noſtro corpore, ita etiam gratia regnat per Chriſtum. *Dominus regnavit;* deſiit peccati, mortis, Diaboli robur. Itaque *exſultet terra,* natura terrena,

 olim

olim erroribus jactata, jam vero glorificata, olim ſepulta, nunc in throno collocata. Pleraque, ait, Veteris Teſtamenti per œconomiam quandam agebantur, Deo vero non per ſe placebant, aut voluntati ejus præcipuæ ſatis faciebant. Typi & umbræ erant futurorum, non res ipſæ. Itaque in illis alias figuras; alia vero ſenſa conſpicere licet. Ita Deus non penitus acquieſcit in hyacintho, aut purpura, aut cocco, aut byſſo. Deus enim animarum puritatem requirit, non corporum florem aut ſplendorem; illis vero, quæ in corpore ſplendent, virtutum imaginem exprimit. Quod ſi enim ſtolis illis vere delectaretur, quare Moſen non præ Aarone induit, ſed, quam ille veſtem non adhibuit, ea Sacerdotes ornavit? Et Moſes quidem nec lotus aqua eſt, nec lavit alios. Cur ita? Ut exinde diſceres, talia non eſſe apud Deum præcipua, perfectoque homini ad ornatum ſufficere virtutem, iſta denique omnia virtutes adumbraſſe quidem, ſed non ipſam fuiſſe virtutem. Sic, ait, Sacerdos ſummus capite geſtabat tiaram, quoniam eum, qui omnibus inſtar capitis eſſet præfectus,

ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, ἡ φύσις ἡ γηγενὴς, ἡ ποτὲ πλανωμένη, νῦν δὲ δοξαζομένη, ἡ ποτὲ ἐν τάφοις, νῦν ἐν θρόνοις· ὅτι φησιν, οἰκονομίας ἦν τὰ πλεῖστα τῶν ἐν τῇ παλαιᾷ, ἀλλ᾽ οὐκ ἀρεσκείας Θεοῦ καὶ προηγουμένης εὐδοκίας· καὶ τύποι τῶν μελλόντων καὶ σκιαί· ἀλλ᾽ οὐκ αὐτὰ 14) τὰ πράγματα. Καὶ ἔστιν ἰδεῖν ἐπ᾽ αὐτῶν ἄλλα μὲν τὰ σχήματα, ἄλλα δὲ τὰ νοήματα· οἷον πάντως Θεὸς οὐκ * ἀναπαύεται ὑακίνθῳ καὶ πορφύρᾳ, καὶ κόκκῳ, καὶ βύσσῳ. Θεὸς γὰρ ψυχῶν ἀπαιτεῖ καθαρότητα, οὐ σωμάτων ἄνθη, καὶ λαμπρότητα, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς σωματικαῖς φαιδρότησι τὴν εἰκόνα τῶν ἀρετῶν διαγράφει. Εἰ γὰρ ταῖς στολαῖς ἐκείναις ὡς ἀληθῶς ἀνεπαύετο, πῶς τὸν Μοϋσῆν πρὸ τοῦ Ἀαρὼν οὐκ ἐνέδυσεν· ἀλλ᾽ ἣν ἐκεῖνος οὐκ ἐνεδύσατο, ταύτην τοὺς ἱερέας ἠμφίασεν; καὶ Μωσῆς μὲν οὐκ ἐλούσθη ὕδατι καὶ ἔλουεν· διὰ τί; ἵνα μάθῃς, 15) ὅτι οὐκ ἦν ταῦτα προηγούμενα τῷ Θεῷ, ὅτι τῷ τελείῳ πρὸς κόσμον ἀρκεῖ ἡ ἀρετὴ, 16) καὶ ὅτι ταῦτα τύπος ἦν ἀρετῆς ἀλλ᾽ οὐκ ἀρετή. Ὅτι ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, φησιν, ἔφερεν ὁ ἀρχιερεὺς τιάραν, διότι τὸν προχειριζόμενον ἁπάντων κεφαλὴν κατὰ κεφαλῆς ἔχειν τὴν ἐξουσίαν 17) ἔδει, καὶ εἰδέναι, ὅτι

14) Sic *Colb.* pro οὐ - κατά. * οὐκ addidi, quod ſenſus poſtulat.
15) Idem pro μὴ θείς.
16) Ita ſcribo pro, ἡ ἀρετή.
17) Phraſi utitur Paulina 1 *Cor.* XI. 10.

κεφαλῆ τῶν ἄλλων προβαλλόμενος καὶ αὐτὸς ὑπὸ κεφαλήν ἐστι τὸν κοινὸν ἁπάντων δεσπότην καὶ ἐξουσιαστήν· ἀπολελυμένη γὰρ αὐθεντεία καὶ αὐτόνομος αἰφόρητος 18) ἐστιν καὶ χαλεπή· διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῇ χάριτι οἱ ἀρχιερατεύειν τελούμενοι, τὸ εὐαγγέλιον ἐπὶ κεφαλῆς δέχονται, ἵνα μάθῃ ὁ χειροτονούμενος, ὅτι τὴν ἀληθινὴν τοῦ εὐαγγελίου τιάραν λαμβάνει, καὶ ὅτι, εἰ καὶ τῶν ἄλλων ἱερουργεῖται κεφαλῆ, 19) ἀλλ' οὖν καὶ αὐτὸς ὑπὸ τούτους 20) τελεῖται τοὺς νόμους, καὶ τῶν ἄλλων κρατῶν κρατεῖται τῷ νόμῳ· ἀλλ' ἡ μὲν τιάρα τὴν ἐξουσίαν ἐτύπου, ἥν τε αὐτὸς εἶχεν τοῦ λαοῦ, καὶ ὑφ' ἣν αὐτὸς ἀνεφέρετο τοῦ Θεοῦ· τὸ δὲ πέταλον τὸ χρυσοῦν, ἐν ᾧ τὸ ὄνομα ἐκεκόλαπτο τοῦ Θεοῦ, ἐπέκειτο μὲν τῷ στήθει, φυλακῆς δ' ἐπεῖχε τύπον τῶν ἐν καρδίᾳ κινημάτων· καὶ ὡς δεῖ ταῦτα καταῤῥυθμίζειν 21) τῇ πρὸς τὸ θεῖον νεύσει καὶ ἀναφορᾷ· ἐπὶ δὲ τῶν ὤμων σμαράγδου λίθοι δύο, ἔχοντες τὰς ἓξ φυλὰς ἐντεῦθεν, καὶ τὰς ἓξ ἐντεῦθεν. οὗτοι δὲ σύμβολον ἦσαν τῆς ὄψεως τῆς ἀρχιερατικῆς· ἔχει γὰρ ἡ τοῦ σμαράγδου ψῆφος καὶ χλωρότητα εὐπρεπῆ, καὶ καθαρότητα διαυγῆ, κατόπτρου δύναμιν ὑποφαίνουσα. Καὶ γὰρ δεῖ τὸν ἱερέα καὶ ἀσκήσει νήφειν, καὶ τὸν βίον τοῖς

fectus, ſuper capite poteſtatem habere oportebat, atque inde colligere, quod, quamvis capite ceteris emineat, ipſe tamen ſub capite, communi ſcilicet omnium Domino & imperatore, ſit conſtitutus. Imperium enim penitus liberum & legibus ſolutum grave eſt, & ferri vix poteſt. Propterea & in Novo Teſtamento illi, qui Sacerdotio ſummo inaugurantur, Evangelii librum capiti impoſitum habent, ut officio huic initiatus intelligat, ſe veram Evangelii tiaram accepiſſe, ſeque, etiamſi aliorum caput ſacro ritu ſit conſtitutus, vel ſic tamen legibus iisdem ſubjectum eſſe, aliisque imperantem legis imperio teneri. Itaque tiara illa poteſtatem ſignificabat, tum, quam in populum habebat, tum, cui ipſe adverſus Deum erat ſubjectus. Porro bractea aurea, cui Dei nomen erat inſculptum, pectori incumbebat, eademque opera ſignificabat, cordis adfectus probe obſervandos, eosdemque ad Summi Numinis nutum eſſe accommodandos. In humeris præterea ſmaragdi duo, ſex tribuum nomina hinc, illinc vero totidem expreſſa habentes. Illi vero ſymbolum erant pulchritudinis ſeu formæ

18) Sic ſcribo pro ἀφόριστος.

19) Malim κεφαλή.

20) *Colb.* pro ὑπὸ αὐτούς.

21) Sic ſcribo pro καθαριθμήζειν, niſi ſcribi malis καταῤῥυθμῆσαι.

Sacerdotem decentis. Smaragdus enim, lapis viriditate decora & pellucida puritate inſtructus, ſpeculi facultatem ſubindicat. Sacerdotem enim virtutum exercitio vigilare, vitamque ſuam illis, qui ſibi ſunt ſubjecti, inſtar ſpeculi repræſentare oportet. In humero vero hærebat ſmaragdus, quoniam actionis erat indicium. Agendi enim facultas ex legibus pendet. Propterea etiam Deus ad Jeruſalem inquit: *cor tuum humeris tuis impone, honoratiſſima filia, quia Dominus te in ſalutem creavit.* Nam & manus & humeros de actionibus accipit Scriptura, quando v. c. de Davide ait: *& in prudentia manuum ſuarum duxit eos.* Oraculo porro illi, quod pectori erat aptatum, duodecim lapides infixi erant, qui duodecim tribus ſignificabant. Hic velim obſerves, ſupra quidem & in humeris unum omnino lapidem, ſmaragdum ſcilicet; infra autem & in pectore duodecim fuiſſe. Hoc vero ſubinnuit, nos omnes olim quidem eodem genere ortos eſſe, procedente vero tempore in diverſa ſtudia ſciſſos. Itaque aliud ſtudio noſtro, aliud naturæ fertur acceptum. Sub fimbria Sacerdotis conſpiciebatur margo, λῶμα dictus, ex quo flores mali punici,

ὑπ' αὐτὸν ὥσπερ κάτοπτρον παρέχειν· ἐπὶ τὸν ὦμον δὲ ὁ σμάραγδος, ἐπειδὴ πράξεώς ἐστιν σημεῖον· ἡ γὰρ πρακτικὴ δύναμις τῶν νόμων ἤρτηται· διὸ καὶ ὁ Θεὸς πρὸς τὴν Ἱερουσαλὴμ λέγει. 22) θὲς τὴν καρδίαν σου ἐπὶ τῶν ὤμων σου, θύγατερ ἡ τιμωμένη, ὅτι Κύριος κτίζει σε εἰς σωτηρίαν· καὶ γὰρ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς ὤμους εἰς πράξεις ἡ γραφὴ λαμβάνει, ὡς ὅταν λέγει περὶ τοῦ Δαβίδ 23) καὶ ἐν ταῖς συνέσεσι τῶν χειρῶν αὐτοῦ ὡδήγησεν αὐτούς. Ἐνῆσαν δὲ τῷ λογίῳ, τῷ ἐπὶ τοῦ στήθους καὶ οἱ δώδεκα λίθοι ἐνηρμοσμένοι, τὰς δώδεκα φυλὰς ὑποδηλοῦντες. Καὶ ὅρα· ἄνω μὲν, καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων μία ἦν φύσις τῶν λίθων ὁ σμάραγδος, κάτω δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ στήθους οἱ δώδεκα· αἰνιττομένου τοῦ λόγου, ὅτι ἄνωθεν μὲν ἅπαντες ἐκ μιᾶς προήλθομεν φύσεως· προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου διαφόροις γνώμαις ἐμερίσθημεν· 24) καὶ τὸ μὲν δίδωσι τῇ γνώμῃ, τὸ δὲ τῇ φύσει· ὑπὸ δὲ κράσπεδον τοῦ ἱερέως, τὸ λεγόμενον λῶμα, ἄνθη ῥόας καὶ ῥοΐσκοι, καὶ κώδωνες ἀπῃώρηντο· καὶ πῶς ἂν εἴη Θεῷ ταῦτα κατὰ πρῶτον λόγον ἀρέσκοντα; ἀλλ' ἐν τῷ σχήματι τοῦ ἱερέως ἐφῆκεν ἐξεικονίζεσθαι τὰς ἀρετάς· κάτω ἄνθη καὶ καρποὶ τὰ τῶν

22) *Jerem.* XXXI. 22. ubi tamen hodie apud τοὺς LXX. legitur δὸς pro θές.
23) *Pſalm* LXXVII. 78.
24) Ita ſcripſi pro ἐμερίσθησαν, pendet enim ab antecedente προήλθομεν.

ἀρετῶν κατορθώματα, ἅτινα ἐϛιν ἐλεημοσύνη ϗ δικαιοσύνη ϗ φιλανθρωπία, ϗ τῶν ἄλλων ὁ σύϛοιχος χορός.

ci, mala punica aurea & tintinnabula pendebant. Quomodo vero hæc Deo per ſe & ratione præcipui conſilii ſui placere poterant? Imo vero ipſo hoc Sacerdotis habitu virtutes depingi faciebat. Qui infra erant flores & fructus, præclaras quasque virtutes, quales ſunt eleemoſyna, juſtitia, humanitas, & reliquarum illis ſimilium coronam repræſentabant.

Ὅτι, 25) φησὶν, μὴ μετάβαλλε ῥήματα Θεοῦ ζῶντος· εἰς πατέρα ϗ υἱὸν ϗ ἅγιον Πνεῦμα ἐβαπτίσθης· τί ἀναιρεῖς 26) τὰ ὀνόματα τὰ ζῶντα ϗ εἰσάγεις ὀνόματα λογισμῶν, γέννημα λέγων, ϗ ἀγέννητον, ϗ γεννητὸν, ὂν ἀεὶ, ϗ μὴ ὂν ἀεί. Τούτων ἀνέχεται Θεὸς, τῶν ματαίων ῥημάτων; ἓν ῥῆμα, ἵνα μεταβάλλῃ προφήτας, ποτὲ ἐκινδύνευσεν ἀπολέσθαι· καὶ βλέπε ῥήματος μικροῦ ἀκριβολογίαν· τὰ ῥήματα τῶν προφητῶν τινες ἐκάλουν ὑπὸ ἀπειρίας * λῆμμα Κυρίου· λέγει ὁ Θεὸς διὰ Ἱερεμίου. 27) ἐὰν ἐρωτήσει σε ὁ λαὸς, ἢ ὁ ἱερεὺς, ἢ ὁ προφήτης, ϗ εἴποι σοι, τί τὸ λῆμμα; εἰπὲ αὐτοῖς, ὅτι τὸ λῆμμα Κυρίου ὑμεῖς ἐϛε, λήψομαι γὰρ ὑμᾶς λῆμμα, ϗ ῥάξω ὑμᾶς, ἵνα μὴ λέγηται λῆμμα· ἓν ῥῆμα ἵνα μὴ μεταποιηθῇ ἀπειλεῖ ὁ Θεός· καὶ σὺ ὁλόκληρον δογμάτων ἀκρίβειαν διαϛρέφων νομίζεις διαφυγεῖν τὰς τοῦ Θεοῦ χεῖρας;

Ne immutes, inquit, verba Dei viventis. In Patrem, Filium & Spiritum S. baptiſatus es. Quare nomina viva tollis, & nomina cogitationum tuarum invehis, progeniem, & ingenitum & genitum, ſemper exiſtens, & non ſemper exiſtens appellando? Num vana ejusmodi verba tolerabit Deus? Periculum olim erat, ne unum verbum ad pervertendos Prophetas periret. Vide vero, quantopere voculæ parvæ ratio habeatur. Prophetarum verba nonnulli ex imprudentia λῆμμα Domini vocabant: 27) Si te interrogaverit populus, aut Sacerdos, aut Propheta, & dixerit, *quid ſibi vult* λῆμμα? dic illis, vos eſtis λῆμμα Domini: vos enim inſtar λήμματος arripiam, & confringam vos, ne dicatis amplius λῆμμα. Ibi Deus minas fecit, ne una vox mutetur: tu vero, qui univerſam rectamque doctrinarum ſeriem pervertis, manus Dei effugere te poſſe opinaris?

QUÆST.

25) Quæ ſequuntur, ea quomodo huc quadrent, non admodum video.

26) *Colb.* pro ἂν ἱερεῖς. * Sic ſcribo pro ἀπηρίας. Niſi malis ἱπηρίας.

27) *Jer.* XXIII. 33. In Codice male: Ἠσαΐου.

QUÆST. CXCVI.

In oraculum illud: Si quis eſt in Chriſto, nova eſt creatura; vetera tranſierunt; ecce, nova facta ſunt, omnia.

Gentiles & Judaizantes dicunt: quid gloriatur Paulus dicens? *vetera tranſierunt: ecce, omnia facta ſunt nova: ſi quis in Chriſto eſt, nova eſt creatura.* Ego enim, inquit, nihil novi video. Nonne vero habes oculos, ut ea perſpicere poſſis? Adeſdum, & faciam tibi oculos, ut videas. Tune vero oculos das? Imo vero. Tune conditor es? Utique. Nonne mente captus es? neutiquam. Oculosne itaque corporis facis? Non ſane, ſed, quod plus valet, mentis. Itaque & mihi oculos paras? vel maxime. Nonne vero eos habeo? Minime. Sed tu habes? Utique. Dic quæſo, quomodo? Quod ſi tu templum ingreſſus nudum ibi ſimulacrum, & mutum lapidem videas, dicaſque: hic eſt Deus; num oculos tunc habes? Neque enim externi oculi quicquam proſunt, quando internis captus es. Vides itaque neceſſe eſſe, ut oculos tibi parem, quo lapidem videas eſſe lapidem, & lignum

ΕΡΩΤ. ΡϞϚ.

Εἰς τὸ ῥητόν· 1) εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα. 2)

Ὅτι, φασὶν οἱ Ἑλληνισταὶ, καὶ τὸ ἰουδαΐζον· τί κομπάζει Παῦλος λέγων· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε, ἰδοὺ, γέγονε τὰ πάντα καινά· εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις· ἐγὼ γάρ, φησι, καινὸν οὐδὲν βλέπω· οὐ γὰρ ἔχεις ὀφθαλμοὺς, ἵνα ἴδῃς ταῦτα. δεῦρο, καὶ ποιήσω σοι ὀφθαλμοὺς, καὶ ὁράσεις. 3) καὶ σὺ ποιεῖς ὀφθαλμοὺς; ναί· καὶ δημιουργὸς εἶ; καὶ πάνυ· σὺ ἀπονενόησαι; οὐχί· οὐκοῦν ποιεῖς 4) ὀφθαλμοὺς τοῦ σώματος; οὔ· ἀλλὰ τὸ μεῖζον τῆς διανοίας· καὶ ποιεῖς μοι ὀφθαλμούς; μάλιστα. Οὐ γὰρ ἔχω; οὐχί· σὺ δὲ ἔχεις; ναί· πῶς; εἰπέ μοι· ὅταν ἀπέλθῃς εἰς ναὸν, καὶ ἴδῃς ἐκεῖ ξόανον γυμνὸν, λίθον ἄφωνον, καὶ εἴπῃς· οὗτος ὁ Θεός ἐστιν· ἆρα ὀφθαλμοὺς ἔχεις; μὴ γὰρ ὀφελός τι τῶν ἔξωθεν ὀφθαλμῶν τῶν ἔνδον πεπηρωμένων· ὁρᾷς, ὅτι χρείαν ἔχεις, ἵνα ποιήσω σοι ὀφθαλμοὺς, ὥστε τὸν λίθον σε ἰδεῖν λίθον, καὶ τὸ ξύλον, ξύλον· ὀφθαλμοὺς ἔχεις, ὅταν ἴδῃς ξύλον, καὶ προσκυνήσῃς· καὶ λαβὼν ἐγὼ αὐτὸ καύσω, ἆρα ἔχεις ὀφθαλμοὺς τὸ

1) εἰς τὸ ῥητὸν, accepi ex *Colb.*
2) 2 *Cor.* V. 17.
3) *Colb.* καὶ ὁρᾷς.
4) *idem*, ποίησον.

καιόμενον Θεὸν ὀνομάζων; ὅταν τὰ πάθη θεοποιεῖς, ὀφθαλμοὺς ἔχεις; μεθύει ὁ ἄνθρωπος, καὶ περιφέρεται, καὶ καταγελᾶται· καὶ γίνεται ἀντὶ τοῦ ἀνθρώπου ἄλογος. σὺ δὲ λέγεις· ἡ μέθη θεὸς, ὁ Διόνυσος· ἡ κλοπὴ θεὸς, ὁ Ἑρμῆς· ὁρᾷς, ὅτι χρεία σοι ὀφθαλμῶν; ὁ νόμος τὰ πάθη κολάζει· καὶ σὺ ταῦτα ποιῶν οὐκ αἰσθάνῃ· εἰ βούλει δὲ, πρόσχες, ὅπως γέγονε πάντα καινά· κτίσις ἐν τῇ γραφῇ λέγεται, ἡ οὐ μόνον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγὴ, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐκ τοῦ ὄντος ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολή· ἔκτισεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανόν· τοῦτο ἐστιν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἐργάσασθαι· κτίζει, καὶ ὅταν τὸν πονηρὸν ἄνθρωπον καλὸν ἀπεργάσηται· ἐνταῦθα τὸ κτίζειν ἐστὶν ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολή. Καὶ ἄκουσον τοῦ Δαβὶδ λέγοντος· ἐπειδὴ γὰρ ἦν αὐτὸς καὶ ἡ καρδία αὐτοῦ ἐκτισμένη, ἐῤῥυπώθη δὲ τῇ μοιχείᾳ, καὶ τῷ φόνῳ, καὶ πρὸς φθορὰν κατεφέρετο, παρακαλεῖ τὸν Θεὸν, καὶ λέγει· καρδίαν καθαρὰν κτίσον ἐν ἐμοὶ, ὁ Θεός. 5) οὐχ ὅτι πρότερον οὐκ εἶχε καρδίαν, οὐδὲ περὶ τῆς οὐσίας τῆς καρδίας λέγει· ἀλλὰ περὶ τῆς κοσμούσης αὐτὴν ἀρίστης πολιτείας. Ἰδοὺ τοίνυν κτίσις λέγεται, οὐ μόνον ἡ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγὴ, ἀλλὰ καὶ ἡ τῆς οὐσίας διαφθαρείσης εἰς τὸ βέλτιον μεταβολή· οὕτω κτίζεται

lignum eſſe lignum. Oculos habes, ut videns lignum illud adores? Ego vero illud comburam. Num igitur oculos habes, qui illud, quod comburitur, Deum appelles? Homo aliquis ebrius eſt, & circumfertur, & deridetur, & ex homine ratione deſtitutus evadit. Tu vero ais: ebrioſitas Deus eſt, Bacchus; furtum Deus eſt, Mercurius. Videsne, oculis tibi opus eſſe? Lex prava punit; tu vero, ea patrans, nihil ſentis. Jam, quæſo te, attende, quomodo omnia facta ſint nova? Creatura in ſcriptura vocatur non ſolum, quando aliquid ex nihilo eſſe incipit, ſed &, quando aliquid, quod eſt, in melius mutatur. Deus cœlum condidit: hoc eſt, fecit aliquid ex nihilo: idem vero etiam creat, quando hominem impium bonum efficit. Atque hic creare idem eſt, quod aliquid in melius mutare. Audi porro Davidem loquentem. Quoniam enim ille & cor ejus creatum erat, adulterio vero & cæde inquinabatur, & ad cædem ferebatur, Deum precatur, & ait: *cor novum crea in me, Deus*; non quidem, quod ante non habebat cor; ſicut nec de cordis eſſentia, ſed de optima, quæ illud ornat, conditione loquitur. Vides itaque quod creatura vocetur non ſolum, ſi ex nihilo aliquid exiſtere

5) *Pſalm.* L. 11.

ſtere incipit, ſed etiam, ſi quid quoad eſſentiam corruptum in melius mutetur. Ita meretrix conditur, ſi fiat caſta; ita rapax, ſi evadat miſericors. Ita in ovem mutatur lupus, & in columbam accipiter. Duo itaque ſunt creationis genera. Propterea etiam lavacrum dicitur creatio, lavacrum, inquam, regenerationis. *Exuentes enim*, inquit, *hominem veterem*, *induentes autem novum*, *qui regeneratus eſt ad imaginem ejus*, *qui eum condidit*. Vides itaque, quod nova aliqua ſit creatura. Quid enim mihi prodeſt, ſi cœlum fiat novum, & terra nova, ego vero peccatis inveteravi? Cœlum domus eſt, ego vero in eo diverſor & ægroto. Quando Medicus ægroti domum intraverit, nullaque habita ægroti cura muros dealbaverit, tectumque aureis ornaverit figuris, nonne ad eum dixeris, mi homo, excita ægrotum: quid domum ornas? juva decumbentem. Ita Chriſtus quoque mundum hunc ingreſſus eſt, in quo naturam meam ægrotantem & decumbentem invenit; inque ea ſananda omnem operam collocat, renovatque naturam & reſtituit. Quid igitur medicum culpas, quod illud non fecerit; Chriſto vero vitio vertis, quod fecerit illud? Ita tranſierunt vetera; ita omnia facta ſunt nova; ita nova facta eſt creatura: cujuſmodi ſane infinita aliquis attulerit.

σώφρων ἡ πόρνη, οὕτως ἐλεήμων ὁ ἅρπαξ· οὕτω μεταβάλλεται εἰς πρόβατον ὁ λύκος, καὶ ὁ ἱέραξ εἰς περιστεράν· δύο κτίσεις. Διὰ τοῦτο καὶ τὸ λουτρὸν κτίσμα λέγεται· τὸ λουτρὸν λέγω τῆς παλιγγενεσίας. Ἀποδυσάμενοι γάρ φησι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, ἐνδυσάμενοι δὲ τὸν νέον, τὸν ἀναγεννώμενον κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν. 6) Ὁρᾷς οὖν, ὅτι ἐστὶ καινὴ κτίσις. τί γάρ μοι ὄφελος, ἐὰν γένηται ὁ οὐρανὸς καινὸς, καὶ γῆ καινὴ, ἐγὼ δὲ ταῖς ἁμαρτίαις πεπαλαίωμαι; ὁ οὐρανὸς οἶκός ἐστιν, ἐγὼ δὲ ὁ διαιτώμενος ἐν αὐτῷ, καὶ νοσῶν. Ἐὰν ἰατρὸς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἀῤῥωστοῦντος εἰσέλθοι, καὶ τοῦ μὲν οὐδεμίαν πρόνοιαν λάβοι, λευκαίνει δὲ τοὺς τοίχους, καὶ χρυσογραφεῖ τὸν ὄροφον, οὐκ ἂν εἶπες αὐτῷ, ἄνθρωπε, ἀνάστησον τὸν νοσοῦντα· τί τὴν οἰκίαν καλλωπίζεις; βοήθησον τῷ κειμένῳ· καὶ ὁ Χριστὸς εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον τοῦτον, ἐν ᾧ κατακειμένην εὗρεν τὴν φύσιν μου νοσοῦσαν, καὶ πρὸς τὴν θεραπείαν αὐτῆς ἅπαντα δέχεται τὸν ἀγῶνα, καὶ ἀνακαινίζει, καὶ ἀνορθοῖ τὴν φύσιν. Τί οὖν τὸν ἰατρὸν μέμφῃ, ὅτι μὴ ταῦτα ἐποίει· τὸν Χριστὸν δὲ πάλιν ὑπὸ μῶμον ποιεῖς, ὅτι ταῦτα ποιεῖ; οὕτω παρῆλθεν τὰ ἀρχαῖα· οὕτω γέγονε τὰ πάντα καινά· οὕτω καινὴ κτίσις· καὶ μύρια ἄν τις τοιαῦτα ἐπισυνάπτῃ.

QUÆST.

6) *Col.* III. 10. ubi tamen hodie codices nonnihil aliter habent.

Digitized by Google

ΕΡΩΤ. ΡϚʹΖ.

Διὰ τί ὁ Ἀπόστολος, ὅταν περὶ Χριστοῦ διαλέγηται, θάνατον καλεῖ τὸν ἐκείνου θάνατον· ὅταν δὲ περὶ τῆς ἡμῶν, κοίμησιν.

Τί δήποτε, ὅταν μὲν περὶ τοῦ Χριστοῦ διαλέγηται Παῦλος, θάνατον καλεῖ τὸν ἐκείνου θάνατον, 1) ὅταν δὲ περὶ τῆς ἡμετέρας τελευτῆς, κοίμησιν αὐτὴν, καὶ οὐ θάνατον ὀνομάζει; Καὶ γὰρ ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ τρίτον μνηθεὶς 2) τῆς τελευτῆς τῶν ἀνθρώπων, οὐδαμοῦ θάνατον λέγει, ἀλλὰ κοίμησιν τὴν ἀναχώρησιν λέγει. 3) Οὐ γὰρ παρέργως ταύτῃ κέχρηται τῶν λέξεων τῇ παρατηρήσει, ἀλλὰ σοφόν τι καὶ μέγα κατασκευάζει. Ἐπὶ μὲν οὖν τοῦ Χριστοῦ θάνατον καλεῖ, ἵνα τὸ πάθος πιστώσηται· ἐπὶ δὲ ἡμῶν κοίμησιν, ἵνα τὴν ὀδύνην παραμυθήσηται· ἔνθα μὲν γὰρ παρεχώρησεν ἡ ἀνάστασις, θαῤῥῶν καλεῖ θάνατον· ἔνθα δὲ ἐν ἐλπίσιν ἔτι μένει, κοίμησιν καλεῖ· καὶ διὰ ταύτης παραμυθούμενος ἡμᾶς τῆς προσηγορίας, καὶ χρηστὰς ἐλπίδας ὑποτείνων ἡμῖν· ὁ γὰρ κοιμώμενος ἀναστήσεται πάντως· ἐπεὶ καὶ θάνατος οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ μακροχρόνιος ὕπνος.

QUÆST. CXCVII.

Quare Apoſtolus, de Chriſto loquens, mortem ejus *mortem*, noſtram vero *ſomnum* appellat?

Quæ cauſa eſt, cur Paulus, de Chriſto differens, mortem ejus *mortem* vocat, de noſtro vero obitu loquens, eum ſomnum, non autem mortem, appellat? In eodem enim loco mortem hominum ter commemorans, diſceſſum illum nunquam mortis, ſed ſemper ſomni nomine appellat. Neque enim ſine cauſa hac voce perpetuo uſus eſt; ſed ſapienter egit, & præclarum aliquid ſignificavit. Scilicet de Chriſto *mortis* nomen adhibet, ut perpeſſionem ſimul confirmet; de nobis vero *ſomni* illud, ut dolori adferat ſolatium. Ubi enim reſurrectio jam conſecuta eſt, confidenter *mortem* nominat; ubi vero ſpe adhuc præcipitur, *ſomnum* vocat, ipſa hac appellatione & nos conſolaturus, & ad pulchram ſpem excitaturus. Mortuus enim omnino reſurget, quoniam mors ipſa nihil aliud eſt, quam ſomnus aliquis diuturnus.

1) *Rom.* V. 10.
2) Codex male μνηθῆς.
3) Vide 1 *Cor.* XV. 18. 20. 21. & 2 *Theſſ.* IV. 13. 14. 15. Utroque in loco verbum κοιμᾶσθαι ter legitur.

QUÆST. CXCIX.

Quæ eſt parabola de filio, paternas facultates ſibi vindicante, & in longe diſſitam terram proficiſcente?

Illa eo pertinet, quod juſtorum cohors dominium in creaturas ſibi non per rapinam vindicare, ſed omnem earum adminiſtrationem Servatoris providentiæ cupit eſſe ſubjectam. Propterea parabola illa juniorem introducit, quod paternas facultates recipiens in longinquam regionem diſceſſerit. Longum vero illud iter non ſtadiis producebatur, ſed moribus diſtinguebatur. Peccans enim quisque remotus eſt à Deo, non loco, ſed moribus. Idem vero paternas facultates nactus, intemperanter vivendo eas diſſipat. Solem enim in commodum ſuum nactus, donum illud inſtar Dei adorat: fontes in recreationem nactus, & hoc munus Dei loco habet. Ignorat datorem, donum vero eadem creatura nimio cultu proſequitur. Neque tamen omnes paternam hereditatem eadem ratione adierunt. Alius enim illa bene, alius vero male uſus eſt. Et hic & ille certus hominum ordo eſt, quamvis à ſe diſtinctus. Homo enim pius pulchritudinem cœli videt, & ob pulchritudinem

ΕΡΩΤ. ΡϞΘ.

Τίς ἡ παραβολὴ τοῦ τὴν πατρικὴν οὐσίαν λαβόντος, καὶ εἰς χώραν ἀποδημήσαντος μακράν; 1)

Ὅτι τὸ τάγμα τῶν δικαίων οὐ βούλεται εἰς ἑαυτὸν ἁρπάσαι τὴν ἐξουσίαν τῶν κτισμάτων, ἀλλ᾽ ὑπὸ τὴν τοῦ σωτῆρος πρόνοιαν θέλει κεῖσθαι τὰ τῆς οἰκονομίας· διὸ καὶ ἡ παραβολὴ τὸν νεώτερον εἰσάγει, λαβόντα τὴν πατρικὴν οὐσίαν, εἰς χώραν ἀποδημῆσαι μακράν· τὸ δὲ μῆκος οὐ σταδίοις διετείνετο, ἀλλὰ τρόποις ἐξετοπίζετο. Καὶ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων μακρὰν γίνεται Θεοῦ, οὐ τόπῳ, ἀλλὰ τρόπῳ. Λαβὼν δὲ τὴν οὐσίαν τὴν πατρικὴν ἀπώλεσεν αὐτὴν, ἀσώτως ζῶν, ἔλαβεν ἥλιον εἰς ἀπόλαυσιν, καὶ τὸ δῶρον ὡς Θεὸν προσεκύνησεν· ἔλαβεν πηγὰς εἰς τρυφὴν, καὶ τὸ δῶρον ἐθεοποίησεν· ἠγνόησε τὸν χαρισάμενον, καὶ τὸ χάρισμα ὑπερεδόξασεν ἡ αὐτὴ κτίσις· ἀλλ᾽ οὐ πᾶσιν ὁμοίως ὁρωμένη πατρικὴ ἡ οὐσία· ἀλλ᾽ ὁ μὲν καλῶς αὐτῇ, ὁ δὲ κακῶς ἀπεχρήσατο, τάγμα τοῦτο κἀκεῖνο, εἰ καὶ διάφορον· ὁ εὐσεβὴς τὸ κάλλος ὁρᾷ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἀπὸ τοῦ κάλλους τὸν δημιουργὸν ἀνυμνεῖ. Ὄψομαι γάρ φησι, τοὺς οὐρανοὺς ἔργα τῶν δακτύλων σου. 2) εἶδεν ὁ ἀσεβὴς, καὶ πρὸς μὲν τὸν κτιστὴν τὴν διάνοιαν οὐ διεβίβασεν·

1) *Luc.* XV. 13.
2) *Pſalm.* VIII. 4.

ἐναπομείνας τῷ κάλλει τοῦ οὐρανοῦ Θεὸν ἐφαντάσθη τὸ δημιούργημα· ὁ εὐσεβὴς οὐχ ὑβρίζει τὴν κτίσιν, ἀλλὰ τῷ δεσπότῃ τὴν προσκύνησιν ταμιεύεται· τιμᾷ τὴν κτίσιν, 3) ἀλλ' ὁμόδουλον· οὐκ ἀφαιρῶν δὲ τὸ σέβας τοῦ κτίσαντος περιάπτει τῷ κτίσματι· ἐπαινεῖ τὸ φιλοτέχνημα, ἀλλ' οὐχὶ τὴν τοῦ τεχνίτου δόξαν εἰς ἐκεῖνο περιΐστησιν· ὁ δὲ δυσσεβὴς οὐ * κακῶς μὲν εἶδεν, κακῶς δὲ προσεκύνησεν, καὶ πᾶσαν τὴν τάξιν ἀνέτρεψεν· ὅτι δράκοντα πολλάκις ἡ γραφὴ καλεῖ τὸν διάβολον, καὶ ὄφιν σκολιόν. Διὸ καὶ ὁ σωτήρ φησιν· ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν ἐξουσίαν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, 4) καὶ ἵνα μὴ τὰ ἑρπετὰ ὑπολάβῃς, ἐπήγαγεν· καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ· δράκων καὶ ὄφις ὁ διάβολος· οὐχ ὡς ῥίζα κακίας, ὡς φασιν οἱ Μανιχαῖοι, ἀλλ' ὡς κατάρχων τῶν δαιμονίων, καὶ ἀρχηγὸς αὐτοῖς τῆς ἐκπτώσεως γεγονώς.

dinem illam conditorem laudat. *Videbo enim*, inquit, *cælos*, *opera manuum tuarum.* Videt eandem impius, ſed mentem ſuam ad conditorem non convertit: verum, in pulchritudine cœli ipſius hærens, opificium illud ut Deum ſibi repræſentavit. Pius creaturam non adficit injuria, ſed conditori cultum defert: honorat creaturam, ſed ut conſervam; debitum vero honorem, conditori ſurreptum, non transfert in creaturam. Laudat artificium, ſed gloriam artificis illi non vindicat. Impius vero non male quidem vidit, male autem adoravit, totumque ordinem pervertit. Scriptura diabolum ſæpe draconem & ſerpentem obliquum appellat. Ideo & Servator dicit: *ecce dedi vobis poteſtatem ſuper ſerpentibus & ſcorpiis ambulandi.* Ne vero de reptilibus hæc accipias, ſubjungit: *& ſuper omni poteſtate inimici.* Draco & ſerpens diabolus eſt; non ut radix malitiæ, ut Manichæi ajunt, ſed ut talis, qui dæmonibus dominetur, lapſusque auctor illis exſtiterit.

3) ἀλλὰ —— τὴν κτίσιν in altero male omiſſa *Colbertino* debeo.

* Cod. κακῶς μὲν εἶδεν, οὐ, pro quo ſenſus noſtrum illud poſtulat, niſi τὸ οὐ prorſus expungere malis.

4) *Luc.* X. 19. Interim non video, quomodo hæc huc pertineant.

INDEX I. VOCUM HEBR.

א

א & ם *primus* & *ultimus* apud Hebr. ſeu *perfecte*. 443. 633. & 640.
אחרון 636. ſq.
אחרונים 639.
אחרית הימים 265.
אנשי מעמד 483.

ב

בטן 523.
בעור 219.
בשר זר 350.

ד

דרך המלך 33.

ה

הוא i. e. *Deus*. 256.

ז

זכרם 490. 562.

ח

חטאים 276.
חמרן 557. 566.
חשמאל 448.

י

יחיד 287.
יצר הרע peccatum originale. 15.

כ

כלבים 643.

כלי *vas*, de muliere. 129.
כסא הכבוד 483. 497.

ל

לוקין 513.

מ

מלאך המות 517.
מעשה מרכבה 485.
מראות an *ſpecula?* 24.

נ

נפש *halitus*. 43.

ע

litera quomodo à τοῖς LXX. exprimatur. 219.

פ

פרנסים 162.
פשע 346.
פתר 199.

ק

קולורין 479.

ר

ראשון 636. ſq.

ש

שדים *dæmones*. 40.
שליח ציבור 452.
שטן 535.
שמורה *perſona*. 470.

ת

תא וחזי 494.
תו 500.

INDEX II. VOCUM GRÆCARUM.

A.

α & ω cur Chriſtus vocetur? Pag. 443. 618
α litera diligentius conſiderata. 443
ἀβαδδών. 517
ἀγαθοποιεῖν. 336
ἀγγελία. 278
ἄγγελοι, *exploratores.* 43
ἄγε in numero ſingulari de pluribus. 68
ἀγνίζειν. 275
ἀδελφότης. 118. 169
ἀδης. 602
ἀδιάκριτος. 55
ἀδικεῖν τινα. 515
ἀθέμιτος. 152
αἷμα *vinum.* 561
αἷμα ἐκχύειν, *occidere*, Græce dicitur. 567
ἀκαθάρτης an Græca vox ſit? 573
ἄκαρπος. 187
ἀκατάπαυστος, *inſedabilis.* 216
ἀκατάσχετος. 50
ἀκολουθεῖν μετά τινος. 561
ἄκρατον. 558
ἀκούων, *lector.* 76
ἀλαζονεία. 70. 263
ἀλείπτης quis? 273
ἀλήθεια, *ſinceritas.* 332
ἀλλοτριοεπίσκοπος. 160
ἄλογον. 212
ἀλυκός. 53
ἀμαθής. 241
ἀμάν. 73
ἀμαράντινος. 166
ἀμάραντος. 95
ἁμαρτία. 276
ἀμὴν Chriſti nomen proprium. Pag. 450. 477. & 650
ἀμώμητος, 238
ἄμωμον, 584
ἀνάβα. 482
ἀναγινώσκων an lector publicus vel anagnoſtes? 433
ἀνάθεμα. 614
ἀναφέρω. 123
ἀνάχυσις. 153
ἀνὴρ pro τὶς. 21
ἄνομα quæ? 209
ἀνομία. 276
ἀντιλέγεσθαι, in dubium vocari. 339
ἀντίτυπον. 146
ἀντίχριστος, an is, qui ſe ἀντὶ Χριστοῦ, *Chriſti vice*, gerat? 271
ἅπαξ *perfecte.* 134. tempus etiam peremtorium infert. 144. de aliis ejus ſignificationibus. 344
ἀπάρτι. 559
ἀπαρτί. 560
ἀπαρχὴ, *primus*, ſeu, *præcipuus.* 20
ἀπ' ἀρχῆς & ἐν ἀρχῇ idem. 246
ἀπ' ἀρχῆς interdum idem, quod *in initio* præconii Evangelici. 257
ἀπάται. 214
ἀπείραστος utrum *paſſive* an active capiendum? 14
ἁπλῶς, *candide*, &, *liberaliter.* 11
ἀπογενέσθαι, *mori.* 124
ἀποκάλυψις & ἀποκαλύπτεσθαι etiam apud Scriptores externos. 430
ἀποκυεῖν *parere*, & *gignere.* 16. 20
ἀπολλύων. 518
ἀπομαραίνεσθαι, de *morte.* 14
ἀποσκίασμα. 18. 19
ἀποτελεῖν. 19

ἀπω-

ἀπώλεια. Pag. 241
ἀρετὴ an *potentiam* ſignificet? 184. 187
ἄρκος. 536
ἀρμαγεδδὼν, unde? 571
ἄῤῥεν παιδίον. 531
ἀρχάγγελος non ſemper Chriſtum denotat. 357
ἀρχὴ varia ſignificat. 346. principium agens. 477
ἀσθενεῖν, *ægrotare.* 78
αὐτὸς de aliquo honoris cauſa dicitur. 257. idem, quod δεσπότης. *ibid.*

B.

βασιλεὺς de Imperatore Romanorum. 117
βασιλεὺς βασιλέων. 595
βιβλάριον & βιβλαρίδιον, & βιβλίδιον. 521
βίος, *vitæ ratio.* 264
βλασφημία vox bene Græca. 204
βλώμμα, *vultus.* 209
βοῤῥᾶ pro βοῤῥοῦ recte dicitur. 607
βουληθεὶς, *deliberato conſilio.* 20
βρύω. 52

Γ.

γαλιλαῖος quid ſignificet? 738
γεγυμνασμένος. 217
γένεσις, *nativitas.* 49
γίνεσθαι εἰς Græce dicitur. 112
γυμνοὶ, *male veſtiti.* 37
γυνὴ etiam de *virgine* dicitur. 702

Δ.

δαιμόνια, *deaſtri.* 521
δαπανᾷν. 57
δὲ poſt μὲν bis repetitum copulandi vim habet. 251
δεῖγμα. 350
δειλὸς, *meticuloſus*, &, *improbus.* 605
δελεάζειν. 16. 217
δεσπότης & κύριος an differant? 127.
  δεσπότης *Chriſtus* dicitur. 344
δέχεσθαι, *diſcere*, &, *ſervare.* 23
διὰ *in* & *per* cum genitivo. 145. 534. ſæpe omittitur.
διάβολος. 533
διαγωνίζεσθαι. 242
διαβάλλεσθαι. 535
διακονεῖν. 138
διακρίνεσθαι. 11. 359. 367
διασώζειν εἰς. 145
διασπορά. 9. & 91
δίδωμι, *largior.* 463. *permitto.* 538
δικαιοῦσθαι, *ut juſtum cognoſci.* 40
δίκαιος non indicat, Chriſtum ſpeciatim. 74. δίκαιος an *lenis?* 253. an *juſtificans* alios? 255
δικαιοσύνη de *virtutibus* generatim. 32
δικαιώματα. 564. 589
διπλοῦς, & διπλοῦν. 582
δίψυχος. 12
δοκίμιον, *exploramentum.* 10. 97
δορυφόροι & δορυφορεῖσθαι. 694
δοῦλος, *miniſter*, etiam de Apoſtolis. 8
δοῦναι χάριν, bene Græcum. 168.
  δοῦναι χρόνον. 467
δύναμις, divitiæ. 581
οὐ δύναμαι quid? 277
δύνῃ pro δύνασαι Græce dicitur. 453
δωρεῖσθαι active uſurpatur. 183

E.

ἐγείρειν, *ſanare* ægrotum. 82
ἐγκομβοῦσθαι. 167
ἐγκόπτω. 130

εἰλικρι-

Digitized by Google

εἰλικρινής. Pag. 225
εἰ μὴ, ſed. 515
εἴπερ, quoniam. 107
ἐις an idem, quod per. 93
ἐις pro ἐν. 170
ἐισέρχεσθαι ἔις τινα. 526. vel ἐπί τινα. ibid.
ἕκαστος plurali junctum. 137
ἐκβάλλειν, excludere. 524
ἐκδέχεσθαι. 143
ἐκκόπτω. 130
ἐκλεκτοὶ frequenter de Chriſtianis. 326
ἔκπαλαι Græce dicitur. 205
ἐκπίπτειν. 241. 455
ἐκπορνεύειν. 349
ἐκπορεύεσθαι. 204
ἐκχύνεσθαι, effuſum ruere. 360
ἐλεεῖν, miſerari aliquem. 367
ἔμφυτος, implantatus, inſititius. 22
ἐν cum dativo propter. 159. 212. juxta. 524
ἐν pro ἐις. 72. 283. 287. idem, quod per. 142. 341
ἐνδιάθηκος. 174
ἐνεργεῖσθαι an ſemper paſſive adhibeatur? 84
ἕνεκα interdum deeſt, ante genitivum. 232
ἔνθεν κὴ ἔνθεν. 613
ἐνι pro ἔνεστι, probe Græcum. 18
ἐντρυφᾷν. 213
ἐντυγχάνειν. 802
ἐνυπνιάζεσθαι. 351
ἐξακολουθεῖν. 191
ἐξελθεῖν, ejici. 476
ἐξέραμα. 223
ἔξοδος, obitus. 189
ἐπαγγελία, promiſſio. 250
ἐπαγωνίζεσθαι 342
ἐπέρχομαι. 198
ἐπερώτημα. 147
ἐπήλυσις. 196
ἐπηρεάζειν accuſativo jungitur. 133
ἐπὶ varia ſignificat. 480. 509. 513. cum accuſativo interdum in. 487
ἐπίγειος. 54
ἐπίλυσις. 196. ſeqq.
ἐπιλύω. 197. 199
ἐπιποθεῖν. 107
ἐπισκέπτεσθαι. 27
ἐπισκοπὴ de accurata inſpectione. 116
ἐπίσκοπος, inſpector generatim. 125
ἐπισκοπέω. 162
ἐπιτήδειος. 38
ἐπιτελεῖσθαι, accidere. 169
ἐπιφέρειν. 359
ἐπιχορηγεῖν. 186
ἐποπτεύειν, accurate inſpicere. 116
ἐπόπται in ſacris paganorum. 191
ἐπουράνια quæ? 728
ἔργα i. e. λόγοι. 403
ἐργάζεσθαι terram & mare Græci dicunt. 587
ἔργον τέλειον. 10
ἔσοπτρον. 24
ἔσχατος καιρὸς quis? 96. ἔσχατος an abjectus? 449. 635
ἕτερος & ἑταῖρος a librariis permutantur. 68
εὐοδοῦσθαι. 332
εὑρίσκεσθαι, eſſe. 121
εὐωχεῖσθαι. 215
ἐφήμερος. 37
ἔχω, poſſum. 189

Z

ζῶν de vero & certo dicitur. 94

H.

ἢ interdum omittitur. 333
ἡγεμόνες qui? 117
ἡμέρα Κυριακή. 445
ἐν ἡμέρα. 212

Θ

θαυμάζειν nimium ſuſpicere. Pag. 365
θαυμάζειν ὀπίσω. 537
θαυμάζειν διά τι. 575
θεᾶσθαι efficacius eſt τῶ ὁρᾷν. 249
θέλημα interdum abundat. 134
θέλω interdum ſtudium & contentionem infert. 228
θεολόγυ cognomen. 369
θεόφορος. 322
θλίψις. 27
θνήσκειν θανάτῳ. 467
θρέφω. 73
θρησκεία. 27
θρῆσκος. 26
θύινον. 583
θυμὸς varia ſignificat. 557
θύρα, de quo dicatur? 480

I

ἴδιον dicitur, quod cuique placet. 201
ἱλασμός. 255
ἱλαςήριον. 528
ἱμάτιον interdum omittitur. 586
ἵνα interdum abundat. 404
ἰὸς *venenum* & *ſagitta*. 51
ἱππικὰ quid? 519
ἶρις, *arcus cæleſtis*. 521
ἰσότιμος. 182
ἰσχύω, *prævaleo*. 532

K

καδίσκος. 710
καθέδρα, *thronus*, *ſedes*. 461
καθίςασθαι, *eſſe*. 48
Καθολικαὶ ἐπιςολαί. 1

καὶ interdum eſt explanativum. 94. 159. 333. ϗ *igitur*. 251. adverſativum. 269. 450. *ut*. 441. ſignificationem intendit. 461
καλεῖσθαι, *eſſe*. 42. 274
καλῶς ποιεῖν. 40. 194
κάμνων an *mortuum* denotet. 81
κάμνω *defatigor*, fatiſco. 455
κατὰ ſimilitudinem infert. 102. κατὰ γνῶσιν, prudenter. 129. κατὰ cum genitivo, *adverſus*. 364. in compoſitis verbis interdum abundat. 165. interdum omittitur. 186. 470
καταβάλλειν de victore, 534
κατακαυχᾶσθαι. 35
κατακυριεύειν, pro κυριεύειν ſimplici. 165
κατανάθεμα. 613
καταπονεῖσθαι. 208
καταρτίζειν. 170
καταφαγεῖν, *devorare*. 523
κατεργάζομαι. 21
κεῖσθαι emphatice dicitur. 317
κενός. 40
κεράννυμι. 558
κέρας *robur* & *imperium* infert. 536
κημός. 710
κληδοῦχοι dii. 455
κλῆρος, *grex*, *cœtus*. 163. ſq.
κολαφίζεσθαι. 120. 746
κολλᾶσθαι. 582
κολλήριον, κολλύριον, & κολλύριον. 479
κομίζειν. 98. 99.
κοπιάζω num idem quod *defatigari*? 404. 454.
κόπος. 560
κόπτω θύραν. 480
κόσμος, *copia*. 48. an *Gentiles* denotet? 256
κράτος. 368

κρίνω

Digitized by Google

κρίνω idem, quod *κατακρίνω*. 68. 76
κρύω *θύραν*. 480
κύνες qui dicantur? 643
Κύριος & *δεσπότης* an differant? 127
Κυρία interdum nomen proprium. 323. frequenter autem appellativum, *Domina*. 326
Κύω & *κυέω* in *pariendi* ſenſu. 16. 20
κῶμος. 152

Λ

λαμπρός. 30
λείπεσθαι dicuntur luctatores deficientes. 11
λευκαίνειν an *mundare?* 506
ληνός. 594
λιβανωτὸς, λιβανωτὸν & λιβανωτίς. 509
λύτρον. 103
λύχνος & λυχνία, *candela* & *candelabrum*. 194

M

μασᾶν & μασσᾶν. 568
μέγας. 542
μεγαλαυχεῖν, *jactare ſe*. 45
μεγιστᾶνες. 499
μειζότερος pro μείζων. 333
μέλλω futuris infinitivi jungitur. 531
μεμψίμοιροι. 364
μέρος, ἐν μέρει. 160
μεσουράνημα. 519
μνήμην ποιεῖσθαι. 189
μοιχαλίς. 215
μόλις, *ægre*. 161
μονογενής. 287
μυωπάζω. 188
μώλωψ, *vibex*. 124

N

νεανίσκοι de juvenibus & adultioribus. 260
νικᾶν an idem, quod *juſtum* vel *dignum* haberi? 490. aut *purum eſſe*. 562
νόθα ſcripta quæ dicantur? 421
νοθεύεται liber, i. e. ἀντιλέγεται. 3
νοῦν ἔχειν. 545

Ξ

ξενίζεσθαι. 152. 158
ξύλον *arbor*, ſine hebraiſmo. 613

O

ο interdum pro ου in vett. codicibus. 146
ὁ pro οὗτος. 433
ὁδὸς, vivendi ratio. 12
οἰάκισμα & οἰακισμός. 47
οἰκητήριον. 347. ſeq.
οἰνόφλυξ. 152
ὁλόκληρος. 11
ὀλολύζειν. 71
ὁλοσίδηροι. 516
ὁμοιοπαθής. 85
ὁμολογεῖν publice profiteri inſtar doctoris. 283
ὀνειδίζειν *exprobrare*, v. c. beneficia. 11
ὀνόματα *homines*, *perſonæ*. 470. ὀνόματα ἀνθρώπων. 527
ὀπισθόγραφα quæ? 488
ὁπλίζεσθαι. 150
ὅπου ἐκεῖ. 532. 534
ὀπώρα *poma*. 586
ὁρᾶν, ἰδεῖν & εἰδέναι ut differant? 97. ὁρᾶν τοῖς ὀφθαλμοῖς bene Græcum. 248. ὁρᾶν, *inquirere* & *cavere*. 590
ὀρέων *montium* pro ὀρῶν. 499

ἐρωθεὶς quid? 762
ἔσα pro ἄ. 403. 433
ὅτι varia denotat. 280. interdum abundat. 281. 478

Π.

παιδία & τεκνία, quomodo differant? 259
πάλιν, *juxta*, *imo vero*. 259. *poſtea*. 421
παράγεσθαι in forma media. 258. 264
παράκλητος. 254
παράδεισος. 459
παρακύπτειν. 102
παραλλαγή. 18
παραλογίζεσθαι. 23
παρεισάγειν. 203
παρθένος ad varia transfertur. 553 de viro fœminæ experte. 785
παρεισδύειν. 342
πᾶς, *merus*. 10. 17
πᾶς ἐ, *nullus*. 296. 270
πατέρες an *ſeniores* inter Judæos denotent? 259
πατροπαράδοτος. 103
πειράω. 453
πελεκίζεσθαι. 599
περιέχει, *exſtat*. 110
περὶ varia ſignificat. 332
περιπεσεῖν τύχῃ. 10
περισσεία. 22
περίψημα. 74
πεσοῦνται, utrum *præſens*, an, *futurum?* 486
πλανᾶσθαι active & paſſive adhibetur. 466
πλανῆται. 362
πλεονεξία. 218
πληγὴ de pœnis varii generis. 526
πληρῶσθαι. 498
πλήττεσθαι an de eclipſibus planetarum? 513
πνεῦμα, *halitus*. 43. de divina Chriſti natura. 135
πνεύματα, doctores. 283
ποδήρης. 447
ποιμαίνω. 164. 469
ποιεῖν καρπόν. 613
ποιεῖν, *moram facere*. 538
πόλεμος de contentione privata. 56
πόλεμον ποιεῖν. 526
πόλεμος γίνεται. 532
πολυσπλαγχνος. 77
πόνος, *moleſtia* & *dolor*. 604
πορεία & πορία. 13
πορεύεσθαι de vitæ uſu. 151
πόρνοι an cinædi? 644
ποταμοφόρητος. 534
πρεσβύτερος quis? 161. ſenior ratione ætatis. 166
πρόγνωσις. 23
προγραφειν. 343
πρὸς, accuſativo nominis junctum interdum adverbialiter exponi debet. 61
προσάγειν. 135
προσευχή. 812
προσκόπτειν Græce dicitur. 112
προσκυνεῖν cum dativo & accuſativo. 538
προσωποληψία. 28
πρῶτος, *ſolus*. 446
πτόησις *libido venerea*, & *timor*. 127
πύρωσις. 158

Ρ

ῥέδα. 585
ῥιπίζεσθαι. 12
ῥυπαίνεσθαι & ῥυπαρός. 22
ῥυπαρεύω. 616
ῥυπάω, ῥυπόω, ῥυπαίνω. *ibid.*

σάρδιος

Σ.

σάρδιος & σάρδινος dicitur. 483
σάρξ an ſtatum Judæorum carnalem & legalem denotet? 105
σεμίδαλις. 584
σεσοφισμένος. 190
σημαίνειν, *obſcurius indicare.* 413
σήπω. 72
σιδηρᾶ in dandi caſu Græce ſcribitur. 468
Σίμων & Συμεών. 182
σκεύη *res & ſupellectiles variæ.* 129
σκήνωμα, *corpus.* 109
σκληρός. 45
σκολιός. 119
σοφίζεσθαι, *res novas crepare.* 186
σπεύδειν tranſitive pro *accelerare*, *maturare.* 235
σπιλάδες, *macula*, & *ſcopuli maris.* 361
σπουδὴν ποιεῖν. 341
στοιχεῖα, *cœli ſidera.* 234
στρεβλοῦν. 241
στρηνιᾶν. 582. 583
Συμεὼν & Σίμων. 182
συμπαθής. 131
σὺν interdum omittitur. 511
συναγωγὴ, *cœtus & locus congregationis.* 29
σ. νδουλος. 590
συνεκλεκτή. 171
σύνθρονοι & σύνεδροι Dii dicuntur. 481
συνοικεῖν de matrimonii vinculo. 128
σφαγῆς ἡμέρα non eſt *dies convivio-rum.* 73
σφάττω. 278
σφραγίζειν. 500. 522
σώζειν ψυχὴν Græci externi dicunt. 88
σῶμα an interdum pleonaſtice ponatur? 354. an volumen legis? *ibid.* mancipium. 585

T.

ταλαντιαῖος. 572
ταπείνωσις & ταπεινότης quomodo differant? 12
τάρταρος & ταρταρόω. 206
τεθεικώς, Atticum eſt. 206
τεκνία & παιδία quomodo differant? 259
τελεῖσθαι dicuntur oracula. 580
τέλος *finem* & *mercedem* ſignificat. 98. *ſummatim.* 131
τιμᾶν de officiis charitatis exhibendis. 118
τιμὴ, alimentum. 130. 610
τὶς interdum omittitur. 459
τίς, pro, εἴ τις. 53
τίς & ποῖος ſæpe conjunguntur. 100
τίς καὶ πόθεν. 505
τολμᾶν. 358
τροπὴ de Sole *mutationem* denotat. 19
τροχός. 48

Υ.

ὕαλος. 608
ὕλη, *materia.* 46
ὑπακοὴ idem interdum quod *fides.* 93
ὑπέρογκα. 364
ὑπέχειν δίκην, κρίσιν &c. 350
ὑπογραμμός. 120
ὑπόδειγμα. 208
ὑπόμνησις. 189
ὑποπόδιον. 30
ὑπερᾶνα. 728
ὑστέρημα. 719. 723

Φ.

Φαρμακεῖς, venefici. 643
Φαρμακοὶ, *homines piaculares.* 643

φθινοπωρινός. 361
φθόνος de morte, ſeu fatis extremis. 57. 64. num de *ira* Dei dicatur? 63. ſq.
φιλόφρων. 131
φιμοῦν. 118
φλυαρεῖν. 336
φρίσσειν. 40
φύσις interdum pleonaſtice adhibetur. 50
φῶτα, *lumina*, quid inferant? 18

X.

χαίρειν, ſalutandi formula probe Græca. 10
χαλκηδὼν, gemma. 608
χαλκολίβανος. 448
χιλίαρχοι. 499
χιτὼν σαρκὸς metaphorice malos hominis mores denotat. 368
χλωρὸς, *gilvus*. 496
χοῖνιξ, menſuræ genus. 495
χρίσμα, Spiritus S. 270. 273
χρυσόχειρ. 29

Ψ.

ψυχὴ pro toto homine. 145. an pro *corpore?* 496. de animali quocunque. 566
ψυχικοὶ qui? 366
ψυχαὶ ἀνθρώπων, Græce dicitur. 585

Ω.

ὥρα. 265
ὥρα ἐσχάτη non infert *excidium Hieroſolymit.* 265. nec *periculoſa* aut *peſſima tempora.* 267
ὠρύεσθαι de leonibus, &c. 169
ὡς interdum deficit. 108. 485
idem, quod *quoniam.* 183
ὥς cum accentu, *ſimiliter.* 348

INDEX III. RERUM POTIORUM.

A.

Abaddon. 517
Abrahamus, cur amicus Dei vocetur in Scriptura? 42
Abſinthium, ſtella Apocalypſeos cur vocetur? 504
Abſtracta pro concretis, ut *ſapientia* pro *ſapiente.* 109. 110. 118. 270. 273
Accuſator rei ad ſiniſtram, patronus ad dextram olim ſtabat. 35
Acta Apoſtolorum a quo ſcripta. 731. a *Luca.* ibid.
Ægrotorum viſitatio commendata a Judæis. 27
Ægyptus ſpiritualis apud Hebræos. 526
Æmulatio quæ laudabilis? 54. incommoda ejus. *ibid.*
Æris varia genera. 584
Æſculapius Pergami cultus. 460. quis cultus ejus fuerit? 461
Agapæ veterum. 360
Alleluja. 588
Amen: voci huic Judæi in precibus multum tribuunt. 504. *Amen* vocatur Chriſtus. 450. 477. 650

Ami-

Amicus Dei quis vocetur? 42
Amor in proximum opere ipſo teſtandus eſt. 279
Amphilochius Epiſc. Cyzicen. 708
Angelorum cur Moſes in hiſtoria creationis non meminerit? 687
Angelorum lapſus. 205. 345. 348.
Angeli mali an, &, quibus pœnis jam ſint ſubjecti? 206
Angelorum naturam cur Chriſtus non adſumſerit? 681
Angeli mali an mulieribus abuſi? 347
Animalia quatuor Apocalyptica quid indicent? 486
Animæ pie defunctorum an in medio aliquo loco? 498
Annuli gemmis fulgentes. 449
Annulorum uſus & oſtentatio. 29
Antipas. 462
Antichriſtus non eſt gens Judaica. 267. ſeq.
Apocalypſis *S. Joannis.* V. *Joannes.*
Apocalypſes conficta. 373
Apoſtoli quando & a quo baptizati? 735. cur vocentur Galilæi? 738
Apotheoſis Gentilium. 275
Apparitio Chriſti poſt reſurrectionem undecies facta. 732
Aqua in feſto Tabernaculorum effuſa. 506
Aqua rerum omnium principium ex mente Philoſophorum quorundam. 230. aquæ tepidæ vis. 478
Arbores fructibus ſemper onuſtæ. 613
Arbor vitæ. 459
Arena maris, proverbium. 600
Arius an in Apocalypſi prænunciatus? 512
Aſiæ urbes VII. Apocalypticæ. 446
Athanaſius Apocalypſin S. Joanni tribuit. 421
Avaritia quomodo in ſacris literis appelletur? 262
Audire multa, ſed parum loqui juvat. 21

B.

Babylon in 1 epiſtola Petri quæ? 170. illa eſt Roma Pontificia in Apocalypſi. 556. *Perdam Babylonis nomen,* inſcriptio numi Ludovici XII. 581
Baptiſmus diluvii antitypus. 146. Baptiſmalis abrenunciatio & profeſſio. 148
Bentlejus (Rich.) novam N. T. Græco - Latini editionem molitus. 611. ſeq.
Beſtiæ nonnunquam locutæ. 220
Beſtiæ Apocalypticæ numerus. 666. a variis varie expoſitus. 545. ſqq.
Bethphage ubi ſita? 577
Beverlandi quædam ex Otiis Oxonienſ. MSS. 165
Bileamus, qui de eo ſcripſerint? 218. 360. cur vocetur τῦ Βοσόρ. 219. alia de eodem. 462
Bona omnia a Deo ſunt. 18

C.

Cabbalæ Judaicæ & ſpeciatim τῶν *Sephiroth* veſtigia an in Apocalypſi exſtent? 437. 484. 491. 493
Cain unde ex Judæorum ſententia ortus? 278. Caini ſignum. 516
Cajus, cui S. Joannis epiſtola tertia inſcripta eſt. 331
Calamitatum commoda. 20

Calcu-

Calculi albi. 464. varii generis & uſus. 465
Candelabra ſeptem Apocalyptica. 447
Canes præ foribus cubabant. 643
Canon Biblicus num Apocal. XXII. 19. obſignatus? 649
Caput turritum urbium inſigne in numis. 575
Caſſiodori in recognoſcendis codicibus ſacris diligentia. 305. legit locum 1 Joh. V. 7. 306
Catholicæ cur dicantur epiſtolæ? 1
Cerinthus quo tempore vixerit? 376. Ejus ἀποκάλυψις. 414. 648. non eſt auctor Joanneæ illius. 416
Certaminum præfecti. 480
Chriſtianorum nomen olim apud Gentiles probroſum. 32
Chriſtus an in cœlum aſcenderit ante reſurrectionem ſuam? 250. Chriſti ſanguis emundans. 252. cur vocetur παράκλητος? 255. cur ἱλασμός? 255. Chriſti anima an præexſtiterit? 284
Citharæ in ſacris Hebræorum receptæ. 563
Claves inferni paganis commemoratæ. 450
Claves varii generis ab iisdem Diis tributæ. 451. Deo item a Judæis. *ibid.* Clavis Davidis. 472
Clericorum & Laicorum diſcrimen. 165
Communio divinæ naturæ apud credentes. 185. quid de illa Gentiles? *ibid.*
Communio Chriſtianorum mutua. 252
Complutenſis editio Novi Teſt. unde locum 1 *Joh.* V. 7. hauſerit. 296. 302. 308
Concupiſcentiæ pravæ effecta. 16
Conſtantinopolis ſepticollis. 577
Core. 360
Cornua altaris templi. 519
Corona triplex ab Hebræis commemorata. 460. corona quid in ſacris denotet? 474
Crinium plicatura, veteribus recepta. 126
Currus militares. 517
Cuſtodia templi Hieroſolymit. 470. 570
Cyprianus legit locum 1 *Joh.* V. 7. 304. ſq.
Cyria, an nomen fœminæ proprium. 325
Cyrus & *Cyrillus* nomina propria. 325

D.

Dæmones loca deſerta habitare dicuntur. 581
Damnati an in Deum perpetuo futuri ſint injurii? 569
Deſcenſus Chriſti ad inferos qualis? 137. ſqq.
Deus non eſt mali cauſa. 15. Dei ſimiles eſſe jubent gentiles. 275. Deus cur *amor* eſſe dicatur? 287. Deus inviſibilis. 288. & incomprehenſibilis. 710
Diabolus cur *ſerpens* vocetur? 533. cur antiquus? *ibid.*
Didymus epiſtolam *Petri* poſteriorem non pro ſpuria habuit. 177
Dies Dominica. 444
Dionyſii Alex. de Apocalypſi ſententia. 415
Diotrephes. 335
Divites quomodo ſalventur? 767
Dona veterum varia, *natalitia*, *Saturnalia* &c. 526

Draco-

Dracones varii coloris. 531
Draconis lingua quæ? 541
Dublinenſis codex MS. in quo exſtat locus 1. *Joh.* V. 7. p. 307.

E.

Eccleſia cur *mater* vocetur? 530
Electa, nomen proprium. 322. ſq.
Enallage generis in pronominibus. 349
Enochi vaticinium à S. Juda allatum. 363. liber *de Egregoris* illi falſo inſcriptus. *ibid.*
Epheſus. 452. Quis ejus Epiſcopus ætate S. Joannis? 453
Epiſtola ad *Hebræos* num Apocalypſin reſpiciat? 377. & 380
Epiſtola ad Parthos prima Joannis vocatur. 242. ſq.
Epiſtolæ VII. Apocalypt. quo ſenſu accipiendæ? 437. ſq. 446
Equi varii coloris. 495
Evangelium æternum. 555
Euphrates *magnus* appellari ſolet à Scriptoribus. 519
Expiatio per Chriſtum facta. 255

F.

Fides ſine operibus quomodo mortua? 38
Fidelium fiducia adverſus Deum. 273
Filiationis gratia. 274
Fons idem ſalſam & dulcem aquam promens. 52
Fratrum & ſororum appellatio. 37
Futura non ſunt in hominum poteſtate. 69
Futura Græcorum habent etiam ſubjunctivum paſſivum. 125

G.

Gemmæ variæ a variis deſcriptæ. 608
Genitivus nominis Subſtantivi, alteri Subſtantivo junctus, adjectivi locum tenet, ſine hebraiſmo. 20
Genitivus interdum à Græcis adhibetur, ubi *dativus* locum habere videbatur. 504
Gog & *Magog.* 599
Grando inſignis magnitudinis. 572

H.

Herodes, quamvis impius, vatem egit. 698
Hieronymus poſteriorem Petri epiſtolam non pro ſpuria habuit. 177
Homeri ſcholiaſtes ἀνέκδοτος allegatur. 446
Homo cur conditus, quem Deus viderat lapſurum. 799
Homines gramini ſimiles. 13
Hoſpitalitas apud veteres. 157 hoſpitalitatis teſſeræ. 329
Humilitas gloriam parit. 12
Hymni cœlitum. 492. hymni novi qui? *ibid.*

I.

Jacobus, ſcriptor epiſtolæ quis? 7
Jacobi epiſtola cur inter Catholicas prima? 1. ejus vere eſt epiſtola hodie exſtans. 2. ſqq.
Jacobus cum Paulo in argumento de Juſtificatione conciliatus. 36
Jaſpis lapis. 606
Jeruſalem unde dicatur? 476. an ſepticollis? 577. an tempore Meſſiæ inſtauranda? 608
Jeſaias XLI. 4. XLIV. 6. & XLVIII. 12. vindicatus. 637. ſqq.
Igne aliquando orbem periturum eſſe Philoſophi quidam tradiderunt. 232. *ex igne eripere* proverbialiter de magno aliquo periculo. 367
Imprecationes adverſus librarios & falſa-

falſarios in calce librorum factæ. 647
Inferni conclavia varia ex mente Turcarum & Judæorum. 605
Injuriæ ſunt condonandæ. 122
Inſulæ in urbe Roma quæ dictæ? 571
Interpunctio male mutata. 75. 143. 213. 228. 251. 439. 590. 591. &c.
Invidia & cædes parum a ſe invicem differunt. 57. an Deo tribui poſſit? 64
S. *Joannis* epiſtola prima germana eſt, & Catholica. 242. quando ſcripta. 243. ſtylus. 246. de loco I. ep. V. 7. Scriptores. 293. ſq. γνησιότης ejus à *Leonh. Twelſio* vindicata. 300. ſqq. cur in codd. multis omiſſus? 311. ſq. Poſterior ejus epiſtola germana eſt. 320. & 321. cur πρεσβύτερον ſe appellet? *ibid.* Cur & quando Θεολόγος vocatus? 370. Apocalypſis vere ab eo ſcripta eſt. 371. cur de eo dubitatum ſit? 372. γνησιότης ejus vindicata. 387. ſqq. quo tempore ſcripta? 373. ſq. an ante Hieroſol. excidium? 382. an Petrus in epiſtola ſua poſteriore eam reſpexerit? v. *Petrus.* Num per intervalla ſcripta ſit Apocal. 383. ſtylus Apocal. 384. *conditio* ejus in hodiernis codd. 384. *obſcuritas.* ibid.
Joannes Presbyter Epheſinus, à Joanne Evangeliſta diſtinctus, num exſtiterit? 322. 399. Non ſcripſit is Apocalypſin. *ibid.*
Ira mora eſt temperanda. 21
Iracundia multorum malorum mater. *ibid.*
Irenæus à criminationibus quibuſdam vindicatur. 407. an Papiam & Polycarpum viderit? 408
Iridis proprietates, & ratio ſymbolica. 483. 521
Iſrael unde dicatur? 673
Judæorum tribus diſperſæ. 9
Judas Apoſtolus, Scriptor epiſtolæ Canonicæ. 337. γνησιότης illius epiſtolæ vindicata. 338. ſqq.
Jupiter φιλαλήθης dictus. 477
Juſtini Mart. nonnulli errores hiſtorici ejus fidem non elevant. 406. a nonnullis etiam, qui ipſi imputantur, immunis eſt. ibid. & p. 407

K.

Kametz Hebræorum per *o.* expreſſum. 219

L.

Lacrymæ abſtergendæ quid indicent? 507
Lampades ſponſales. 587
Laodicea. 477
Lateranenſe Concilium γνησιότητα loci I. Joh. V. 7. agnoſcit. 307
Latus Chriſti cur in cruce confoſſum? 704
Lecti libidinis ſymbolum. 467 lecti tricliniares. *ibid.* lecti eburnei. 584
Lex libertatis quæ? 25
Lex Regia quæ? 33
Liber eſt; qui legem obſervat. 25
Liber vitæ. 471. 538
Librarii obteſtationibus cumulati. 647
Libanii epiſtolarum Centuriæ XVI. ſub prelo. 168. 194. 333. 362. 519. 531
Libri ὀπισθόγραφοι. 488
Libri rationum Deo tributi. 601
Linguæ temperandum eſt. 44

Lingua

Digitized by Google

Lingua parvum membrum. 45
Linguæ vitia & noxæ. 48. difficulter coërcetur. 50
λιτότης ſermonis. 317
Liturgia S. Jacobo falſo tributa. 8
Locuſtæ Apocalypticæ. 514. ſq. earum copiæ paſſim noxiæ agris fuerunt. 516. 517
Loricæ veterum. 520
Lothus unde dictus? 206
Luna ſymbolum myſticum. 530
Lydi luxu & ſcortatione infames. 466

M.

Magi cur primi ad Chriſtum natum acceſſerint? 694. ſq.
Magiſtratus cur *κτίσις ἀνθρωπίνη* vocetur? 117
Manna. 463
Margaritæ variarum rerum ſymbolum. 609
Martyrum reliquiæ. 496
Melitonis ſcripta. 408
Merces laborantibus non procraſtinanda. 73
Meretrices olim nomina ſua frontibus inſcripta gerebant. 575
Michaël Archangelus quis? 352
Michaël in Apocalypſi Chriſtus eſt. 532
Milites ſtrenui cœna excepti. 459
Millennium Apocalypticum. 597
Miniſterii Sacri oſores confutati. 272
Montes emblema rerum publicarum & regnorum in ſacris. 572. montes ſeptem Hieroſol. 577
Mori pro altero quomodo liceat? 279
Mors ſecunda quæ? 460. 603
Mors quies à laboribus. 560
Mors cur ſomnus vocetur? 813
Moſis corpus quid ſignificet? 353. ſq.
Mulierum virtutes præcipuæ. 126. in maritos obedientia. 127
Mulieres viris infirmiores. 129 de illis Judæi abjectius ſentiunt. 130
Multiloquium cavendum eſt. 21
Mundus hic utrum aliquando renovandus, an penitus abolendus? 236
Mundi omnia fluxa ſunt. 264
Murus in ſacris varia myſtice denotat. 607
Myſterium an olim coronæ Papali inſcriptum? 574
Myſteria Gentilium. 468

N.

Naves eccleſiæ ſymbolum. 587
Naves ſacræ Gentilium. *ibid.*
Negandi particula verbis negantibus additur Attice. 271
Neque tertius, neque quartus, proverbialiter pro contemto. 709
Nicolaus, diaconus Hieroſolymitan. 457
Nicolaitæ hæretici an vere exſtiterint? 457. ſq. cur ſe ita appellarint? 286. 457. Scriptores de iis. 456. an nomen eorum myſtice interpretandum? 457
Noachus unde dictus? 144. arca ejus. *ibid.* ejus *κήρυγμα*. 207
Nomen novum. 465
Nomina olim veſtibus inſcripta. 295. item gladiis, clypeis, &c. *ibid.*
Nomina ſervorum, militum &c. frontibus inſcripta. 614
Nominativus interdum abſolute ponitur. 272. 468
Notæ in variis corporis membris ſignatæ. 542
Nubibus amicti dii gentilium repræſentantur. 521

Numerus ſingularis & pluralis in eadem orationis ſerie interdum conjungitur ſine hebraiſmo. 433

O.

Oblivio noxia eſt diſcenti. 26
Obſignatio teſtamentorum. 490
Oculi ardentes & radiantes diis tributi. 448
Odium in proximum inſtar *cadis* eſt. 278
Oleum olim ad ſanandos ægrotos adhibitum. 78. 79

P

Palma victoriæ argumentum. 503
Parva ſcintilla magnum parit incendium. 45
Paſſiva verba non raro *activo* ſenſu adhibentur. 183
Patmus inſula. 444
Paulus cur in limine epiſtolarum nomen ſuum commemoret? 758. cur ſervum ſe vocet? 759
Pauli ep. ad Hebræos reſpicitur a Petro 2. ep. III. 15. 239
Peccare omnium eſt hominum. 43. 44. Quomodo non peccent regeniti? 727
Peccatum originale omnis mali cauſa, & quomodo ab Hebræis appelletur. 15
Peccati natura. 275
Peccatum ad mortem quale? 316
Pergami, urbis Aſiæ, ſitus. 447. alia de ea. 460
Pergamenum Muſeum. 461
Petrus an nonnulla ex Jacobi epiſtola ſumſerit? 2. unde ita dictus? 88. vita ejus & res geſtæ. 89. epiſtolæ ejus ad Ex-Judæos pariter & Ex-Gentiles ſcriptæ ſunt. 91. ſq. Petri epiſtola poſterior germana eſt. 173. ſqq. an ſtylus poſterioris ab illo prioris diſtinctus? 179
Petrus 2. III. 15. illam Pauli ad Hebræos reſpicit. 239. An ad Apocalypſin S. Joannis reſpexerit, eamque in 2. ſua epiſtola illuſtrarit? 377. 380
Phialæ templi Hieroſolymitani. 491
Photius in alleganda Scriptura S. minus accuratus. 667. 679. 705. 715. 716
Photii Amphilochia. 651. ſqq. de illis conferatur præfatio ad hoc volumen.
Pleonaſmus particularum, *ut*, *cur*, *ſi*, &c. 281
Pluviæ defectus diuturnus. 86
Pluvia à Deo expetenda, & impetrata. 87
Pluviæ clavis Deo ab Hebræis tribuitur. 526
Poma amoris ſymbolum. 586
Præceptum unum violans omnium eſt reus. 35
Præſens ponitur pro *futuro*. 210. 236. *Præſens* participii pro illo *futuri*. 235
Precibus obtinetur ſapientia. 11
Precum perverſa ratio. 57. Preces pro ægrotis. 79. Precum efficacia. 85. Preces piorum ratæ ſunt. 282
Presbyter quis? 78
Primus & ultimus, cur Deus vocetur? 634
Probatio Spirituum. 283
Procul hinc procul eſte, profani. 643
Pronomina relativa interdum augent vim orationis. 442. 458
Prophetiæ etiam ab impiis editæ. 698
Proſcribere quid apud Latinos? 343

Pro

Digitized by Google

Protevangelium S. Jacobo tributum. 8
Purpuraria tinctura. 471
Purpureæ veſtes hominum delicioſorum. ibid.

Q.

Quadratus an Epiſcopus Philadelphenſis fuerit? 472
Querulorum hominum mores. 364

R.

Reges Judæorum an ſeptem ex familia Herodum? 578
Reſurrecturi homines qua ſtatura? 600
Ritus Gentilium ad interpretandam Apocalypſin caute ſunt advocandi. 475. & alias.
Roma dicta *Dea* & *urbs æterna*. 573. *regina*, vel, *urbs regnans*. 580. 583

S.

Saccus luctus indicium. 499
Sacerdotium ſpirituale & regium. 115. 442
Sacramenta duo N. T. in cruce Chriſti ſignificata. 704
Sacrificia cum ſpiritus meditatione conjuncta eſſe oportet. 109
Salutari quo ſenſu vetentur hæretici? 328
Sardes. 470
Sardius lapis. 483
Scire recta & *facere* oportet. 23
Sephiroth Cabbaliſt. an in Apocalypſi expreſſæ? 438
Septenarii rationem Hebræi inprimis in computando habent. 363. iisdem ſanctus habetur. 438
Serpens Satanæ ſymbolum Hebræis. 533. Cur illo uſus ſit Satanas ad pervertendos primos homines? 692
Sigilla ſeptem Apocalyptica. 494
Simeon, Hieroſol. Epiſcopus, non eſt Scriptor poſterioris Petri epiſtolæ. 182
Simeon unde? 784
Simoni Mago an ſtatua Romæ dedicata? 406
Smaragdus. 483
Smyrna. 459
Sodomæ everſio. 208
cum Sole Deus, & ſpeciatim Meſſias comparatur. 18
Specula olim aurea, argentea, ſtannea, ærea, vitrea. 24
Spes fallax ſæpe, ſed jucunda tamen. 95
Stephanephori Aſiæ. 460. 474
Stigmata veterum. 542
Superbis Deus reſiſtit. 67. 168
Surgere dicitur, qui a morbo liberatur. 82
Sus luto amica. 223
Syntheſeos vocum exempla. 502

T.

Tautologia falſo putata. 516
Templum Dei quod? 475
Thya arbor quæ? 583
Thyatira. 465
Tormenta bellica an in Apocalypſi prædicta? 513
Tribus Judæorum diſperſæ. 9
Typhon Ægyptiorum. 445
Typographia an in Apocalypſi prædicta? 520

V.

Verbum *internum* quo loco habendum? 23
Verba auxiliaria, v. c. εἰμὶ, interdum omittuntur. 192

Verba ſenſuum nunc genitivo, nunc accuſativo junguntur. 249
Verba interdum ſubſtantivis ſibi cognatis junguntur Attice, v. c. ἁμαρτάνειν ἁμαρτίαν. 315
Verſus inopinati in N. T. Scriptoribus & alias. 17
Veſtis talaris. 447. veſtes *purpureæ*. 471. *albæ*. ibid. & 504. 589
Veſtium ornatus a fœminis cavendus. 126
Veſtibus olim inſcripta nomina. 594
Victori Vitenſi quid tribuendum? 509. ſq.
Vigilii Tapſenſis quæ auctoritas? 510
Vinum ſanguis uvarum vocatur. 561
Viſio faciei Dei. 614
Vita hominum *rota* quædam & *orbis* eſt. 49
Vita brevis. 69
Vitia appellantur *ſordes*. 22. Vitia tria palmaria, *voluptatum*, *divitiarum* & *gloriæ* ſtudium. 262
Unctio ægrotis adhibita. 77. 78
Unctio extrema pſeudo-ſacramentum Pontificiorum. 81. Unctio Chriſtianorum ſpiritualis. 269
Volente Deo, pia & communis dicendi formula. 70. 134
Urbium figura quadrata. 607

Z.

Zonæ Sacerdotibus & Regibus olim receptæ. 447
Zonæ varii generis. 565

INDEX IV.

Locorum Novi Inſtrumenti, in PHOTII Amphilochiis nunc fuſe, nunc obiter explicatorum.

MATTHÆUS.

II. 8. pag. 694. ſq.
II. 8. p. 697.
V. 3. p. 667. v. 16. p. 750. v. 39. p. 748.
VI. 1. p. 750.
XI. 11. p. 701.
XII. 1. p. 756.
XIII. 14. p. 652. v. 58. p. 685.
XIV. 3. p. 700.
XVI. 23. p. 684.
XXII. 30. p. 680.
XXVI. 27. p. 746.

LUCAS.

II. 17. p. 770. v. 19. p. 772. v. 29. p. 773. v. 31. p. 776. v. 34. p. 778. v. 35. p. 779. v. 36. p. 779. v. 49. p. 782.
VIII. 2. p. 785. v. 10. p. 659.
X. 4. p. 684.
XV. 13. p. 814.
XXII. 63. p. 747.
XXIII. 34. p. 705.

JOANNES.

I. 18. p. 708.
IV. 21. 22. p. 651. ſqq.
VIII. 44. p. 675. 692.
XII. 38. p. 789. v. 40. p. 668.
XIII. 10. p. 736.
XIV. 10. p. 786.
XV. 19. p. 727.
XVI. 12. 13. p. 788.

XVIII. 23. p. 784. v. 31. p. 707.
XIX. 3. p. 746. v. 34. p. 704.

ACTA.

I. 4. p. 734. v. 11. p. 714. & 738.
VII. 60. p. 705.
De titulo libri, πράξεις Αποστόλων. p. 730.

ROM.

I. 4. p. 762. v. 16. p. 803.
V. 10. p. 813.
VII. 18. p. 674.
VIII. 21. p. 780.
XII. 20. p. 689.

1 CORINTH.

IV. 13. p. 742.
XIV. 22. p. 685.
XV. 18. p. 813. v. 31. p. 743.

2 CORINTH.

V. 17. p. 810.
V. 20. p. 672. 725.

GALAT.

III. 27. p. 737.
IV. 4. p. 678. v. 19. p. 739.

EPHES.

IV. 12. p. 726.

PHILIP.

I. 20. p. 715.

COLOSS.

I. 15. p. 800. v. 18. p. 801. v. 24. p. 719.

HEBR.

XI. 21. p. 673.

JACOB.

I. 9. p. 765.

2 PET.

I. 18. 19. p. 741.
II. 19. p. 727.

1 JOHAN.

II. 12. p. 740.

APOCAL.

III. 21. p. 679.

INDEX V.

PATRVM a Photio allegatorum.

Amphilochius, Epiſcop. Cyzicenus. pag. 708
Athanaſius. 712
Baſilius M. 712
Chryſoſtomus. 713. 788. 799. 802. ſeq.
Dionyſius Areopagita. 712
Gregor. Nazianzen. 679. 713

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google